OPERA
MEDICA

HORST

III

1661



# GREGORII HORSTII,
## SENIORIS
τοῦ μακαρίτου

# OPERUM MEDICORUM
## TOMUS TERTIUS,
*CONTINENS*

CENTURIAM PROBLEMATUM ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΩΝ, & alios Tractatus, quorum ſeriem ſequentes exhibent paginæ.

*Cum TRIPLICI INDICE Quæſtionum ſcil. & Capitum, Authorum ac Rerum Verborumque magis notabilium locupletiſsimo.*

Curâ

GREGORII HORSTII, Junioris,
Phil. & Med. D. Phyſ. Profeſſ. Publ. & Medici
Ulmenſis Ordinarii.

AMSTELODAMI,
Sumptibus PIETER LA BURGH.
Anno M. DC. LXI.

*ILLVSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO*

# GEORGIO
## HASSIÆ LANDGRAVIO
### COMITI IN CATTIMELIBOCO, DEZIA, ZIGENHEINA, NIDDA, ISENBURGO ET BUDINGA, &c.

*PRINCIPI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO*

*Salutem & Felicitatem perpetuam P.*

ANnus jam agitur Vigeſimus quartus ab eo tempore, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME, quo Genitor meus labores hoſce certas ob cauſas Illuſtriſſ. Celſitud. T. fecit ſacros: quum autem ob defectum priorum Exemplarium typis iterum eſſent recudendi, eoſdem triplicem ob Cauſam Illuſtriſſ. Celſitud. T. offerendos & inſcribendos eſſe duxi. *Prima* quidem eſt, quod Illuſtriſſ. Celſitud. T. quicquid hoc chartacei muneris eſt, jure meritò debeatur: Gentiles enim pro piaculo duxerunt in ſacrificiis ſuis rem, Aræ cuidam ſacratam, ad aliam transferre. *Altera* eſt, quod Illuſtriſſ. Celſitud. T. ego ipſe ad gratitudinem obſtrictus ſim, quod ante annos decem me non ſolùm in numerum Medicorum ſuorum ſelegerit, meque tum tem-

 poris

poris FILIÆ dilectissimæ, ex Dania ad Patrios Lares rediturae sanitati præfecerit, sed etiam insuper sequenti Anno Anatomen in ACADEMIA GISSENA in Cadavere quodam masculino publicè exhibere gratiosè concesserit. Nec minor, sed major *Tertia* Causa est, quod nempe Illustriss^a. Celsitud. T^a. Anno præterito Darmbstadii tam clementer me tractaverit, meque ad Thermas Embsenses comitem servum in vita verit. Hinc nullus dubitans Illustriss^am. Celsitud. T^am. exiguum hoc munus subjectissimæ observantiæ signum serenâ fronte suscepturam. Quod, ut Illustriss^a. Celsitud. T^a. faciat, mihique clementer faveat, submissè oro, DEUMQUE TER OPT. MAX. precor, ut Illustriss^am. Celsitud. T^am. omnibus bonis augeat, Eamque cum ILLUSTRISSIMA CONJUGE, LIBERISQUE SERENISSIMIS, totâque DOMO HASSIACA ILLUSTRISSIMA salvam & florentem diu conservet. ULMÆ Suevorum Kalendar, Septembr. M. DC. LX.

*ILLVSTRISSIMÆ TVÆ CELSITVDINIS*

*Subjectissimus cliens*

GREGORIUS HORSTIUS, D.

ELEN-

# ELENCHUS

## Tractatuum in hoc Tomo Tertio Contentorum.



## INDEX QUÆSTIONUM

*In Centuria Problematum θεραπευτικῶν.*

### DECAS. I.

*De Febribus.*



### DECAS. II.

*De Capitis Affectibus.*



### DECAS III.

*De Affectionibus Externorum Sensuum.*



### DECAS IV.

*De Morbis quibusdam organorum vocis & respirationis.*

DECAS V.

*De quibusdam cordis & ventriculi affectibus.*



DECAS VI.

*De Morbis quibusdam Intestinorum, Mesenterii & Omenti.*



DECAS VII.

*De quibusdam Jecoris & Lienis affectibus.*



DECAS VIII.

*De Renum & Vesica dispositionibus præter naturam.*



DECAS IX.

*De quibusdam Affectibus Mulierum.*



DECAS ULTIMA.

*De quibusdam Contagiosis & Malignis Affectibus.*

# INDEX QUÆSTIONUM

*In Exercitationibus de Febribus.*

## EXERCITATIO I.



## EXERCITATIO II.



## EXERCITATIO III.



## EXERCITATIO IV.



IN-

# INDEX CAPITUM

*Libri Secundi de Tuenda Sanitate Studiosorum.*



# INDEX CAPITUM

*Consilii Dysenterici.*



# INDEX CAPITUM

*In Herbario Horstiano.*

## LIBRI PRIMI.

*De Herbis selectis quarum usus est in multis partibus.*

### SECTIONIS PRIMÆ

*De iis Plantis, quæ prodeunt in Martio.*



### SECTIONIS SECUNDÆ

*De Plantis, quæ nascuntur in Aprili.*



### SECTIONIS TERTIÆ

*De Plantis Provenientibus in Majo.*



### SECTIONIS QUARTÆ.

*De Plantis in Iunio provenientibus.*



7 De

# INDEX CAPITUM

*In Institutionibus Physicis.*

## SECTIONIS SECUNDÆ

*De Simplicibus Corporibus, quatenus mixta respiciunt, ubi quoque de Mixtione & mixtis in genere.*



## SECTIONIS TERTIÆ

*De Imperfectè Mixtis.*



## SECTIONIS QUARTÆ

*De Perfectè Mixtis Inanimatis.*



## SECTIONIS QUINTÆ

*De Vegetabilibus.*



## SECTIONIS SEXTÆ

*De Animalibus Brutis.*



## SECTIONIS SEPTIMÆ

*De Homine.*

### PARTIS PRIORIS

*De Corpore Humano.*



### PARTIS POSTERIORIS

*De Anima.*

# INDEX AUTHORUM

Quorum in hoc

## TOMO TERTIO

fit mentio.

# INDEX AUTORUM.



D



E



F



*Io. Bapt.*

# INDEX AUTHORUM.


*Lucas* Pollio, *in lib. german. de Febr. malign.*
*Petrus* Pomponatius, *de incant. Basil* 1556 *in* 8
*Iacob.* Pons, *in Medico, Item de Venæ sectione Lugd. in* 8
*Ferd.* Ponzettus, *lib. de venenis, Bas* 1562 *in fol*
*Io. Bapt.* Porta, *in magia naturali Francof.* 1597 *in* 8 *de destill. in* 4
*Anton.* Portus, *de peste Romæ* 1585 *in* 4
Posidonius *in operibus Aëtii,*
*Petrus* Poterius, *in Observat. & Pharmacop. Lugd.* 1645 *in* 8
*Th.* Priscianus, *Gramm. Cæsariensis Colon.* 1526 *in fol*
Proclus, *in Timæum,*
*Hier* Provenzalis, *de Sensibus Romæ* 1597 *in* 4
Ptolomæus, *in gentiloquio,*
*Zach.* à Puteo, *in clave rationali Venet.* 1612 *in* 4

Q

*Ioseph.* Quercetanus, *in variis suis scriptis,*
*M. Fab.* Quintilianus, *de Oratore Bas.* 1543 *in* 4

R

*Ioann.* Raicus, *de Podagra, Francof.* 1621 *in* 8
*Petrus* Ramus, *in Orat. & alia scripta Cicer.*
Item *libro scholar. physicarum,*
*Franc.* Ranchinus, *in opusculis suis Lugduni* 1627 *in* 4
*Henric.* Ranzovius, *de Conserv. valetudine, Antw.* 1584 *in* 8
*Leonh* Rauvvolfius, *in Itinere Orientali Laving* 1582 *in* 4
*Ioan.* Renodæus, *in Dispens. Colon. All.* 1623 *in* 8
*Hier.* Reusnerus, *de Scorbuto, Franc.* 1600 *in* 8
Item *de Vrinis Bas* 1582 *in* 8
Rhases *ad Almansorem,*
*Ierem.* Rhetius, *in Disput. de Febre Petechiali, Ienæ.*
*Lud. Cæl.* Rhodiginus, *Lect antiq Francof.* 1599 *in fol*
*Eustach,* Rhudius, *de Affect. Hum. Corp. de tum, vuln. &c. Venet. & Patav.* 1602 *in* 4
Item *de usu totius Venet.* 1588 *in* 4
*Ioan.* Riolanus P. *in Fernel. Mompelgarti,* 1589 *in* 8
*Ioan.* Riolanus F. *in Anthropologia Paris.* 1626 *in* 4
*Octav.* Roboretus, *de Febri peticulari, Tridenti* 1592 *in* 4
*Nicol.* Rocheus, *de morbis mulier. in Gynæc.*
*Io. Nic.* Rogerius, *de Venæ sect. Venet* 1597 *in* 4
*Guil.* Rondeletius, *in Opere suo Francof.* 1592 *in* 8
*Io Bapt.* Rosarius,
*Timoth.* Rosellus, *lib secret. Venet.* 1588 *in* 8
*Des. Eras.* Roterodamus, *in Adag Bas.* 1526 *in fol*
*Ioann.* Ruellius, *de Stirp. Histor. Basil.* 1537 *in fol*
*Iacob.* Ruffius, *de generat. Tiguri* 1554 *in* 4
Rufus,
*Mart.* Rulandus F. *in Cent. curat. Basil.* 1628 *in* 8
*Mart.* Rulandus P *in Lexic. Chymiæ Francof.* 1610 *in* 4
Item *in Problem.*
Item *de morb. Vngar in* 8
Item *Progymnas. Alchym. Franc.* 1607 *in* 8

S

*Angelus* Sala, *in Aph. Chymiatr. & aliis Scriptis,*
Item *de Peste,*
*Guil.* de Saliceto, *in Chirurg. Venet.* 1502 *in fol*
*Salust* Salvianus, *Varia. Lect. de Re Med Romæ* 1588 *in* 8
*Sanctor.* Sanctorius, *de vitand. error Venet.* 1603 *in fol*
*Io. Ant.* Sarracenus, *de Peste Lugd.* 1689 *in* 8
*Io. Mich.* Savanarola, *in Pract. Venet.* 1560 *in fol*
Item *in Epit Phys.*
*Hercules* Saxonia, *in Pantheo, Francof.* 1603 *in fol*
*Iul. Cæs.* Scaliger, *de Subtilitate, Francof.* 1576 *in* 8
*Durantes* Schachus, *in subsidio Chirurg Vibini* 1596 *in* 8
*Iac.* Scheckius, *de Sanguificationis instrumento Argent.* 1581 *in* 8
*Ioann.* Schenckius, *in Obser v, Francof.* 1600 *in* 8
*Phil.* Scherbius, *in Thes. Med. Lips.* 1614 *in* 8
*Henr.* Scheunemannus, *de morbo cagastrico Francof.* 1610 *in* 8
*Laur.* Scholtzius, *in Opere Consil. Francof.* 1598 *in fol*
*Ioann.* Schröderus, *in Observ. VVittich,*
*Salv.* Sclanus, *in art. parv. Ven.* 1597 *in* 4
*Iac. Mart.* Scotus, *de simpl. & concretor. corpor. generatione Lugd.* 1589 *in* 8
*Cornel.* Schylander, *in Med. Astrol. & Chirurg. Antw.* 1577 *in* 8
*Melch.* Sebizius, *de mola, Argent.* 1627 *in* 4
Item *de acidulis, ibidem* 1627 *in* 4
Item *de febr. Petechiali,*
*Bruno* Seidelius, *in Phys.*
*L. A.* Seneca, *in Opere Bas.* 1537 *in* 8
*Hugo* Senensis, *in artem parv. Papiæ,* 1496 *in fol*
*Daniel* Sennertus, *in Instit. & lib. Praxeos, & de Consens. VVitteb in* 4
*Ludov.* Septalius, *in Hipp. de aëris, aquis & locis Colon,* 1590 *in fol*
Item *in Animadvers. Patav in* 8
*Guil.* Seraphinus, *de Comp. Med Trini* 1527 *in* 4
Serapion *apud Galenum.*
*Q.* Serenus, *cum comm. Humeberg.* 1581 *in* 4
*Simeon* Sethus, *de Cibor. facultat. Basil.* 1561 *in* 8
*Petrus* Severinus, *Danus in Idea Bas.* 1571 *in* 4
*Diodor.* Siculus, *Biblioth. Hist. Hanov.* 1611 *in* 8
*Pet. Paul.* Simoneta, *in Comp. Med. Francof.* 1598 *in* 8
*Simon* Simonius, *in Simonio supplice Cracov,* 1585 *in* 4
Item *de Putredine ibidem,*
Simplicius, *in Arist. Venet.* 1540 *in fol*
*Henr.* Smetius, *in Miscell. Med. Franc,* 1611 *in* 8
*Anton.* Snebergerus, *in Cassium Tiguri* 1616 *in* 8
Soccinas, *in Metaph.*
*Reiner.* Solenander, *in Consil. Francof.* 1596 *in fol.*
*Galeat.* de S. Sophia, *Hagenoæ* 1533 *in fol*
*Adrian.* Spigelius, *in Anat. Venet.* 1627 *in fol*
Item *de Semitertiana Francof.* 1624 *in* 4
Item *de Lumbrico lato Patav.* 1618 *in* 4
*Ioann* Sporischius, *ab Ottenbachaw, de curandi ratione per dictam Lips.* 1607 *in* 8
*Gothof.* Stegghius, *in art. Medic. Francof* 1606 *in fol*
Stephanus *Atheniensis, in lib. Gal. de art. curand. Basil.* 1581 *in* 4
*Henr.* Stephani, *in Dictionar. Medico,* 1564 *in* 8
*Ioann Steph.* Strobelbergerus, *in Diversis tractat. Lips. in* 8
*Ioann.* Stockerus, *in Empirica Francof.* 1601 *in* 8
Strabo,
*Ioseps.* Struthius, *in arte sphygmica Bas.* 1602 *in* 8
*Ioach.* Struppius, *in Anchora famis & sitis Francof.* 1574 *in* 4
Item neue Speißkammer.
*Nicol.* Stupanus, *in Dispensat. Med. Basil.* 1614 *in* 8
*Io. Bapt.* Susius, *de Venæ sect. Cremonæ* 1559 *in* 4
*Paschalis* Suesanus, *de Venerea lue,*
*Petrus* Sybellinus, *de Peste, Pragæ,* 1564 *in* 4
*Io Bapt* Sylvaticus, *in Controv & Histor. Med. Francof. in fol*
*Matth* Sylvaticus, *in Pandectis Editio antiq. in fol*
*Iacob.* Sylvius, *de Febr. Paris.* 1561 *in* 8

T

*Iac. Theod.* Tabernamontanus, *de Plantis Francof.* 1613 *in fol*
Item Wasserschatz / *ibidem* 1608 *in* 8
*Ioann.* Talentonius, *in Thesaur. recond. Francof.* 1605
*Casp.* Taliacotius, *in Chirurg curtor. Francof.* 1598 *in* 4
*Valesc.* de Taranta, *in Philon. Lugdun.* 1490 *in fol*
*Petrus* Tataretus, *in Arist. Parij in fol.*
*Nicol* Taurellus, *in Method. Prædict. Francof.* 1581 *in* 4
*Bernh.* Telesius, *de rerum natura Neapoli* 1586 *in fol*
*Andr.* Tenzelius, *in exeges. VVitteb.* 1628 *in* 8
Tertullianus, *lib de anima,*
*Steph* Teupolus, *in Contemplatione Academ. Bas.* 1590 *in* 8
*Ioann.* Thalii, *Sylva Hercynia Francof* 1588 *in* 4
Themistius, *in Arist. Venet.* 1570 *in fol*
*Io. Bapt.* Theodosius, *in Epist, Med, Lugdun.* 1557 *in fol*


Theo-

Σὺν Θεῷ.

Σὺν Θεῷ.

# GREGOR. HORSTI, D. CENTURIA PROBLEMATUM ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΩΝ, SEU MEDICARUM QUÆSTIONUM PRACTICARUM,

## DECAS PRIMA,

Ad præcipuarum Febrium Cognitionem & Curationem inserviens.

## ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Cur Romani febri Templum erexerint?*

*Quemadmodum præ reliquis morbis Febri potissimùm Romanos Veteres Templum erexisse post* Plinium (*nimirum* lib. 2. cap. 7. *ubi in Palatio Febri publicè Fanum dicatum fuisse scribit, addente Dalechampio, quod Febris tria Fana Romæ fuerint, unum in capite vici longi, alterum in Palatio, & tertium juxta monumenta Mariana*) *repetit* Mercurialis lib. 5. Practicæ cap. 1. *forte, quod affectus hic frequentissimus, totique corpori communis, adeoque vulgare morbi genus juxta* Celsum lib. 3. c. 3. *utpote quo non tantùm Vitalis, nec etiam solummodo Naturalis actio, sed omnes totius functiones afficiuntur, interveniente læsione caloris nativi, communissimi omnium instrumenti: Ita non videtur inconveniens de febribus cognoscendis & curandis peculiarem συζήτησιν præ reliquis affectionibus instituere, & certis quæstionibus ea, quæ in variis febrium differentiis controversa sunt, examini medico subjicere. Vt autem Asclepiadeis mancipiis de cognitione & curâ variarum febrium ansam disserendi præbeamus, ideò consequenter in specie hoc modo progredimur.*

### QUÆSTIO I.

*An balnea conveniant in diariis?*

*Febris quid?*

I. FEbris, ὁ πυρετὸς, græcis, calor præter naturam in corde accensus, indeque toti corpori communicatus, rectissimè dicitur *Galeno* 1. *de diff. Febr. cap.* 3. unde ad intemperiem calidam tanquam ad summum genus ab eodem *lib. de Morb. diff. cap.* 5. refertur. Prout autem hic calor in igneum mutatus, secundum *Galen. l.* 1. *Aphor. comm.* 14. & 1. *de ration. vict. acut. comm. ad* 18. *Aphor.* originem suam vel à spirituum accensione, vel ab humoribus putrescentibus, vel à solidis partibus excalfactis sibi vendicat, ita quoque febris alia diaria est, alia putrida, alia hectica, quæ differentia *Galen. lib. de diff. Febr. cap.* 1. maximè propria dicitur, quatenus desumitur à diversitate causæ proximæ antecedentis, cujus varietas, ipsas quoque curativas indicationes variat.

*Quodnam febris Subjectum.*

*Argenterius lib. de Febribus cap.* 1. *Galenum* exagitat de Subjecto Febris, sed frustrà. Quanquam enim cordis passio sit Febris, non tamen talis dicitur, priusquam à Corde talis Intemperies reliquo corpori communicetur. Conjunge *Exerc. nostr. de Febrib. Exerc.* 1. *quæst.* 5. & amicum olim meum in aula Cæsarea *Dn. Octavianum Roboretum de Febri Peticulari cap.* 2. *pag.* 20. Qui recreationis gratiâ de subjecto Febris plura legere cupit, is videat *Simonium, in part.* 2. *Simonii supplicis tit.* 2.

*Diariæ febris generatio.*

II. De prima differentia, nimirum de diariis, sic dictis quod diem naturalem vix excedant, jam quæritur, *num in iis curandis balneorum usus conveniat?* Ut autem huic problemati satisfiat, notandum, diariam ephemeram febrim ab accensione & calefactione spirituum præter naturam fieri, quæ non ab una solùm, sed variis causis excitari potest, quemadmodum experientiâ edoctus *Galenus lib.* 1. *de arte Curat.* docet, nimirum ex lassitudine totius, ex constipatione cutis, ex vehementibus animi commotionibus, ex vigiliis, ex inedia, ex vini meracioris potu, ex ustione solis, ex adenum vel glandularum tumoribus, aliisque similibus, ad inflammationem & effervescentiam spirituum facientibus. Hæ causæ præcedentes diversæ, necessariò diversas intentiones curativas generant, unde dubitatur, quomodo *Gal. lib.* 1. *de arte Curat. c.* 2. & *Avicen. Can.* 4. *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. cum aliis, omnes diarias Balneis curari asserant.

*Cur de causis procatarcticis.*

Quanquam *Vitalis de Furno cap.* 151. Ephemeram à causis internis & externis fieri dicit, nihilominus huic assertioni contrarius non est, quia causam internam impropriè sumit, quatenus etiam sub numero procatarcticarum includitur. Advertendum tamen, inquit *Trincavell. in lib.* 1. *Artis Curat. cap.* 2. quod causarum procatarcticarum observatio non propterea à Medicis præcipitur, quia illæ per se & propriè faciant aliquid ad curationem, vel ad indicandi rationem, quod *Galen.* 4. *Methodi* docet, sed quia aliquam adferunt utilitatem & opem ad inveniendam affectionem, unde postea petenda indicatio; omnis enim intentio, quo ad Ephemeram curandam, ad morbum esse debet, propterea quod semper à procatarctica causâ proveniat, ut habet *Nic. Massa in lib. Epist. Med. Epist.* 7.

*Quæstionis resolutio.*

III. Pro resolutione subjiciendum, quod Balneum aquæ dulcis, cujus apud veteres splendidissimi erant apparatus, ut patet ex *Langio l.* 1. *Epist.* 50. consideretur respectu partium diversarum, quarum *Galen. lib.* 10. *Meth. cap.* 10. quatuor enumerat, nimirum aërem balnei, cujus vi sudor evocatur, solium aquæ calidæ, solium frigidæ, & eam partem, in qua corporis sudor detergitur.

*Balnei diversæ partes.*

*Descriptio Balnei secundum Antiquos.*

Balneum Antiquorum secundum nonnullos tribus, secundum alios quatuor partibus erat distinctum, de quo vide *Sennertum lib.* 3. *de Febr. cap.* 3.

*Dunc. Liddelium lib.* 1. *de Febr. cap.* 8. *& Guil. Gifcaferium lib.* 1. *de Nat. Febr. cap.* 13. primò enim in aëre calido loturi tàm diu morabantur, donec corpus nudum nonnihil incalesceret: dein solio aquæ calidæ corpus immergebant, è quo postmodum in frigidum descendebant; & quarto temperata lotione sudores detergebant; idque propterea, ut primum pori cutis in aëre calido laxarentur, deinde balneo calido corpus humectaretur, intenso calore, ne dissolvatur, frigido solio temperaretur, ac tandem moderato calore sudor detergeretur. Imo ipsum etiam Balneum aquæ calidæ juxta *Galenum lib.* 3. *de tuend. san. cap.* 4. in triplici est differentia; vel enim temperatum est, vel tepidum, vel calidum. Balnei calidi excedentis rarus est usus, nisi quod *Galenus* eodem utatur in quarta specie lassitudinis, quæ ex gracilitate oritur, musculis plus æquo exiccatis, quod innuit *Iul. Cæsar Claudinus sect.* 10. *append. ad lib. de ing. ad infirmos*, ubi simul notat, Balneum temperatum ac tepidum, licet juxta *Galenum citato loco*, gradibus differant, effectis tamen convenire, quatenus calefacta refrigerant, & refrigerata calefaciunt, humectant, sudores movent, insensibiliter evacuant, vapores acres attemperant, & alimentum ad ambitum corporis attrahunt.

*Diversæ Balnei partes diversis febribus Ephemeris quomodo succurrant.*

IV. Respectu harum diversarum Balnei partium variis ephemerarum causis diversimodè succurritur: Sic aër Balnei convenit iis diariis, quæ fiunt ex cutis densitate, aut meatuum obstructione & ex adenum tumoribus, utpote cujus beneficio foràs evocantur calidæ expirationes per pororum apertionem. At noxius idem est diariis ex animi commotionibus, ex lassitudine, ex fervore solis & similibus. Secunda pars Balnei tutior est in omni ephemera, quatenus respectu caloris moderati aquæ calefactæ humectat & calorem febrilem corrigit. At tertia pars, nimirum solium frigidæ, cautè concedatur, (ne cute constipata fervor spirituum magis intendatur) & hoc modo consequenter hectica vel putrida excitetur. Quarta verò nulli non convenire potest, cum in omni sudoris detersione, corporisque mundificatione opus sit.

*Balnei usus multiplex.*

Quo ad usum Balnei notat *Pet. Salius Diversus in Comm. in lib.* 3. *de Morb. Hipp. tex.* 3. exterius secundum *Hipp.* etiam in ardentibus febribus administrandum esse, corporis refrigerationi & humectationi succurrendo: nam Balneum, ubi corpus expurgatum fuerit, inquit, satis aptum est, incendium febris & vehementiam sitis remittere. Imò Balneum *Hipp.* 6. *Epid. part.* 5. etiam ante usum Hellebori concedere videtur, quatenus corpus humectat, laxat, & humores fluidos reddit. Adhibetur autem ante purgationem præparandi ratione tunc temporis, ut addit *Christoph. à Vega lib.* 1. *Aph.* 10. *in Com.* Cum corpus non valde plenum fuerit, aut cum paramus in declinatione purgationem: antè verò id periculum est, ex Balneo incidere in magnum aliquem morbum ex fluxione, aut plenitudine, dilatatis humoribus ac diffusis, &c. *Hollerius in Com. ad Aph.* 42. *lib.* 7. Balneum juvare dicit hecticos, quia calefactos refrigerat, & reficcatos humectat, modo moderatum sit; imò etiam diarias, si ab ustione, quia refrigerat, si à refrigeratione, quia calefacit, si à lassitudine, quia refovet lassata corpora, si ab obstructione cutis, quia relaxat. Porrò limitationes exquisitiores, quo ad usum Balnei respectu variarum differentiarum in Febribus, præsertim Ephemeris, vide apud *Ioh. Damascenum in Metaphrasi Albani Torrini cap.* 3. *& seq. Item apud Gordonium de regim. acut. part.* 3.

*Cautio, quo ad usum Balnei.*

Advertendum tamen, quod monet *Sennertus lib.* 1. *de Febr. cap.* 6. Balneum quidem antiquis in hoc morbi genere, ut & pluribus aliis, fuisse familiarissimum, sicut hodiè quoque Ægyptii non solùm ad sanitatem tuendam, sed etiam ad varios morbos sanandos Balneo frequentius utuntur, ut refert *Prosp. Alpinus lib.* 3. *de Medic. Æg. cap.* 19. Videatur quoque *And. Thevet. in Cosmographia Orientis*, *à nobis ex Gallico Idiomate in Germanicam linguam traducta, qui cap.* 53. admodum commendat Turcarum spaciosa marmorea Balnea, cui etiam subscribit *D. Rawolfius in Itinere Orientali*. Verum in Balneis parandis non eadem apud nostros (inquit ille) scilicet apud Saxones & Septentrionales, adhibetur industria, nec homines nostri ita Balneis assueti sunt; præterea maxima hominum pars (inferioris videlicet Germaniæ) in victu errores committit, unde crudorum humorum copia cumulatur, qua de causâ tutò Balneum adhibere non licet, ac proinde loco Balnei tutioribus aliis remediis utendum censet. Hoc tamen non obstante, negari non potest, quin certis conditionibus Balneum adhibitum, præsertim in his regionibus superioris Germaniæ, in diversis morbis naturæ succurrat, quâ ratione *Balnea Martia* dicta, sub vernum tempus instituta, & aliquoties repetita, post præcedentem evacuationem, non absque fructu communiter à nostris hominibus usurpantur, utpote cum aqua dulcis tunc temporis exhalationibus resuscitatis prægnans magis detergeat, & poros cutis, hyemis frigiditate densatos hactenus, relaxet, ac superfluitates in habitu corporis delitescentes resolvat. Imò plebeis etiam aliis quoque temporibus Balneum in usu est, quando febrile quid sentiunt, ubi frequenter (quod corpora puriora plerumque sint) ab invasionibus ulterioribus liberantur. Nihil addo de menstruis quotidianis Balneis hîc in Suevia frequentissimis, non tantùm ex aquis medicatis, quas varias Deus Opt. Max. nobis concessit, sed etiam ex dulcibus, quibus, justâ præparatione & evacuatione concurrente, morbi Chronici sæpius aliàs incurabiles, expugnantur.

*Balnea Martia Suevorum. Mertzen-Bäder.*

*Cautio.*

V. Sed nota ex *Foresto lib.* 1. *observ.* 6. quod hæc procedant de ephemera, quatenus talis: Ubi enim internæ obstructiones, cruditates, nauseæ, catarrhi, alvique fluxus cum ejusmodi febribus concurrunt, à Balneis abstinendum, quemadmodum hoc quoque monet *Avicenna citato loco cap.* 9. atque ita diverso modo prosunt & nocent, ut verum sit quod dicitur:

Balnea,

*Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora nostra,*
*Restituunt eadem, Balnea, Vina, Venus.*

*Limitationes ulteriores de Balneis usurpandis in febribus.* Ad limitationem hanc *Conciliatorem diff.* 173. adde, ubi dicit, tria esse perpendenda, priusquam ægrum ad Balneum ducamus, nimirum ut febris absque horrore sit, ut nulla pars principalis imbecillitate quadam affecta sit, cum aliàs humores per Balneum resoluti in eam recipiantur, & ut in primis viis cruditas omnis absit. Idem repetit *citato loco Iul. Cæs. Claudinus*, dum prohibentia reducit etiam ad tria capita, quorum primum est, crudorum humorum copia in ventriculo, in primis viis, in toto vasorum genere; 2. horroris causa præsens in corpore, quæ est cutis adstricta & humorum copia, &c. & 3. membrorum maximè principalium, aut iis subservientium imbecillitas. *Heurnius lib. de Febr. cap.* 6. suasore *Tralliano*, etiam illos ad Balnea ducendos esse putat, quibus ex cibis corruptis liberalius alvus fertur, nisi fractæ fuerint vires, &c. Si adsit catarrhus, pergit ille, nî coctus ille sit, non lavetur inquit *Paulus*. *Aëtius* tamen id laudat, si materiam calidam agnoscit Catarrhus, ita etiam *Rhases*. Quare de crudo aquoso loquitur *Paulus*: de astricta cute cum calida materia *Aëtius*. Conjunge *Aloisium Mundellam in Epist. Med. Epist.* 19. *& Mengum Faventinum tract. de Baln. cap.* 1. quorum uterque veterem Balneandi rationem, tàm sanitatis tuendæ, quam morborum curandorum gratiâ vicissim ad usum revocandam esse statuit, quod etiam à Practicis quibusdam observatur, quemadmodum videre licet, apud *Amatum Lusitanum Cent.* 3. *Curat.* 99. ubi in Diariæ febris declinatione ægrotum ad Balneum ducit, quod ex Rosis, Vitis foliis, Violis, Lactucis, Nymphæa, &c. confectum fuit, idque maximo cum successu: Item apud *Frambesarium lib.* 4. *Can. & Consult. tit.* 1. *Cons.* 1. ubi non tantùm Balneum calidiusculum aquæ dulcis, sed etiam relaxato corpore per Balneum, olei affusionem & frictionem præscribit. De hâc materiâ videatur etiam *Cæsalpinus lib.* 2. *Quæst. Med. Quæst.* 9. *Montuus in Halosi Febr. lib.* 8. *cap.* 2.

## QUÆSTIO II.

*An in Synocho non putri oxymel præbendum?*

I. AD febres diarias referunt quoque Principes authores febrim paucorum dierum, quæ oritur ex sanguinis effervescentia sine putredine, quam synocham non putrem, Barbari synocham inflatam vocant. *Cur sanguis non statim putrescat.* Cum enim sanguis p. n. effervescere incipit, non statim putrescit, sed aliquandiu, quatenus naturæ thesaurus est, copiosoque calore nativo gubernatur, à corruptione putrefactionis sese vindicare nititur (*Mercurialis lib.* 5. *pract.*) quod de reliquis humoribus vix etiam affirmare possumus, quam ob causam talem quoque diariam ex bilis concitatione sine putredine, quod voluit *Fernelius lib.* 4. *Pathol. cap.* 4. non concedimus, cum biliosa corpora ex sola bilis commotione non febricitent, ut patet in Ictericis.

*Signa Synochi non putris.* Signa febris hujus diligenter observanda veniunt, de quibus *Nic. Massa in Epist. Med. Epist.* 7. hoc modo differit: Signa febris continentis sine putredine sunt caliditas in universum non acuta, neque ad tactum mordax, neque exterius exiccans, pulsus magnus & plenus, difficultas spirandi, habitus corporis cum sanguinis multitudine, color ruber totius, ætas juvenilis, urinæ crassæ, rubræ, Signis digestionis non privatæ. Hæc pulchrè deducit *Heurnius lib. de Febr. cap.* 7. ex causis suis, simulque monstrat, quomodo sanguis effervescens per dies aliquot à putredine sese vindicet.

II. Quæritur autem *num etiam in hâc febri sanguinea oxymelitis usus conveniat?* *Affirmatur quæstio.* Affirmat *Galenus lib.* 8. *m. m. cap.* 4. idque non sine ratione, propterea quod post modicam evacuationem pharmacum ex iis, quæ detergeant, exhibendum sit, quale est oxymel, quod febres non accendit, strenuè tamen detergit, sic, ut ea, quæ glutinosa crassaque sunt, dissolvat, & meatus obstructos liberet.

*De oxymellis varietate & compositione.* Conjungatur hîc *Heurnius lib.* 3. *de vict. rat. in Morb. acut. tex.* 24. ubi oxymel ex quatuor partibus aquæ, duabus mellis & una aceti confici dicitur, quemadmodum idipsum communiter etiam in Officinis observatur, ut videre licet in Dispensatorio Augustano, & aliis. Hinc tres eidem attribuit virtutes, quod scilicet crassos humores attenuet, lentos & viscidos incidat ac detergeat, quod ipsum præstando vim naturæ excitet, materiam præparet, ac obstructa liberet; quodque sudores moveat, quia partium tenuitate cætera intercellat. *Vitalis de Furno cap.* 109. Oxymel ad materiæ compactæ digestionem, ventris mollificationem, mundificationem, pororum apertionem, & oppilationum dissolutionem, contraque ventris inflationem valere dicit, de cujus operationibus diversis in diversis morbis vide *Epist. Med. Thaddæi Duni.* Conjunge quoque *Gordonum de Reg. acutor. part.* 3. dum inquit: duplex est oxymel, multæ commixtionis, aut parvæ: si multæ commixtionis, & morbus est cum apostemate in spiritalibus, & virtus fortis; tunc competit, tamen in parvâ quantitate: si sit oxymel parvæ commixtionis, virtus debilis, & materia parum grossa, viscosa, tunc competit in moderatâ quantitate: si parum grossa & virtus fortis, tunc non competit multæ mixtionis, &c.

III. *Cur non noceat mellis caliditas.* Non enim hîc admodum mellis caliditas timenda, cujus causa *Alexander Trallianus lib.* 12. *cap.* 10. calidioribus naturis oxymellis usum penitus non concedit, cum eadem, qualis qualis etiam sit, aceti vitriolatâ qualitate corrigatur, & aquæ adjectione per coctionem temperetur, ita, ut omnibus naturis reddatur medicamentum utilissimum, ut inquit *Oribasius lib.* 5. *Coll. Med. cap.* 24. quatenus scilicet detergendum est & incidendum, quæ intentio in hac febri requiritur, pro ut sanguis ex obstructionibus incipientibus incalescit.

Nec etiam nocumenta illa mordendi intestina & tusses excitandi verenda sunt, cum subtractione

ponderis aceti, & additione mellis salubriter præparari possit, ut neque rodat, neque tusses molestas excitet, neque nervosas partes offendat, quod monet *Sennertus lib. 2. de Febr. cap.* 10.

IV. Hujus usus, ut veteribus fuit frequentissimus, quemadmodum varias oxymelitum compositiones, omni ferè intentioni curativæ convenientes, apud *Galenum, Aëtium, Oribasium*, & alios legimus, ita & hodiè optandum, ut loco communium syruporum, ex nimia sacchari copia constantium, vicissim varia oxymellis genera nostris ægris propinarentur, quod forte majori cum utilitate & jucunditate fieret, ut rectè monet inter recentiores *Quercetanus in Pharmacop. dogm. cap.* 10. propterea quod mel purius ac defœcatum magis saccharo, utpote quod sua dulcedine incorrecta facile in bilem convertitur, & glutinosâ suâ qualitate viscerum obstructionibus ansam præbet, quod vel unicè patet ex morbis septentrionalium scorbuticis, quibus saccharatis illis syrupis magis nocemus, quàm ut humores impactos illorum beneficio præparemus.

*Mel saccharo præferendum.*

## QUÆSTIO III.

### *An in Febribus putridis Vena secanda?*

*Contra Ioubertum.*

I. QUamvis *Laur. Ioubertus lib. 2. parad.* 2. cum Simonio, ex putrescentibus humoribus nullas febres salubres oriri posse statuat, ita ut febres communiter putridæ dictæ, non tàm propter humorum putrefactionem, quàm eorundem fervorem generentur, undè rectius humorales dici statuit: non tamen sufficiens adesse videtur ratio, ut ab ea sententia veterum discedamus, quâ ponitur, quod febres quædam ex putrescentibus humoribus nascantur, propterea, quod humores mixta quoque sint corpora, tali aptitudine prædita, ut per alterationem putrefieri possint, quemadmodum præter alia satis superque sæpius fœtor eorum, quæ naturali vel artificiali necessaria excretione evacuantur, comprobat. Imò si sensus comprobat, quod in abscessibus variis modis humores putrescant, ut ex varietate puris colligitur, absurdum non erit in ipsis quoque vasis aut visceribus simile quiddam accidere posse.

*Dari febres ex putredine.*

Non solum *Ioubertus*, sed inter veteres etiam quidam hoc ipsum propugnare conati sunt, ut videre licet apud *Alex. Trallianum lib.* 12. *cap.* 2. ubi inquit: non desunt, qui in universum febrim nunquam à putredine fieri pronunciant: nam humores in venis exardescere, non putrefieri dictitant. Si namque hoc esset, inquiunt, cur tandem non etiam lumbrici & aliæ quædam bestiæ in vasis, si putrefactio est, gigni cernuntur, quemadmodum in ventre & aliis particulis? quin etiam in externis omnibus hoc spectare licet, quod quæ putrescunt, variarum rerum species generare soleant, quarum nullam unquam per urinas excerni visum est, &c. *Paracelsi Sectatores* his etiam subscribunt, ut videre licet apud *Scheunemannum de Mor. Sulph. Castagrico sect.* 4. *cap.* 2. *Petræus in Nosol. p.* 2. *diss.* 50. de quibus plura videas infrà in *Exercitat. nostris de Febribus, Exercitat.* 3. *quæst.* 1.

II. Notandum tamen, quod hîc potissimum putredo κατὰ μέρος locum habeat, undè communiter potius ex putrescentibus, quàm ex putridis humoribus hosce morbos oriri dicimus, quod scilicet non totus humor sit putrefactus, cum aliàs homo non viveret, sed quod putrefieri incipiat.

*Qualis putredo conveniat humoribus.*

Quæritur hîc an in viventibus etiam detur putrefactio, de quâ controversiâ vide *Valerium Baldutium lib.* 1. *de Putredine cap.* 7. & 8. ubi addit pro solutione difficultatis, quod putredo vel est secundum totum, vel secundum partem, & illa fit à solo calore extraneo putredinali; hæc autem à calore extraneo mixto cum calore innato viventium. Primo modo in viventibus non fit putrefactio, sed in corporibus mortuorum, & cæteris inanimatis: secundo modo contingit putredo in viventibus, quam semiputredinem postea vocat; & nihil aliud esse dicit, quam putrefactionem cum digestione humiditatis corporis viventis à calore extraneo putredinali, mixto cum calore naturali, &c.

*An in viventibus detur putrefactio?*

III. *Num autem ejusmodi putridis febribus per venæsectionem succurratur* dubium est? Affirmat quidem *Galenus lib.* 11. *m. m. cap.* 15. Ubi inquit, optimum esse in omni putridâ febri sanguinem mittere, nisi impediat vel ætas, vel virtus: rationem addit, quod levata natura, exonerataque eo, quo veluti sarcinâ premitur, haud ægrè, quod reliquum est, vincat. Idem quoque vult *Aëtius* 2. *tetrabib. serm.* 1. *cap.* 75. aliique principes. Cum enim per venæsectionem corpus refrigeretur, & sanguis, qui rationem causæ morbificæ habet, in his febribus partialiter educatur, ut habet *Capivacc. l.* 6. *de febrib. cap.* 16. ideò meritò conceditur, modo non adsit insigne quoddam impedimentum, quod etiam *Galenus* diligenter innuit.

*Affirmatur quæstio.*

Cum *Galenus lib. contra Erasistr.* repræhendat eos, qui in omni febri putrida sine discrimine venam secant, idcircò *Heurnius lib. de Febr. cap.* 14. limitationem addit, nimirum, quod semper Galenus plenitudinem aliquam præsupponat. Dico *plenitudinem aliquam*; iis enim febribus putridis venæsectionem deberi statuit cum aliis *Sennertus lib.* 2. *de Febr. cap.* 7. quibus vel sanguinis plenitudo adest, vel in quibus cacochymia sanguini in venis permista est: in quibus autem cacochymia non in vena cava est, sed in primis viis maxima ex parte hæret, neque adest sanguinis abundantia, abstinendum à venæsectione, præsertim, quando prohibens aliquod idipsum dissuadet. *Conjunge Exerc. nostr.* 4. *de Febrib. quæst.* 11. Plura quoque in utramque partem proposita, & postea pro veritatis Galenicæ determinatione discussa, legas apud *Ioh. Raphaël. Moxium in lib. de venæsectione in Febr. putrid. cap.* 10. 11. & 12.

*Limitatio quo ad V. S. in putridis.*

Dubitatur autem num etiam in biliosis febribus venæsectio locum habeat, præsertim cum *Vallesius l.* 5. *controvers. cap.* 19. *Heurnius lib. de Febr. cap.* 3. *Hercul. Sax. lib. de Febr. cap.* 4. & alii solâ bilis ustione & effer-

*An etiam in biliosis Febribus V. S. locum habeat?*

& effervescentiâ febrim etiam generari posse contendant, quæ tamen non inconvenienter ad diarias reduci posse videtur, ut innuit prædictus *Saxonia*; at bilis effervescens venæsectionem non indicat, unde Avicenna: in febribus à minutione cavendum est, scilicet in iis, quæ sunt vehementis calefactionis & inflammationis: cave enim, inquit, ne ægrum ad unam duarum perducas rerum, scilicet humorum cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem: huc etiam inclinare videtur *Tussanus Ducretus in Comm. de Febr. pag.* 20. dum inquit, ex sententiâ Galeni venæsectionem in febribus synochis putridis salutarem esse: reliquis verò magis suspectam, ac non nisi cum summâ religione tentandam, potissimum in temperamentis valde calidis & valde siccis naturis. Sed resolutionem vide, quam habet *Amatus Lusitanus Cent.* 1. *Curat.* 91. ubi primum *Galeni & Hippocratis* autoritate convincit, etiam in biliosis febribus sanguinis missionem locum habere, simul additâ ratione, quod bilis nullibi, præterquam in vesica fellea (nisi casu quopiam ab impultrice vi in partem aliquam pellatur) sincera reperiatur, sed in venis cum sanguine permixta sit, ideoque quando bilem putrescere, vel in corpore dominari dicimus, biliosum sanguinem concipere nos debere statuit. Quum igitur bilis & sanguis unà existant, & difficulter à naturâ unum ab altero secerni queat, admiratione dignum non esse scribit, si sectâ venâ simul quoque exeant, & consequenter adhuc eadem remaneat humorum proportio, sed effervescentia minor, cum sanguis quasi ebulliens evacuatus sit; nec obstare dicit, quod quidam regerunt, sanguinem biliosi humoris frenum esse, quo deposito bilis effervescentia major reddatur: Id enim falsum esse demonstrat, propterea, quod evacuato sanguine cum bile, corpus refrigeretur, & natura allevietur, ut residuum edomare, & per notas vias pellere possit. Quod autem Avicennam attinet, assertionem illius non in totum rejiciendam esse putat, sed intelligendam de biliosis & ardentibus febribus, quæ plerumque tempore æstus, & post labores maximos gignuntur, ubi prohibentia quædam sanguinis missionem dissuadent. Vide *Franciscum Indiam de Febr. maligna, dialogo* 2. *pag.* 79. *& Anton. Mariam Venust. in Consiliis Medicis mihi p.* 92. Conjunge *Ioh. Baptistam Minadoum de venæsect.*

*Resolutio.*

*Responsio ad Avicennam.*

IV. An autem ad animi defectum usque sanguis audacter educendus, quod *Galenus, Aëtius, Ægineta,* & alii concedunt, admodum dubium est, cum ejusmodi evacuatio cum gravi periculo videatur esse conjuncta. Nota tamen, quod alius animi defectus sit syncope, ubi gravis omnium virium lapsus, cum sensus motusque læsione, accidit, alius etiam est lipothymia, vel animi deliquium, ubi subitus quoque, levior tamen virium lapsus, adest, syncopen plerumque præcedens, ut patet ex *Galeno lib.* 1. *art. curat. cap.* 14. *& lib.* 12. *m. m. c.* 5. Non ad priorem, sed ad posteriorem animi defectum usque sanguinem evacuando procedebant veteres; nec sine cautione, sed signa deliquii instantis, per mutationem coloris faciei ac pulsus diligenter observabant, iisque præsentibus evacuationem ulterius non protrahebant. Sed cum tantæ evacuationes nostris corporibus non accommodatæ, idcircò consultius est in defectu, quàm excessu peccare, ita ut illud, quod deest, reiteratis vicibus compleatur: non enim ejusmodi audax venæsectio tantùm habet commodi, quantùm periculi. *Rondeletius c. de Synoch. Forestus lib.* 1. *obs.* 20.

*An ad animi defectum usque sanguis educendus?*

Conjungatur *Amatus Lusitanus Cent.* 3. *Cur.* 31. ubi contradictiones *Averrhois* solvit, & assertionem Galeni defendit.

## QUÆSTIO IV.

*An Cornu Cervi crudum, vel præparatum sit præferendum in cura morbi Ungarici?*

I. Usus *cervini cornu* tempore *Galeni* non omninò nullus erat, quemadmodum patet *lib.* 11. *de simpl. med. facul.* §. *Cornua*, ubi additur, quod cornua cervina dentes candidos reddant, fluidasque gingivas corrigant; imò eadem usta & lota dysentericis, hæmoptoicis, cæliacis & aliis conveniant. Idem habetur *lib. de theriaca ad Pisonem cap.* 9. ex quibus locis illud ipsum quoque repetere voluit *Ægineta de remed. lib.* 7. *cap.* 3.

*Usus cornu cervini apud veteres.*

*Aëtius tetrab.* 1. *Serm.* 2. *cap.* 156. Cornibus Cervi ustis sæpè usi sumus (inquit) ad illustrandos dentes, gingivas quoque flaccidas adstringunt. Aiunt Cornu Cervi, si post usturam lavetur, dysenteriam ac sanguinis sputum & Cæliacas affectiones sanare: Ictericis quoque utiliter præbetur: datur omnibus coch. ij. mensura. Ustum & lotum collyriis ocularibus ad fluxiones oculorum destinatis admiscetur.

II. Præter has operationes, quæ maximè ratione virtutis exiccantis proveniunt, alias longè nobiliores cornu cervinum virtutes obtinet, quo ad effectum, nulli hodiè incognitas, nimirum quod insigniter viscositatem humorum incidat, internas viscerum obstructiones aperiat, & vi sua penetrandi putrescentibus humoribus resistat, adeoque balsamica quadam virtute malignitatem humorum corrigat, undè *Iouberto* quoque *tract. de peste cap.* 18. maximè cardiacum dicitur, quod probat felicissimus successus in variolis, morbillis, aliisque morbis putredinem humorum præsupponentibus, & potissimum in febri illa maligna, quæ καῦσος veteribus, hodiè Ungarica dicitur, propterea quod durantibus hactenus bellicis apparatibus in Ungaria contra Turcas milites nostros frequenter invaserit, plurimosque è medio sustulerit.

*Usus nobilior hodiernus.*

*Καῦσος veterum hodierna febris Ungarica.*

Tanta est, inquit *Rulandus lib. de Lue Ungar. c.* 7. *hist.* 10. Cornu Cervini ritè adhibiti efficacia, ut omnes indicationes curandi in hac lue exquisitè compleat. Si requiris Antidotum? Cornu Cervinum præparatum efficacissimè malignitatibus repugnans præstò est: conaris putredinem tollere & prohibere? Cornu Cervino oppidò valebis. Ducit insuper urinam, ciet sudorem, enecat vermes, aliis-

*Usus C. C. in febri Ungarica.*

que virtutibus multis excellenter dotatum est, &c. Cornu Cervinum, ut experientia docet, venenosis & pestiferis affectionibus opem non obscuram adferre dicit *Mercurialis Tom.* 2. *consult.* 63. In febribus malignis (inquit *Sennertus lib.*4. *de Febr. cap.*9.) commodè præbetur decoctum C. Cervi cum Spiritu Vitrioli, cui etiam Julapii Rosar. & Violar. aliquid admisceri potest: sitim enim sedat, obstructiones aperit, putredinem arcet, malignitati resistit. *Hercules Saxon. lib. de Plica cap.* 59. dum Unicornu vires celebrat, sic subjicit: quod si quispiam hoc (Unicornu) careat, Cervinum Cornu substituat, quod profectò ego non minus efficax existimo, quam quodvis aliud, propter insignem, quam habet, vim sudoriferam.

*Cornu cervini efficacia in malignis & putridis.*

III. In his enim affectibus justâ evacuatione præmissâ, cum magno successu & audacter Cornu cervinum præbetur, idque propterea, quod illud ipsum ratione copiosi sui salis atque interni balsami putridis & malignis humoribus resistat, & verum naturæ balsamum omnis operationis vitalis autorem confortet, ut hosti suo repugnare & malignitatem eò citius superare queat.

*Origo C. C.*

Conjungatur hîc *Sennertus lib. de Conf. & Diss. Chym. cap.* 11. ubi Spiritum coagulantem Salinum principiis animantium constitutivis & conservativis inesse statuit, quâ ratione, cum pars quælibet simili succo nutriatur, quidquid in alimentis est ejusmodi succi & Spiritus & salis coagulativi, in animalibus ad ossium, testarum, imò, ut postea subjicit, cornuum quoque generationem & augmentationem consumitur. Hinc manifestum redditur, sicut in Universo corporibus naturalibus salina substantia per primam benedictionem concreata est secundum magis & minus: (terræ enim & mari Deus εὐλογίᾳ sua semina fœcundissima indidit, ex quibus postea omnia tum vegetabilia, tum mineralia, ut & animalia quædam, suo quoque tempore nascerentur; unicuique etiam virtutem quandam similem, si non generativam per semen, more animatorum, attamen in sui naturam commutativam, modo materiæ patientis διάθεσις non repugnet, contulit, ut habet *Vntzerus in Physiologia Salis cap.* 3.) Ita etiam in partibus animalium his magis, illis minus abundat, juxta naturam cuique propriam, quod in Cornibus Cervorum etiam apparet. Nec obstat illorum assertio, qui sibi persuadent, ignis combustione salem in plantis & animaliũ partibus primùm generari, cum potius illis antea sit congenitus, & ignis beneficio tantùm separetur & in apricum producatur, ut pluribus apud *Vntzerum citat. loco cap.* 20. videre licet.

*Salis substantiam non fieri adustione.*

*Idem copioso sale abundare.*

IV. Quis enim nobilissimis his effectibus consideratis cum *Paræo lib.* 20. *cap.* 29. solam vim exiccandi tantùm in cornu cervino laudabit, cum liquorem in peste non contemnendum, ac duplex sal volatile & fixũ in eo facillimè spagyricus diligens deprehendere queat? quis cervinum cornu tanquam terreum excrementum tantùm considerabit, ut cum *Cardano lib.*10. *de subtil.* affirmet solius ornatûs gratia, quemadmodum barba hominibus, sic Cervis cornua facta esse, cum videamus singulis annis ad tantam magnitudinem eadem excrescere, & quotannis augmento adhuc quodam ferè dejici?

*Confirmatur idipsum ulterius.*

Effectus suam causam testatur: ast notum est omnibus, quod non tantùm Cornu Cervi præ cæteris insignem facultatem seipsum augmentandi possideat, quod à vegetabili principio sine dubio deducendum, cujus ratione *Plinio lib.* 11. *cap.*37. singulis annis decidua cervis Cornua dicuntur, sequacis omninò naturæ, ita ut referente *Libavio lib.*6. *Syntag. Arcan. Chym. p.*1. *cap.* 18. juxta *Linschotti* narrationem, Goæ in India recenter terræ commissa cornua cum terra coalescere & radicari dicantur; sed usus, experientiâ confirmatus idipsum quoque comprobat, copiosam hîc adesse substantiam illius principii, quod præter manifestam exiccationem putredini resistit, & vi sudorifica corporibus languentibus succurrit, quod tanquam Balsamus conservativus animantibus concessum est, undè videmus illa animalia, quæ ejusmodi salem naturâ copiosum possident, ut Cervi, longè vivaciora, diuturniorisque vitæ esse cæteris, in quibus ille parcior inhæret: quia & partes animalis eo abundantiores, quales sunt ossea, minus corruptionibus obnoxias esse, seriusque interitum minari notum est. *Vntzerus cit. loc. cap.*22.

*Salis virtutes.*

V. Hæc sanè non aliundè, quàm à copioso sale vegetabili deducere possumus, cujus virtute quotannis in tantam molem excrescunt, & cum fœnore dejiciuntur: tantæ enim hujus virtutes sunt in conservando & generando, ut non solùm homo quotidianum salis communis usum instar optimi condimenti adhibeat, sed etiam bruta irrationalia tantoperè naturali instinctu illud ipsum appetant, & vel ex ruderibus antiquissimis exhauriant, ac lingua lingant, vel ex locis fœculentis, urinosis, nitrosis atque aluminosis curiosè perquirant, ut in columbis, aliisque avibus apparet. *Quercetan. de mat. prisc. Philos.* Adde quod nulla re magis luxurient arva, quam cornuum in ipsis putrefactorum ac digestorum adiposo sale, ut idem habet *in defens. Hermet. Med. cap.* 20. Imò & ipsum mare salsum hoc indicat tantâ tamque variâ animalium generatione & conservatione, quod veteres voluerunt, ubi Venerem omnis generationis matrem ex spuma maris productam, adeoque ἁλιγενῆ dixerunt, unde *Erasmo* Saligena, *Virgilio* nata salo Venus vocatur.

*Cur Venus ἁλιγενῆ dicatur?*

*Sal fœcunditati confert.*

Fœcunditati salem conferre, seminalemque vigorem acuere confirmatur à *Natali Comite lib.* 5. *Mytholog. cap.*13. propterea, quod naves onerariæ, salis copiam vehentes, murium copiosam congeriem producant, undè mures salacissimos esse scribit *Ælianus lib.*12. *Animal. & Plinius lib.*10. *cap.*65. refert, quod quidam salis gustatu fœminas (murium) prægnantes fieri opinentur. Marinos Deos in universum fœcundos finxerunt Poëtæ; queis ea propter numerosam prolem tribuũnt, quod etiam per Cornu Amalthææ, frugibus ac fructibus refertissimum, docere voluerunt, copiam videlicet & affluentiam rerum

rum ex sale, quo pinguissimo cornuum substantia præ reliquis abundat, proficisci. Non igitur à ratione dissonat, quod *Lemnius lib.2. de occult. cap.63.* refert, obæsas mulieres, maximam partem steriles, moderato salis condimento ciborum fœcundas, & conceptui idoneas fieri, cum sal abstergat superfluam uliginem, & consequenter uterum madidum exiccet. *Vide Anton. Snebergerum de multiplici salis usu.* Pulchra quoque de Salis natura & significatione collecta proponit *I. P. Lottichius in Com. ad T. Petronium Arbitr. Satyr. lib.3. cap.1. Item Dn. Iac. Bornitius IC. Avunculus meus honorandus, lib. de Rer. sufficientia tract.2. cap.12. Item Cl. Deodatus lib.2. Panthei cap.1.*

*Probatur prior quæstionis pars.*

VI. His præmissis ad decisionem problematis perveniendum, *num scilicet in malignis & putridis febribus crudum cornu cervinum, raspatum videlicet, & lævigatum potius, quam præparatum per calcinationem usurpandum sit?* prius vulgus fere statuit: nihil enim matronis nobilibus, aliisque medicastris mulieribus frequentius, quam in variolis, morbillis, febribusque ardentibus, crudum cornu raspatum, cum adæquatis liquoribus, propinare. Quod etiam absque ratione fieri non videtur iis, qui dicta recolligunt, & ea quæ crudo inesse diximus, perpendunt, utpote cum verisimile sit, virtutem Balsamicam, & sal utrumque copiosius inesse crudo, quam illi, quod per calcinationem præparatum est.

Subscribit huic assertioni *Hercules Saxon. lib. de Plica cap.59.* Quia scio (inquit) consuevisse plurimos illud Cornu cervinum præparare, comburere, infundere, mihi præparatum minus placet: etenim per ustionem partes aëreæ ac tenues dissolvuntur; per infusionem vero obtunduntur & incrassantur, idcircò infirmantur. Limâ ergò teri potest, & ex decocto aliquo sudorifero, vel aqua destillata superius descripta præberi ad drachmæ pondus. Sic inter recentiores *Brossæus, Galliarum Regis Medicus lib.3. de la Nature des plantes cap.7.* post ustionem Cornu Cervini tantummodo cinerem mortuum, figulinis vasis conficiendis magis, quam Medicinæ idoneum superesse statuit, ex quo penitus arte nullâ sal aliquis elici queat, propterea, quod Armoniacus sal, & oleosa substantia, quibus Cornu Cervi abundat, per ustionem separentur & consumantur. Hinc Alexipharmacum quidem Cornu Cervi statuit, modò maneat in sua integritate, sine ustione.

*Probatur posterior quæstionis pars.*

VII. Sed posterius usus Medicorum comprobavit, convenientius videlicet calcinatum & præparatum adhiberi, cum crudum propinatum frequenter eodem modo, ut fuit ebibitum, per alvum sine omni alteratione reddatur. In promptu ratio est, propterea quod spirituosa substantia omnis actionis causa, per fœculentam materiam additam colligata impediatur, quo minus virtutes suas exercere possit, ita ut in crudo vis illa quasi sepulta jaceat: imò sal etiam balsami sui vires exercere nequit, nisi terrestribus suis vinculis expediatur. *Quercetan. in tetrade cap.18.*

Sunt, qui propterea Veteres tantùm C.C. cremasse statuunt, vel ut citius in pulverem redigeretur, vel ut spiritus ferocientes & ad exitum properantes concentraret, humidum superfluum exiccaret, putredinem arceret, quo nomine Ebur etiam usserunt, ad coërcendum scilicet nimium menstruorum profluvium, quod aliàs etiam, ut os de corde cervi, Cornu Monocerotis, Ungulam Alcis, Cranium humanum, & similia, sine ustione præscripserunt. Quanquam verò per longam experientiam, & Anatomiam Spagyricam CornuCervini satis confirmatus sim, alios quoque præparationis ejusdem modos usui medico maximè convenientes haberi, quemadmodum postea patebit: non tamen effectus Cornu Cervi usti præparati, toties à veteribus & recentioribus observatos negare possum, etiamsi facilimè concedam, salis istius fixi demonstrationem per extractionem difficulter dari posse, quamvis ebullitio & incalescentia ejusdem, affusis aquis vitriolatis, more calcis per aquæ affusionem incalescentis, unà cum effectu, quem in sudore movendo, nec non urina cienda quotidiè præstat, idipsum confirmare videantur.

*C.C. ustum pp. non penitus rejiciendum esse.*

Sunt, qui de Philosophica calcinatione, sicuti vocant, maximè gloriantur, ubi per vaporem aquæ calidæ CornuCervinum temporis diuturnitate friabile reddunt: at cum per eundem emollitionis modum Cornu sale suo volatili & oleo deprædetur & exhauriatur, quod patet, ubi recipiente apposito, commodumque accommodato, salem oleaginea substantia dulci permixtum aquæ stillatitiæ supernatantem eodem labore colligimus; non video, quomodo præparatum hoc modo C. C. tantùm prærogativam, præ communiter usto, queat obtinere, quanquam non nego, idipsum efficacius esse,

*Quid statuendum de C. C. Philosophica calcinatione sine igne.*

VIII. Expeditur autem per *veram calcinationem*, quæ primum gradum transmutationis spagyricæ constituit, & est rei per ignem purificatio, seu pulverisatio, ex privatione humiditatis partes consolidantis, quemadmodum ex *Gebro describit Albertus Magnus lib. de Alchymia, Pantheus Venetus l. transmut. metal.* & alii: Atque hic verè accidit, quod Hermetici dicunt, nimirum ut sulphureitas defœdans & corrumpens combustione deleatur, quemadmodum ex fœtore primi liquoris Cornu Cervini colligitur. Quod ipse quoque *Galenus* non nescivit, qui pleraque metallica sine calcinatione ad usum medicum non admisit, ut patet ex 9. *simpl. Med.*

*Calcinatio quid?*

Sapientiæ mirabilis est (inquit *Libavius*) in eâ reconservare naturam, in qua nihil naturæ restare omnes sapientes putare queunt, quod ad res calcinatas etiam accommodat non immeritò, propter causas hactenus expositas.

IX. Nec obstat, quod hâc operatione sal volatile copiosum sublimetur, unà cum liquore, quem supra commendavimus: remanet enim præterea copiosum sal proprium & fixum, cujus ratione rei balsamica qualitas etiam post calcinationem remanere dicitur, in quo firmissimæ tincturæ ac impressiones proprietatum rei calcinatæ, experientia teste, delitescere videmus. Et hoc est, quod Philosophi humidum primigenium post calcinationem.

*V. Claud. Dariot in lib. de præpar. med. Chymic.*

tionem quoque remanere volunt, quemadmodum *Quercetanus in Tetrad. lib. contra Aubert. & alibi* innuit.

*An post calcinationem sal aliquis fixus in C. C. remaneat.*

*An post calcinationem C. Cervi sal aliquis fixus* remaneat, non immeritò dubitatur, præsertim ubi communem salis extractionem è cineribus rerum combustibilium perpendimus, è quibus absque difficultate sal elicitur. Etiamsi verò tali promptitudine non possit idipsum, quod volumus, hîc demonstrari, nihilominus tamen ex effectu, tot seculis comprobato, convincimur, operationem hîc talem esse, quæ cineri mortuo tribui nequeat; cui accedit non tantùm ratio, quod C. Cervi ustum, tanquam perfectè mixtum principio suo constitutivo tertio, sale videlicet, non destituatur, sed etiam experientia; quâ, laboriosè quidem; sal iste fixus ad oculum quoque demonstrari potest, ubi in præparatione essentiæ, seu liquoris C. C. post debitam macerationem cum vino citri vel granatorum, per alembicum lenta destillatione spiritus cum sale volatili evocatur, cum qua essentia postmodum ex capite mortuo sal fixum extrahitur, ita ut impraegnata ejusmodi essentia cum sale suo fixo tandem in loco frigido Chrystallos concrescentes exhibeat.

*An C. C. virtutem diaphoricam habeat?*

Quanquam enim de virtute diaphoretica C. C. dubitent plurimi, cum *Dioscorides* illius non meminerit, & alii liquoribus ac vehiculis, alii quieti & corporis aperturæ (quæ aliquando sola sufficit ad sudorem provocandum) alii igneæ impressioni in calce relictæ, eandem adscribant: nos tamen sali fixo vim illam tribuimus, ut dictum fuit, quod quantumvis vulgari salium extrahendorum labore non veniat in conspectum, inesse tamen huic mixto non diffidimus, præsertim si accedat longa atque pluries iterata calcis reverberatio, liquoris affusio, conveniensque digestio. Ex prima enim ustione C. C. hoc resultat commodi, quod pori corporis aperiantur, & ad fundendum sal suum disponantur, sicque virtus insita & diaphoretica, si quæ est, potentius se exerit: adde quod spiritus ignei & fuliginosi carbonum & lignorum inter comburendum sese affigunt corpori, in eoque condensantur, non secus ac in lapidibus per vim ignis, aut in Tartaro & Vitriolo combusto accidit, qui postmodum aquis suis stillatitiis soluti, & per genus venosum dispersi, humores serosos in corporis peripheriâ subsistentes attenuant, & in halitus, vaporesque dissolvunt, quemadmodum hac de materia quidam Amicorum in literis ad me dátis philosophatur.

*C. C. præparatum præfertur crudo.*

X. Cum igitur vis illa diaphoretica, quæ propter salem fixum inest huic remedio, una cum aliis qualitatibus ab impedimentis suis post calcinationem & præparationem maximè liberata sit: Ideò concludimus magis conveniens esse cornu cervi ustum & præparatum, quàm crudum: Imò tam tutum & jucundum in gravissimis quoque morbis hoc medicamentum est, ut omni ætati, ipsis etiam recens natis commodissimè, necessitate urgente, præbeatur.

*Natura C. C. eleganter descripta.*

Colophonidis loco non possum intermittere, quin viri clarissimi *Dn. D. Samuelis Cloffæi, Medici Metensis*, amici mei, verba, dum inter alia de C. C. natura per literas inter nos ageretur, adscribam, quæ sic habent: Cornua Cervorum, etsi excrementa sint medullarum, & veluti ossium productiones, attamen admirandis non spoliantur virtutibus, quæ consistunt præcipuè in sale volatili, atque sulphure, quorum copia turgentia ossa animalium (melancholicorum præsertim, quippe spiritu vitæ abundantissimo præditorum) quod purum est, sumunt pro nutrimento, quod superfluum, extrudunt ad extremitates ossium. Hæc luxurians materia cranio adnata, cute primum, mollique lanugine vestitur in cervis maribus; sed ubi aëri diutius exposita fuerit, figitur post annum, & velut vitriolatur, atque in dura, aspera, grandiaque abit cornua, propter volatilem & extensilem Balsami sui naturam, atque hinc Cardiacum summum, vereque Bezoardicum secundarium esse creditur: nam spiritu suo (qui sanguinis spiritui omninò congener est) cor recreat, Balsamo dulci humidum radicale fovet, sale armoniaco penetrat, tartareas materias attenuat, sudores & urinas movet, ac proindè auræ pestiferæ adversatur, quartanamque curat: facultate acida (quæ omni armoniaco inest) malignis febribus resistit, vi autem siccante, quæ in ejus terra superest, putredinem arcet, vermes enecat, fluxibus alvi opitulatur, undè pro variis indicationibus, variæ quoque C. C. præparationes in usum vocandæ sunt. Sic in peste ætherea & venenis utor Spiritu & sale Armoniaco C. C. (ubi is ad manum est) tanquam insigni diaphoretico: in malignis febribus, ut variolis, ubi tota massa sanguinis non solùm incenditur, sed etiam putrescit, secundariis ex tota substantia istius Cornu depromptis, Decoctis puta, Gelatinis & Extractis: ad lipothymiam Aqua ex typhis Cornuum recent. destillata, ejusque Syrupo: ad phthisin & senectutem retardandam Balsamo dulci ejusdem: ad vermes & diarrhæas C. C. vitriolato utor, &c. *Hactenus Amicus*, cui non absque ratione subscribimus; & pro candore nostro, Lectori benevolo Præparationes & Compositiones quasdam subjicimus.

*Medicamenta ex C. C.*

*Sal volatilis.*

*Salis istius volatilis, armoniaci* dicti, copia nunquam non facilimè colligitur, quando C. C. crudum per retortam destillatur, *oleagineo & fœtido liquore* progrediente, simulque sale dicto copiose sublimato, qui postea separatus ac depuratus magnæ est efficaciæ, sicuti inter alios videre licet apud *Tholdium in Haliographia*.

*Oleagineus liquor.*

*Aqua ex typhis Cervorum.*

De *Aqua ex typhis cervorum* videatur supra *Tom. 2. lib. 4. observ. 46. pag. 230.* cujus compositionem pretiosam in Aula Hassiaca contra cordis palpitationem & lipothymias præsentissimum remedium observavi, quæ sic sese habet:

℞. Cornuum Cervi recent. mollium adhuc, ℔ij. Incidantur, & adde Rosar. rub. ℔ß.
Fl. buglossæ, borrag. rosmarin. tiliæ,
Herb. Majoranæ, matrisylviæ an. ℥iiij.
Fl. pæo-

Fl. pæoniæ. violar. tunicæ coron. fl. farris an. ℥ij.
Cor. citri, santali rub. citrini an. ℥j.
Passul. min. ℥iij. Galangæ ℥ß.
Nucis mosch. macis, caryophyll. ana ʒij.
Croci ʒß. Camphoræ ℈j. incisis & contusis adde
Aq. Rosar. Borrag. Buglossæ, fl. tiliæ, melissæ hortensis & sylvestris, Matrisylviæ, Betonicæ an. ℔j.
malvatici ℔ij. Omnia misceantur, & per dies aliquot digerantur, post destillentur per B. M. destillato misceatur aliquid Margarit. præparat. corall. rub. præparat. Unicornu raspati, ossis de corde cervi, ligni Aloës, moschi, Ambræ, visci quercini, auri & argenti foliati quantum placuerit. Dosis manè & vesperi cochlear j. vel ij.

*Syrupus de C. C.* Ex hac aqua composita, vel etiam simpliciori, quæ solitariè è Cornu Cervino cum vino destillatur, *syrupus* addito saccharo clarificato, sufficienterque cocto, per lentum ignem misceri potest, eidem intentioni, præsertim in delicatis, inserviens.

*Decoctum C. C.* *Decoctum cornu cervini* passim à Practicis commendatur, non tantùm quod ex crudo raspato conficitur, de quo vide citatum locum in Epistolis Medicis, sed etiam illud, quod per admistionem C. C. usti præparati confici solet, cujus usus in sudore & urina movenda frequens est. *Gelatina C. C.* *Gelatinam* ex coctione lenta C. Cervini facillimè possidemus, quæ tamen non absque cautione præparanda venit, ne sal armoniacus volatilis efficax evaporet, & ingrata glutinosa substantia tantùm remaneat. *Fr. Ranchinus tract. de Morb. senum, sect.* 3. talem modum proponit: ℞ Rasuræ C. C. ℥iiij. Coq. in lib. iiij. aquæ fontis, vel in æquali portione aq. & vini albi ad medias, deinde colentur, in colatura dissolve facchari opt. ℔ß agitentur simul cum paucâ aquâ rosaceâ, vel cum succo limonum, deinde coquantur ad medias; postremò colentur & refrigerentur. Quidam addunt Ambræ gryseæ infusæ ʒj. alii dissolvunt gr. iij vel iiij. Moschi, & ut clarior evadat Gelatina ejusmodi, paria tria amygdal. dulcium contusarum addunt ante colaturam in manicam. Hanc senibus inter τὰ βρωτικὰ convenire statuit prædictus Autor, quæ commodior adhuc erit sequenti modo parata: ℞ C. C. torno comminuti ℔ß. decoquatur lento igne (ubi primo per 7. vel 8. hor. super cineribus calidis in duplici vase fuit infusum) in ℔. 10. aquæ cum capone & poplite vituli, addendo sub finem vini albi ℔. j. succi limonum ℥iij. bulliant iterum, colentur, exprimantur, clarificentur cum alb. ovor. postea adde Sacch. Cinam. Crocum, & F. Gelatina, formulis, majoris jucunditatis gratia recepta. *Pulvis obrycens.* Pulverem Obrycium ex Auro & Cornu Cervino conjunctim per integrum diem diligentissimè tritis, & postea reverberatis, (quod in furno figulino quoque fieri posse statuit) *cap.* 18. *in Enchiridio suo describit Finkius*, tanquam Medicinam paratu facillimam, sed viribus efficacissimam, & multis Auri præparationibus laboriosissimis præferendam.

*Magisterium C. C.* *Magisterium C. C.* proponit *Sennertus in Institut. lib.* 5. *part.* 3. *s.* 3. *cap.* 15. quod sic sese habet: ℞. C. C. limati, vel torno in frustra minutim confracti, q. v. Affundatur Spiritus Nitri, & ponatur in locum calidum ad solvendum. Trajiciatur per chartam bibulam, Spiritus nitri separetur, & solutio aqua pluviali edulcoretur, & exiccetur, ubi in separatione Spiritus Nitri cautè procedendum esse monet, ne, quod facilè accidit, spiritus nitri cum soluto C. C. flammam concipiat. Novi chymiatrum, qui per aquam regiam, ex aq. forti & armoniaco paratam, sed valde debilem, quæ jam pluribus usibus inservierat, C. C. solvit, & collectis affusionibus, adsperso oleo Tartari, coagulum albissimum conficit, ubi post ebullitionem corrosivus & lixiviosus Tartari sapor separatur, ut magisterium remaneat, non multa ablutione indigens.

*Spiritus C. C.* *Spiritum porrò C. C.* conficias hoc modo: ℞. C. C. molliusculi ℔iiij. Vitriol. Ungar. calcinati ℔ij. tunde & misce, destilla per A. in cucurbita terrea. cum magno Recipiente: primò prodit igne leni phlegma, seu aqua, & postea auctiori, spiritus. Destillatum liquorem rectifica cum novi vitrioli calc. ℔j. in cucurbita terrea per A. & purus ac pellucidus destillet. Dosis à ℈s. ad ℈j in aq. appropriata.

*Extractum C. C.* *Extractum* cum aqua prædicta phlegmatica fieri poterit, si C. C. recens contusum in eadem infundatur, & per mensem digeratur, donec tincturam extrahat; filtretur postea, & exprimatur fortiter, quicquid adest liquoris, quem leniter in B. destilla usque ad consistentiam extracti, cujus dosis à ℈j. ad ʒß Utriusque hujus medicamenti communicationem à Clariss. Dn. D. Closſæo habeo, quem honoris causa nomino, ne mihi tribuam, quod aliorum est.

*C. C. Vitriolatum.* Porrò utile quoque est *C. C. vitriolatum* quod *Angelus Sala tract. de peste*, proponit, quod, Spiritus vitrioli ficci nomine, commodissimè febribus ardentibus, & internis putredinibus præscribi potrit, cujus compositio facilis, quando C. C. V. & præparatum pedetentim affuso spiritus vitrioli in mortario vitreo miscetur ad sufficientiam, ex quamassa postea facillimè trochisci formantur.

*Quinta Essentia C. C.* *Quintam essentiam* C. C. sic præparat *Ioh. Pet. Faber lib.* 1. *Myrothecii Spagyrici cap.* 29. Radenda sunt cornua, inquit, & in pulverem tenuissimum comminuenda, & vasi vitreo oblongi colli imponenda, cum spiritu salis ad eminentiam 4. digitorum: deindè obturato vase circulanda sunt, & digerenda in balneo tepido per mensem, tùm demùm destillanda levissimo igne in cineribus ad siccitatem usque; cavendum autem est, ne empyteuma redoleat hæc aqua, quæ distillat, non propter virtutum diminutionem, sed propter ingratum saporem. Postquam spiritus omnis salis destillatus

fuerit, fæces, quæ remanent in fundo Alembici, comburendæ sunt fortissimo igne, & calcinandæ ad candorem usque: ex cineribus verò probè calcinatis sal erit eliciendus, cum aq. card. benedicti, aut phlegmate vini septies destillato: sit autem aq. card. benedict. etiam septies rectificata, ut salem purum emittat: huic deinde sali puro & mundo, spiritus salis superius destillatus connectendus est, & digestione incorporandus, ut fiant unum spissum gummi, quod erit servandum in phiolis optimè clausis ad usus miros. Hujus usum contra omnem malignitatem ad ℈j. quantitatem commendat idem Autor. *Cornu Cervi Philosophica calcinatio sine igne talis est.* ℞. vesicam destillatoriam, cujus quarta pars vacua sit, aliâs aquam contineat: (ubi roris majalis copia sufficit eò melius:) in capitello Cornu Cervi frustulatim incisum contineatur, fiatque destillatio, semper affusâ aquâ sufficienti, donec Cornu vapore sursum ad capitellum elevato, continuatione temporis, friabile reddatur, quod tanquam diaphoreticum cordiale insigne commendatur, cujus dosis sit ℈ß. ad ℈j. in vehiculis appropriatis.

*C. C. calcinatio philosophica.*

## QUÆSTIO V.

*An in febre ardente potio frigida sit utilis?*

*Negativa quæstionis.*

I. NEgativa pars quæstionis suis rationibus non penitus destitui videtur: verum enim illud apparet:

*Vina bibant homines, animantia cætera fontes:*
*Absit ab humano pectore potus aquæ.*

Nam *Galenus l. 7. m. m. cap. 6.* ex aquæ frigiditate deducit, quod in præcordiis moretur diutissimè, fluxiones & flatus excitet, ventriculi robur resolvat, atque ita coctionis atque digestionis impedimentum fit.

*Confirmatur negativa ulterius.*

Adde quod frigidæ potioni rarius homines assueti sint, ubi potus ejusmodi prohibere potest, ne lenti, crassique humores, obstructionem, putredinem, vel inflammationem introducentes, attenuentur ac digerantur: hinc accidit, quod à potu frigidæ difficultas respirationis, convulsivi motus, & totius corporis tremores interdum oriantur. Vide *Marcell. Donatum lib. 4. Histor. Med. Mirab. cap. 6.* & conjunge *Barth. Burchelatum in Convivio Charitatis, quæst. 2.* ubi eleganter de vino refrigerando & aquæ potu differitur: *Item M. Ant. Muretum Variar. lect. lib. 9. cap. 9.*

*Affirmativa.*

II. Contra aliis fortassis affirmativa placet, tum quod refrigerando fervoris æstum lenire, tum etiam quod vapores ad caput exhalantes, ibidemque cephalalgiæ, diliriisque generationem producentes, reprimere valeat. Hinc *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 43.* ad satietatem usque frigidæ potum in Causone concedit, modo non impedimentum aliquod adsit.

*Confirmatur Affirmativa ulterius.*

Hac ratione scribit *Heurnius lib. de Febr. cap. 17.* Propinetur etiam (in causo) eandem ob causam, scilicet ubi propter æstum metus est hecticæ, aqua frigida, si nihil prohibet ejus usum, plenaque eo hauriatur manu, etiam ante pepasmi exquisiti notas: præstat enim longiorem morbum reddi, quam ægrum immani ab æstu jugulari. Sic *Amatus Lusitanus Cent. 5. Curat. 57.* in febri continua maligna, cum æger ingenti siti premeretur, & gelidam vehementer appeteret, tametsi hyems vigeret, aquam ad satietatem concessit, quâ valdè oblectatus fuit æger, multum sudavit, & proximo die melius habuit. Sic etiam *Iodocus Lommius lib. de Febr. curan. pag. 35.* Ego (inquit) his ipsis ardentissimis febribus affectis frigidissimam potionem dare soleo, utique si materiæ multa accessit concoctio, eâque re tum siccum calorem tempero, naturamque reficio, tum materiam morbi, si parata excretioni est, sudationibus, alvo aut vomitu excutio.

*Decisio controversiæ.*

III. Quod ut melius pateat, notandum pro decisione controversiæ, quod tempora morborum distinguenda sint: non enim consentimus cum illis, qui nullo non tempore frigidam exhibent, cum in initio humores attenuari, atque digeri prohibeat, & ita majorum symptomatum causa sit. Quod si signa coctionis apparere incipiant, cum fructu frigidam porrigimus, utpotè cùm tunc temporis, materiâ morbificâ potissimùm absumptâ, pro extinguendis ferveris reliquiis admodum inserviat.

*Limitationes quo ad usum frigidæ.*

*Dn. Sennertus lib. 2. de Febr. cap. 9.* limitationes, quo ad usum aquæ frigidæ sequentibus proponit; nonnulli, inquit, planè rejiciunt aquæ frigidæ potum, sed parum rectè, cùm ad febrilem Calorem mitigandum summam vim habeat, neque visceribus damni aliquid inferre possit, cum magno calore & æstu occupantur. Alii toto morbi decursu aquam frigidam concedunt, qui & ipsi peccant: concoctioni enim humorum officit, & difficulter coquitur, diuque in ventre, antequam per corpus distribuatur, hæret, neque incidit, neque abstergit, neque per se alvum ducit, neque urinam ciet: & licet refrigeret, tamen refrigeratio rectius ab aliis petitur, quæ simul refrigerandi & meatus aperiendi vim habent. Imò ne refrigerare quidem satis poterit, si exiguâ quantitate propinetur: si verò copiosè propinaretur, meatus obstrueret, & cruditate auctâ morbum longè deteriorem faceret, & propterea in acutis non nisi in statu, coctione absoluta, concedenda. Alii in modo propinandi peccant, qui aquæ frigidæ parum ægrotis propinant, quo modo febrilem æstum non temperant, sed potius accendunt & augent.

*Quomodo frigida danda ex Aëtio.*

IV. Hinc *Aëtius tetrab. 2. serm. 1. cap. 72.* inquit, ad frigidæ exhibitionem deveniendum esse, exactâ præscriptione factâ, quantum ex ipsa fieri possit detrimentum: nam si hoc parvum, vel omninò nullum futurum est, danda est in potu frigida, quantum æger voluerit. Tunc autem dandam esse dicit, quando in urinis concoctionis signa apparuerint. Atque hoc modo opportuno tempore data frigida solidarum partium naturam corroborat, quæ corroborata præattenuatos humores aggreditur, ut bonos quidem detineat, inutiles verò dejiciat.

ciat. *Conciliat. diff.* 71. Conjunge *Capivacc. l. 6. de Febribus cap.* 33. *& Forest. l.* 1. *observ.* 13.

*Ulterior determinatio.* Conjungatur hîc *Amatus Lusitanus cent.* 1. *cur.* 3. *in Schol.* ubi conditiones aquæ frigidæ ad satietatem dandæ septem recenset, easque omnes, juxta *Galenum lib.* 11. *Meth. cap.* 9. ad tres contrahit, si scilicet vires valentes sunt, & febris ardentissima, & coctionis notæ planè evidentes frigidam homini dare audacter debebis; cujus assertionem iisdem verbis *P. Ægineta* confirmat. Nec obstare dicit, quod nota coctionis victoriam naturæ supra morbum indicet, adeòque potum frigidæ minus necessarium comprobet, quia citius hoc modo curabitur æger, & morbus fiet brevior. Adde *Celsum lib.* 3. *cap.* 7. *Theodorum Angelutium lib.* 3. *de Febr. Malig. cap.* 3. Idem etiam asserit *Massaria de purgat. in princ. morb. pag.* 275. dum inquit: de potione frigidæ convenit inter Medicos ferè omnes, ejusmodi remedium non convenire, antequam humores febrim efficientes sint concocti. Fit enim aliàs, quod *Cicero in* 1. *Catilin.* per similitudinem ad morbos Reipubl. applicat, dum inquit: ut sæpe homines ægri morbo gravi, dum æstu, febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deindè multò gravius, vehementiusque affligantur, &c. *Vide P. Ramum ibid. in Additionibus.*

*Correctio frigida in consuetis.* V. In consuetis tamen non negamus, quod etiam in principio dari possit frigida, præsertim cum consuetudo natura altera. Sed hic opus est, ut ea addantur, quæ putredini resistere atque incidendo ac penetrando adjuvare queunt, ut sunt *Cornu Cervi ustum & præparatum*, quemadmodum patet ex præcedenti quæstione, *Vitrioli spiritus*, utpote qui *Heurnio teste l.* 1. *meth.* aliis liquoribus permistus stomachum roborat, aperit, putredinem arcet, infarctos renes expurgat, pestiferisque febribus dulce præsidium est, undè etiam *Iordano tract.* 1. *de pestis phœnom. c.* 9. in pestis contagio convenientissimum remedium judicatur: item *Sal Prunellæ*, aliàs anodynum minerale Chymicorum, nitrum videlicet cum floribus sulphuris præparatum, quàm compositionem docet *Quercetanus in Pharmacop. dogm. cap.* 25. aliaque similia.

*Conditiones Aquæ simul etiam considerandæ.* Præter consuetudinem & correctionem, quarum hîc mentio fit, notandum etiam, quod monet prædictus *Lusitanus citato loco*, operæ pretium esse animadvertere, ut aqua bona sit, ut suadet *Galenus com.* 4. *in lib.* 6. *Epid.* Dicuntur autem aquæ coctiles leves, stomachum non gravantes, quas laudantes, molles appellant, & in quibus legumina facilè coquuntur, & ab illis nullum in ventriculo gravamen persentiunt, qui eas bibunt, & ut paucis dicam, Hippocratis verbis, illæ sunt coctiles aquæ, quæ citò calefiunt, & frigefiunt; incoctiles dicuntur, quibus omnia contraria eveniunt. Hactenus ille. Sed omnibus his præsuppositis, addenda quædam esse dicimus, quæ putredini resistant, atque incidendo & penetrando naturæ succurrere queant, ubi primo *C. Cervinum*, numeratur, cujus vis ex superioribus patet: deindè mentio fit *Spiritus Vitrioli*, cujus usus in febribus maximus est, utpote cum insignem attenuandi, incidendi, obstructiones aperiendi, sitim, & inflammationem sedandi vim habeat, qui propterea commodùm cum aqua miscetur, ad jucundam aciditatem, ut saporem acidularum naturalium æmuletur; ubi tamen observetur, quod cautè sit procedendum, quando suspicio quædam est de pulmonum læsione, vasorum ruptura, vel internâ quâdam exulceratione; sicut etiam in Phthisi, Sputo cruento, Dysenteria, Sanguinis minctione, Pleuritide, renum & vesicæ Ulceribus, ut & in constitutione Macilenta & Hectica, Senum potissimùm, &c. Nota verò, quod commodissimè spiritus vitrioli, caustica ejus parte seposita, subtilior & volatilior tantùm in usum vocetur, qui ad incendium febris ardentis extinguendum, mirè confert, cujus extrahendi methodus hæc est: ℞. Vitrioli Hungarici depurati ℔iiij. destilla, & igne vehementi coge, ut spiritus & oleum educantur. Liquori egresso adde duas partes aq. pluvial. destill. & in B. M. nova destillatio instituatur, ut subtilissimus & penetrantissimus spiritus vitrioli sursùm efferatur & emanet, acidissimo oleo in fundo relicto. Hujus 5. aut 6. guttæ quantitati pluvialis aquæ instillatæ febribus ardentissimis mirum in modum succurrunt. Hæc ex communicatione *Dn. Sam. Glossæi*, amici, addo, qui sudoris eliciendi causâ simul in malignâ febri *Spiritu terræ sigillatæ acido* utitur, quem sequenti modo parat: ℞. Orbiculorum terræ sigillatæ Silesiacæ flavæ, quæ duobus monticulis insignitur, lib. j. hos frange in duas vel tres particulas, inde Retortæ, & igni nudo per horas 6. expone, apposito Recipiente satis capaci: prodibunt post phlegma spiritus albicantes in parva quidem copiâ, sed gratissimi acoris & saporis, terra restans ejusdem etiamnum figuræ extrahitur è Retorta, sed quæ non amplius linguæ adhæreat, nec saliva humectata in tumorem sese attollat: hîc spiritus non indiget rectificatione, sed unà cum phlegmate datur in vehiculis convenientibus pondere semiscrupulari.

*Vis Spiritus Vitrioli.* *Spiritus Vitrioli præparatio egregia.* *Spiritus Terræ sigillatæ.*

Tertio loco *Salis prunellæ, seu nitri præparati* additio commendatur, quod juxta *Aëtium tetrab.* 1. *serm.* 2. *cap.* 61. siccat, discutit, & intra corpus sumptum secat & attenuat crassos atque viscosos humores. Ejus præparationem præ cæteris *Libavius part.* 1. *Apocalyps. Herm. cap.* 17. talem commendat, quæ scilicet assumit nitrum purum, & pro unciis singulis singulas drachmas Flor. Sulph. quæ liquato per portiones injectæ incenduntur, & deflagrare sinuntur, donec sal petræ nitreus perspicuus evadat: hunc effundunt super marmor, ubi refrixit, contundunt in pulverem, quem in laneam manicam Hipp. illatam perfundunt aquâ rosaceâ, sinuntque purissimè in subjectas conchas vel patinas mundas defluere: cum totum transiit, avocant rosaceam per destillationes usque ad medias: reliquam exponunt frigori cellarum, & crystallos pro-

*Vis nitri præparati.* *Modus præparandi.*

procurant. Ab his si iterum dilutum restat, id denuò coquunt ad medias, & coagulant sicut prius, idque quousque crystalli extiterint: hos abluunt celeri agitatione si quid feculenti adhæret: undè siccatos reponunt in vitro, in loco calido sicco: dant ad sitim, ardores, urinæ difficultates, & arenulas ex aquâ fontanâ. Sed nota, quod addit idem, paulò pòst: Paracelsistæ, inquit, ad omnes inflammationes interiores, pleuritides, peripneumonias, &c. commendant, quia virtute imprimis refrigerante sal iste sit præditus: sed tu cautus esto, vides enim per sulphur & fixationem spiritus refrigerantes esse sublatos, vel oppressos, & retusos. Hinc aliqui crudum potius nitrum, optimè tamen depuratum & pellucidum, quam toties sulphure incensum in febribus præferunt. Conjunge quæ de potu calido & frigido differit *Barthol. Paschetuslib. 2. de destill. tit. de potu calido, pag.* 193.

## QUÆSTIO VI.

### *An tempore Paroxysmi in exquisita tertiana somnus concedendus?*

*Generatio febrium intermittentium.*

I. EX putrescentibus humoribus non solùm continuæ, sed etiam intermittentes oriuntur febres, pro diversitate & peculiari humorum proprietate diversæ, ita ut aliæ quotidiè, aliæ tertia, aliæ quarta die frequenter homines affligant, quæ periodicæ invasiones iisdem conveniunt, propterea quod materia putrescens in locis à corde remotioribus, potissimùm verò in visceribus τῆς θρεπτικῆς δυνάμεως, secundum *Fernelium*, certis tantùm temporibus commoveatur, & fuligines fervidas fonti caloris transmittat, quibus perdurantibus, paroxysmus quoque febrilis perdurat. *Anton. de gradibus tract. de Febr. cap.* 10.

*Cur intermittentes febres ratione periodorum varient?*

Coincidit hîc intricata quæstio de periodis paroxysmorum in febribus intermittentibus, ubi non tàm quæritur, cur intermittentes, ratione continuarum, suas intermissiones habeant, sed potius, cur diversæ febres intermittentes diversimodè redeant, & periodos suas diversis diebus observent?

*1. Opinio.* *Conciliator seu Petrus Apponensis diff.* 88. lunam, & reliqua sidera, causam agentem, à quâ primò motus fiat, agnoscit, in quo *Picus Mirand. lib. 3. contra Astrolog. cap.* 17. eundem refutat; quanquam si tota differentia Conciliatoris excutiatur, facilimè pateat, quod proximiores reliquas causas, de quibus alii, quod mox patebit, dissident, minimè videatur excludere. Missis autem causis remotioribus,

*2. Opinio.* *Galenus lib. 2. de differentiis Febr. cap. ult.* periodos refert in dispositionem partium, quæ vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates, quâ ratione patet quidem, cur quotidiè, vel alternis, vel quartâ die reciprocas invasiones constituant. Hanc difficultatem videntes alii, diversas causas periodorum excogitarunt.

*3. Opinio.* *Alexander in Problematibus lib. 2. Probl.* 10. humorum copiæ paroxysmorum vices asscribit, quò etiam inclinat *Vallesius lib. 5. Controvers. cap.* 25. qui copiam, & manifestam qualitatem conjungit, humorem gravantem & mordentem considerando, quâ ratione pituitam ob copiam celerius facere suam periodicationem statuit, cum illa multùm reliquos humores superet qualitate: melancholiam, ob minorem copiam, tardissimos, bilem verò medios circuitus ea propter excitare; cui assertioni

*4. Opinio.* *Petrus Verderius etiam lib. 1. de Mor. & sympt. caus. cap.* 25. *& seq.* subscribere videtur. Ad hanc opinionem accedit etiam *Vict. Trincavell. lib. 2. de diff. Febr. lect.* 49. qui præter quantitatem & qualitatem humorum manifestam, addit etiam membrorum dispositiones, quod pituita quotidianos circuitus faciat, quia citò copiosa in ventriculo gignatur, & difficultate, ob suam crassitiem, absolvatur: bilem tertianos facere motus, quia promptè quidem à jecore calido gignatur, sed propter tenuitates magna ex parte digeratur: melancholiam quarta die moveri, quia pauca copia colligatur, & non facilè discutiatur. At insufficientes has assertiones esse

*5. Opinio.* rectè probat *Heurnius lib. de Febr. cap.* 11. *& Minadous Disp. de caus. periodicat. in Febr.* ubi penes posteriorem etiam videre licet, quæ sit opinio *Francisci Parelli Parisiensis lib. de Febr. intermitt.* qui periodicationis causam refert in distantiam membrorum, quæ dicata sint humorum generationi vel congestioni: quò enim magis distet ejusmodi membrum à sede, per quam sumitur alimentum, scilicet ab ore, eò citius humor ibidem congestus movebitur; at cum ventriculus pituitæ, jecur bilis, & lien melancholiæ receptacula sint, idcircò pituitosa febris quotidiè, biliosa tertia, & melancholica quarta die suam exacerbationem habebit.

*6. Opinio.* *Sanctorius lib. 6. de vitand. error. in Med. cap.* 5. similiter à loco, distantiæ ratione, causam periodorum investigat, sed non oris respectu, verum potius cor respiciendo, quare subjicit, continuas fieri, quando materia in loco cordi proximo latet, intermittentes autem, ubi locus est remotior à corde, quo modo pituitam quotidianos circuitus facere statuit, quod sedes ipsius, ventriculus, cordi proximior, quàm jecur, aut lien. Verùm utraque sententia suas habet difficultates, quas lector videat *partim apud Minadoum, partim apud Sennert. lib. 2. de Febr. cap.* 16. Missis

*7. Opinio.* igitur hisce, quidam (inter quos *Eustach. Rhudius lib. 3. de affect. hum. cap.* 27.) causam periodicationis esse dicunt, naturalem propensionem humoris cujusque propriam ad putredinem concipiendam, cui subscribit *Mercatus lib. 3. de Febr. caus. mihi pag.* 313. *tom.* 2. *Capivaccius lib. de Febr.* 19. *Pius Æneas Caprilius lib. 1. de Febr. putr. Franc. Valeriolæ lib. 6. Enarr. 1. mihi pag.* 768. quod *Altimaro* quoque placere videtur, dum *part. 2. de Febr. cap.* 10. tandem concludit, nullam aliam causam esse, quod pituita quotidiè, flava bilis tertio, & nigra quarto quoque die accessionem pariat, quam eorundem humorum naturam, substantiam & temperiem eorundem intelligendo. Hanc opinionem *Mercurialis lib. 5. Pract. cap.* 8. *refert ex Averroë lib. 4. coll. c.* 27.

eamque

eamque reprobat, propterea quod Natura humorum respiciatur tantùm, ubi sunt secundum naturam dispositi, non autem ubi putrescunt, quamvis Averrois opinio non tàm humorum naturam, quàm caloris naturalis actionem innuere videatur, dum inquit: mea sententia penitùs est, quòd natura istos circuitus cum calore intrinseco operatur, quamvis supervenerit huic calori aliquid præter naturam in quantitate & qualitate, in eo, quod est agens in materia non naturali, vel in humorum ægritudinem facientem. At quanquam non negatur, à proprio, nativoque calore singula conservari, & omnia κατὰ τάξιν fieri, dubitatur tamen adhuc, cur hoc ordine natura morbificam pugnam ineat. Succedit igitur opinio aliorum, qui non à naturâ, sed putredine humorum causam deducere videntur, non quidem secundum communem putredinis rationem, sed secundum peculiarem qualitatem & conditionem putrefactionis, quod primum innuit *Gentilis Fulginas & Iacob. Forliviensis, Avicennæ Interpres*, idque *Fernelius lib. 4. Pathol. de Febr. cap. 11.* plenius declarat, dum vim quandam, seu qualitatem in humore, per putrefactionem genitâ statuit, cujus ratione putrescens pituita quotidiè, bilis flava tertio, & atra quarto die impetum faciat. Subscribit huic assertioni *Horat. Augenius lib. 5. de Febr. cap. 9.* eandemque non tantùm pluribus confirmat, sed etiam argumenta *Hugonis Senensis* contra eandem allata diluit. Verùm cum ejusmodi vis humoribus introducta per putrefactionem æquè occulta sit, ac ipse motus, periodicationis causæ ratione consideratus, ulterius in aliorum placitis inquirendum, quid statuendum de iis, qui prædictum humorum motum ratione vehementiæ partis mittentis, & ob recipientis imbecillitatem fieri somniant, quod videre licet apud *Valer. Baldutium lib. 2. de putredine cap. 9.* Sed ponamus, quod etiam *Herculanus in Comm. in Avicenn. de Febr. putr. peculiari quæst.* asserit, membrorum actionibus & virtutibus acceptam ferendam esse periodicationem febrium, necessarium tamen, certum quid in materiali causa concurrere, cujus ratione partium actiones determinato tempore moveantur. In hac Autorum discrepantia pro veritatis determinatione *Minadous, citato loco*, tria cognoscenda ponit. 1. Cur febres quædam accessiones habeant, quædam verò sibi similes sint. 2. Cur febres intermittentes, vel cum ordine, vel sine ordine, redeant. 3. Cur febres cum ordine affligentes quotidiè, vel tertio, vel quarta die affligant? Quo ad primum respondetur ex sententiâ Galeni, quod periodicæ febres necessario habeant causam effectricem materiam putrescentem, quæ vel unam quandam corporis regionem obsideat, vel omninò ab una ad alteram corporis regionem excurrat & moveatur, ita ut accessionum repetitio indè apud Galenum videatur ortum trahere, quod vel materia non maneat, neque eo ipso in loco subsideat quieta & immota, in quo ante paroxysmi adventum subsidebat, vel omninò partem determinatè affectam detineat, sive cum inflammatione, quod fit in febribus symptomaticis, sive absque inflammatione in periodicis principalibus, &c. Porrò quânam ratione contingat, (subjicit ille,) materiam febris effectricem moveri, docuit etiam Galenus, qui monet, materiam de loco uno ad alterum moveri, aut quia expellatur ad partem imbecilliorem, aut quia attrahatur à parte aliqua; ac expelli quidem ait, quia vel qualitate stimulat, vel copia premat partem, à quâ expellitur: attrahi verò à parte aliqua, vel quia pars attrahens sit nimis calefacta, vel quia sit nimis à dolore alterata. Quo ad secundum, ordinariè interpolatas accessiones juxta Galenum fieri statuitur, pro ratione congestionis respectu peccantis materiæ ejusdem, quod exemplo menstruorum muliebrium, tùm etiam excretionum quotidianarum confirmatur. Quo ad tertium, dicamus, inquit, quod febrium, quæ per circuitus cum aliquo certo ordine invadunt, non aliam ob causam pituitosæ quotidianos, biliosæ tertianos, quartanos autem melancholicæ faciunt paroxysmos, nisi quod ea est humorum, eas febres facientium, conditio, ut cum singuli suas habeant propensiones, quibus facilius vel difficilius accenduntur, inprimis tamen in parte, in quâ illi focum & mineram habent putredinis, tale relinquant inquinamentum, ut pro illius varietate varia quoque ordinis ac temporis ratio constituatur, ad novæ materiæ febrium renovaturæ congestionem. Hoc idem innuit etiam *Sennertus lib. 2. de Febr. cap. 16.* dum inquit: statuimus periodorum causam esse naturam humoris, & quidem non simpliciter eam, quam à membro debili in quo fuit generatus, sed quam à putredine, effervescentia & fermentatione quasi accepit, seu inquinamentum, μίασμα & ἀπότελεσμα σηπεδονῶδες in putredine humorum genitum, quod instar fermenti sese habet. Ut enim videmus fermentum massæ farinæ vel liquori alicui admistum, facere, ut massa illa seu liquor effervescere incipiat: ita illud putredinale fermentum in corpore post paroxysmum relictum initium effervescentiæ & putredinis dat, in quo fervore, cum multi vapores & humores attollantur, iisque accendantur, calor febrilis accenditur, &c. Sic *Heurnius lib. de Febr. cap. 11.* quò succus citius putrescit, eò citius redintegratur febris: citæ verò putredinis causa est succi copia & qualitas, &c. Sed cur ita statis periodis recrudescit? id fit (inquit) ex mensura coacervati succi, quæ nobis indeprehensa est, cui postea focus additur ipsius partis. Planius determinat hoc *Mercurialis lib. de Febr. cap. 8.* ubi dicit, ex Galeni placitis totam periodicationis vim in ipsa congestione humorum consistere, ubi quatuor necessariò perpendenda, nimirum materiæ qualitates primas atque secundas, materiæ quantitatem, actionem ipsius Caloris in materiam, & postremò fomitem, quem in duobus consistere dicit, tùm in reliquiis materiæ, quæ putrefacta est, tùm in affectu relicto in ea parte, ubi facta est putredo.

Marginalia: *8. Opinio.* — *9. Opinio.* — *Fundamenta resolutionis.* — *Ad 1.* — *Ad 2.* — *Ad 3.*

Hinc paulò post subjicit: si quid dicendum est, dicere oportet, mea sententia, gradum nobis incognitum hujus fomitis esse illum, qui hujusmodi ordinem parit, ita ut gradus fomitis relicti ex pituita putrescente faciat quotidianam, gradus fomitis bilis tertianam, & gradus fomitis melancholiæ quartanam. Manifestum hinc redditur nullam non ex præcedentibus assertionibus aliquid veritatis includere, dum causas remotiores, proximiores, principales, & instrumentales, ad febrium periodicationem modis diversis concurrentes, diligenter cum effectis suis conferimus, de quo plura videantur apud citatos Autores.

*Tertiana exquisita quid?*

II. Inter has febres intermittentes est etiam tertiana exquisita, τελεῖος ἀκριβὴς, quæ ex flava bile putrescente in locis à corde remotioribus oritur, secundum naturam humoris propriam, ut inquit *Bachanellus lib. de cons. med. f.* 886. & rectè curata septem circuitibus vel ante judicatur, ut habet *Galenus lib.* 2. *de Diff. Febr. cap.* 3. *& Hippoc.* 4. *Aph.* 59.

*Signa diagnostica febris tertianæ exquisitæ.*

Hic diligenter notanda signa diagnostica febris tertianæ exquisitæ, nimirum rigor vehemens, calor multus & acris, pulsus velox, magnus, vehemens, urina subruffa, consistentia varia; quibus superveniunt sitis maxima, vomitus bilis, anxietas, inflatio præcordiorum, lassitudo dorsalis, & intermissio totalis.

*Affirmatur quæstio.*

III. De hac ipsa febri quæritur, *num etiam in ejus paroxysmo somnus conveniat?* fortè affirmativa probabilis videbitur, propterea quod somnus sit recreator corporum & redintegrator virium, ut habet *Tertullianus lib. an. cap.* 45. Imò quod etiam melioris concoctionis author dicatur, quod rectè communiter statuitur ex sententia Medicorum & Philosophorum, contra *Iobertum decad.* 1. *parad.* 8. quemadmodum videre licet in *Tomo* 1. *Disp.* 3. *Coron.* 2. *Exerc.* 8. *quæst.* 9. *pag.* 203. At verò tempore paroxysmi requiritur virtus intensa & fortior, utpote cum tunc temporis materia peccans commota attenuanda, resolvenda ac discutienda sit, ut eâdem hoc modo tandem absumptâ, paroxysmi finis eò citius subsequatur.

*Negativa probatio.*

IV. Verum negativa potius statuenda, quod monet *Fuchsius de med. morb. lib.* 4 *cap* 6. quia non dormiendum, sed vigilandum potius est in ipsâ accessione, propterea quod sanguis & spiritus, adeoque calor nativus versus interiora per somnum moveatur, qui tamen motus contrarius est illi, quo virtus naturalis in paroxysmo materiam discutere, & ad exteriora transferre conatur: concentratus enim calor per sommum internam humorum effervescentiam majorem, adeoque febrem vehementiorem efficere potest. Finitâ tamen accessione somnus non improbatur, ubi postea debilitatis viribus per morbi & naturæ pugnam egregiè succurrit, & ut Poëtæ verbis utar, ægrorum corpora duris Fessa ministeriis mulcet, reparatque labori.

*Ulterior confirmatio Negativa.*

Huic assertioni subscribit etiam *Heurnius lib. de Febr. cap.* 14. dum inquit: In paroxysmorum initiis non dormiat æger; nam spiritus per somnum intrò ruunt, unà cum calore nativo, quare metus, ne è subito illo raptu calidum nativum suffocetur. Somnus quidem humores vitiosos concoquit, calorem nativum auget, viresque roborat, inquit *Sennertus lib.* 2. *de Febr. cap.* 9. Sed in initio paroxysmi ab eodem abstinendum, ne calor nativus, humoribus ad interiora retractis, obruatur. In declinatione somnus juvat, inquit *Duncanus Liddelius lib.* 2. *de Febr. cap.* 6. & quò magis paroxysmus ab initio ad declinationem tendit, eò somnus minus nocet. Idem innuit *Oddus de Oddis in Aph. Hipp. lib.* 2. *Aph.* 1. *in comm. pag.* 115. dum casus adeò elongari dicit, ut vix febres ad consistentiam pervenire videantur, pariterque si in visceribus aliqua sit inflammatio, ipsam quoque eâdem ratione augeri contingat, cum calor atque humores per somnum ad profundum corporis contrahantur.

*Quæstio singularis.*

Quæritur autem hic, *cum somnus naturalis in principio accessionum febrilium sit noxius, an idem de arte excitato sentiendum sit?* Plurimas febres intermittentes, præsertim Quartanas, post præparationes & purgationes debitas, cum Tartaro Vitriolato, Extracto Hellebori, Antimonio diaphoretico, &c. auxilio Laudani opiati sublatas fuisse testatur Amicus quidam, quem effectum suâ ratione non carere statuit: cum enim, inquit, in omnibus intermittentibus febribus contumaciter perseverantibus sit inquinamentum aliquod putredinale, quod post singulas accessiones in foco relinquitur, & novo paroxysmo repetente excandescit cum fluxione, vel per venas, vel per totum, fit, ut si Laudanum alexipyreton duabus, tribusvè horis ante invasionem detur, omnes ardores deindè mitigentur, fermentationes humorum sistantur, & fluxiones in singulas partes coërceantur, sicque febris unà cum dilatione suâ penitus intercipiatur. Huc fortè quadrat illud apud *Petronium Arbitr. in Satyrico*, ubi *Quartilla*, Sacerdos Priapi, inquit: ipsa quidem ea nocte vexata, tàm periculoso inhorrui frigore, ut tertianæ etiam impetum timerem: & ideò Medicinam somno petii, &c. ubi vir doctissimus *Ioh. Pet. Lottichius in Com. lib.* 1. *cap.* 3. somnum tertianæ remedium esse docet, & humectando totius corporis habitum, & reficiendo spiritus, roburque toti homini addendo.

## QUÆSTIO VII.

*An Absinthii decoctum in tertiana notha conveniat?*

*Notha tertiana quid?*

I. Præter tertianam febrim exquisitam, datur & alia, quam notham vocant, ex bile cum pituitosis humoribus permistâ, proveniens, in qua tardior est concoctio, undè priore multo diuturnior est.

*An etiam tertiana notha ex bile & melancholia fieri possit?*

Quæritur, an etiam tertiana notha fieri possit ex bile cum melancholia permista? de qua controversia disputat prolixè *Eustachius Rhudius lib.* 3. *Pract. cap.* 27. cum impossibile videatur, ut corpus crassissimum,

fissimum, quale est Melancholia, cum corpore tenuissimo, qualis est bilis, ita misceri queat, ut febrim unius paroxysmi producant, quanquam aliis idipsum non absurdum statuatur, propterea quod totius mutuus consensus juxta Hipp. rectè ponatur, unde peccantes etiam humores non difficulter à parte hac in illam transmigrare soleant. Differt autem hæc febris à tertiana exquisita, quæ absolutè sic dicitur, & ultra duodecim horas non durat, quod horrore potius, quam rigore præhendat ea corpora, quæ planè biliosa non sunt, non tantùm æstate, sed frequenter etiam in autumno, vere & hyeme, calore mitiori, nec protinus per totum corpus diffuso, quæ non facilè vomitu solvitur bilioso, propter admistionem crassiorum humorum, cum urinâ subflavâ, crudâque, cujus invasio frequenter ultra duodecim horas extenditur, quanquam rectè statuatur, quod experientia teste tales febres sæpius etiam paucioribus horis terminentur, ob materiæ paucitatem ac citam digestionem, robore naturæ concurrente.

*Signa febris tertianæ nothæ.*

*Affirmatur quæstio.*

II. De hac febri quæritur, *num in ea conveniat decoctum Absinthii*; Affirmat *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap.* 40. ubi inquit: post septimum adhibeatur decoctio absinthii: est enim juvativa, subtiliativa materiei & confortativa stomachi.

*Negatur.*

III. Contrà *Galenus lib. 1. de arte curat. cap.* 8. in exquisitâ tertianâ illud ipsum præscribit; ubi dicit: quod si coctionis signa monstrentur, jam audacter aliquid absinthii exhibebis, quod alioquin summum est remedium, ubi bilis infestaverit, si præsertim ex ejus coma, quantum sit satis, accipiens melicrato intinxeris. Hinc *Alexander Trallian. lib. 12. cap. 6.* miratur, quod Galenus indistinctè scripserit, confundendo curam nothæ & exquisitæ tertianæ, propterea, quod remedium illud potius in illâ, quam in hac febri convenire videatur.

*Resolvitur quæstio.*

IV. Cæterùm pro decisione dicimus, quod Absinthio secundum *Galenum 6. simpl. Dioscor. l. 3. Paul. Æginet. lib. 7. cap.* 3. & alios, vis insit, ut vitiosos è ventriculo humores per alvum & urinas ducat, quare concocta jam bile, non alio præsidio opus est, quam quod expurget, præsertim cum vi suâ astrictionis ventriculo quoque & visceribus robur addat.

*Dubitatio solvitur.*

V. Quamvis igitur, quod *Interpretes Avicennæ Mongius & Costæus* addunt, acredinis ratione febrilem calorem, siccitatemvè accendere hujus usus posset: non tamen si semel ejus dilutum exhibeas, quicquam lædes. Undè rectè *Galenus* observat diem septimum, hoc est, apparentem concoctionem; ubi absinthium velut expurgatorium pharmacum semel in exquisita offert. Alexander verò frequentem usum in tertiana notha tantùm cum Avicenna approbat.

*Ulterior confirmatio.*

Conjungatur hîc *Amatus Lusitanus Cent. 7. Curat.* 43. qui propositâ sententiâ Galeni, confirmationem ex *Oribasio lib. 14. Collect. cap.* 49. subjiciens, eandemque sententiæ *Tralliani* opponens, decisionem addit his verbis: Nos, pro more nostro, hoc est brevi dicamus, exquisitis febribus tertianis afflictis Absinthii dilutum aut infusum, aut ex eo syrupum, etiam apparente coctione, nullatenus esse dandum liberè pronunciamus cum *Tralliano*, quod etiam de Anetho aut similibus calidis intelligi volumus, quum horum vice Cichoreæ, Endiviæ, Cicerbitæ, Melonis, Cucurbitæ, Acetosæ, Nenupharis, & similium lotium provocantium stillatitium liquorem securius & rectius concedere possimus, aut melius, ut *Avicenna* docet, seminum frigidorum cremorem, succumvè, aut hordei, apii, unius aut alterius radiculæ decoctum, aut ex iis, & seminibus prædictis, adjectis acidis prunis & rad. Nimphææ, aut ejus floribus, vel reliquis cordialibus dictis, decoctulum paratum & immixtum syrupis refrigerandi vim habentibus, quibus & lotium, & sudores evocantur. Si verò exquisita non adeò tertiana fuerit, & ægroti ventriculus imbecillis & frigidus, tunc mea sententia Galeni dogma veritatem obtinet, quod *Avicennæ* dogma enarrat. Nam hoc in casu & apii radicem, & piper hordei aquæ immiscere jubet, &c. Hinc tandem concludit, illum, qui Demetrio, tertianâ exquisitâ laboranti, frigido cum ventriculo, verno etiam tempore frigidiusculo, dilutum Absinthii propinandum contestabatur, rationabilius locutum fuisse: levissima namque Absinthii coma, inquit, aqua hordei macerata, brevi postea excolata fuit, ex qua syrupus acetosus multæ acetositatis dilutus, ab ægroto non semel fuit ebibitus, & eo ipso benè habebat, adeò ut postea, ebibito pharmaco levi, brevi sanatus fuerit.

## QUÆSTIO VIII.

*Num Aloës usus præscribendus in Quotidiana febre?*

*An detur quotidiana?*

I. PLurimi recentiorum dubitant, num præter tertianam duplicem, & quartanam triplicem, alia hodiè detur febris quotidiè recurrens, quam veteres Quotidianam dixerunt, ex phlegmatici humoris putrefactione generatam, ut patet ex *Plater. tract. de dolorib. cap.* 2.

II. Etsi verò tam frequens hæc febris esse nequeat, quemadmodum innuit *Forestus lib. 3. de Febrib. observ.* 20. *cum Fernelio lib. 4. pathol. cap.* 12. propterea quod materia pituitosa præ reliquis humoribus non admodum ad putrefactionem habilis videatur: interdum tamen eandem dari verisimile est, quod ex ipsius symptomatibus à tertianæ & quartanæ proprietatibus diversis colligitur. Et quamvis hæc materia pituitosa non facilè accendatur, tandem tamen accensa, diutius calorem p. n. non admodum intensum, fovet, utpote qui difficulter discutitur, atque accessiones diutissimè protrahit, ita ut nonnullis non tam intermittens, quàm continua hæc febris credita sit. *Hollerius lib. 2. de morb. intern.*

Febres pituitosas, rarò licet, revera tamen dari

communiter statuitur, quemadmodum pluribus ex sententiâ *Galeni* & Classicorum Autorum demonstrat *Altimarus de Med. Febr. pag. 2. cap. 6. Hucherus lib. 3. de Febr. cap. 22. 23.* & alii. Nec obstat hîc, inter alia, quæ adduci solent, quod *Galenus lib. 8. Meth. cap. 5.* duplicem tantùm cruditatem constituat, unam nidorosam, alteram, acidam: quam differentiam Chymici per sal amarum & acidum declarare possent, ita ut omnes febrium differentiæ tantùm ex his duobus fontibus originem suam trahere videantur: non enim citato loco de febrium differentiis agitur, sed tantum à Galeno monstratur, quod etiam interdum ex cruditatibus ciborum diaria fieri queat, idque ex ea, quam nidorulentam vocat, non autem ex acida, quæ non febrim diariam, sed potius aliam producere soleat.

*Instantia.*

*Solvitur.*

III. Positâ hâc febri quæritur, *num etiam Aloës usus in eâ præscribendus?* Videtur probabilis negativa, propterea, quod Aloë dicatur medicamentum Cholagogum, bilem peccantem purgans, quemadmodum ex aliis pluribus repetit *Paulus Ægineta lib. 7. cap. 4.* At hîc non bilis, sed pituita peccat, idcircò potiùs phlegmagogum exhibendum, quia tunc demùm confert medicamentum, ubi qualia oportet, purgantur, secundum *Hippocr. lib. 1. aphor, 25.* & alibi. Sed contrarium videmus in libris practicorum, qui ferè ubique hieram simplicem, aliasque massas pillularum ex Aloë potissimum confectas præscribunt.

*Negativa proponitur, quod principalem quæstionem attinet.*

Hiera picra (inquit *Heurnius lib. 2. Method. ad prax. cap. 23.*) liquefacit, & attenuandi vi abstergit, & educit mediocrem pituitam, si *Galeno* credimus, qui asseruit Scammonium pituitam purgare, adjecto castoreo: nam calore suo fundit pituitam: si autem aliquid agarici trochiscati miscuerimus, abducet pituitam, inquit *Actuarius 5. lib. 19. & Gal. 8. f. l. cap. 2. & 3.* His adjungantur illa, quæ *Clariss. Minderus in Aloëdario cap. 10.* prolixè proponit, & Aloën vindicat ab eâ noxâ, quæ sine causa eidem ab aliquibus affingitur.

IV. Hîc nota pro decisione quæstionis, quod Aloë sit medicamentum & leniens, & purgans: leniens, prout in minori dosi exhibetur, quâ ratione alvum laxat, & excrementitios humores ex prima corporis regione dejicit; purgans verò, prout in majori dosi exhibita, biliosos humores è remotioribus etiam partibus vi substantialis qualitatis occultæ attrahit & expurgat. Cum autem quotidiana febris potissimum à pituitosis humoribus circa primas vias collectis foveatur & continuetur, quod vel maximè ventriculi imbecillitas conjuncta comprobat: Ideò rectè conceditur in ea usus Aloës respectu suarum qualitatum manifestarum, quatenus calefaciendo & siccando extergit, discutit, primasque vias purificat, non sine singulari gratiâ, quâ ventriculo amica est, præ aliis omnibus evacuantibus, ut habet *Galen. lib. 6. simp. § Aloë.*

*Resolutio quæstionis.*

Virtutes Aloës *Heurnius lib. 2. Meth. ad prax. cap. 22.* compendiosè proponit hoc modo: Aloe Succotorina, ex Succotora Indiæ Insula, calet ordine secundo, & siccat tertio, si non abluatur, aperit orificia venarum, bilem & pituitam absterget alvo, inquit *Mesues*: pallidis medetur, intellectum acuit & oculis confert, infarctus jecoris expedit. Cotidianus ejus usus à lethalibus morbis tuetur, & Myrrhâ additâ cum Croco & vino, cadavera, & vitâ quæ fruuntur, à putredine tuetur, &c.

*Virtus Aloës.*

V. Verùm ut hæc jucunditas magis arrideat, justâ præparatione opus est, ubi præ communi lotura maximi faciendi est illa, quâ frequenti digestione per affusum adæquatum menstruum vera Aloës essentia à fœcibus terreis & arenosis separatur, cujus postea scrupulus id facit, quod alias è drachmâ integrâ exspectamus, *Quercetan. in pharm. dogmat. cap. 14.*

*Præparatio Aloës, juxta Quercetanum.*

Aloën parant magni quidam viri (ut inquit *Heurnius*) ita ut omnem noxam exuat hoc modo: Cum Syrius æstivo solstitio flagrat, pulveri Aloës remisceant serum lactis, dum pultis characterem trahat, soli exponunt, dum indurescat: iterum in pulverem comminuunt, & succum Endiviæ affundunt, denuòque siccant; tandem in pollinem vertunt, ac rosarum Persicarum succo imbuunt, & sæpius eandem historiam peragunt, ultimò siccatam in usum reponunt. *Hieron. Fabricius ab Aquapend.* Aloëm suam Rosatam, cujus præparationem vivens occultam esse voluit, hunc in modum adornavit, ut videre licet in peculiari tractatu *Ioh. Iohanni Anno* 1611. Patavii edito: Aloë sumitur Soccotorina. v. gr. *lib.* 1. quæ in tenuem pollinem redacta, & per cribrum setosum cribrata, cum tanta succi Rosarum, incarnatarum quas Officinæ Zebodenas appellant, portione in catino vitreato miscetur, ut miscella liquida Cremori ptisanæ similis suboriatur. Indè rariore cribro setoso, pro pulvere, muscis, & reliquis hujusmodi arcendis contecta, & singulis diebus frequenter ligno in orbem agitata, æstivo soli tam diu exponitur, donec vi solis crassefacta, ad mellis spissitudinem veniat. Subindè novus Rosarum succus additur, iterumque insolatur, agitatur, quousque crassescat, ut prius. Quod toties reiteratur, donec Aloë sexdecim succi Rosarum partes receperit, quod duorum vel trium mensium spacio succedit; postea, quando justam consistentiam nanciscitur, in vesica conservatur ad solem. Conjunge *Sennertum in Instit.* ubi Aloën primum iteratis infusionibus cum aq. Endiviæ, Borrag. & Rosar. in Extractum redigendam, & postea cum succo Rosar. aliquoties inprægnandam esse statuit. Similis ferè processus est *Biguini in Tyrocinio, lib. 2. cap. 9.* nisi quod præter succum Rosarum addat etiam succum cichorei, buglossæ, borraginis, calendulæ, primulæ veris, &c. Nonnulli Aloën solvunt in seri lactis caprini q. s. post filtrant, serùmque iterum abstrahunt, aloënque relictam cum succo violarum aliquoties imprægnant, ac iterum inspissant. Exquisitior extrahendi modus in Aloës Essentia conficienda talis est: ℞. Aloës Soccotorinæ *lib.* 1.

*Iuxta Heurnium.*

*Iuxta Aquapendentem.*

*Iuxta Sennertum.*

*Extractum Aloës.*

lib. 1. tere & affunde aq. Rof. vel fucci convenientis duplum, digere per diem, ut fiat folutio vulgaris, quam decanta, & coque paulatim ad tertiæ partis cafum, repone in frigido, pars puriffima, fubtilior & formalior Aloës innatabit, craffiori mafsâ fubfidente, quæ eodem modo foluta & digefta Effentiam, Tincturamvè fuam deponit, ut per inclinationem cum priori liquore decantari, effundi & feparari poffit, relictis poft fe fecibus. Jam affufos humores cum feparaveris leni fuper cinere exhalatione, defœcatam & finceram confequeris Aloës Effentiam, ex qua ad quotidianum ufum egregium concinnabis pharmacum, fi convenienti dofi Scammonii refinam & gum. Ammon. Myrrhæ & Croci Extractum adjunxeris, inque maffam duriufculam, pilulis formandis aptam, coëgeris, cujus dofis à ʒß. ad ʒj.

## QUÆSTIO IX.

*An Theriaca concedenda in Quartana?*

*Quartana quid?* I. Inter morbos contumaciffimos & curationi Medicorum maximè refiftentes eft etiam intermittens illa febris Quartana, ex putrefcente humore melancholico, vel folo, in exquifita, vel cum aliis permixto, in notha, fuam ducens originem, malum fanè diuturnum, cui crudo adhuc exigua, aut etiam nulla cura convenit, fecundum *Gal. lib.* 1. *de arte curat. cap.* 11.

De Quartanæ fingularibus conjungat lector illa, quæ à nobis *Tom.* 2. *lib.* 11. *de variis mifcellaneis Obferv.* 6. fubjiciuntur.

*Affirmativa quæftio.* II. Quæritur autem, *num in hoc morbo diuturno Theriaca ufurpanda?* Affirmativa colligitur ex *Galeno libro de theriaca* ad Pifonem, ubi addit, quod hæc antidotus melancholicis vitiis fuccurrat, ipfam atram bilem exhauriendo. Sic etiam contra *Trallianum*, & alios, in hac febri diatrionpipereon, fuccum Cyrenaicum & Theriacam præfcribit, ubi calefacientia requirit in hoc morbo, non tamen neceffario quoque humectantia, etiamfi morbus fit frigidus & ficcus, propterea, quod humor nón ftatim refolvendus, ne difcuffis tenuioribus partibus, magis terreftres eò penitius maneant infarctæ.

*Ulterior confirmatio Affirmativæ.* Sic *Aëtius* quoque de Theriacæ facultatibus particularibus verba faciens, maximè Quartanis conducere Theriacam fcripfit, fi quis ea ingeniosè utatur. *Paulus Ægineta lib.* 2. *cap.* 23. medicamentum ex viperis Quartanæ convenire pronunciat, præmifsâ tamen purgatione. Huic fubfcribit *Actuarius lib.* 6. *Methodi*, & *Avicenn. fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 64. Rationem autem, cur Autores Claffici Theriacam in Quartana concedant, *Iohan. Bapt. Sylvaticus de Compofitione & ufu Theriacæ*, *lib.* 2. *cap.* 24. fubjicit, quia fuccum melancholicum à Theriaca confumi poffe cognoverint: excitatas à melancholia graves curas ab animo pellere Theriacam *Galenus* fcripfit *Pifoni*, perindè ac fi ex fplene & reliquis membris atram bilem exugeret; & hâc de causâ Quartanis quoque febribus optime convenire pronunciat, quanquam *Alex. Trallianus lib.* 12. *cap.* 8. *Galeno* contradicat, dum ficco morbo potius humectantia, quam ficcantia medicamenta convenire ftatuit, quatenus maturatio & concoctio calido humido potius, quam calido ficco perficiatur. Sed malè ratiocinatur hic vir, inquit *Mercurialis lib.* 5. *Pract. cap.* 11. quia Galenus non laudat omni tempore medicamentorum horum ufum, fed jam perpurgato corpore, quando fcilicet humor melancholicus non ita durus, nec ficcus eft, fed moderatè diffolutus, ubi extenuantia & diffipantia conveniunt, quæ pluribus *citato loco Sylvaticus* demonftrat.

*Cautelæ quædam notandæ.* III. Sed nota ex eodem *Galeno lib.* 1. *artis curat. cap.* 11. quod Theriaca & fimilia conveniant quidem quartanis, fed non initio aut ante vigorem morbi, cùm hâc ratione ex fimplici quartana difficilior, duplex plerumque fiat, quemadmodum idem alibi in cura *Eudemi* Philofophi ab aliis Medicis per exhibitionem intempeftivam Theriacæ malè tractati, confirmat. Ubi igitur figna coctionis apparent, & morbus amplius crudus non eft, præmiffo præcedente die vomitu, fuccum abfinthii exhibet *Galenus*, poftea duabus horis ante paroxyfmum theriacam in appropriato liquore propinat, quo remedio infinitos liberatos effe confirmat.

Hoc modo patet ex *Amato Lufitano Cent.* 1. *Curat.* 8. quod præparata materia in die paroxyfmi Quartanariis ʒjß. Theriacæ jejuno ftomacho in vino albo pro jure dare fit optimum confilium, humorum cruditatem fugiendo, ne ex fimplici Quartana dupla, vel tripla fiat. Sic idem *Cent.* 5. *Cur.* 51. poft epotos fyrupos & devoratas pilulas, fingulis diebus paroxyfmi cuidam Monacho ʒij. Theriaces in aurora dedit ante acceffionem, & intra menfem fanavit. Conjunge *Heurnium*, *qui lib. de Febr. cap.* 25. manifeftò pepafmi fignis apparentibus, fingulis hebdomadibus, duabus horis ante paroxyfmum, quartanariis Theriacam exhibendam effe fuadet.

IV. Non igitur fine cautione, vel Theriaca, vel aliud hujus generis magnæ activitatis medicamentum, (quemadmodum unum & alterum non fine ratione commendat *Benedict. Victor. in Empirica fua*) *Lib.* 2. *cap.* 17. exhibendum eft, ne augeantur obftructiones, & febres intendantur, quando fcilicet materia, cum impetu plus jufto, agitatur, ut monet *Cafivacc. lib.* 6. *de Febr. cap.* 27.

## QUÆSTIO X.

*An Hecticis Victus contrariarum qualitatum (lac videlicet, quod facilis, & cancri fluviatiles, qui difficilis sunt coctionis) præscribendus?*

*Hectica febris quid?*

HEcticam febrem illam vocant, quæ fovetur à calore præter naturam partibus solidioribus infixo, & sic dicitur, quod habitum corporis comprehendat, ut si progrediatur, ad differentiam reliquarum febrium, fiat morbus in habitu, ut vult *Galenus lib.* 1. *de diff. Febr. cap.* 7. Etsi enim omnis febris est intemperies in solidis membris in esse facto, quamvis eadem causam antecedentem interdum spirituum incensionem, interdum putrefactionem humorum etiam agnoscat, ut supra dictum fuit: nihilominus tamen illa intemperies modo est in habitu, ut in hectica, modo in habitudine, ut in reliquis febribus. *Capivaccius lib.* 6. *de Febribus cap.* 2.

*Unde dicatur Hectica: Ejus signa.*

Hectica febris (inquit *Hucherus lib.* 2. *de Febrib. cap.* 1.) nomen sortita est, tùm à subjecto suo, tùm à natura contumaci & rebelli; cujus calor acris & squalidus, parvus, assiduus, ac indolens & æqualis. *Acris* est à densitate calefactæ substantiæ solidarum partium: *squalidus* ob siccitatem earundem: *parvus*, ob inopiam exhalationis: *Assiduus*, ob constantiam subjecti, cui inhæret, absentibus causis humoralibus, quibus aliâs periodi tribuuntur: *indolens*, quod temperies febrilis ipsas partes æqualiter occupat, undè tandem, quia calor præter naturam in corde figitur, omnibus partibus calor *æqualis* esse videtur. De varietate febris hecticæ, deque modo generationis ejusdem conjunge *Amatum cent.* 3. *curat.* 1. *in Scholio*: item *Matth. Curtium tit. de cura Febr. hecticæ lib. de Febr. pag.* 43.

*Lac tabidis cur concedatur?*

II. In hâc febri ferventissimâ, quoad victus rationem plurimi lac commendant, ut videre licet in *Galeno lib.* 5. *m. m. cap.* 12. ubi lac, præsertim muliebre, tabidis convenientissimum esse dicit, quem sequuntur reliqui Medicorum Principes tàm antiqui, quàm recentiores. Nec sine causa, propterea quod hectici requirant nutrimentum facilioris digestionis, ob calorem nativum imbecillem, & siccitati atque caliditati febrili strenuè resistens, quale est ipsum lac, *Galeno lib.* 4. *de simpl. cap.* 6. frigiditate & humiditate, non excessu, sed amicâ quâdam temperie præditum.

Lac & alimenti vim habet, & medicamenti, scilicet substantificè nutriendo, nec non modicè refrigerando, humectando, detergendo, consolidando & adstringendo. Hinc ergò quatenus alimentum est (*inquit Claudinus in append. sect.* 8. *lib. de Ingressu ad infirm.*) indicatur à macie totius, quatenus frigidum & humidum est, ab effectibus calidis & siccis, ut à febre hectica, &c. Nota verò, quod electione Lactis factâ, tam ratione ipsius animalis, quam etiam respectu Lactis, corrigentia non sint negligenda, de quibus omnibus cum *Galenus lib.* 5.

*Lactis correctio.*

*Meth. Med. cap.* 12. per compendium agat, lectorem eò remittendum esse putamus, ubi commendatur etiam in hoc casu lac, præsertim, si ei, quód olim apud Tabeas habebatur, respondeat, observato simul utendi modo, nimirum, ut ii, quibus illo opus est, omninò id, adstante animali, statim mulctum bibant, etiam melle injecto, si cui cogi in ventriculo solet, vel etiam sale, quando citius ad alvum idipsum descendere cupis. Imò & saccharum à recentioribus commodùm additur, idque loco mellis in affectibus & naturis calidioribus & biliosis.

*Cancri fluviatiles cur concedantur?*

III. At verò quæritur cur iisdem hecticis *cancri fluviatiles* quoque præscribantur, qui tamen respectu qualitatum difficilis concoctionis, adeoque minimè convenire videntur.

*Cancrorum vires.*

De Cancrorum natura, differentiis & proprietatibus, vide *Franc. Massarium Venet. in lib.* 9. *Plinii ad cap.* 31. *& Vliss. Aldrovandum, de Crustac. animal. lib.* 2. *cap.* 16. *& seq. ut & Matthiol. in lib.* 2. *Dioscoridis cap.* 10. Laudat *Gesnerus de Animalibus*, carnem cancrorum circa vernum tempus crescente Luna, eamque difficilis concoctionis, humidæ frigidæque naturæ statuit, nutrimentum æquale suppeditantem, præsertim respectu forcipum & caudarum, undè communis versiculus:

*In scheris & caudis mande* geharnischte Fisch.

*Decisio quæstionis.*

IV. Hic notandum, quod in hectica febri duplex requiratur victus, pro diversitate temporis, quatenus Febris aut est incipiens, aut confirmata. In incipiente, victus requiritur crassior & diuturnioris nutritionis, etiamsi difficulter concoquatur: quia tunc temporis calor nativus adhuc fortior est, cujus benificio nutrimentum crassius alteratur & in absumti locum copiosè restituitur. Hîc igitur commodissimè nervosæ partes animalium & similia, ut etiam cancrorum caro præscribitur, utpotè quæ non tantùm diutissimè nutrit, succum alimentalem crassum subministrando, sed etiam singulari occultâ vi hecticis saluberrima est, ut passim *Galenus* & alii innuunt.

*Confirmatio assertionis.*

V. Quod si confirmata sit hectica, adeòque calor nativus omnis concoctionis author maximè debilis, abstinendum ab iis, quæ difficulter coquuntur, & ea potius exhibenda, quæ facillimè digeruntur, & optimè ac citissimè nutriunt, quod supra de lacte affirmatum fuit, cui succedunt ova sorbilia, succus ex carnibus contusorum pullorum, post adæquatam coctionem in duplici vase factam, expressus, & alia.

Quatenus etenim hecticâ magna corporis dissipatio fit, ob calorem fixum in partibus solidis, quarum ratione vires labuntur, ideò necessarium est, ut alimenta crassæ glutinosæ substantiæ, non mali succi, scilicet cancri ritè præparati, & alia, præbeantur, quæ non citò nimis à calore dissipentur, modo vires idipsum ferant, quæ dum sufficientes non sunt ad ejusmodi alimenta digerenda, quod fit in progressu morbi, cibos tenuioris substantiæ, faciliorisque

liorisque concoctionis eligere cogimur, ut sunt lac, ova sorbilia, carnes pullorum, &c. sicuti tandem in jactura virium ad jusculа restaurantia, amygdalata & similia progredimur, de quo vide *Tom. 2. lib. 1. Observ.* 34. 35. Nota verò, quod in hecticis confirmatis, in quibus calor innatus extremè languet, & imbecillia sunt coctionum viscera, aquis stillatitiis eorundem cancrorum fluviatilium commodè subveniatur, ubi vel cum rore majali, (qui summum Hecticis omnibus est refrigerium) vel per se absque adustionis nota destillantur, quod fit, ubi cancri contusi linteo raro includuntur, & in mediâ cucurbitâ suspensi destillantur in B. M. vel in capella vacua, donec exucca substantia remaneat. Idem omninò fieri potest cum ranis integris, limacibus rubris, aut testudinibus nemoralibus, quorum usus quoque ad restaurationem humidi primigenii passim commendatur. *Adrian. à Mynsicht in Thesauro Medico-chymico sect. 7. num. 6.* Morsulos de cancris proponit, & tanquam summum arcanum contra phthisin commendat, quod humidum radicale maximè conservent, vires amissas restituant, & membra principalia confortent, quorum descriptio talis:

*Cautela.*

*Aq. Cancrorum.*

*Morsuli de Cancris.*

℞. Carnis cancr. fluviatil. in aq. pectorali coct. ℥ij.
Conf. Rosar. Damasc. ℥j ß.
Pineat. mundat.
Pistacear. virid.
Amygd. dulc. ana (aquæ scabiosæ de nocte maceratarum) ℥j.
Sacch. albiss. lib. j. cum aq. Veron. & pimpinellæ, f. conf. in Morsulis: in fine adde Syr. Mastich. ℥j ß.
Lactis Sulph. ℈ij. ol. anisi ℈j. nucis mosch. per expr. ʒj. Salis. Marg. orient. ℈iiij.

Sic etiam *Blasius Astiarius in lib. de Febr. tit. de Cura Febr. Hect.* Hordeatum proponit ex cancrorum succo, quod fiat hoc modo: ℞. Cancr. fluviatiles recentes, evellantur cortices & extrema ab iis, & abluantur cum aqua frigida, cinere & sale tribus vicibus, & plus, donec removeatur ab iis ille odor gravis: deindè laventur iterum cum aqua frigida sola, postea conferantur, & coq. cum aq. hordei excort. dosis istius aquæ, colatæ scilicet & expressæ, est lib. ß.

*Hordeatum è Cancris.*

---

Σὺν Θεῷ

## DECAS SECUNDA.

Gravissimorum Capitis Affectuum Cognitionem & Curationem illustrans.

### ΠΡΟΟΙ'ΜΙΟΝ.

Ut capitis nomine cujusdam principii admonemur, propterea quod caput in corpore humano respectu regiminis, pars maximè prima sit, utpote sensuum tàm externorum quàm internorum organum & habitaculum, ut habet Eustach. Rudius lib. 1. de aff. hum. corp. cap. 1. *Sic etiam de morbis partium per problemata quædam in specie disputaturi, meritò cum aliis autoribus post Febrium considerationem ad effectus capitis progredimur, de quibus hæc specialia κεφάλαια subjicere placuit.*

### QUÆSTIO I.

*An dolor capitis vomitu durandus?*

*Cerebrum tactu caret.*

I. Etsi cerebrum, respectu propriæ substantiæ, sensu tactûs careat, ut rectè statuit *Arist. lib. 2. de part. an. cap. 7. & Galenus lib 1. de Caus. Sympt. cap 8.* propterea, quod organum sit commune omnium sensuum exteriorum, cujus ratione naturâ suâ debet esse ἄποιον, ut aptitudinem habeat ad omnes species sensibiles dijudicandas: nihilominus tamen dolorem quendam frequenter circa cerebrum percipimus, respectu partium adjacentium membranosarum, quibus tactus indefinitus convenit.

Planius & plenius hæc omnia declarantur à nobis *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 1. Ex. 9. quæst. 5. pag. 90.* ubi nobiscum etiam consentit *Dn. Platerus in Cent. Posthuma quæst. 21.* dum inquit: sentire quidem Cerebrum offensam, quæ à malignis è vapulationibus prodit, comprobare videtur, dum eam excutere conatur, convulsivos motus enormes edendo, non tamen sensu animali, sed naturali, quo & reliquæ partes illud, quod jucundum alliciunt,& quod ingratum respuunt. Hinc *Idem tom. 2. Prax. lib. 3. cap. 3.* Cerebrum non aliter, quam ratione membranarum in substantiam ejus sese insinuantium dolere statuit. Hoc modo *Erastus part. 4. advers. Paracel.* ventriculis Cerebri, propter tenuissimam membranam,quâ vestiti sunt,sensum aliquem concedit, quod ex eodem repetit in *Observ. Schenkius lib. 1. de Cerebro, Observ. 75.*

*An Cerebrum sentiat?*

II. Est autem ejusmodi dolor capitis multiplex; idque potissimum ob diversas causas antecedentes quibus excitatur.

De Natura doloris inferius Dec. 3. pluribus erit agendum: hic multiplicem eundem esse dicimus, potissimùm suarum causarum antecedentium respectu, quæ vel per ἰδιοπάθειαν vel per συμπάθειαν caput affligunt, de quibus Classicorum Autorum consensum vide apud *Bachanellum lib. 2. de Consen. Med. in descript. Cephalææ.*

III. Hic inter alia dubia plurima quæstio movetur, *num etiam in quâdam specie doloris capitis vomitus*

*tus, tanquam remedium adæquatum, sit concedendus?*

*Vomitum non convenire.*

IV. Videtur negativa probabilis, propterea, quòd vomitus per se, simpliciter consideratus, remedium Naturæ minùs conveniens appareat, ut hâc de re disserit *Vallesius lib. 5. controvers. cap. 1.* at Medicus Naturæ minister est, quam ob causam ea, quæ contra Naturam sunt, minimè tentabit, propterea, quòd ab iis Natura abhorreat.

*Cur vomitum quidam timeant.*

Nonnulli recentiorum (inquit *Quercetanus in Pharm. restit. cap. 16.*) Vomitum idcircò abdicare videntur, quod corpus plus æquo, uti opinantur, commoveat & disturbet, nec non molestissima plurima inducat Symptomata; adductis præterea his ratiunculis, nostras regiones multo frigidiores esse, quam Græcorum, cujus Nationis Hippocrates frequentissimè eâdem vacuatione utebatur, & infiniti post illum alii Græci Autores, ipsius exemplum secuti: addunt etiam, homines nostrarum regionum esse multo pituitosiores, & minus ad vomitum proclives.

V. Adde quod per violentum illum motum vomitionis, dolor capitis magis intendatur, tùm ex consensu, qui est inter caput & ventriculum respectu nervorum stomachicorum à cerebro prodeuntium: tùm etiam quod eundem affectum ex commotione partium vehementi magis irritet. Hanc ob causam multi practici ferè nullibi in cura capitis dolorum, vomitus mentionem faciunt: Imò *Arculanus in Com. super 9. Rhasis*, eundem ut noxium omninò improbat.

Exemplum hujus rei patet apud *Amatum Lusitanum Centur. 7. Cur. 8.* ubi refert, militem vomitu impetuoso capitis dolorem ingentem sibi conciliasse, cui caput ita doluit, ut vertiginosam quandam affectionem inde contraxerit. Imò & *Victor Trincavellius lib. 1. Comp. med. cap. 22.* in superiorum partium affectibus Vomitum improbat, quod caput ex Vomitu repleatur, &c. Ita *Barthol. Vicarius lib. 2. cap. 2. de Assistente ægrotantium*, inquit: Ubi caput per se laborat, neque à partibus inferioribus dolor foveatur, si vomitionibus utamur, majorem ipsi noxam inferemus.

*Limitatio quæstionis.*

VI. Notanda tamen limitatio, quod vomitus concedendus sit iis, qui ad eum proclives sunt, ubi materia peccans in ipso ventriculo fluctuat, quod frequenter accidit in his, quibus caput ob crudos & pituitosos humores in ventriculo collectos dolet, quod etiam *Aëtius tetrabibl. serm. 3. cap. 118.* concludit, ubi fluidas affectiones vomitu curandas esse præcipit. *Hos cum Iasone Zirizæo Forestus lib. 9. obs. 19* vomitu curandos esse jubet, quod hâc ratione causæ antecedenti succurratur, quâ remotâ postea productus effectus eò citius quoque removetur.

*Quod in dolore capitis vomitus interdum locum habeat.*

Vomitum in dolore capitis interdum locum habere non tantùm ex hâc limitatione patet, sed etiam approbatur ab aliis Autoribus, ut videre licet apud *Valescum de Taranta, in Philonio lib. 1. cap. 7.* cui dolor à crapulâ, nec non vitio ventriculi productus, vomitu curatur; apud *Cappivaccium lib. 1. Pract. cap. 17.* quando superfluitas consistentiam habet circa os supernum ventriculi; apud *Rondeletium Method. Cur. cap. 10.* cujus verba: si fiat dolor per consensum ventriculi, primò ventriculum curare oportet, nempe si materia sit in ore ventriculi apta ad expulsionem, vomitum excitare oportet, modo colli longitudo, pectoris angustia, aut thoracis affectiones, similiter usus & consuetudo id non impediant; apud *Platerum lib. 3. Prax. cap. 3.* cujus verba: per vomitum expurgatio, si per consensum ventriculi à vaporibus inde suscitatis, uti & in Ebrietate, dolor capitis fiat, cum causam subitò evacuet, convenientissima est; apud *Philoth. Elianum Tract. 2. de Morb. cap. 35.* ubi de dolore capitis per consensum tractat, quibus adjunge *Paul. Æginetam lib. 3. cap. 4. & Alex. Trallianum lib. 1. cap. 10.* Non alienus est ab hâc assertione *Fernel. lib. 3. Meth. cap. 3. Fuchsius lib. 2. Instit. Sect. 5. cap. 25. Septalius in Animadvers. Med. lib. 3. Aph. 12. Frambessarius Consult. Med. lib. 2. Cau. & Consult. distinct. 3. consult. 8. Claudius Deodatus lib. 3. Panthei cap. 17. & alii. Adjunge quoque Carol. Pisonem de morbis ex sero pag. 61.*

VII. Etsi enim vomitus respectu status naturalis, videatur evacuatio præter naturam: nihilominus fieri potest, ut ejusmodi remedium in statu morboso Naturæ maximè conveniens esse queat, cum rectissimè per ea loca fiat evacuatio in morbis, ad quæ ipsa morbifica materia suâ naturâ vergere videtur, ut habet *Hip. l. 1. Aph. 21.*

Adjungantur hîc illa, quæ proponit *Angelus Sala statim sub initium Hemetologiæ cap. 1.* de utilitate vomitoriorum ex *Hippocrate, Avicenna, Arnoldo de villa nova, Fernelio & Quercetano*, quibus hæc assertio plurimùm confirmatur.

## QUÆSTIO II.

*An caput ex ebrietate gravatum reiteratâ ebrietate curandum?*

*Ebrietas noxia.*

I. Inter plurima sat execranda mala, non immeritò numeratur etiam ebrietas, κραιπάλη Hippocrati dicta; quæ non tantùm individuo plurimum adfert incommodi, quemadmodum videre licet in *Avicennæ 3. 1. doctr. 2. cap. 8.* ubi varia morborum genera ex eadem deducit; sed etiam speciei propagationem reddit deteriorem, quia nihil magis genitale semen infrigidat quàm crapula; teste *Galeno lib. 11. de Usu part.* quam ob causam *Macrobius lib. 7. Saturnal.* per temulentiam maritorum malè morigeros liberos generari statuit. Quod etiam *Plato 6. de legibus* innuit, dum ebrium quasi mente captum ad prolem ferendam ineptum dicit.

*Ulterior Ebrietatis detestatio.*

Ebrietatem (*inquit Cœlius Rhodiginus lib. 28. L. A. cap. 30.*) celeberrimi è nostris Autoribus esse voluntariam dixere insaniam: sed ita etiamnum, ut si in plures paulò extendatur dies, habitus is etiam manifestarius evadat furor. Mirum tamen est, quam multi mortalium in hanc fœditatis (ut sic dixerim) coloniam transscribendi passim nomina dent. Affluunt

fluunt hinc indè agminatim non pullati solùm ac ex trivio, sed terrarum quoque principes; & quos non irruentes hostium numerosi exercitus, nec volantia tela, aut à machina vasta mole, & ruinis propulsa saxa, excussave contrivêre; fœda vini desideria dejecêre in imum, & velut captos jure belli ante triumphales currus duxêre catenatos. Hæc ille, cum quibus jungantur, quæ refert *Quercet. in Diæt. Polyhist. cap.* 8. *& quæ ex Platone, Plutarcho, & aliis adducit Casp. Hofmann. in Comm. ad Gal. de Usu part. lib.* 11. *cap.* 10. legantur insuper illa, quæ collegit de hac materia *Claud. Deodatus lib.* 2. *Panthei cap.* 17. & etiam *D. Basilius tom.* 1. *serm. de Ebrietate, mihi pag.* 331. *& D. Bernhardus lib. de modo bene vivendi, serm.* 25. *mihi pag.* 1302. *& D. Ambrosius lib. de Helia cap.* 16. *mihi pag.* 1132. *& D. Ioh. Damasc. lib.* 2. *parall. cap.* 87. *mihi pag.* 112.

*Potatorum remedium reiterata crapula.* II. Præter alia verò mala subsequentia primum esse solet, quod post ebrietatem potatores capitis dolore plerumque cum nausea & languore apprehendantur. Communissimum hîc multorum remedium est, ut matutino tempore post hesternam crapulam eandem cantilenam repetant, atque ita seipsos à dispositione præter naturam liberare videntur. Hinc etiam Salernitana Schola, hisce versiculis idem innuit:

*Si nocturna tibi noceat potatio vini,*
*Hora matutina rebibas, & erit medicina.*

*Limitationes.* *Arnoldus de Villa nova* addit documentum hoc scholæ Salernitanæ locum non habere, quando ebrietas calefactionem corporis induxit, quia tunc temporis vini reiteratio sit ignem igni addere. Si verò, pergit, homo incurrat ebrietatem cum aliqua nausea, tunc de mane bonum est sumere vinum, quia ex sumptione vini de facili tunc provocatur vomitus, ex quo sequitur mundificatio stomachi, qua mundificatione factâ de facili cessat nocumentum ebrietatis & nausea, &c. Si etiam potatione vini nocturna lædatur aliquis propter inconsuetudinem potandi vinum, tunc de mane potest concedi vinum, ne assuescat, & sic minus læditur à sumptione vini: à consueto enim minor fit læsio, &c. *Hollerius de Morb. intern. lib.* 1. *cap.* 3. vini noxam reiteratâ potione solvi statuit, nimirum quatenus noxam vini qualitate calefaciendi & exiccandi vinum consumit. Quâ ratione vapores crassi disperguntur, ut habet *Frambessarius lib.* 2. *can. dist.* 3. *consult.* 8. eo modo, quo dolores oculorum indè ortos meracâ potione discuti scripsit Hippocrates.

III. Quæritur jam, an non præsens remedium sit contra commune curationis medicæ fundamentum, cum contrariorum contraria debeant esse remedia, ut habet *Galenus lib.* 9. *M. m. cap.* 15. & alibi. Imò ipse *Hipp. lib.* 1. *Aph.* 3. expresse innuit, repletionem inanitione curari.

*Resolutio quæstionis.* IV. Pro resolutione problematis respondemus; quod sit distinguendum inter ea, quæ fiunt per accidens, & inter ea quæ fiunt per se: ipsa enim repletio repletionem antecedentem non curat, quatenus repletio, se prout facultatem atque calorem nativum excitat, qui postmodum materiam morbificam illic latentem consumit ac dispergit.

V. Imò *Forestus* addit *lib.* 9. *obs.* 28. quod post ebrietatem, ubi vacuus est venter, & tamen à vaporibus dolor commovetur, non sine ratione remedium hoc concedatur, quia indè vapores crassi disperguntur eo modo, quo oculorum dolores ortos ex iis meracâ vini portione curari dixit Hippocrates.

VI. Verùm non necessariò in hoc remedio justo modo usurpando, ventriculus vacuus esse debet: constat enim vinum immodicè sumptum, ipso Galeno attestante 3. *de Sympt.* causis *cap.* 3. cruditatis causam esse, quatenus crudos generat humores: hi postea in ventriculi cavitate relicti, in ipsas tunicas sese insinuant, & nauseam atque dolorem capitis ex consensu producunt, donec rursus aliud assumatur alimentum, cum quo commiscentur, & ita calore nativo excitato simul alterantur & concoquuntur.

*Quomodo quæstionis affirmativa concedatur?* VII. Quod autem hic de iteranda potatione concedimus, id solùm de modica intellectum volumus: aliâs facultate naturali magis debilitata pejus quippiam expectandum esse.

*An singulis mensibus conveniat vomitus?* VIII. Atque hoc modo patet, quam ob causam pluribus optimè conveniat post crapulam hesternam, Bacchi festivitatem summo mane quodam modo redintegrare: quamvis idem alii eo fine suadeant, ut eo citius postera die vomitus excitetur, cujus causa singulis mensibus ebrietatem sanitati conferre statuunt: *Avicenna citat. loco & fen.* 34. *part.* 2. *cant. Rhases lib.* 4. *c.* 5. *Item Dioscor. c.* 5. *lib.* 5. contra quos hac in parte pugnant *Valescus Tarantanus lib.* 2. *Philon. cap.* 14. *Gord. lib.* 2. *de conf. vita humana cap.* 21. *Placentinus lib.* 1. *cap.* 8. *de morbis curandis*: quia melior est alius præservandi modus, propter pericula, quæ ex ebrietate nimia oriuntur. *Negatur.*

*Confirmatur Negativa.* Mirari verò plurimum fateor (inquit *Cæl. Rhodiginus lib.* 28. *L. A. cap.* 23.) in vinolentiæ pragmatis ista Medicæ Scientiæ peritorum imprimis quorundam non sine cunctatione proferendam sententiam: quippe 1. *Can.* scribit *Avicenna*, Malum esse utique frequentem Ebrietatem, quod hepatis indè ac cerebri vitietur constitutio, imbecilliores fiant nervi, undè tremor & convulsio inoriatur, & paralysis: sed & Apoplexia, obstipatis spirituum animalium meatibus, humectatâ cerebri potestate auctius redundante. Cæterum inquit, quibusdam visum, si mense bis aut semel modò admittatur Ebrietas, insigne sentiri emolumentum, quod somni profundioris ratione, virtutibus animalibus allevamentum inducatur & quies: item proliciatur sudor, ac quæ superfluunt, resolvantur. *Limitatio.* Adde quod *Almansoris* 4. *Rhases* duplicem in mense comprobat etiamnum ebrietatem, cui in *Canticis* adjicere calculum agnoscitur *Avicenna*, quanquam simplex ei arridet amplius: quam tamen illius Interpres *Averrhoës* egregiè improbat. Nam etiamsi Galeni astipulatu, innato calori insigniter congruit vinum, cujus

cujus ratione in eo statuitur gradu, quem cum igne oleum habet, ac lumine: tamen utriusque redundantia superfluens utrumque adobruit ac restinguit. *Avicennæ Interpres alter*, benè doctus, & velut exundans fluentum simplicem in mense, verùm levem, modicamque vinolentiam ferri posse, ait, ut quæ corporibus haudquaquam sit inutilis, quæque ingentibus poculis ingenium omne non ingurgitet. Sed & singularis Philosophus *Plato* liberaliorem aliquando vini usum approbasse videtur 1. de legibus; sic enim retegi facilius hominum mores putat. Quin *Seneca* quoque ille Stoico supercilio mirè gravis, nonnunquam (inquit) & usque ad Ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas, &c. Conjunge *Andream Gratiolum in Scholiis ad lib. 1. Avicen. mihi pag. 325. & seqq.*

## QUÆSTIO III.

### *An in vertigine vena secanda?*

*Vertigo quid.*

I. VErtigo Latinis, vel à vergendo, quod in ea hinc & indè omnia vergere & circumvolvi videantur, vel à vertice, quod circa locum illum accidat, secundum *Gentilem* referente *Matth. de gradibus 1. part. com. 9. Almansf. cap. 2. dicitur, Græcis* δῖνος, est affectus in quo Phantasia decipitur, ita ut res quieta converti videatur, plerumque cum læsione visus & motricis facultatis accidens, cujus causa est inordinatus spirituum animalium motus à flatulentis vaporibus cerebrum afficientibus proveniens.

*Undè dicatur.*

Græcis δῖνος dicitur, quasi δίνη, vortex, gurges, turbo, gyrus: Hippocrati ἴλιγγος, apud quem ἰλλαίνειν, est oculos perverti, à dictione ἴλλος, quod est oculus apud Iones, *autore Polluce*, aut ab ἰλλω, hoc est, volvo, ut habet *Heurnius de morb. capitis cap. 20.*

*Declaratur essentia morbi.*

Dicitur affectus in quo *phantasia* decipitur, quia imaginatio semper, & potissimùm læditur in omni vertigine: *non sensus communis*, quia is tantùm circa præsentes species externorum sensuum occupatur, ubi phantasia feriantibus etiam sensibus externis operatur, quâ ratione vertiginosi sæpius etiam clausis oculis nihilominus omnia in gyrum agi putant: *non visus*, quia corporis circumgyratio, tùm etiam interni vapores in tenebris oculis clausis interdum vertiginem excitant (qua ratione *Amatus cent. 7. cur. 81.* anno 1560. plures in cubili jacentes affectionem hanc passos esse scribit) falsam autem hanc imaginationem intellectus dijudicat, qui per hanc phantasiæ læsionem non prorsus depravatur.

*An vertigo sit visivæ facultatis symptoma? Negatur.*

Quanquam autem *Curtius Marinel. lib. 1. de morbis Nob. animæ facultatis organa obsidentibus cap. 14.* contrarius hic sit, & ex *Hippocrate atque Galeno*, tùm etiam ex aliis Antiquioribus in operis appendice demonstrare conetur, non phantasiæ, sed potius visivæ facultatis hoc esse symptoma: non tamen video, quid contra dictam assertionem obtinere queat: quanquam enim cum læsione visus vertiginem fieri concedamus, quod omnes autoritates ab eodem adductæ comprobant, non tamen sequitur idipsum pro ratione visus tantùm fieri. Verba ipsius hoc modo sese habent: nos ab ipso cerebro ad oculum deferri arbitramur, (vapores) qui à tunicis humores ambientibus detenti retrocedere tentant; sed quoniam exitum non habent, in orbem vertuntur, qui si ad aures feruntur, tinnitum ac sibilum etiam procurant; cognovit Galenus interdum vaporem à cerebro ad oculos deferri, *lib. 4. de L. A. cap. 2.* dicens; cùm in cerebro biliosus succus abundat, is afficitur perindè, ac si ad ignem torreretur, oriturque tùm fumus, veluti in lucernis ab oleo, qui per vasa, quæ ad oculos tendunt, delapsus, visorum in ipsis causa censetur. Præterea exemplo sit nobis, ægritudo illa oculorum, quæ ab Arabibus Imaginatio appellatur, & à Græcis initium suffusionis, in qua quidem ob oculos multa versantur, & ita interdum decipitur imaginatio ab objectis visibilibus ab oculo illis oblatis, ut ægrotantes volitantes muscas ab oculo infirmo falsò visas venentur, vel alia similia manibus ab oculis tentent auferre atque delere, quæ cum munera imaginationis existant, Arabes nomen hoc imposuerunt tali passioni Imaginationem: tali modo loquendi usus est etiam *Galenus, ubi de auditu lib. sympt. caus. cap. 4.* inquiens; aut ubi sonum aures percipiunt, nullâ re forinsecus obstrepante, sed ipsa circa membranas motione phantasma transmittente: Phantasma enim non singulari sensui attribuitur, sed alicui potentiæ internæ, ut imaginationi. Dicamus igitur à vapore, qui ab infernis partibus ad caput & oculos sit delatus, vel ibi genitus, & in oculis detentus, circulariter unà cum spiritu commoveri, & cum Idolis rerum, quæ ad imaginationem delatæ, ipsum decipiunt, & depravant, per accidens tamen. Nec obstat, inquit, si per aliquod temporis spatium breve oculis clausis infirmus vertiginoso affectu conflictetur: nam peroptimè, ut reliquit scriptum Avicenna, manent in spiritu species rerum visibilium per aliquod tempus, &c. Sic etiam irridendos illos arbitratur, infirmos tempore noctis lumine absente, & oculis clausis in cubili jacentes vertigine corripi, quod ignorent hanc solùm oculorum esse passionem, &c. His omnibus non aliud probat Autor, quam quod in vertigine visus semper afficiatur: cum autem Medicus artifex sit, ea propter, quod suadente ratione, & experientia juvante, causam symptomatis tanquam morbum aggrediatur, idcircò vertiginem non primò visus instrumento, sed potius interiori cerebri parti tribuit, utpote cum levetur hoc malum iis, quibus vaporosi spiritus inordinatus motus in cerebro corrigitur. Conjunge *Mercurialem lib. 1. Pract. cap. 11.*

*Quomodo vertigo differat à Scotomia.*

II. Differt à Scotomia, propterea quod hæc sit vertigo, cui aliud accidens superadditur, nimirum visus repentina obtenebratio, quod essentialiter in vertigine non requiritur, ut rectè notant, *Mat. de grad. citato loco, Forestius lib. 1. obs. 43. Altimarus in arte medica cap. 17. Rondeletius cap. 14. Hollerius*

lib. 1.

*lib.* 1. *pract. cap.* 5. & alii. Nam quamvis inter dictos affectus quædam sit cognatio, non tamen penitus identitate conveniunt, ut ex *Galen. & Hipp.* colligi potest, undè minus rectè plurimi vertiginem & Scotomiam pro uno & eodem habent, inter quos est etiam *Fuchsius lib.* 1. *Meth. cap.* 19.

Rectè distinguitur σκότωμα à vertigine, quia non omnis vertigo fit cum obtenebratione: quatenus enim σκότωμα est cum circumgyratione, eatenus etiam differt ab eodem ὑπόχυμα, impropriè quidem sic dictum, quod accidit, quando fumis calidis ascendentibus in Causo, Phrenitide, Crisi instante, vel aliter visus aliquandiu, sed absque Vertigine, obtenebratur. *Sennertus lib.* 1. *Prax. part.* 2. *cap.* 1.

*Negativa quæstionis proponitur.* III. Hic oritur dubium, *num in hoc affectu venæsectio conveniat?* Negativa videtur probabilis, propterea, quod hîc morbus oriatur ex vaporosis, & spirituosis exhalationibus, Palladis arcem obnubilantibus, ut patet ex *Galeno lib.* 3. *de loc. aff. cap.* 8. *& lib.* 3. *aph. comm.* 31. ubi innuit, vertigines fieri propter inordinatum motum vaporosi spiritus in cerebro contenti. Idem post *Galenum* statuit *Avicenna lib.* 3. *fen.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *Aëtius tetrabibl.* 2. *serm. cap.* 7. *Altimarus citato loco*, & alii.

*Vertigo phantasiæ symptoma.* Vertiginis enim natura (*inquit Ranchinus tract. de Morb. subitaneis cap.* 3.) consistit potissimùm in falsâ imaginatione Phantasiæ, cui in gyrum verti ac circumrotari videntur exteriora, licet immota, cujus Symptomatis causa sit turbulentus motus spiritus animalis, à flatulenta aura agitatus, ut dum bombus & echo in auribus accidit, ubi læsionem imaginationis, tùm sensus, tùm motus læsionem sequi dicit, potissimùm oculorum, in quibus viget vertigo, dum spiritus visorii in orbem rotati in cerebro transmittuntur per nervos in pupillam; motus verò, cum cadunt vertiginosi ex confusione spirituum, à quorum distributione facultas motrix impeditur. Hinc ergò non tantùm ex accidenti motus hîc læditur, ut quidam statuunt, quasi propter caligantes oculos & objectorum apparentem rotationem non habeat æger, ubi gressum figat, sed per sese, contagione posticæ partis cerebri, ut loquitur *Heurnius de Morb. Capitis cap.* 20. propter conniventiam sinuum cerebri concurrentem, qui definit vertiginem, quod sit facultatis Phantasticæ nova actio, affecta cernendi vi, oculisque caligine offusis, non sine lapsus periculo, orta à conniventibus cerebri anticis sinubus. Hoc modo patet etiam, cur ebriis cuncta admodum vertiginosa, id est, ἄγαν στροφόμενα ingerere sese videantur? fortè quoniam haustu meri uberiore exhalatio progignitur, multa evaporantis, scandentisque ad cerebrum spiritus, à quo universum concutiatur cerebrum ac circumvertatur, undè vertiginibus caligant, id est, ἰλιγγιῶσι σκοτοδινιῶντες, ut habet *Cæl. Rhodiginus lib.* 28. *L. A. cap.* 33.

*Specifica natura proximæ causæ vertiginis.* IV. Imò consentit etiam *Quercetanus*, qui thesin hanc dogmaticorum, in Tetrade *cap.* 11. approbat & ulterius demonstrat, ejusmodi halitus vertiginem producentes ex resinosis tartareis & sulphereis contentis exhalare, tincturam nigræ fuliginis continentes sine acrimonia, propterea quod naturam salium nullam possideant, eaque ratione fieri, ut nullos in vertigine dolores inferant, quos tamen in hemicraniis, cephaleis, deliriis & ardentibus febribus, ob fumos ex salibus expirantes, vehementissimè plerumque adesse videamus.

*Causa Vertiginis ex Hermeticis.* *Hermetici* generationis vertiginis modum eundem ferè cum Epilepsiâ statuunt, hoc tamen discrimine, quod monet *Petræus in Nosolog. part.* 1. *Disp.* 6. *parag.* 17. nebulosas videlicet exhalationes, quæ Vertigines inducunt, minus acrimoniæ & malignitatis obtinere, quam radices Epilepticæ, siquidem ex unctuosiore, magisque sulphureâ sanguinis substantiâ, vel excrementis quidem tartareis in ventriculo, vel alio viscere contentis, magnâ acrimoniâ carentibus, sed nigram quandam fuliginem ad obnubilandos spiritus, eosque subagitandos & suffocandos admodum efficacem, secum vehentibus, proficiscuntur, ut ita non multum à *Galeno, Oribasio & Avicenna*, aliisque dogmaticis discrepent, qui omnes vertiginum causas ad halituosos, vaporosos, spirituosósque fumos referunt.

*Confirmatio Negativa.* V. At verò ejusmodi vaporosa & halituosa substantia per venæsectionem non evacuatur, propterea quod hæc potius in abundantia sanguinis, vel respectu totius in plethora, vel respectu partis cujusdam, in derivatione & revulsione, conveniat.

Confirmatur hîc negativa quæstionis pars, ea propter, quod consideratâ causâ proximâ Vertiginis, potius opus sit iis, quæ flatus consumunt, eorumque generationem præcavent, quâ ratione semen Carui, vino maceratum & exiccatum, per dies aliquot vesperi ante somnum ℥ß. quantitate diu masticatum commendatur, ut etiam Elixir proprietatis, cum aquæ Fœniculi, vel Carui, gut. v. vel vj. sumptum; sal itidem Margaritarum, sal succini, & alia appropriata, quæ videas *infrà in hoc Tomo* 3. *Lib.* 2. *de tuenda San. Literat. cap.* 1. *in Additionibus*. Verùm hæc sunt facienda, & illa non omittenda, sicut patebit in sequentibus.

*Decisio quæstionis.* VI. Sed pro quæstionis decisione notandum, quod in curatione vertiginis interdum ad causam antecedentem, quæ continuitate quâdam conjunctam fovet, respiciendum sit: quâ ratione præter alia remedia venæsectio quoque præscribitur ab *Aëtio loco citato*, sive principium fuerit affectionis, sive tempus jam progressum fuerit, dummodo vires ferant, nihilque reluctetur, tum potissimum, ubi materia sanguinea & calida fumosis exhalationibus vertiginem excitantibus præbet originem.

*Quomodo V. S. conveniat?* Venæsectionem in Vertiginosis *Galenus* etiam approbat *lib. de Curat. per venæsect. cap.* 10. idque eâ ratione, sicut dictum fuit, cum aliàs, ubi humores à sanguinis natura multum recedunt, ab eâdem sit abstinendum, ut monet *Mercurialis citato loco.* Notetur ergò limitatio ulterior, quam ponit *Heurnius*;

*nius*: si, inquit, solemnis excretio tardat, malum verò increscit, ut in sudorum & sanguinis suppressione è vena cubiti sanguis emittatur, non autem hoc ages, ubi à frigore malum profertur, sed ubi plethora adest, acerbo in malo, & ætate firma secetur vena, inquit Aëtius, ex Archigenis sententia, non unicâ vice, ne subsidant sinus. Exemplum successus felicis in vertigine diutius affligente per venæsectionem curatam superiori Autumno habuimus in cive quodam primario, constitutionis aliàs calidæ siccæ, sed capitis debilioris, qui per dies aliquot gravi vertigine laborans, ob sanguinem vaporosum ac fumosum, præmissa lenitiva purgatione, frustrà multis Cephalicis adhibitis appropriatis, tandem unica brachii venæsectione tentatâ, protinus à symptomate continuo affligente liberatus fuit.

*Obser.*

*De Arteriotomia in Vertigine.*

VII. Imò *Paulus Ægineta lib.* 3. *de re medica, cap.* 12. *& lib.* 6. *cap.* 4. arteriarum quoque sectionem circa aures commendat, quando videlicet, calidiores exhalationes, mediantibus arteriis confertim ad cerebrum elevantur, cujus remedii loco cauterium hodiè rectius, sive actuale sive potentiale circa futuram coronalem commendatur.

*Cautelæ in Arteriotomia.*

Arteriotomiæ mentionem quoque facit *Galenus lib.* 3. *de l. aff. cap.* 8. ubi in Vertigine nonnullos ab arteriarum sectione præsidium petiisse dicit, addendo tamen, non omnes hujus beneficio fuisse curatos, propterea quod præter arterias istas externas, internæ ex ipsius cerebri basi per retiformem plexum ascendentes in causa esse possint. *lib.* 6. *de tuenda san. cap.* 9. inquit: sunt capita, quæ propter arteriarum temperamentum in Vertigines & capitis dolores incidunt, in quibus arterias incidere solemus. *Galenum* sequitur *Paulus* citato loco, & alii *Græcorum* & *Arabum*, quibus addantur etiam recentiores, ut *Fernelius lib.* 2. *Meth. Med. cap.* 18. *Mercatus lib.* 1. *de recto præsid. usu cap.* 4. *Heurnius de morbis capit.* cujus verba limitata lubet adscribere: Galenus & Paulus, inquit, Arteriotomiæ meminêre: secantur eo loco circa aures & frontem, ubi calor, tensio & tumor arteriæ: alioquin si hæc absint, nolite secare: nam cum per carotidas internas sese offert vapor, frustrà externas ferietis, &c.

*Cur rarior sit Arteriotomia?*

Hæc arteriotomia rarius modernis in usu est, tàm quod secandi ratio chirurgis incognita, quàm etiam, quod hæmorrhagia vehementior, & consolidatio difficilior timenda, nec rarò periculosum ἀνεύρυσμα subsequi soleat, quod innuit etiam *Fr. Peccettus lib.* 6. *Chirurg. cap.* 14. de quo vide *Tom.* 2. *lib.* 9. *Observ.* 1. *pag.* 430. Pluribus eandem arteriotomiam dissuadere conatur *Philot. Elianus de Morb. capit. tract.* 15. *cap.* 10. Sed obviam it his difficultatibus *Paræus lib.* 16. *Chirurg. cap.* 5. qui arteriam temporalem in gravissimâ hemicraniâ phlebotomo secat, magno cum successu, & addit opinionem priorem esse hominum, omnia tuta timentium: addit autem, deligationem aptam fieri debere, per totum quatriduum plagulis, ut decet, appositis. Idem etiam pluribus confirmat *Prosper Alpinus lib.* 2. *de Med. Ægypt. cap.* 11. ubi dicit: Ægyptiis sanguinis vacuationem per sectas arterias, non minus, quàm per venas familiarissimam esse, ac pro tutissimo auxilio, divinoque secreto ad diuturnas oculorum ὀφθαλμίας, nec non ad capitis, viscerumque multorum antiquos, diuturnosque dolores haberi. Modum sectionis per phlebotomum fieri dicit, ubi postea sectioni arteriæ, probè imprimis unitæ digitis, frustum æris planum, rotundum & crassum superponunt, ipsumque validè ei annectunt, & fortiter ligant, ut validè arteriam comprimat, atque ejus pulsui validè obsistat, ne vulnus rursum aperiatur: Rationem addit sequenti capite, nimirum applicationem ænei denarii supra vulnus arteriæ propterea fieri, quò & frigiditate, & duritie, pulsus, arteriæ motus, cohibeatur, atque ne valido pulsu vulnus percutiatur, & rursum dilatetur, &c. Conjungatur nobis ὁμόψηφος *Marcellus Donatus de hist. Med. Mirabili lib.* 2. *cap.* 2. ubi in Apoplecticis Plethoricis Arteriotomiam commendat. Assertioni huic experientia convicti subscribimus, quia testatur experientia, quod arteria quoque sine damno secari & consolidari possit, quemadmodum accidit Chirurgis, ut non rarò loco venæ propinquam arteriam incidant, ubi recordor mox, justo modo adhibitis adhibendis, ritè consolidationem factam fuisse, quod etiam testatur casus singularis, quem adscribere volui: Vir juvenis, constitutione corporis calidus & siccus, ad adustos humores pronus, ante biennium incidebat in febrem ardentem, cum insigni dolore capitis: præmisso lenitivo, venæsectionem instituo, ubi chirurgus præter intentionem loco Medianæ secat arteriam vicinam: quanquam autem tàm ex calore sanguinis, quàm ex motu effusionis idipsum deprehenderem, emisi tamen nihilominus, cum εὐφορίαν viderem, ad ℥v. sanguinis arterialis rubicundissimi, calidissimi, & quasi spumantis; mox deligato vulnere cum cataplasmate repellente & exsiccante, ex bolo rad. symphyti, rosis, &c. quibus non tantùm ritè coaluit vulnusculum, sed protinus, miraculi instar, febris continua cum Cephalæa expugnata fuit. Cæterùm addimus, quod hujus arteriotomiæ loco Cauterium hodiè commendetur, ut videre licet apud *Rondeletium Meth. Cur. cap.* 14. dum inquit: pro ultimo remedio fit sectio arteriarum, quæ sunt retrò pòst aures; verùm quia pauci sunt chirurgi exercitati in earum sectione, satius erit, id omninò non tentare, loco cujus applicetur cauterium actuale in media parte capitis, propè futuras: si ignem refugiant, applicetur potentiale. Habet hoc, inquit *Forestus lib.* 10. *observ.* 45. *in Scholio ab Alexandro Veronensi Medico doctissimo*, qui in longis vertiginibus in medio syncipitis, quod βρέγμα vocant Græci, ubi futurarum compitum efficitur: hoc, inquiens, inurere summum remedium est, quo caliginosus vapor & humor pestifer educitur. Idem approbat *Nic. Piso lib.* 1. *Cur. Mor. cap.* 9. qui loco Arteriotomiæ,

*Quomodo procedendum in Arteriotomia.*

*Observatio.*

tomiæ, Veſicatorium ex Cantharidibus poſt aures, & actuale Cauterium in media capitis parte propè ſuturam ſuadet; *Heurnius* ſimiliter citato loco tandem ad Cauteria eundum eſſe pronunciat, & vel inter ſecundam, & tertiam vertebram, vel ſuturæ coronali imprimenda ſtatuit.

*Vertiginoſis per vices ſanguis mittitur.* VIII. Prout igitur per venæſectionem fomes mali ſæpius evacuari, vel ſaltem è cerebro revelli poteſt, eatenus ſanguinis miſſio tentanda eſt, hâc tamen cautione, quod monet *Altimarus poſt Damaſcenum lib. 3. cap. 13.* de cura vertiginis, ne confertim & ἀθρόως fiat evacuatio, ſed ſenſim & per vices, propterea quod ex levi occaſione ejuſmodi ægri concidant. Imò & caput oxyrrhodino tempore venæſectionis, non ſine cauſa defendendum eſſe, judicat *Aëtius*.

## QUÆSTIO IV.

*An in phrenitide repellentia actu frigida ſint adhibenda?*

*Intellectio inorganica.* I. Quamvis anima rationalis in propriâ ſuâ operatione non utatur organo corporeo, quod *Ariſt. lib. 3. de anima, t.* 4. innuit: nihilominus tamen ſine cooperantibus facultatibus ſubordinatis organicis in hâc vitâ non intelligit, unde *idem Philoſophus eodem lib. t.* 139. inquit eos qui nihil ſentiunt, nihil quoque diſcere & intelligere poſſe, propterea quod is, qui contemplatur aliquid, neceſſariò phantaſma quoddam ſimul concipiat.

*Quod intellectus non utatur organo.* Pluribus quæſtionem hanc, quod intellectus in Intelligendo non pendeat à Corpore, deduximus *Tom. 1. Diſp. 3. Coron. 2. Ex. 11. qu. 1. pag.* 219. quibus adde *Themiſtium in Paraphraſi lib. 3. de Anima cap.* 17. ubi inquit: diſſentaneum ſit, putare, intellectum confundi aut admiſceri cum corpore, quia corpus ſit oportet, quod cum corpore admiſcetur: *& paulo poſt*: Cæterùm neque utitur corpore, ut inſtrumento, quemadmodum ſenſus utuntur, alioquin afficeretur qualitatibus & affectionibus inſtrumenti, quæ quod ſemper hærerent, conjunctæque cum actionibus ejus omnibus haberentur, impedimento eſſent, ne reliqua genera conciperet. Hinc *Fortun. Licetus lib. 1. de Ortu an. cap.* 54. corpus hoc menti impedimento potius, quam adjumento, ad intelligendum eſſe dicit in hâc vitâ. *Ludovicus Buccaferreus in lib. 3. de An. lect.* 17. Intellectum ex ſententia Ariſtotelis immixtum eſſe ait duplici ratione; primò quod non ſit corpus: ſecundò, quod non ſit virtus in corpore. Probat primò, quod non ſit corpus: quia corpus qualitate affectum ſit, quam intellectus non recipit; nec etiam virtus ejus, quia virtus in corpore non poteſt apprehendere qualitates ſuas; neque ſimiles ei, quia æquè calidum non ſentimus, ſed intellectus potentiæ omnia intelligit, &c. Hinc *Aug. Niphus lib. 3. de Intellectu cap.* 23. ſub finem aſſerit, rationalem animam per accidens impediri à corpore, quanquam per ſe juvetur, cum mediante corpore phantaſtetur, & diſponatur pro intellectione. Hinc *Ioh. Grammaticus, dictus Philoponus, lib. 3. de an. in tex.* 36. ſi vis, inquit, intellectum omnia intelligere, cum à materia impermixtum præſupponere oportet. Conjunge *D. Thomam in lib. 3. de an. Tract. 3. cap.* 6. ubi probatur, quod ſicuti ſenſus non poteſt ſentire ſine ſenſibili, ſic etiam Intellectus non poteſt abſque phantaſmate intelligere: *Item D. Claudian. Mamertum lib. 1. de ſtatu Animæ: Item Ioh. Eccium in addit. ad lib. 3. de An. cap. 1. mihi pag. 42. Item Iul. Caſtell. de Intell. humano lib. 1. cap. 3. contra Simplicium, & Iacobum Carpent. l. 4. Vniverſæ Naturæ cap.* 11.

*Vndè diverſitas ingeniorum. Vndè deliria.* II. Quatenus igitur facultates ſubordinatæ, cum intellectione noſtra reſpectu operationis concurrunt, eatenus accidit ut unus altero melior ſit in intelligendo & ratiocinando. Imò hæc etiam cauſa eſt cur intellectûs operatio interdum in nobis omninò depravetur, quod in variis deliriis apparet, non ſolùm hominibus, ſed etiam brutis interdum accidentibus, ut patet in Equis, canibus, lupis, aliiſque feris in rabiem actis, nobiſcum non intellectione, ſed ſenſitiva tantùm cognitione ſubordinatâ, convenientibus, quod contra quoſdam pulchrè demonſtravimus *Tom. 1. Diſp. 3. Coron. 2. Exerc. 9. quæſt. 5. pag.* 269.

Conjungantur hîc illa, quæ præter *citat. locum ex Tom. 1. Diſp. 3. Coron. 2.* proponuntur à nobis *infrà lib. 2. de tuenda ſan. literat. cap.* 1. quibus ſubſcribit etiam *Nicol. Bieſius lib. 1. Theoret. Med. pag.* 26. dum inquit: Conſtat autem inſtrumenta temperatiſſima functionibus animæ maximè ſervire, &, cum calore moderato fruatur humanum corpus, iis frigus vel plurimum adverſari, præcipuè verò memoriam hoc delet: torpidum enim cerebrum reddit, & animæ motum in phantaſiam ultro, citròque prohibet: prohibet etiam ſenſilium motum in phantaſiam. Idem etiam innuit *Salvus Sclanus in Com. Artis Med. Galeni, lib. 2. tex.* 23. ubi repetit ex *Platonis Timæo*, quod anima noſtra à principio ſit in corpore tanquam in quodam amne ſeu fluvio immerſa, &c. *Calixtus Neapolitanus de triplici Animæ ſtatu, lib. 2. part. 1. cap.* 29. Phreniticos non intelligere dicit, quod licet ſint ibi ſpecies indelebiles, non tamen moveant intellectum, & hoc propter indiſpoſitionem in parte ſenſitiva, præſertim interiori. Diximus autem *calidam cerebri cum inflammatione membranarum ejus Phrenitidis cauſam eſſe*, quia neceſſarium eſt, ut Organum Intellectioni ſubordinatis facultatibus inſerviens afficiatur, quale eſt ipſum cerebrum, ubi tamen non neceſſarium eſt, ut illud ſemper inflammetur, quia ſatis eſt, ſi à vicinis menbranis inflammatis continuò incaleſcat, quod innuit prædictus Autor, concedendo, juxta mentem Galeni, quod Phrenitis non tantùm ex calidis ſuccis, in cerebro coacervatis, ſed etiam ab excitato phlegmone in cerebro & ejus involucris, atque à ſola intemperie calida abſque humore, primigenia affectione generari poſſit. *Quomodo Inflammatio Phrenitidis cauſa.* *Alex. Maſſ. lib. 1. Pract. cap.* 11. Phreniticè inflãmationem cere-

cerebri & membranarum ejus ex calidis & mordacibus humoribus, definit, quò etiam inclinat *Philotheus Elianus de Morb. capit. tract.* 3. dum inquit: non te turbet, quod *Posodonius* apud *Aëtium* & Arabum plerique Phrenitim membranarum cerebri inflammationem dicunt, non cerebri ipsius: verum enim est, quod sicuti Lethargus pituitosi humoris soboles ex ipso potius cerebro gignitur; sic Phrenitis biliosi, præcipuè ex tenui meninge, cujus sententiæ Autorem habes *Gal. lib. 5. de caus. puls. c.* 24. Biliosa itaque inflammatio in cerebro infrequentius, frequentius in tenui meninge generationem obtinet: at sive in cerebro, sive in Meningibus primitiva sit affectio, principum functionum noxam ex cerebri noxa immediatè pendere perpetuum est: subtilis enim meningx, cerebrum amplexa, inflammationem subire non potest, nisi unà cum cerebro, & incumbentem sibi fluxionem cerebro necessariò impertitur. Ejusdem opinionis est *Curtius Marinellus lib. 1. Morb. Nobil. An. Facult. cap.* 8. ob eorum (inquit) inter se propinquitatem atque contractum semper, & involucra, & cerebrum oblæduntur. Hinc ergò mirum non est, quod *Hipp. 5. Epid. tex.* 47. recensens historiam Nerei filiæ, quæ membranarum cerebri inflammatione ex percussione laboravit, nullam delirii mentionem faciat, ubi *in Comm. refert Vallesius*, quod in capitis fracturis membranas, præcipuè duram, inflammari conspicuè, atque adeò suppurari viderit homine non delirante; quod non tantùm *ex Tom. 2. lib. 2. Observ. 3. pag. 58. & seq.* diversis historiis enarratis patet, sed hodierno quoque casu confirmatur: hodiè enim die 21. Octob. qui D. Thomæ Apostolo sacer est, Anno M. DC. XXX. miles quidam ex Croatia oriundus, ex Italico bello redux, in itinere capitis vulnere per Medum Acinacem vulneratus, ob fissuram in anteriori Cranii parte, trepanum admisit, quo ritè administrato, remotis officulis, ibidem contusis, in conspectum venit dura meningx, cum subjacente pia, copioso sanguinis fluxu inflammata, quanquam hactenus æger nihil quicquam delirii passus fuerit. Manifestum igitur, omnem Phrenitidem inflammationem membranarum præsupponere, quantumvis omnis membranarum inflammatio non semper phrenitidem introducat, nisi concurrat simul calida cerebri intemperies præter naturam, ad hanc læsionem introducendam sufficiens. Non autem negamus, totalem substantiæ cerebri inflammationem affectum Phrenitide periculosiorem efficere, de quo videatur *P. Salius Diversus de affect. part. cap.* 1.

*Observatio.*

*Phrenitis quid?*

III. Inter alias autem depravationes intellectionis nostræ, non ultima est illa, quæ phrenitis vocatur, à læsione τῶν φρενῶν, estque delirium cum febri acuta, oriens ex calida intemperie cerebri, cum inflammatione membranarum ejus, ut vult *Galenus lib. 2. de causis symptomatum cap. 7. & lib. 3. de loc. aff. cap.* 7. quem sequitur *Ægineta lib. 3. cap. 5. Alex. Trallianus lib. 1. cap.* 13.

*In Phrenitide cito succurrendum.*

IV. In hâc affectione, sive fiat ipso cerebro primariò affecto, sive per consensum, ob aliarum partium, præsertim verò septi transversi inflammationem, generetur, omni cura quàm celerrimè eò laborandum est medico, ut horrendum ejusmodi malum è corpore humano expellat, cum inter omnia bona hominibus concessa, nullum sit præstantius, quàm ratiocinatio vel intellectio, qua homo à brutis irrationalibus distinguitur, & cum puris essentiis incorporeis, quas rectè scriptura vocat angelos, ab officio, quo mandata Jehovæ perficiunt; Philosophi νόες, mentes, vel intelligentias, à præstantissima intelligendi operatione, nominant, comparatur.

Quantam prærogativam homo per Intelligentiam habeat à reliquis animalibus, patet ex *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 2. Exerc. 9. quæst. 5.* ubi ex professo demonstratur, intellectivam animam soli homini competere. Nec obstat nobis, quod *de loquela brutorum* singularem tractatum conscripserit, & intelligentiam quandam, quâ cujusque speciei animalia sibi ipsis aliquid notificare videntur, tribuerit *Hieron. Fabritius ab Aquapendente*, cum non veræ rationis, sed phantasiæ tantùm effectus in eo appareant. Conjunge *Bernardinum Paternum in Fen. 1. can. Avicennæ p.* 142. qui eodem sensu aliquid possibilis intellectus brutis concedit. Itaque (*inquit Cicero 1. de legib.*) ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ubi addit *P. Ramus*, quod in *Plutarchi Gryllo* videatur Ulyssis hoc maximum argumentum fuisse, ad confirmandam hominis supra reliquas animantes excellentiam; quanquam *Plinius lib. 8. cap.* 1. Elephantis multa tribuat: cujus generis plura enumerat homini cum brutis communia *Hieron. Wolfius in Quæst. Tusculan. ad Cic. lib. 2. sent.* 30. *Hieron. Osorius lib. 1. de Gloria pag.* 5. largitus est (inquit) Deus nobis rationem, quâ maximè à beluis distemus, & ad divinam naturam propius accedamus. Quemadmodum lux tenebris, æternum mortalibus, Dominus servis præest; (inquit *Stephanus Theupolus lib. 9. Acad. Contemplat. cap.* 4.) ita ferarum, jumentorumque gregi præstat homo; & jure quidem, cum solus mentis & rationis sit particeps, solus religionis, divinique cultus splendore fulgeat: de quo plura videas apud *Gregorium Nyssenum lib. de Homine cap. 3. 4. & 5.* Hinc rectè *Ludovicus Blosius in Inst. Spirituali cap. 6. mihi totius operis pag.* 419. Animam intentionalem hominis Cœlo, Terrâque incomparabiliter præstantiorem dicit.

*An brutis ratio tribuenda.*

V. Hanc ob causam non tantùm in phrenitide omni ingenio variis remediis, tàm pharmaceuticis, quàm chirurgicis, in extirpandâ causâ antecedente laboramus, sed insuper etiam externis auxiliis frequenter parti affectæ succurrimus, idque non tantùm, ut eidem robur conciliemus, fervidas exhalationes corrigendo ac dissipando, sed ut insuper vehementiam symptomatum, dolorem videlicet

delicet ingentem, vigilias continuas, & similia leniamus.

*Scopi Curationis in phrenitide.* In extirpandâ causâ phrenitidis protinus laborandum esse dicimus, nimirum fluentem materiam evacuando, avertendo, & attemperando: fluxam & imbibitam cerebro, ejusque membranis, evacuando, digerendo, alterando, repellendo; nec non accidentibus, vigiliæ videlicet, & aliis succurendo. Mox igitur, si vires non dehortentur, vena secanda, quia tardare in talibus malum est, aliàs liberalior, aliàs parcior, ubi postmodum, si uberior biliosæ cacochymiæ copia lacessit, purgatio ex pharmaco maximè conducit.

VI. Dubitatur, num ejusdem *generis topica medicamenta repellentia, ut sunt oxyrrhodinum rosaceum, aliaque similia tepida, vel actu frigida sint adhibenda?*

Subscribit huic assertioni *Massarias citato loco*, dum inquit: longè magis opinioni Avicennæ se consentire, qui non solùm oxyrrhodina frigido, sed etiam nive refrigerato uti docet, propterea quod cerebrum non sit tàm frigidum (quoniam *Galeno* 8. *de Usu par.* aëre æstivo calidius inveniatur) quin frigiditatem rosacei non admodum insignem perferre possit. Innuit idem *Mar. Gattinaria cap.* 7. *Prax.*

*Affirmatur quæstio.* VII. *Valescus de Taranca lib.* 1. *Philon. cap.* 13. cum Haly, *Avicenn.* & aliis actu frigida adhibenda esse censet, ita tamen, ut materia antecedens tempestivè primum sit evacuata.

*Limitatio.* Hic adde *Philotheum Elianum citato loco*; dum inquit: tametsi *Avicennas* oxyrrhodino nive refrigerato in Phrenitide utatur, *Galenum* fortè secutus, qui id exequitur in Cephalalgiâ ex ardore obortâ, sanè in Phrenitide totius est *Posidonii* consilium apud *Aëtium*, ut nempe æstate exactè tepidum, hyeme verò moderatè calidum adhibeatur: additur ratio, quod frigus meatus denset, sibi viam præpediat, humores & fuligines non discuti permittat, & membranis inimicum sit. *Franc. Hildesheim de Morb. Capit. Spicilegio* 2. *pag.* 116. hanc distinctionem adhibet, quod si materia incipiat habere raptum ad caput, debeamus uti Oxyrrhodino actu frigido, quia magis reprimat: si autem cerebrum jam affectum sit, admovebimus Oxyrrhodinum actu tepidum, ut hoc pacto consulamus ipsi cerebro.

VIII. Contra *Gerardus Cremonensis & Gilbertus Anglicus*, referente eodem *Valesco*, stuppas cannabinas, succis potentiâ frigidis imbutas cum aceto tepidè vel calidè adhibuerunt, ne vaporum prohiberetur transpiratio ratione frigiditatis, & hoc modo delirium augeretur. Idem *Altimarus de medendis morbis cap.* 6. innuit, dicens; caput autem rosaceo cum modico aceto irrigetur, æstate quidem tepidè; hyeme verò moderatè calidè, quod in cunctis aliis etiam medicamentis topicis servandum erit. Consentit iisdem verbis *Fuchsius lib.* 1. *Meth. Med. cap.* 20. *Mercurialis* quoque *lib.* 5. *pract. cap.* 15. quia cerebro inflammato, frigiditas tuta non est, sicuti neque vehemens caliditas convenit; illa meatus constringit, & discussionem excrementorum impedit: hæc verò fervorem congeminat.

IX. Sed nota quod monet *Matth. de Gradibus in lib.* 9. *Almans. cap.* 3. & post eum *Forestus lib.* 10. *observ.* 6. naturas videlicet, una cum anni tempore, vel externo aëre, considerandas esse: in naturis enim fortioribus & robustis, ubi vehemens caliditas circa caput est, adeòque phrenitis exquisita, & potissimum æstatis tempore, non tantùm virtute, sed etiam actu frigida sunt adhibenda: at verò ubi corpus debilius puerile vel senile, nec etiam tantus fervor circa caput, idque tempore hyemis, tepida potius applicanda, maximè in iis locis, ubi magis vis medicamentorum penetrare potest, nimirum circa suturas. *Per limitationes quæstio determinatur.*

X. Imò & hoc notandum, quod quædam topica per se facilè penetrent, utpote confecta ex aceto, verbena, anetho & similibus, quæ sæpius frigidè adhibita, suam nihilominus operationem perficiunt: alia sunt astringentia, ut rosæ, plantago, bolus armenus, quæ commodiùs agunt calefacta.

## QUÆSTIO V.

*An & quomodo castoreum in Lethargo conveniat?*

I. Quemadmodum somnus secundum naturam ocium animæ, viriumque debilium unicus redintegrator verissimè dicitur; Ita somnus præter naturam extinctionis nativi caloris autor, ac ferè mors ipsa est. Ut enim in illo vapores dulces ac benigni, caloris nativi beneficio excitati, cerebrum suaviter imbuunt, quibus utcunque condensatis, animales spiritus, antea mobiles ac vigiles, ob revocationem caloris influentis, subsidere incipiunt, ac suâ quiete ad reparationem virium inserviunt: ita in hoc, somno scilicet præter naturam, ob vaporosam substantiam minimè convenientem, cerebrum obruitur, & Spiritus animalis ferè suffocatur, ut animal ad sensus & motus operationes reddatur ineptissimum. *Somnus naturalis quomodo differat à præternaturali.*

Conjungantur hic ea, quæ proponuntur *à nobis Tom.* 1. *Disputat.* 3. *Coron.* 2. *Exerc.* 8. §. 8. 9. 10. & *ibidem quæst.* 6. 7. 8. 9. 10. ubi cognitâ somni naturalis ratione, non difficulter de somno p. n. judicari potest.

II. Patet hoc maximè in lethargo, quasi inertem oblivionem dicas ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργῆς, quod symptoma est diminutæ functionis principis, cum insigni dormiendi necessitate, quo qui corripiuntur omnium oblivisci, difficulter sentire, & neque vocati, neque puncti facilè excitari, mox somno vicissim opprimi solent. *Galen. lib.* 3. *de l. aff. cap.* 3. causam communiter statuunt pituitosum humorem in cerebro putrescentem, undè lethargus cum febri continua, lenta & symptomatica conjungitur. *Lethargus quid?*

De Lethargo, Veterno Lat. dicto, nota est communis Dd. assertio, quam etiam hîc proponimus: si enim

si enim pituita locum, in quo princeps anima residet, humectaverit, & ibi coacervata tumorem suscitaverit, putredine contaminata febrim, & memoriam & rationem abstulerit, ille procreabitur morbus qui Lethargus appellatur, inquit *Curtius Marinellus cit. loc. lib. 1. c. 9.* Ab hâc discedit *Fel. Platerus lib. 1. de funct. læsion. c. 2. mihi pag. 30.* qui sicut aliàs non facilè febrim ex pituita putrescente concedit, ita etiam Lethargum ex putrescente pituitâ in capite minimè fieri posse statuit, cum unum idemque sua frigiditate soporem, & caliditate febrim accendere possibile non videatur: hinc igitur innuit, quod sicuti sub initiis febrium intermittentium ex materiâ in venis meseraicis putrescente calore attenuata, & sursum ad caput delata sopor interdum accidit; ita in principiis continuarum febrium, si propter nimiam evaporationem cerebrum ità labefactatur, ut sopor gravis sequatur, Lethargum fieri, qui cum febri continua copulatus sit, & mox cum illa invadat. Hæc assertio *Sennerto lib. 1. p. 2. de Morb. capit. c. 20.* placet, dum inquit: Omninò hîc in re Platerum rectiùs, quam antiquos sensisse existimo, addit rationem, quia impossibile videtur, ut ex eadem pituita putrescente in cerebro & febris, & sopor excitetur, etenim nec humor hîc per se ad putredinem, in capite scilicet, aptus est; neque si eam concipiat, tantam concipere potest, quæ in totum corpus calorem diffundere, & cor ita labefactare possit, ut ita febris continua excitetur. Addit porro, cum febri lenta pituitosa jungi Lethargum, cui *Vidus Vidius*, & alii quoque subscribunt, concluditque tandem, verò consentaneum videri, Lethargum non à sola pituita, sed è sanguine pituitoso, seu ab inflammatione pituitosa fieri, quæ febrim lentam etiam excitare possit, quemadmodum *Capivaccius lib. 1. pract. cap. 10.* statuit, quam copiam sanguinis pituitosi putrescentis non tantum in capite, sed reliquo quoque venoso genere sat abundare testantur urinæ Lethargicorum, quæ turbidæ, jumentorum instar, redduntur.

*An Lethargus ex putrescente pituita fiat.*

III. In hoc affectu gravissimo maximè eo allaborandum, ut æger à quiete sua præternaturali excitetur, quocunque ingenio id fieri potest, sive illud ipsum præstare conetur medicus vi medicamentorum, sive etiam alio modo, quemadmodum lepidum est illud remedium, quo Lethargicus quidam avarus à tali sopore per medicum doctum & fidelem apud Horatium *lib. 2. Satyr. 3.* excitatur: hic, ut Poëta habet:

*In Lethargo quid agendum.*

*Quondam lethargo grandi est oppressus, ut hæres*
*Iam circum loculos & claves lætus, ovansque*
*Curreret; hunc Medicus multum celer atque fidelis*
*Excitat hoc pacto: Mensam poni jubet, atque*
*Effundi saccos nummorum, accedere plures*
*Ad numerandum; hominem sic erigit, addit & illud*
*Ni tua custodis, avidus jam hoc auferet hæres:*
*Men' vivo? ut vivas igitur vigila, hoc age.*

Præsupponimus hîc ea, quæ causæ ratione protinus, quo ad venæsectionem & pharmaciam sunt necessaria, de quibus videantur Practicorum libri, quando confestim operam dandam esse monent, ne materia in toto corpore redundans ad caput feratur, sed potius revellatur & evacuetur, cujus rei exemplum ante semestre nobis offerebatur in generoso quodam, annorum 50. circiter ætatis, plethorico, cum cacochymia conjuncto, qui lenta febri prehensus in Lethargum simul incidebat, ad quem vocatus, exemplo venæsectionem, mox acrem clysterem, aliquoties reiteratum, digestionem postea, nec non evacuationem, & vesicatoria propè malleolos atque carpum utrumque adhibui, non neglectis aliis, tàm febrim lentam, quàm etiam capitis phlegmaticam plenitudinem respicientibus, quorum beneficio paucis septimanis pristinæ sanitati, DEI gratia, restituebatur.

*Observatio.*

IV. Inter medicamenta, quæ in tali casu plurimum commendantur, est quoque Castoreum, quod non tantùm gravi suo odore illud ipsum præstare posse videtur, sed insuper etiam respectu virtutis admodum attenuantis & discutientis, quam eidem *Galenus lib. 11. simpl. & lib. 11. Meth. med.* attribuit, causæ morbificæ in hoc affectu plurimum adversatur: cum enim calefaciat & siccet cum partium tenuitate excellenti, ut habet *Æginetâ lib. 7. de re medica cap. 3.* Idcircò aptissimum est remedium, quo frigidi humores & vapores alterentur, & consumantur.

*Quæstionis declaratio.*

Castoreum Lethargicos, & utcunque Veterno obdormiscentes excitare *Dioscorides innuit lib. 2. c. 23.* ubi videatur *Matthiolus*, qui historiam animalis istius, cujus testes communiter castorei nomine veniunt, pluribus describit; simulque Rondeletius sententiam confirmat Castoreum à testibus Fibri differre. *Oribasius ex Ruffo Ephesio*, nullum aliud Lethargo correptis æquè utile & efficax remedium ad purgandam pituitam, quam bilis admista in caput detulit, quam Scammonium cum castoreo exhibitum pronunciat, quâ ratione *Trallianus* Scammonii ℈j. castorei ℈ij. in oxymelite propinat, ubi tamen cautè recentiores procedendum esse monent in dosi, respectu febris continuæ, quæ malum hoc comitatur.

*Castorei virtus.*

V. Hinc *Alexand. Trallianus lib. 1. cap. 14.* castoreum non tantùm exterius in oxyrrhodino decoctum fronti applicat, sed ex eodem quoque sternutamenta conficit: Imo in potu quoque præsertim unâ horâ ante accessionem exhibet, vel per se, vel cum oxymilite, propterea quod extenuet, & corpus refrigeratum & prope emortuum, recalefaciat, foveatque.

Exemplum Oxyrrhodini cum Castoreo, quod simul repellendi & discutiendi facultate præditum sit, proponit *Massaria lib. 1. Pract. cap. 12.* ℞. Ol. Rosat. compl. ℥iiij. Aceti ℥ß Castorei ʒij. Misce optimè in Mortario.

VI. Ut ita castoreum & extra paroxysmum & in ipsa accessione sit convenientissimum pro ægris excitandis; ubi maximi faciendum ejus extractum spagy-

*Extractum castorei liquidum.*

spagyricè compositum potissimum illud, quod in liquida forma præparatum est, quodque facillimè & minima quantitate, cum summa tamen efficacia, ægris ejusmodi exhiberi potest. Nec obstat, quod dictum fuerit, cum lethargo febrim conjunctam esse: hæc enim febris lenta est & symptomatica, cujus causa absumpta ipsa quoque cessat.

Præter extractum Castorei, cujus præparationem apud *Quercetanum in Pharmacop. Dogm. mihi pag.* 728. videre licet, huc etiam pertinet *Aqua Hirundinum, cum Castoreo*, quæ in Dispensatorio Augustano *Aqua Hirundinum composita minor* indigitatur. Egregius est *Spiritus Castorei Antilethargicus*, quem ex *Dn. Mayerno* sese didicisse *Clossæus* asserit: quemque boni publici gratia Colophonidis loco quæstioni huic apponere lubet. ℞. Vitrioli Hungarici ℥iiij. succini subtiliter pulverisati & per triduum in aceto destillato infusi ℥j. Vini malvatici lib. iß. F. digestio in vase clauso per octiduum in B. M. mox destillatio in cineribus ferè ad siccitatem vitando empyreuma. Cape hujus liquoris lib. 1. Castorei opt. ℥iij. Cinam. interior. ℥j. Caphuræ ʒj. Fiat digestio per biduum: dein in Bal. M. vel cineribus tepidis destilla. Cape hujus liquoris stillatitii quart. 1. Aq. Claretæ cum Ambra & Mosch. ℥js. M. Sumat æger cochlear j. aut ij. in paroxysmo absque mora, cujus usus etiam est in Apoplexia.

*Spiritus castorei.*

## QUÆSTIO VI.

*An Somnambulonibus conveniant verbera, ubi dormientes ambulant?*

I. Quamvis Philosopho somnus sit ἀκινησία καὶ δεσμὸς τῆς αἰσθήσεως adeòque rectè καταλήψις τῶν ἐξωτέρων αἰσθητῶν dicatur: non tamen totalis & omnimoda sensus & motus privatio semper adest, ut monet *Galenus lib. 2. de motu musculorum*, quia animadvertimus dormientes respirare, frequenter loqui, huc illuc membra jactitare, vocantes audire, tangentes sentire, & hujus generis plura.

*Somnus quid?*

Somni naturam ex professo declaramus *Tom. 1. Disp. 3. Coroll. 2. Exerc. 8. pag.* 199. cujus beneficio posteaquam corpus diurno vigiliarum labore satis fatigatum fuit, spirituum infirmitatibus natura medetur, perturbatæ mentis affectiones reprimuntur, & omnes facultates instaurantur, undè non immeritò *Poëtis* somnus *Pax animi, domitorque malorum, & pars humanæ melior vitæ* dicitur, quemadmodum ex *Seneca in Tragœd. Herculis* patet. Imò mortem nostram cum somno quoque comparat Apostolus, ubi in *Epist. 2. ad Thessalonicenses cap.* 4. mortuos vocat dormientes, juxta *Theophylactum in Comm.* futuram resurrectionem exprimens, quando dormire dicit jam vita functos: qui enim dormit, excitetur necesse est.

*Utilitates somni.*

II. Quam ob causam *Tartaretus lib. de somno*, *Fracastorius lib. 2. de intell. Conciliat. diff.* 108. & alii somnum dividunt in perfectum & imperfectum: in illo sensus omnes exteriores perfectè ligantur: in hoc sensus non omninò privantur suis operationibus, quando ab externis objectis incitantur.

*Somnus perfectus, & imperfectus.*

Hoc est, quod *Galenus innuit citato loco*, quod somnus communiter non tàm quies sensuum, quam quædam vigoris intermissio esse videatur, undè manifestum redditur, quod cum hoc imperfecto somno conjungatur *somnium*, visum videlicet, animalibus per somnum apparens, quod necessariò Phantasiæ quandam operationem indicat.

III. In hoc somno imperfecto nihil magis mirandum, quam quod propter dispositionem corporis minimè convenientem, eo usque animalis operatio se extendat, ut homines dormientes è lecto surgant, ambulent, ac vigilantium opera in locis etiam periculosissimis perficiant. Quod non facilè quis concederet, nisi præter veteres, & recentiores autores classicos, illud ipsum quotidiana experientia ubivis locorum confirmaret.

De hoc accidente legatur *Dn. Patruus Iacob. Horstius lib. de Noctambulon. Libavius part. 2. Singular. sect. 8. Lemnius de occult. lib. 2. cap. 5. Bodinus lib. 3. Dæmon. cap. 6. Salius Diversus lib. de affect. part. cap. 18. & novissimè Sennertus lib. 1. de morb. cap. par. 2. cap. 19. Ejusdem meminit etiam Sebast. Verro lib. 9. Phys. cap.* 21.

IV. Causa hujus symptomatis in his hominibus, quos ὑπνοβάτας, id est, somnambulantes propriissimè dicere possumus, est Phantasia fortis cum spirituum tenuitate & subtilitate, ut habet *Salius lib. de part. aff. cap.* 18. non sine peculiari δυσκρασίᾳ partium principalium.

*Causa Noctisurgii.*

Exemplum refert *Bodinus citato loco*, nimirum quendam dormientem noctu in profluentem ivisse, ulterius tamen non processisse: cum verò socius metueret, ne ulterius procederet, eumque proprio nomine inclamaret, eum tùm repentè corruisse, & submersum esse. *Vide historiam nostram de Somnambulone ad Clariss. Dn. Guiliel. Fabricium* perscriptam, & ad calcem hujus Centuriæ additam, ubi similiter lapsus è fenestrâ fiebat, me per somnum periculum ipsius observante, & proprio nomine dormientem vocante.

V. Ut autem aliàs imaginatio propterea ad motum instigat animal, quia bonum aliquod consequendum proponit: ita hîc etiam per somnium bono quodam monstrato, per phantasiam fortem vis latens in musculis excitatur, adeòque dormiens moveri incipit, ambulat, per trabes & lacunaria ædium audacter oberrat, ac sæpissimè periculosas altitudines ascendit, tùm quod spiritus maximè circa manus ac pedes collecti sint, & huic operationi tantùm incumbant, ob reliquos quiescentes, tùm etiam quod discernendi vis vaporum caligine sopita jaceat, & incogitantia audaciam præbeat. *Lang. lib. 2. Epist. 45. Libav. part. 2. sing. tract. de noctambulon. ad th.* 35.

*Cur admiranda præstent Noctambulones?*

VI. Cùm autem ejusmodi homines sæpius in summo vitæ versentur discrimine, dum audacter & in-

& incogitanter, somnambulando jam in ignem, jam in aquam, jam ex altitudinibus horrendis, decidunt: Idcircò non est extra considerationem medicam, monstrare quomodo causa antecedens, ipsius videlicet corporis dispositio adæquatis & convenientibus medicamentis secundum indicationes rationales inventas corrigatur, quod fideliter præstitit Medicus celeberrimus p. m. *Iacobus Horstius*, præceptor ac patruus noster honorandus in libello de noctambulonibus.

VII. Nos illam curam, quæ est extra paroxysmum ad suum locum reservamus, & jam quærimus tantùm, *an etiam verbera vel simile quid ipsis somnambulatoribus conveniant, eo ipso momento, ubi dormientes hoc vel illud peragere conantur.*

*Negativa quæstionis proponitur.* VIII. Negativam vulgus tenet, idque potissimùm hanc ob causam, quod videant acclamatione proprii nominis ejusmodi homines excitatos, propter lapsum, in summo versari periculo, præsertim ubi in locis altioribus ambulant. Si autem acclamatio proprii nominis statim eos ita consternatos reddit, quid expectandum esset, si præterea verberibus quoque ejusmodi somnambulones exciperentur?

IX. Accedit & hoc, quod ejusmodi homines propter debiliorem cerebri constitutionem, ad epilepsiã, aliosque capitis affectus, quandam inclinationem ut plurimum habere videantur: at in ejusmodi naturis terror subitus noxius est, utpote cùm facilè caducum illud vel somnum patiantur affectum.

*Probatur affirmativa.* X. Sed contra pars affirmativa probatur: cum enim adsit motus non κατὰ προαίρεσιν, vel ad rationis arbitrium, sed καθ' ὁρμὴν, & secundum phantasiæ impetum institutus (quatenus noctambulones in præcipitia & loca periculosa non rarò deferri videmus, ubi nemo rationis consensum accusare potest, qui vigilantes nunquam hoc tentassent) ideò *Ratio affirmationis.* conveniens esse videtur, tali durante motu, quâ id fieri potest vehementia, verberibus videlicet, vel aliâ ratione hominem excitare, ut excitatus periculi magnitudinem percipiat, firmiterque phantasiæ errorem cognitioni suæ imprimat: nam quæ non sine vehementi animi commotione à nobis cognoscuntur, semper diutius inhærent, & reminiscentiæ frequentius occurrunt, quam alia, in quibus tanta animæ commotio non est. Expergefactus enim tali terrore semel, rarissimè vicissim ambulat, tum quod timor periculi aliquo modo adhuc sit in sensitiva memoria, tum etiam quod sensus inimicus, ob plagas inflictas, in eadem sui speciem reliquerit.

*Instantia solvitur.* XI. Etsi vero acclamatio proprii nominis, quod cuilibet præ reliquis familiare est, ut & verbera faciant, ut noctambuli cadant ac periclitentur, propterea quod tunc temporis, ut animadvertit *Lemnius lib. 2. de occult. cap. 5.* in excitatis ex consternatione & perturbatione spiritus dissipentur, quibus discussis, facultas debilitatur: non tamen propterea nihil omninò tentandum, quia eo respiciendum est, ut somnambulonem primò in loco tuto habeamus, ita ut excitatus ob causam periclitari nequeat. Quod si natura subjecti peculiariter ad epilepsiam ob debilem cerebri constitutionem est disposita, cautio adhibenda est, ne statim in principio paroxysmi, sed potius circa finem ejusmodi consternatio excitetur, ut monet *Iacobus Horstius lib. citato cap. 9.*

## QUÆSTIO VII.

*An Apoplectici potius sternutamentis, quàm extremorum ligaturis aut clysteribus acribus excitandi?*

*Apoplexia quid?* I. Satis horrendus affectus est Apoplexia, vera inconstantiæ & calamitatis humanæ nota; quâ homines subitò principibus operationibus cum sensu & motu abolitis consternuntur, remanente quodam modo respiratione propter angustiam & occlusionem meatuum in cerebro secundum *Galenum lib. 3. de locis aff. cap. 10.* ut ita morbus hic semper in via, hoc est, organicus adsit, ut ex communi sententiâ rectè statuit *Mercurialis lib. 1. pract. cap. 19. Capivacc. lib. 1. pract. 17. Altimarus de med. morb. cap. 19.* Contrà *Iachinum in comment. ad 9. Rhasis*, qui etiam à sola intemperie talem affectum oriri posse statuit.

*Notatio Apoplexiæ.* Apoplexia, ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν, quod graviter percutere significat, Lat. *percussio*, quod homines hoc symptomate prehensi more victimæ ad aram olim unico ictu percussæ, concidant, alia quoque nomina sortitur, nimirum ut Hippocrati interdum ἀφωνία, quod repentè Apoplectici obmutescant, quibusdam *Sideratio* dicitur, quod quasi fulmine tacti ægri concidant, &c. Dicimus autem, *homines subito prehensi per hunc affectum*, quod *Massarias lib. 1.* *Definitionis declaratio.* *pract. cap. 13.* non necessarium esse judicat, quasi non sit de essentia morbi, propterea quod eveniat aliquando, ut torpidus aliquis sensus & motus percipiatur, veluti quædam vagantes formicæ in manibus & pedibus, succedente postea sensim hoc affectu: at minimè concedendum, veram adesse Apoplexiam, ubi tale quid accidit, cum potius præviam dispositionem hoc tantùm innuere videatur. Addimus, *Principibus operationibus, cum sensu & motu abolitis hoc fieri*, non quidem actu primo, sed secundo, quatenus facultas præsens quidem adhuc, quamdiu vita superstes, totaliter impeditur, ut operari nequeat. Nec obstat, quod motus respirationis ita remaneat, ut ex ejusdem variatione morbi differentiæ deducantur, quanquam interdum in gravissimâ Apoplexiâ penitus etiam abolitus videatur: (licet idipsum *Mercatus* contra communem assertionem impossibile statuat, qui tamen facilimè refutatur, consideratis iis, quæ à nobis *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 2. Exerc. 4. quæst. 9. pag. 175.* proponuntur) propterea quod respirationis motus, quatenus pulmonum dilatationem & contractionem perpendimus, non animalis, sed potius naturalis sit, sicuti *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 1. Exerc. 8. quæst. 8. pag. 83.* demonstravimus. Non autem negamus, affluxu spiritus animalis ad thoracis musculos respirationem variari,

riari, quod videre licet *Tom.* 2. *lib.* 2. *Observ.* 14. *pag.* 72. Porrò *morbi subjectum* seu *pars affecta* determinatur, nimirum Cerebrum, quod principum facultatum sedes, ac sensus ac motus fons & origo est, adeòque functionis animalis organum primarium, in quo, tanquam immediato subjecto sensus, motus & principum facultatum, simul & semel uno momento quasi læsionis hujus factæ causa, tanquam in proximo Subjecto, quærenda venit. Vide *Iohannem Philip. Lonerum lib.* 1. *de Apoplex. cap.* 1. *pag.* 12.

*Subjectum Apoplexiæ.*

*Causa.*

Ejusmodi causam in cerebro *angustiam & occlusionem meatuum* esse dicimus, non quidem omnem, sed eam tantùm, quæ sufficiens est, ad denegationem subitam influxus ipsius animalis facultatis ad Organa sensui & motui destinata, quemadmodum citato loco *in Observationibus nostris* istud ex mente *Fernelii* attigimus, quod pulchrè deducitur pluribus à *Greg. Nymanno*, cognato meo, viro doctissimo *in Tract. de Apoplexia*, & demonstrativè probatur, Apoplexiam propriè non tàm propter denegatum influxum animalis spiritus ad nervos, quam eam ob causam fieri, quod à Corde spiritus vitalis, cujus perenni communicatione aliàs Cerebri actione vigent, subitò inhibeatur: idque non Corde p. n. affecto, quod in Syncope & Lipothymia fieri solet, sed causa præter naturali in eâ parte Cerebri concurrente, cujus obturatio & subsidentia subitanea talem influxum inhibere possit, quemadmodùm pulchrâ similitudine per illuminationem lunæ, quæ radiis solaribus perficitur, ulterius declarat, utpote cum Cerebrum absque perenni spiritus vitalis communicatione quasi Eclypsin patiatur in operationibus suis omnibus, eo modo, quo lunam, denegatis radiis solaribus obscurari videmus. Hinc ergò *morbum hunc organicum* statuimus, quià Cerebrum non ratione intemperiei primariò laborat, sed quatenus via intercluditur, quâ perennis aliàs vitalis spiritus influxus, instar radii solaris lunam illustrantis communicatio fieri consuevit. Quam primum enim vitalis facultatis influxus, scilicet, per communicationem spiritus vitalis, Cerebro denegatur, Cerebrum quasi vitâ destitutum, & veluti sepultum, aut tenebris obrutum, nullâ vi pollet, animales suos spiritus in nervosa membra diffundendi, & functiones suas obeundi, quia nihil præstare potest, si vitali spiritu destituatur, cujus appulsu Cerebrum animatur, & ad actiones suas habile redditur, ut videre licet apud *Quercetan. in Tetrade, cap.* 3.

*Explicatio causæ proximæ.*

*Omnis Apoplexia periculosa.*

II. Periculum hic tantùm est, ut *Hipp.* 2. *lib.* 2. *aphor.* 42. exclamet, apoplexiam fortem nullo modo, debilem verò, non sine difficultate solvi posse: quod & Ægineta innuit, dum Apoplexiam nequaquam aut rarò curari posse autumat, utpote, quæ mortem in propinquo minetur.

III. Ut autem nihilominus Medicus interdum ubi spes salutis sese exhibet, succumbenti naturæ succurrere sciat, ideò causa antecedens, à quâ talis angustia suam ducit originem, non est negligenda.

IV. Hanc Galenus vel ad compressionem in dispositione φλεγμονώδη refert, quando sanguis in plethorico corpore vasa cerebri replet, ut eorum turgentiâ ventriculi & meatus comprimantur, in quo casu venæsectio præsens est remedium: vel ad obstructionem à materiâ crassiore, pituitosa vel melancholica (quamvis hoc neget *Fernelius lib.* 5. *path. cap.* 3.) provenientem, quod videre licet *lib.* 6. *Aph.* 56. *in com.* quam materiam crassam obstruentem & cursum atque recursum spirituum impedientem fortè non inconvenienter, cum *Hermeticis Quercetanus in Tetrad. cap.* 11. potissimùm deducit ex nebulosis exhalationibus in eo conclusis instar nubium in aëre expansarum, non tantùm frigiditate, vel humiditate, aliaque simplici qualitate præditis, sed possidentibus efficacem & activam facultatem, ut illicò conglaciari, adeòque in momento tanti affectus causa esse possint, quod ille ex aciditate vitriolata, iisdem connata, demonstrare conatur, ita ut illud ipsum quodammodo subolfecisse *Cardanus lib.* 6. *Aph. in com.* videatur, dum omnem Apoplexiam à Melancholico humore, suâ naturâ ferè tali qualitate constante, fieri statuit.

*Causa Apoplexiæ.*

*Hermeticorum sententia.*

Plures Apoplexiæ causas antecedentes dari planum est apud Autores, sicut etiam ex *Tom.* 2. *lib.* 2. *Observ.* 13. *pag.* 71. colligitur. Ad Quercetani opinionem probabilem accedit & illa, quam *Theod. Angelutius ante ipsum in Arte Medica cap.* 38. proponit, ubi dicit, nec Cerebrum, nec ventriculos ejus in Apoplexia affici, sed vapores per Cerebri Substantiam fusos, ope qualitatis cujusdam, congelari, ut dicto citius concrescant, & lactis instar coagulentur, obstructionemque faciant. Hinc frequenter Apoplexiam ab ejusmodi narcoticâ qualitate fieri verisimile est, quà subitò stupefiunt & ligantur quasi spiritus, quod testantur illi, qui vapore Vini, vel Cerevisiæ recentis, Apoplecticorum instar, moriuntur.

V. Qualis qualis sit illa materia peccans, quæ tàm horrendum producit effectum, sui indicat ablationem, idque sine mora, & quam celerrimè. Hîc derivationes & revulsiones variæ à Medicis excogitatæ sunt, ita ut, si non omninò materia morbifica evacuari potest, ad alias tamen partes derivetur, & hoc modo magis magisque dissipetur.

*Indicatio Prima Apoplexiæ.*

Rectè huc accommodatur *Aph.* 10. *lib.* 4. *Hipp.* quod protinus medicari oporteat in valde acutis, cum tardare in talibus malum & periculosum sit. Hanc ob causam statim, Apoplexiæ signis apparentibus, *æger in loco calido* contineatur, cum frigoris occursu transpiratio impediatur, *erectâ*, si fieri potest, *cervice*, quo facilior fit pulmonum motus, *corpore parumper agitato & concusso*, propter materiam in sinubus Cerebri commovendam, *os, interposito cuneo*, propter faciliorem respirationem, *apertum* teneatur, *pili*, circa pubem potissimùm, *vellicentur*, *extrema fortiter ligentur*, & Aqua vitæ, Castoreo, Sale, & aceto rutaceo fricentur; *cucurbitulæ magnæ* dorso

*Signa Apoplexiæ.*

dorso & lumbis, ut & cruribus affigantur, & præter alia, de quibus paulò post, *venæsectio* protinus adhibeatur ex decreto *Græcorum & Arabum*, præsertim in Apoplexiâ à sanguinis multitudine vasa intercipiente genita, tùm etiam, quando cum pituitosis & melancholicis humoribus sanguis abundat, aut ubi propter constitutionem subjecti laborantis tanta non adest ægrotantis ex resolutione spirituum debilitas, quæ idipsum impediat, ubi hac ratione *Dodonæus in Observ. Med. cap.* 8. mulierem gravi Apoplexia laborantem, à Medicis aliis derelictam, venæsectione in die unicâ bis instituta feliciter se restituisse dicat. Conjunge limitationes, quas habet *Philoth. Ælianus lib. de cap. mor. tract.* 18. *cap.* 10.

*Quæstionis declaratio.*

VI. Quærimus autem hîc, *num potiùs clysteribus & extremorum ligaturis, quàm sternutamentis hoc ipsum præstare debeamus?* Prius videtur probabile, quod materia potius ad remotiores partes, quàm ad propinquiores sit revellenda: tùm etiam quod illæ partes sint adhuc fortiores, adeòque medicamentorum actiones citius actuare queant. Adde quod cerebrum aliàs debilitatum per sternutationes ob debilem virtutem vix irritetur, ut insurgat ad res noxias expellendas. Et posito, quod sternutationes vim suam exerant, minimè tamen particularis ejusmodi evacuatio, sine præmissa universali instituenda esset, quia aliàs ex reliquo corpore materia peccans ad laborantem partem, cerebrum videlicet, magis attraheretur.

*Cautio quo ad usum Enematum.*

In Enematum acrium exhibitione notetur cautio, quod primus clyster fortia attrahentia recipere non debeat, quia non convenit, à distantibus partibus trahere, dum fœces adhuc in intestinis copiosæ continentur, quas primum per emollientia & laxantia purgare convenit, antequam è remotioribus membris attractio tentetur. Hoc peracto, clyster acrior injiciatur, ex decoct. Herb. Salviæ, Beton. Rosmarini, Origani, Calamenthi, Pulegii, Centaurii minor, fl. chamæmeli, Stæchados, Rad. Brioniæ, Ireos, Angelicæ, Sem: Carthami, Sena, Agarico, &c. cum oleis appropriatis, & dissolutis Electuariis, pilulis, & Trochiscis, &c. Nec obstat hîc vulgi contradictio, quasi frustrà per clysteres naturæ succurrere conemur, ea propter, quod partem affectam non attingant, cùm tantùm in crassis intestinis materia clysteris remaneat: primò enim repetendum hîc, quod purgantia medicamenta substantiæ totius similitudine & familiaritate suos humores appropriatos è remotioribus etiam locis, quò materia eorum non pervenit, attrahant, sicuti pluribus demonstravimus *Tom.* 1. *Disp.* 17. 18. 19. *in Methodo Med. enucleatâ Fernelianâ*, cui addatur illud, quod alvi excretis subductis, consecutionis ratione vitiosi succi partium superiorum subsequantur, quo modo Capitis etiam Cacochymia commovetur, & peccans materia magis deorsum vergit, stimulata & irritata.

*Instantia vulgi solvitur.*

VII. Quam causam acribus enematibus, aut in horum defectu suppositoriis, ex melle cocto, cum pulvere hieræ simpl. aut fortiori, addito mediocri salis gemmæ pondere, statim in principio hominem excitandum esse putamus, non neglectis fortissimis extremorum ligaturis, per vices adhibitis: cum hâc ratione non tantùm corpus universum à collecta saburra excrementorum liberetur, sed insuper quoque à cerebro materia derivetur & sensim resolvatur & consumatur.

VIII. Ubi verò clysteribus alvus primùm eluitur, & totum à copiâ peccantis materiæ liberatur, audacter naribus etiam illa admovenda, quæ gravi suo odore ægrotantes excitare solent, ut sunt oppopanax, asa fœtida, castoreum, Galbanum: Imò hoc tempore commodissimè sternutamenta parantur ex helleboro, castoreo, & aliis, naribusque canaliculo pennæ inflantur, ut materia per particularem hanc evacuationem, quoad fieri potest, à cerebro derivetur, vel ad minimùm resolvatur, ubi morbus per paralysin subsequentem finitur, propterea quod causa peccans, materia videlicet resoluta, singularem habeat vim, ut nervos secundum eam partem, quà tangit ipsorum principium, stupidos & ad sensum ac motum ineptos reddat.

*Sternutatorium ex Nicotianæ.*

Sunt qui pulverem Nicotianæ per se, vel cum rosmarino, majorana, Salvia, caryophyllis & similibus permistum in cerebri symptomatis catarrhoicis & cataphoricis commendant, ut videre licet in *Tabacologia Neandri pag.* 76. non obstante quod *Paulus Ægineta lib.* 1. *cap.* 46. sternutamentum in humoribus crudis circa caput contentis nihil conducere scribat; quia nihil non tentandum, in gravissimo & periculosissimo hoc morbo, quo fieri possit ipsius materiæ morbificæ revulsio, derivatio & dissipatio, quo fine Cucurbitula magna, ex consilio *Herc. Saxon. Conciliatoris & Cratonis*, summo vertice commodum etiam adhibetur, cum ex sinu falcatæ duræ meningis sanguinem attrahere, obstructiones aperire, cerebrumque in se subsidens nonnihil levare valeat, quo oportuno remedio *Fracastorius* olim monialem virginem se restituisse meminit, tunc temporis ubi præhensus ipsemet Apoplexia leviori primum, manum sæpius vertici admovens applicandum remedium innuebat, quanquam astantibus, eundem non intelligentibus morbo invalescente sub noctem expiraret. Addimus autem sub finem hujus quæstionis; eapropter hæc omnia tentanda, quo ab affecta parte peccans materia derivetur, vel ad minimum resolvatur, ubi modum innuimus, quo Apoplexia in paralysin mutatur, quatenus videlicet materia ista nervosum genus stupefaciens alterutram partem spinalis medullæ sic afficit, ut subsidat penitus, & spiritibus animalibus transitum deneget: quod si eâdem cerebri substantia quasi irrigetur, morbus in via quidem cessat, sed internorum sensuum functiones, quibus cerebrum præest, depravantur, & debilitantur, quod in multis Apoplecticis ex parte restitutis observatur. Hinc ergò jam manifestum redditur, parum interesse, sive quis

*Cucurbitula magna ad verticem.*

*Observatio.*

*Mutatio Apoplexiæ in Paralysin.*

quis admodum urgeat denegatum influxum spirituum vitalium à corde, sive quod spiritus animalis impediatur, quo minus perenni fluxu nervis communicetur; quia parum hoc ipsum ad curationem inservit, nisi quis de materia ista subitò, tàm spiritus vitalis adfluxum, quàm animalis distributionem impediente, sollicitus sit.

## QUÆSTIO VIII.

*An paralysis post colicos dolores subsequens curato nervorum principio curetur?*

*Paralysis quid?*

I. PAralysis Latinis resolutio, est ejusmodi affectus, quo motus voluntarius, alicujus partis aboletur, propterea, quod spiritus animalis non influat, idque vel primariò, in propriè dicta paralysi, quod à cerebro, sive principio nervorum non transmittatur, vel secundariò, in istâ resolutione καταχρηστικῶς sic appellatâ, quod transmissus à musculis, non recipiatur.

*Notatio Paralyseos.*

Paralysis, à παραλύεσθαι, dicitur etiam παραπληγία, & παραπληξία, & ἡμιπληγία, quæ denominationes potissimùm intelliguntur de vera Paralysi, quæ non rarò Apoplexiam sequitur, & unum vel alterum latus afficit, sicut dictum fuit. Illa verò; quæ καταχρηστικῶς sic dicitur, & colicos dolores frequenter excipit, πάρεσις Græcis dici solet. Dicimus autem Paralysin esse motus alicujus partis abolitionem, quamvis interdum sensus etiam simul deficiat, juxta *Gal. lib.* 3. *de locis affect. cap.* 10. ubi resolutio dicitur, quando motus deperditus est; ubi verò (inquit) partium aliquorum sensus perit, ibi partem sensus expertem, *resolutam* verò dicere non consuevimus: quanquam aliquibus νάρκη ἡ νάρκωσις, hoc est, torpor vel stupor, diminuta & imperfecta paralysis dicatur, quod affectus ex sentiendi, movendique difficultate compositus esse videatur. Quod verò motus absque sensu, vel sensus absque motu peccat, ex sequentibus manifestum redditur, ubi hoc tantùm addimus, apud quosdam ex Autoribus Classicis non solùm hanc Paralysin abusivè dictam esse, de quâ præsens quæstio tractat, sed etiam illam, ubi tantum motus absque sensu deperditur, sicut videre licet apud *Ben. Victor. Faventin. part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 18. *Practicæ Magnæ.*

*Cur sensus illæso motu, & motus illæso sensu sæpius pereat.*

II. In illa perit motus unà cum sensu, quando nervus idem tàm motui, quam sensui destinatur: interdum verò sensu remanente, motum perire videmus, iis scilicet in partibus, ubi peculiaribus nervis motus, peculiaribus quoque sensus perficitur, quod in oculo manifestum est, cujus motus illæsa visione, & contra visio illæso motu sæpius afficitur. At si unus & idem est nervus, sensus quidem absque motu, non autem motus absque sensu remanere potest, propterea quod motus majorem, sensus minorem facultatis influxum requirat, ut habet *Galenus lib.* 1. *de locis aff. cap.* 6. *& lib. de causis sympt. cap.* 5.

III. In hac impropriè dicta paralysi, vel contractura, diverso modo sensus & motus pereunt, vel depravantur, pro diversitate causæ, quâ sensiles musculorum partes afficiuntur. Quod ut magis pateat, Quærimus, an Paralysis, quæ frequenter in Austria, Moravia, aliisque locis, post colicos dolores sequitur, curato principio nervorum, curetur.

Dicimus hîc sensum & motum in partibus affici, quatenus sensiles musculorum partes afficiuntur, nimirum hoc innuendo, quod in Paralysi communiter sic dictâ rectè quidem statuatur cum *Galeno lib.* 1. *de Sympt. Caus. cap.* 5. continentem, sive proximam, sive quomodocunque alio vocabulo nominare liceat, hujus Symptomatis causam esse talem quempiam affectum in nervis, cujus occasione à principio ad ipsum virtus transmitti prohibeatur, de cujus proximioris causæ diversitate pluribus ibidem *Galenus* agit, cum quo *Avicennas* diversum statuens conferatur, ut videre licet *in lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 27. *Praxeos Sennert. quæst.* 1. In hac autem non tàm nervorum communicationem & exortum perpendimus, quam quatenus unà cum membranis musculi partes sentientes sunt, ita ut propter communicationem peccantis materiæ musculus, motus, organum, ad opus suum perficiendum inhabilis fiat, ut patebit ex sequentibus.

IV. Cum verò tantùm quis curando fallatur, quantùm cognoscendo aberrat, teste Galeno, idcircò, primum illius affectionis natura cognoscenda est, quâ cognitâ, quæstioni præsenti facillimè satisfieri poterit.

*Unde Paralysis post colicos dolores. Opinio 1.*

V. Quamvis autem τὸ ὅτι manifestum sit, cùm non tantùm hodierna quotidiana experientia hoc testetur, sed insuper antiquorum scripta idem innuant, ut patet *ex Paulo Ægineta lib.* 3. *cap.* 18. nihilominus quomodo hoc fiat, & per consequens, quæ sit talis affectionis natura, satis dubium est apud autores.

VI. Quidam peccantem materiam ab intestinis ad nervos pervenire autumant, beneficio arteriarum, præsupponentes hoc, quod nervi sint cum arteriis continui, & ab ipsis arteriis oriantur secundum opinionem *Praxagoræ*, ut refert *Galenus lib.* 2. *de placitis Hipp. & Plat. cap.* 7. quam inter recentiores defendere conatur *Reusnerus lib. de Scorbuto, exerc.* 1. *pag.* 91. *& seq.*

Ab hâc sententiâ non penitus alienus esse videtur *Adrian. Spigelius de hum. corpor. Fabr. lib.* 6. *cap.* 4. *& lib. de Semitertiana lib.* 4. *cap.* 13. ubi inquit: in illâ mutatione ex colo per mesentericas arterias humorem regredi ad arteriæ magnæ truncum, ubi lumbares arteriæ sanguine turgescentes, vicinos nervos comprimant, & paralysin crurum introducant. Pergit: & hanc nos sæpè observavimus, cùm in aliis, tùm in nobismet ipsis, &c. neque tamen perfecta Paralysis fuit, quod ambulandi potentia non prorsus ablata, sed summâ quâdam difficultate Cruribus ægri insistere cogerentur.

*Nervi non sunt extremitates arteriarum.*

VII. At hoc placitum demonstrationi oculari repugnat, quia inter nervos & arterias nulla est communio, multò minus continuitas: imò quamvis in minimas omninò arterias fiat divisio, nunquam tamen easdem in nervulos commutatas demonstrabimus. Quapropter cum absurdum sit eà confundere, quæ generatione & ortu, substantia atque usu differunt, ideò dictam sententiam improbamus.

Ingeniosè satis *Reusnerus citato loco*, suam assertionem proponit, quod videlicet nervi nihil aliud sint, quam venulæ & arteriolæ multæ in unum coagmentatæ corpus, ex pluribus & tenuissimis canalibus conflatum, undè fissilis fit nervus secundum longitudinem; quod vasa sanguinem atque spiritum Cerebro adducentia terminentur in tenuissimas venulas capillamenti instar substantiam Cerebri subeuntes, undè catervatim in recens mactati animalis cerebro dissecto sanguis exudare videatur; quod indoles spiritus sit, undiquaque diffundi, & ἀθρόον eundem semel è vasis suis effusum vicissim colligere separatisque nervis communicare, quam ob causam nervi cum venis & arteriis continui statuantur. Sed alibi nimirum *Tom.* 1. *Disp.* 3. *Coron.* 1. *Exerc.* 5. *quæst.* 4. *pag.* 50. Quæstionem hanc trutinæ veritatis subjecimus.

*Opinio secunda.*

VIII. Inveniuntur alii, qui transmutationem hanc solvunt per Hippocraticum illud: πᾶν τὸ σῶμα σύμπνουν esse, quod videlicet totum corpus perspirabile sit, ita ut etiam per occultas vias materia sæpius in corporis partes, hinc & indè, transeat, quod placet cum aliis *Laurentio lib.* 4. *Anatom. quæst.* 8.

Novum non est, ut natura passim in ægrotantibus ope caloris & spiritus novos & insolentes aditus sibi ipsi moliatur, etiam per ductus invios & inaccessos, aut etiam minus expedita itinera sic amplificet, ut pertranseant ea, quæ mirari cogimur. Ita notat prædictus *Spigelius in lib. de Arthritide pag. mihi* 93. quod adhibitis balneis continuatis ex sale, alumine, nitro & spiritu sulphuris, &c. quidam Podagrici in alvi profluvium prolapsi sint, materia peccante ab articulis interius repulsâ. Pluribus quoque idipsum patet ex *Tom.* 2. *lib.* 9. *Observ.* 15. *pag.* 447. ubi de mira peccantis materiæ maturatæ μεταστάσει agitur.

*Opinio tertia quam approbamus.*

IX. Quanquam verò principium hoc minimè negamus; tamen inconveniens videtur ad illud confugere, ubi manifestiores ductus sese ostendunt. Hanc ob causam experientia edocti, statuimus materiam morbificam ab intestinis ad articulos & musculorum habitum pervenire mediantibus venis, quod ex apparentibus signis, instanti tali mutatione sæpius observavimus, iis in locis, ubi talis affectus est frequentissimus.

Huic assertioni *Sennertus* quoque subscribit in *Instit. Med. lib.* 2. *part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 5. ubi enumeratis primum opinionibus aliorum tandem concludit, eorum sententiam approbandam esse, qui ipsam illam materiam, quæ colicos dolores excitat, seu fovet, ad articulos transmitti statuunt, idque beneficio venarum, quatenus è meseraicis regurgitat ad cavam, atque hinc ad musculos à natura extruditur. Addit, ea propter postea nervos & tendines, qui musculis inseruntur, tùm ob plenitudinem spirituum animalem non admittere; tum imprimis propter mollitiem tendi, & membra quibus inseruntur, trahi non posse.

X. Ubi enim expectanda est in colicis doloribus resolutio membrorum, statim urina tingitur admodum & subnigra apparet, ob materiæ admistionem in venis, conqueruntur ægri de ascendente quadam aura frigida iis in locis, ubi positus est vasorum majorum & natura fortiori existente, materia ex habitu musculoso expellitur, ac loco paralyseos illius, fit in extremitatibus color ictericus vel alius præter naturam.

Hoc est, quod ante triginta circiter annos primùm in Austria, postea quoque in tractu Rhenano, Hassia superiori, & tandem hîc etiam in Suevia notavimus, ubi circumstantiis illis consideratis facillimè patet, quod frustra laboret ingeniosissimus *Reusnerus p. m.* dum continuitatem nervorum cum venis & arteriis inquirit, quia verisimile non est, mediante capite tandem ad nervos musculorum peccantem materiam transferri, cum αὐτοψία testetur, affluxum partes musculosas afficere, priusquam nervi à cerebro prodeuntes afficiantur, quo ipso labefactatur etiam Opinio *Fernelii lib.* 5. *Pathol. cap.* 3. *& Citesii in Tract. de Colico dolore populari apud Pictones*, qui statuunt in spinam dorsi ac nervorum origines materiam ab intestinis transferri, undè obstructis illis meatibus cæcis, per quos spiritibus animalibus patere soleat aditus, sequatur ea, quam videmus à bile sub finem febrium intermittentium Paralysis: item *Casp. Hofmanni in Consil. Scholtzii, Consil.* 173. qui ejusmodi Paralysin à residuis phlegmaticis humoribus in capite colicis doloribus ferè sopitis oriri statuit: sicuti etiam *Volcher. Coiteri in miscellan. Anatom.* ubi Paralysin hanc à tenui aquoso humore à capite nervos irrigante deducit; à cujus assertione non alienus esse videtur *Carol. Piso de Morb. ex sero pag.* 258. *& seq.* ut etiam ipsius *Spigelii* inventum, quo ad arterias lumbares affluxum in sese recipientes, quæ minimè sufficientes esse videntur; propterea quod hæc Paralysis rarius crura, frequentius autem brachia pedetentim afficere soleat. Sed hoc posito, non negamus, interdum etiam, quod *Carol. Piso & alii* innuunt, post colicos dolores Cerebrum & Nervorum principium affici posse, verum alio translationis modo, qui postea curam etiam aliam requirit.

*Cur materia peccans in colicis doloribus potius articulos quam alias partes petat.*

XI. Quod si quæras ulterius, cur ejusmodi peccans materia non potius alias petat partes, adeòque morborum aliorum originem constituat? respondemus hoc fieri duas ob causas: primò quod natura fortior ejusmodi materiam expellat: quod fieri potest, ad remotissima loca, quemadmodum

indè

indè colligitur, quod ægri imbecilliores instanti tali mutatione plerumque pereant, antequam talis μεθάστασις perfectè fiat, materia scilicet ipsas partes principes subeunte. Deindè causa altera esse potest, materiæ singularis proprietas, quæ nervosis & membranosis musculorum partibus præ cæteris est amica: quâ ratione videmus cancri materiam citiùs faciem & mamillas occupare, quam alias humani corporis partes: Sic strumosæ resolutiones ad collum potius quàm alibi efflorescunt: sic calculi materia resoluta citius articulos, quamvis remotissimos, occupat, quam alias corporis partes, undè nephritici dolores frequenter in arthritidem mutantur.

*Quomodo post colicam fiat paralysis.*

XII. His præmissis, manifestum est, quod paralysis, quæ colicos dolores sequitur, fiat ob effœtam & debilem constitutionem musculorum, qui respectu substantiæ nervosæ & membranosæ, à materia affluente præter naturam afficiuntur, ita ut motum & sensum, etiamsi spiritum animalem affluentem habeant, exactè perficere nequeant.

Conjungatur hîc *Crato in Consiliis Scholtzii; Consil.* 171. & 172. ubi inquit, quod in hoc malo, Paralysi scilicet colicos dolores sequente, non ad principium nervorum, sed plerumque ad musculos malum transmittatur, atque ii, ut post graves labores, langueant. Paresis, quæ Colicum dolorem sequitur, à Paralysi, quæ Apoplexiàm, vel Paraplegiam comitatur, origine & causis differt; in illa enim post Colicam malum ab intestinis oritur, & impetu quodam ad exteriora membra fertur, musculos, tendines & partes exteriores occupat, sæpè principio nervorum illæso, quod in hâc, una cum capite & spinali medulla afficitur.

*Ejusdem curatio.*

XIII. Hinc facilè patet plurimùm errare illos, qui hanc speciem paralyseos κατ᾽ ἐξοχὴν sic dictam, eodem modo cum vera propriè dicta resolutione curare conantur: cum in hac mali causa circa principium nervorum quærenda sit, quod tamen in illa suam naturalem constitutionem obtinere potest. Non igitur curato cerebro, vel spinali medulla paralysis ejusmodi curabitur, sed potius eo respiciendum; ut causa antecedens, quæ adhuc in fluxu est, inhibeatur, quæ verò proxima parti adhæret, ejusdemque imbecillitatis origo est, quo id fieri potest ingenio, corrigatur & consumatur.

Hinc citato loco *Crato* dicit, quod primum intestinorum mala intemperies corrigenda sit, deindè materia, quæ in membris exterioribus discutienda, membra corroboranda, & ad suam temperiem reducenda sint. Quomodo verò juxta prædictas intentiones procedendum, jam subjicitur, & in specie magis patet ex *Tom.* 2. *lib.* 2. *Observ.* 16. *pag.* 77. ubi conjungatur *Diomedes Cornarius in Consil. Med. Consil.* 5.

XIV. Prius præstamus regimine totius, quatenus sanguinem ab ejusmodi materia peccante purificamus: & per loca naturæ convenientia, eandem educimus, potissimùm eò respiciendo, ut alvus sit laxa, cum ex hujus obstructione, quæ ejusmodi colicis affectibus comes est individuus, impuritas illa sanguinis maximè oriatur.

XV. Posterius peragitur, ubi partibus affectis, nimirum resolutis membris ea adbibemus, quæ calorem nativum confortant, & per consequens digestionem atque concoctionem in ipsâ parte nobiliorem faciunt, non neglectis iis, quæ singulari proprietate, materiam ejusmodi collectam dissolvere, & hoc modo insensibiliter discutere nata sunt.

XVI. Quod nisi hoc modo laborantibus ejusmodi succurramus, sensim ac paulatim (non subitò quod in altera verâ paralysi accidit) vires ulterius dejiciuntur, ita ut sæpius per integrum semestre quotidiè magis magisque partium voluntarius motus aboleatur, non sine gravissimis earundem partium doloribus, donec tandem ipsa quoque vox pereat, & ægri viribus exhausti suffocentur, ubi verè cum Poëta dicerent:

> ---- *In mediis conatibus ægri*
> *Succidimus, nec lingua valet, nec corpora notæ*
> *Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.*

## QUÆSTIO IX.

*An ligni S. decoctum conveniat epilepticis?*

*Epilepsiæ nomina.*

I. TAntus est affectus Epilepsia, ut autores classici dubitarint, quo nomine rectius illius essentiam exprimerent: hinc *Hippocrati* interdum παιδικὸν malum, puerilis morbus: *Aristoteli* affectus Herculeus, fortè quod videatur invictus & non facilè medicamentis cedat: *Aliis* comitialis, *Plinio* Sonticus; quanquam apud Jureconsultos Sonticus morbus omnis ille vocetur, ubi vitæ periculum est, quâ ratione laborans, olim neque in jus venire, neque per Procuratorem cogebatur, sententiaque adversus eum lata nullius erat momenti, sicuti videre licet apud *And. Alciatum in tit. de verb. sign. mihi pag.* 267. *tom.* 1. *Cælio* Lunaticus: *Apulejo* vidinus: *quibusdam* caducus morbus dicitur.

II. Hunc graphicè describit *Lucretius lib.* 3. ubi ita canit:

> *Quin etiam subito vi morbi sæpè coactus*
> *Ante oculos aliquis nostros (ut fulminis ictu)*
> *Concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus.*
> *Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat*
> *Inconstanter, & in jactando membra fatigat.*

*Epilepsia quid?*

III. Est enim Epilepsia symptoma abolitæ actionis principis, cum convulsivo motu conjunctum, proveniens à partiali cerebri meatuum obstructione, vel coarctatione, quam materia peccans, imprimis alienâ suâ qualitate cerebrum ad expulsionem irritante, producit. Dicimus esse principes actiones abolitas cum motu convulsivo: ut distinguamus epilepsiam à verâ convulsione, quæ fit tantùm vi morbi, robore naturæ non concurrente, remanente operatione principis facultatis, non tàm respectu ipsius cerebri, quàm partium ner-

nervosarum, quæ propter exinanitionem vel repletionem nimiam variis modis convelluntur. *Hipp.* 6. *Aph.* 39. *Galen. lib.* 3. *de loc. aff. cap.* 5. *& lib.* 2. *de caus. sympt. cap.* 2.

*Vera Epilepsia.*

Ubi dicimus principes facultates in Epilepsia esse abolitas cum motu convulsivo, veram & perfectam Epilepsiam intelligimus, quanquam non negamus, illum convulsivum motum interdum tantùm particularem respectu hujus vel illius partis esse posse, sicuti testantur exempla, quæ referuntur à *Benivenio de abdit. cap.* 97. *Valetio in scholiis ad Holler. Prax. lib.* 1. *cap.* 16. *Erasto part.* 4. *disp. contra Paracels. & Anat. Montani part.* 2. *Marcello nostro Donato lib.* 2. *hist. Med. cap.* 4. Quod autem *Quercetanus in Tetrade cap.* 8. multas Epilepsias fieri dicat, in quibus citra oblæsionem ullam phantasia aut imaginatio, nec non memoria integrè operantur, unà cum visu & auditu incolumi; idipsum de verâ Epilepsiâ minimè procedere palàm est ex iis, quæ hujus affectionis naturam determinant. Porrò dum Principes facultates abolitas esse dicimus, subjectum hujus mali ponimus, nimirum ipsum Cerebrum, cum juxta *Galen. lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 1. *&* 2. nulla actio lædi queat, nisi affecta sit pars, à qua illa actio editur. Mirum igitur, quod *Quercetanus* citato loco communem assertionem principum Medicorum postponat, & in quibusdam Epilepsiis primariò cor affectum statuat, quia distinguendum inter ea, quæ fiunt per ἰδιοπάθειαν, & quæ per συμπάθειαν accidunt, quâ ratione fundamenta *Quercetani* refutantur *ab Vntzero de Epileps. lib.* 1. *cap.* 6. Tandem per convulsivum motum, quemcunque motum depravatum intelligimus, qui cum læsione principum facultatum accidit, distinctum à verâ convulsione, de cujus natura & causis conjunge *Tom.* 2. *lib.* 2. *Observ.* 45. *pag.* 112. Hinc *Fontanus lib.* 6 *Patholog. cap.* 5. formalem Epilepsiæ rationem in motu convulsivo totius corporis interpolato, cum principum facultatum læsione consistere statuit, qui si non cernatur, id ipsum propter impedimenta concomitantia morbum fieri putat.

*Subjectum Epilepsiæ.*

IV. Addimus à partiali cerebri obstructione, vel potius à coarctatione provenire hoc symptoma, ut illius causam proximam monstremus ex sententia *Hippocratis & Galeni*, secundum quos cerebrum in Epilepsia laborat, ut instrumentum; quemadmodum rectè probant *Altimarus de Med. morbis. cap.* 18. *Mercurialis lib.* 1. *pract. cap.* 26. *Heurn de morb. capit. cap* 22. & alii. Quomodo autem talis coarctatio oriatur, id ex sequentibus colligimus, nimirum respectu materiæ non sola frigiditate, vel crassitie, sed imprimis alienâ quadam, quasi venenatâ qualitate peccantis, quod ab ipso quoque *Galeno* deducitur, ubi *lib.* 5. *de locis aff. cap.* 5. *& lib.* 3. *ejusdem operis cap.* 7. veram epilepsiæ speciem concedit ex qualitate quâdam venenata, cerebrum afficiente: at idem effectus non potest toto genere diversas habere causas proximiores.

*Causa proxima Epilepsiæ quænam?*

Hoc etiam olim *Averroës lib.* 3. *collect. cap.* 45. innuit, dum communem Epilepsiæ causam inquirit, tam ejus, quæ per cerebri idiopatheiam, quàm quæ per sympatheiam contingit, eamque statuit esse, rem cerebri substantiæ graviter infensam, aut qualitate aut formâ; ac proindè convulsiones Epilepticas neque ab inanitione, neque à repletione pendere arbitratur, sed ex earum esse genere, quas dicunt improportionales ad materiam. Hanc assertionem Averroës refert etiam *Philoth. Elian. de Morb. cap. tract.* 17. *cap.* 5. quamque, taliter qualiter, cum communi Galenicâ sententiâ conciliare nititur, quamvis magis pro Averroë, quam Galeno scribere videatur Aëtius. Pro Galeno pugnat *Comes Montanus lib.* 3. *de Morb. cap.* 28. *& in defensione contra Erastum defens.* 5. *pag.* 124.

V. Quamvis enim concedamus, cum Galeno & reliquis principibus Medicorum pituitosos & crassos humores interdum huic affectui causam præbere posse, non tamen illud ipsum accipiendum de causa proxima, sed potius eâ ratione, quatenus ex eâ materia qualitate noxiâ prædita, vapores corrupti & virulenti efflorescunt, à quibus in cerebro fit quasi coarctatio, spirituumque transitus hâc ratione impeditur, undè cerebrum principiumque nervorũ læsum, ut expellat id quod obluctatur, seipsum quasi contrahit, ut habet *Forest. lib.* 10. *obs.* 54.

Notetur hic, quod habet *Vntzerus lib.* 1. *de Epileps. cap.* 13. dum Epilepsiæ causam in materia halituosa subtili, acri, pravâ, & malignâ statuimus, nos non quemlibet vaporem malignum intelligere, cum in peste, luë Gallica, febribus ardentibus, ulceribus putridis & aliis multis semper Epilepsia concurrere debeat, sed insuper requiritur, ut ejusmodi pravitas seu venenositas singularem quoque præ reliquis partibus, cum cerebro ac nervorum principio habeat ἀντιπάθειαν iisque totius substantiæ proprietate sit adversa, infensa & inimica, quæ quidem, si abest, hic morbus non gignitur.

VI. Et hoc modo semper locum suum habet qualitas maligna in generatione Epilepsiæ, quod placuit *Fernelio lib.* 2. *de abditis rerum caus. & lib.* 5. *de morb. part.* Qualis autem sit illa qualitas maligna, omnis epilepsiæ causa proxima, non ita planum est apud autores: probabiliter eam ex sententia Hermeticorum determinat *Quercetanus in Tetrade cap.* 11. nimirùm quod sit nihil aliud, quàm vapor mercurialis vitriolatus, qui ex humore, ex tartaro, aut ex mucilagine æruginosis expiret, & ratione aciditatis & stipticitatis, principium nervorum afficiat, ac respectu salis armoniaci conjuncti acerrimi sensiles partes vellicet, & convulsivos illos motus producat.

*Qualitas maligna omnis Epilepsiæ causa.*

VII. Cum verò melancholicus humor has qualitates præ reliquis etiam ex dogmaticorum sententia possideat, ideò rectè dixit *Hippocrates* melancholicos comitiales facilè fieri, & comitiales melancholicos.

VIII. Hinc etiam monstratur, cur pueri & infantes maximè huic malo obnoxii: non quod humidam

*Cur pueri Sontico malo obnoxii?*

*V. Mercur. lib. 1. de morb. puer. cap. 16.* midam constitutionem habeant, adeòque pituita scateant, cum videamus hydrocephalos, aliosvè, quibus caput aquosa humiditate ferè sepultum est, ab hoc malo immunes esse, sed quod illorum multi lac in ventriculo acescens & non probè concoctum congerant, cujus corruptio eam naturam induit, ut in æruginosum & viride quoddam virus vitriolatum, degeneret. Hæc ille.

Non sine causa diximus, probabiliter tantùm naturam istius malignæ qualitatis à *Quercetano* determinari, quia sicut in aliis venenatis qualitatibus determinandis hæremus, & ad occultam vim, ignorantiæ asylum, confugere cogimur, ita etiam hîc nihil non superest, de quo ulterius dubitari possit, sicuti pluribus hoc videre licet apud *Sennertum lib. de Morb. Cap. part.* 2. *cap.* 31. *quæst.* 3. *Vntzerum lib.* 1. *de Epileps. cap.* 13. *&* 14. *Craton. in Epist.* 136.

*Affirmatur quæstio proposita.* IX. His positis quæritur, *num decoctum ligni sancti conveniat iis, qui huic affectui sunt obnoxii?* Affirmamus cum *Iachino c. de Epilepsia in Rhasin* & aliis, propterea quod in curatione hujus affectionis quam extra paroxysmum tentamus, maximè sit respiciendum ad causam antecedentem, quâ proxima fovetur & sustentatur. At antecedens illa causa frequenter consistit in crassis impuritatibus & supervacaneis humoribus, in toto corpore, vel in cerebro, vel in alia quadam parte, nimirum utero, ventriculo vel cæteris collectis, qui incisionem, attenuationem, solutionem, expurgationem per urinas, alvum, sudores, vel quocunque modo id fieri potest, adeoque sui absumptionem indicant. His enim tanquam subjectis & causis antecedentibus remotis, removetur quoque vis illa noxia cohærens, qualitas videlicet illa maligna, quæ exaltata, vel per evaporationes excitata, aliàs epilepsiam producit.

X. Quâ ratione fortassis Galeni & aliorum opinio ad bonum sensum revocari potest, dum frequenter magis materiam crassam hujus morbi causam ponunt, propterea quod respectu curationis in hac corrigenda & eliminanda maximè laborandum sit.

*Cur lignum Guajacum concedatur.* XI. Plurimùm verò decoctum ligni Guajaci respectu præsentis indicationis inservit, quatenus incidendo attenuandoque causam ejusmodi antecedentem resolvit, detergendo evacuat, & sudores commovendo massam sanguineam defæcatam reddit, non sine corroboratione viscerum, propter amicam astrictoriam qualitatem sibi connatam.

*Ligni Guajaci usus commendatur.* Hîc notandum, quod non tantùm ad eradicationem antecedentis causæ, Epilepsiam facientis, maximè proficuum sit *Ligni Gujaci* decoctum, sed quod ejusdem spiritus acidus, & oleum, ad sedandum & edomandum ipsius insultum plurimùm conducat. *An sit lignum Heracleum Rulandi?* Sunt qui idipsum pro oleo *Ligni Heraclei Rulandi* habent, ducti tùm similitudine nominis, tùm quod *Rulandus* sæpius decocto ligni hujus usus fuerit in iisdem affectibus, in quibus exstirpandis, oleum hoc profuisse gloriatus est. *Quercetanus* contrà è ligno Auxeo destillatione extrahi putavit: alii ex Pino malunt; alii ex Larice arbore, hâc potissimum ratione, quod oleum Eraclium, totidem literis inversum Lariceum sonet. Nos, inquit amicus *Closseus*, quamvis non nesciamus Heracleium Rulandi oleum parari ex ligno Coryli per descensum, atque indè Conservam illius Anti Epilepticam confici, non solum hoc argumento, quod nuces Avellanæ ab antiquis Heracleoticæ fuerint vocatæ, sed præcipuè, quod *Valentinus Rulandus scribens ad Dn. Fabricium in Observ.* 84. *cent.* 3. manifestè spiritum & oleum descensorium Ligni Corylini Heraclinum appellet; quamvis, inquit, hoc ita sit, tamen pro eo appositissimè oleum Ligni sancti substitui constanter asserimus: habet enim easdem vires & facultates, eosdemque effectus edit liquor acidus Guajaci, quos, & quas oleo corylino suo attribuit ille. *Oleum Ligni Sancti pro Heraclino usurpari posse.* Accedit, quod experientia nos docuerit, specificas liquorum proprietates in descensoriâ destillatione perire per adustionem, quibus igne depastis, elevantur spiritus vitriolicus fixior, unà cum oleo fœtente & gummate, sive resinâ, quæ ut copiosæ insunt lignis omnibus, ita virtute & agendi potentiâ à se invicem non admodum discrepant. Huic assertioni subscribit etiam *Brendelius in Chym. compend. pag.* 146. Verùm ne pseudolignum pro vero vendatur, præcavet *Demetrius Canevarius lib. singulari,* 10. *capitibus constante.*

*Cautio prima.* XII. Quamvis autem talia hydrotica in morbis contumacibus maximè locum habeant, cautio tamen adhibenda, ut generalia remedia præmittamus, ne primarum viarum saburra, hujus vel similis medicamenti, viscera magis occupet, & hâc ratione causam illam dictam deteriorem & magis contumacem reddat.

*Cautio secunda.* XIII. Imò & hoc notandum, ut ipsum decoctum Guajaci pro diversitate naturæ subjecti, cum appropriatis morbificæ causæ præparetur, eò potissimum respiciendo, ut oleaginei atque acidi spiritus, ratione suæ tenuitatis aliàs secundum communem Pharmacopolarum coctionem facillimè exhalantes, quâ arte id fieri potest, conserventur, utpote cum horum beneficio vis sudorifica potissimùm Guajaco insit, quæ præstantior redditur, si ex fœcibus calcinatis sal spagyricè extractus eidem commisceatur.

Huic assertioni subscribit etiam *Vntzerus lib.* 2. *de Epilepsia cap.* 7. ubi positiones hasce nostras repetit, easdemque autoritate *Camilli Thomai Ravennatis Medici* confirmat: additis simul etiam aliis hydroticis ex Hermeticorum familia desumptis, quæ ibidem videantur. Conjungatur *Ioh. Franc. Arquatus part.* 2. *Medici reformati, abusu* 17. ubi concludit, vel in vasis operculo velatis, vel vasis vitreis more Chymicorum ejusmodi decocta præparari debere, quâ ratione medicamenti usus & medici officium laudabitur.

## QUÆSTIO X.

*An Medicus rationalis in curatione Melancholicorum usum characterum & administrationes ridiculas concedere debeat?*

*Melancholia quid?* I. INter depravatas actiones animales est etiam Melancholia, delirium, vel principum facultatum depravatio, sine febri cum timore & tristitiâ, producta sensim ab intemperie frigida & sicca, ex humore vel vapore Melancholico, cerebrum occupante, & spirituum animalium substantiam alterante. *Galenus lib.* 3. *l. aff. cap.* 7. *Paulus Ægineta lib.* 3. *cap.* 14.

Quomodo bilis atra cerebrum occupans melancholiam pariat, pluribus declarat *Ioh. Baptista Persona in Com. ad lib. Galeni, quod animi mores, cap.* 3. *mihi pag.* 136. quod à nobis etiam attingitur *Tom.* 2. *part.* 1. *lib.* 2. *Observ.* 18. 19. *pag.* 81. *& seq.*

*Melancholia triplex.* II. Prout autem peccans materia dicta, vel solum in cerebro, vel in toto corpore abundat, vel etiam per halitus exhalationibus vaporosis ex infimis partibus, hypochondriis potissimùm, cerebro communicatur, ita Melancholia vel dicitur primaria, vel ex consensu totius, vel hypochondriaca.

III. In his affectionibus Melancholicis corrigendis, quæritur, *num Medicus rationalis usum ridicularum administrationum, characterum vel similium admittere possit?*

*Affirmatur quæstio.* IV. Affirmativam statuimus probabilem, videmus enim experientiâ teste, plurimos hâc ratione sanitati restitutos esse. Plurimi namque curati sunt, inquit *Trallianus lib.* 23. *cap.* 17. cum vidissent vel audivissent ea, quæ consequi desiderabant. Ita Philodotus Medicus, quendam, qui sibi caput esse amputatum putabat, imposito repentè pileo plumbeo, à tali imaginatione dimovit, propterea quod sentiens gravitatem, caput se recepisse putavit. *Variæ historiæ Melancholicorum.* Sic alius curans mulierem Melancholicam, quæ falsam habebat imaginationem de devorato serpente, medicamentum exhibet vomitorium, & in vas subjectum clam ejusmodi bestiam imposuit, quam derepente in ipsâ vomitione videns mulier à vanâ imaginatione liberata fuit. Quod etiam imitatus est Gisbertus Horstius celebris Romanus Medicus, clystere adhibito in tali ægrotante, ut refert Forestus, ejusdem discipulus. Notabilis etiam est historia Melancholici, qui mortuum sese imaginabatur, & diutina fame tandem in cellâ suâ periisset, nisi ridiculo phasmate fuisse liberatus, quam relationem eleganter descriptam habet *Iacob. Curio lib.* 3. *Aph. Hipp. ad Aph.* 22. *mihi pag.* 242. Sic ex Thomâ à Vega refert *Hieron. Bronzerius de sem. princ. effect. sect.* 2. *cap.* 19. quendam ex suis causo decumbentem, frequenter in delirio obnixissimè Medicos rogasse, ut liceret sibi in isto stagno (pavimentum monstrabat) natare, dicendo, quod exinde esset convaliturus: & Medicos id ei tandem concessisse: illum tùm se in pavimentum mox dejecisse, & cùm in eo aliquanto temporis fuisset volutatus, cum summâ lætitiâ dixisse, aquam nunc ad genua, & paulò altius ascendisse; & cum ultimò sibi persuaderet, eam usque ad guttur pervenisse, dixisse, se jam sanum esse, & revera sanum evasisse. Tales observationes apud recentiores quoque permultæ leguntur, in quibus recensendis otio literario nolumus abuti.

*Ratio affirmationis.* V. Ratio verò, quâ monstratur, hanc thesin esse probabilem, indè deducitur, quia inter alia, quæ Medico consideranda veniunt in curatione morborum, sunt etiam animi commotiones, ad quas admodum respiciendum, præsertim in iis, qui ad eas proni sunt. At verò maximè hoc apparet in Melancholicis & delirantibus, ubi propter intellectus operationem depravatam, sæpius, ut cum Poëta loquamur,

*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

quò enim magis contrarium persuadere conamur his hominibus, eò minus nostris persuasionibus credunt, propterea quod princeps operatio in iis depravata sit.

*Medicus corpus & animam respicit.* Non enim solum bonam corporis constitutionem tractat Medicus (inquit *Barthol. Thurrianus lib.* 2. *Buliatriæ cap.* 5. *pag.* 38.) sed simul etiam animi passiones, neque illud absque hoc rectè curari posse putat ex Zamolxi *Plato in Charmide.* Quemadmodum oculos sine capite rectè curare non decet, neque sine reliquo corpore caput, ita neque sine anima corpus. Hinc *Vallesius lib. de sacra Philosoph. cap.* 73. non inconcinnè repetit ex *Galeno,* quod Medicinæ pars sit etiam Philosophia morum, non solùm, quæ ad Reipubl. pertinet constitutionem, sed etiam illa, quæ singulorum moribus componendis sese accommodat. Imò si anima esurire, sitireque dicitur potius, quam corpus, juxta *Platonem* & *Xenophontem,* ut disputat *Henricus Stephanus lib.* 1. *Schediasmate* 1. cur ergò Medicus de eâdem non sit sollicitus, quod pulchrè rebus Theologicis accommodat *D. Gregorius Papa, tom.* 2. *mihi pag.* 508. *dum inquit:* nihil prodest gloriosissima Sanitas & pulchritudo in superficie corporis, si vulnus animæ latet intrinsecus.

*Indulgendum aliquid ægris melancholicis.* VI. Ne autem per animi commotionem vehementem quiddam deterius subsequatur, idcircò cautio adhibenda est, ut interdum aliquid indulgeamus, præsertim ubi cognoscimus phantasiam in hoc vel illud esse intentam: ut enim imaginatio imperat humoribus & spiritibus, ita fieri potest, ut illius ratione τὸ θερμὸν ἔμφυτον excitetur, & suâ sponte morbificam causam interdum expugnet. *Vide Iobertum lib.* 2. *pract. cap.* 14.

*Animi accidentia non spernenda in ægris.* Hinc ergò rectè dicit *Pet. Paulus Simoneta lib.* 2. *Compend. Med. cap.* 6. quod non spernenda sint animi accidentia à Medico, etiamsi non sint in potestate ipsius, quia summâ curâ & diligentiâ perpendere debet ea, quæ faciunt ad salutem: nam persæpè sunt (inquit) qui curis & sollicitudinibus afficiuntur, cum Medicus adhibitâ omni diligentiâ

summo

summo studio, non solùm suæ actionis, sed affectus consideratione, auxilii applicatione, judicii sapientia, nihil possit prodesse, incurrunt in gravissimos errores. Quinimò multi reperiuntur, qui quacunque levi de causâ, aut astantium, extrinsecusque occurrentium, ita irascuntur, cruciantur, perturbantur, agitantur, ut pleraque etsi omni studio fuerint ordinata, non modo non prodesse, sed lædere etiam videantur: itaque in tali administratione cautus esse debet Medicus, ut ægrum in spem optimam pristinæ salutis erigat, &c. *Vide eundem ibid cap.* 15. ubi scopos in animi cura observandos enumerat. Imò & ipse *Apollo*, cui Medicinæ Inventio tribuitur ab *Ovidio*, & Poëtriæ DEUS, & Musarum Princeps statuitur, ut qui animos magis curaret, quàm corpora, cum plus temporis in *Parnasso* cum *Iovigenis Sororibus* insumpsisse legatur, quam in corporum languoribus medicandis, ut habet *Barthol. Burchelatus in Convivio Charitatis*, *pag.* 6.

VII. Hoc est, quod movit *Riolanum lib.* 4. *Meth. Med. cap.* 1. ut statueret Medicum rationalem, post Methodicam curam ritè institutam, ridicula amuleta & similia suis ægris credulis concedere posse, quod per se nocere nequeant, utpote cum sint nullius efficaciæ, ex accidenti tamen sæpissime ratione phantasiæ & confidentiæ, juvare deprehendantur.

Talia quoque sunt illa, quæ refert *Montuus in Halosi Febr. lib.* 5. *cap.* 1. *ex Sereno*, *Plutarcho*, *Hieron. Torrela*, *Conciliatore*, *& aliis*, de quibus (inquit) ut libitum fuerit cuique, opinetur.

*Limitatio additur.*

VIII. Quanquam verò suo modo, non neglecta scilicet ordinariâ curatione methodicâ, concedi possint ejusmodi remedia, non tamen superstitionem animorum, vel fraudem quorundam impostorum hoc modo confirmamus, sed in gratiam ægrorum tantùm, & corpore & anima laborantium, talia concedimus, atque hoc modo fraudem committimus utilem, quæ ægro restituto & judicio redintegrato prædito, postea à Medico manifestatur.

Conjungatur hîc *Rod. à Castro in Medico Politico cap.* 9. *&* 13. Item *Baptista Codronchius de Christ. Meden. ratione lib.* 1. *cap.* 31. ubi mendacium serium à Medico alienum esse statuitur. Quemadmodum enim apud JCtos dolus aliquando bonus est, quando contra hostes parantur insidiæ, & in similibus, ut videre licet apud *Vldaricum Zasium: Paratitl. lib.* 4. *tit.* 3. *mihi pag.* 106. Ita idipsum etiam Medico licebit, ut quâcunque ratione fieri poterit, hostem suum, morbum videlicet oppugnet: idque etiam ægro invito, quia quod habet *Guiliel. Durandus in Speculo, lib.* 1. *part.* 4. *mihi pag.* 331. etiam invitus curari potest, quia præsumitur furiosus æger, qui prohibet, ne sibi Medicina detur. Plura videas de officio Medici respectu laborantium diversorum apud *Hieronym. Brassavolam in Com. ad Aph.* 1. *Hipp.* Elegans quoque carmen est, quod habet *Gabriel Ayala in Epigram. Medicis de honestis Medicorum imposturis*, *mihi pag.* 17. ubi tandem concludit:

*Prosit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem:*
*Id fiat salvâ relligione modò,*
*Vana superstitio procul hinc, magicique susurri:*
*Nemo tanti, aliquis, decipiatur, emat.*

Tract.

Σὺν Θεῷ.

## DECAS TERTIA,

Quæ facit ad aliquot ſenſuum exteriorum affectiones cognoſcendas & curandas.

### ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Senſus externi non agunt ſine cerebro.*

*Sicut aliàs cauſa ſubordinata ſemper primam reſpicit; ita ſenſuum organa, quoad proprias ſuas operationes ſine cerebri, tanquam primi ſenſorii, adjumento nihil exactè perficiunt. Non autem ſufficit vis influens à primo ſenſorio, ſed opus eſt, ut ipſa organa externa ritè quoque conſtituta ſint. Quapropter cum ex præmiſſis quibuſdam quæſtionibus pateat, quomodo ſæpius cerebrum afficiatur, cujus læſionem ſenſuum quoque depravatio ſequitur: jam non extra methodi legem eſſe videtur, de ſenſuum externorum organis corrigendis quædam problemata ſubjicere.*

*Ratio methodi.*

### QUÆSTIO I.

*An in opthalmia tandem ad ſetaceum perveniendum, & num occipitium inſtrumento ignito vel frigido pertundendum?*

I. UT viſus reſpectu reliquorum ſenſuum ordine doctrinæ & præſtantiæ prior eſt, quemadmodum alibi demonſtravimus, utpotè cum in illo requiſita ſenſus maximè appareant, ejuſdemque operatio ſit perfectiſſima & velociſſima, ut habet *Philoſophus lib. de Sen. cap.* 1. *& lib.* α. *Metaph. cap.* 1. Ita meritò inter ſenſuum organa primò quoque oculus ſe offert: ſiquidem in nullo ſenſus inſtrumento tam mirabilis fabrica, tantuſque ſpirituum influxus invenitur, *Galeno teſte lib.* 7. *de plac. Hipp. & Plat.*

*Tom. 1. Diſp. 3. Coron. 2.*

*Cur inter ſenſuum organa primum de oculo agatur.*

*Oculi præſtantia.*

Exordimur ab oculo, inquit *Spigelius, de hum. corp. Fabrica lib.* 10. *cap.* 9. qui viſui dicatus eſt, cum & ſubtiliſſimo objecto gaudeat, & hanc mortalium vitam beatam ex omnibus quàm maximè reddat, quo ſine voluptas nulla, nulla jucunditas eſt, cum immenſam hanc rerum pulchritudinem neceſsè ſit fugere, qui viſu deſtitutus perpetuis tenebris urgetur. Primum enim locum tenere debet, non ſolùm propter multarum rerum cognitiones, quas ab ipſo viſu nanciſcimur, præ cæteris ſenſibus: cognitionem enim rerum, quæ ſunt à generatione & corruptione alienæ non niſi viſu habemus, ut in cœlo & ſtellis apparet, &c. quamobrem natura maximum apparatum & admirabilem ſtructuram in oculis adhibuit, undè ſumptuoſiſſimus ſenſus appellatur, ut habet *Hieron. Provenzalis part.* 2. *de Senſibus cap.* 3. Hinc *Lactantius Firm. lib. de Opifico DEI cap.* 8. verius & manifeſtius eſſe dicit, mentem eſſe, quæ per oculos viſibilia percipiat, quaſi per feneſtras lucente vitro, vel ſpeculari lapide obductas, ubi ſimul *Lucretii & Epicuri* errorem refellit. Hinc etiam *D. Bonaventuræ in lib.* 4. *Sentent. diſt.* 49. *num.* 24. Viſio præ reliquis ſenſibus tota merces dicitur. Hinc propter nobilitatem hujus ſenſus oculus etiam menti tribuitur, undè *Richardus S. Victoris pag.* 1. *tract. de gradibus charitatis cap.* 3. duos oculos animæ tribuit, unum quo intelligit, & alium quo requirit illum, qui reſpicit ſuper filios hominum, &c.

*Viſus reliquis ſenſibus præfertur.*

II. Inter innumeros hujus affectus frequens eſt ὀφθαλμία, Latinis Lippitudo, ab excremento defluente minus propriè ſic dicta, quæ teſte *Galeno lib.* 4. *de comp. med. ſecundum loc.* eſt inflammatio agnatæ tunicæ ſeu membranæ oculorum exterioris, os capitis & calvariæ ambientis. Cognoſcitur malum quando dicta tunica, quæ natura alba eſt, ob affluxum ſanguinis cruenta apparet, ex oculis lachrymæ reſudant, & in acanthis majoribus ſordes quædam colliguntur, ut inquit *Interpres Hollerii lib.* 1. *exerc.* 19.

*Ophthalmia quid? Signa Ophthalmiæ.*

De differentiis & notatione Ophthalmiæ videatur *Mercurialis lib. de Oculor. affect. cap.* 11. *& lib.* 1. *Pract. cap.* 38. ubi ſolvit etiam quæſtionem, quomodo locus affectus in hoc morbo non alius eſſe poſſit, quam ipſa tunica adnata, cum tamen viſus in Ophthalmia lædatur? Sed reſpondet, lædi quidem viſum hìc, ſed per accidens, quia inflammatâ hâc tunicâ fiat dolor & calor magnus in oculo, à calore & dolore attractio humorum ad oculum, qui humores attracti & diſperſi per oculum ſpiritus & humores conturbent, undè neceſſariò viſus læditur.

*Locus affectus in Ophthalmia.*

III. Cognitum hoc modo malum curationem requirit expeditam & celerem, ne ob negligentiam ſuffuſio, pupillæ dilatatio, vel pejus aliquid ſubſequatur.

*Affirmatur quæſtio.*

Hâc de re vide varia medicamenta facilè parabilia in *lib. noſtro* 2. *de tuenda San. in appendice ad cap.* 4. ubi nota, quod quidam etiam ad opiata accedunt, quibus tamen Avicennas non niſi in acerbiſſimo dolore utendum eſſe cenſet, ex materia ſubtili & corrodenre, ubi Syncope & extrema dejectio metuitur, de quo vide *Chriſtoph. à Vega lib.* 3. *Artis Med. ſect.* 2. *cap.* 1. ubi idipſum hiſtoriâ Curationis confirmat.

*Opiata quomodo conveniant hìc.*

IV. Hìc ſuboritur dubium, *num etiam aliquando in Opthalmia ad ſetaceum circa occipitis regionem ſit accedendum?* Affirmativa videtur probabilis, propterea quod contumax affluxus humorum hâc ratione revellatur à parte laborante, adeoque materia peccans affectum diutius fovens loco affecto ſubtrahatur. Cùm enim cauteriun aliàs materiam ichoroſam potiſſimum peccantem in corpore à partibus nobilioribus internis exterius ad cutim evocet, ejuſdemque impetum p. n. ad partem quandam corrigere valeat: idcirco hic etiam non abſque ratione adhibendum eſſe videtur, tunc ſcilicet ubi pertinax materia affluens poſt plethoræ vel cacochymiæ univerſalem correctionem adhuc

*Affirmativa quæſtionis.*

adhuc revulsione quâdam forti indiget, quod etiam *Matth. de Grad. p. 1. tr. 1. c. 15. in com. ad 9. Rhas.* vult, ubi fluxum per cauterisationem subtili ferro ignito factam inhibendum esse statuit.

Fieri solent Setacea in occipitio, inquit *Michael Cavasetius de Nat. Cauterii, c. 18.* ad revellendam materiam illam, quæ fluit od oculos, quando occipitium inter primam & 2. vertebram perforatur, vel quod magis probat, inter secundam & tertiam.

*Quo in loco cauterium commodissimè applicetur.*

V. Quo autem loco cauterium commodè applicetur, inter omnes non convenit, dum alii suturæ coronali infigendum esse autumant, alii contra potius in occipitio, ubi cervix incipit, illudipsum excitandum demonstrant, ratione probabiliori, cum loco affecto rectè sit opposita regio cervicis & ad eam humores peccantes citius, utpote decliviorem partem moveantur, nec ab eadem tàm facilè, quàm à futura coronali locum laborantem ophthalmiæ repetant.

*Ulterior limitatio.*

*Joh. Zecchius in Consult. Med. Consult. 18.* distinctionem hanc habet: in fluxionibus, quæ à capite feruntur, duplici consilio caput inurimus, vel exiccandi, roborandique cerebri justo humidioris; vel destillationis præcipitis in oculos, in fauces, aut in thoracem irruentis cohibendæ causâ: priori intentione synciput, inurendum esse statuit; posteriori ratione cauterium occipiti imprimit, quod in responso huic consultationi addito per *Mercurialem* etiam confirmatur, qui concedit quidem, ubi malum à vaporibus cerebrum petentibus originem ducit, aut ubi vehemens aliquod symptoma ad subitò exiccandum urget, cutim in his casibus supra commissuram aperire, ut vapores indè queant expirare, nec non partem cauterio tangendam esse statuit, quemadmodum in Apoplexia, & aliis Lethargicis affectibus fieri consuevit: at subjicit idem, quod in parando fonticulo, qui propter fluxiones diu apertus retineri debet, potius pars capitis posterior inter 2. & 3. vertebram eligatur, sive Setone vocato, sive simplici cauterio paretur.

*Setaceum præfertur cauterio.*

VI. Sed cum locus circa cervicis initium inter secundam & tertiam, vel tertiam & quartam vertebram ad simplex cauterium actuale unius foraminis sustinendum non admodum aptus sit, idcircò potius setaceum commendat experientia, ubi videlicet cutis crassior dicti loci forcipe comprehenditur & funiculo transmisso, olim ex setis, undè nomen habet, sed hodiè ex serico constante perforatur.

*Mercati determinatio.*

Conjungatur hic *Mercatus de recto præsidiorum usu l. 1. c. 16.* dum inquit: in longioribus affectibus, & his, quibus diminuta vacuatio longo tempore facta sat est, plurimùm prosunt Setacea, veluti in oculorum affectibus, aurium, & aliarum denique partium, quæ parva sunt, quarum affectus potius consuetudine fluendi ad easdem, quam ex humorum copia concitatur, quibus sat est diminuta vacuatio ad consuetudinem fluxionis avertendam

Hinc igitur colligitur adhuc alia ratio, cur in hoc affectu potius Setaceum, quam Cauterium profundius sit eligendum. Nec obstat hîc, quod habet *Barthol. Vicarius lib. 1. de Assistente ægrotantium, cap. 14.* dum in oculorum affectibus potius cauterium profundius, quam Setonem approbat; propterea quod Setonibus cutis superficiaria tantùm perforetur, ita ut postea tantum humiditates in cute imbibitæ attrahantur: quia Setaceum ejusmodi, quod innuimus, unà cum cute membranam quoque carnosam apprehendit. Vide *Durantem Schacchum in subsidio Chirurg. lib. 1. cap. 8. de Cauteriis & illaqueationibus*: & *Sebast. Cortilionem l. 5. Inst. Chirurg. cap. 2.*

*Dubitatio solvitur.*

*An instrumentum frigidum sit præferendum? Affirmatur.*

VII. An autem instrumentum perforans frigidum vel candens esse debeat, controversum est? Posterius videtur probabile, propterea quod natura cauterii actualis hoc ipsum requirat, quam ob causam veteres & recentiores plerique candenti & ignito ferro cutim forcipe comprehensam pertundendam esse statuunt. Rationibus quoque non destituuntur, propterea quod ferrum ignitum sanguinis fluxum, timendum alias, reprimat, & respectu doloris materia magis attrahatur, ipsaque pars, cui cauterium affigitur minus symptomatum ferociæ substet, propterea quod ratione exiccationis ipsa ustio vim confortandi habeat.

VIII. Nec experientia deest, tum veterum, ut passim legitur, tum etiam recentiorum, quemadmodum præ cæteris ex *Amato* patet, qui *Cent. 4. curat. 68. refert* se puellam sexdecim annorum post multa remedia à diuturna lippitudine laqueo ad nucham posito consueta & communi setacei operatione liberasse.

*Demonstratur negativa.*

IX. Quanquam verò non negamus ejusmodi ustionem in tali casu locum habere posse: non tamen videtur necessarium candenti ferro tantum uti, cum artificiosa sectione instrumento frigido factâ commodius & melius illudipsum quoque fieri possit, quemadmodum probat *Guiliel. Fabricius*, Medicus Paterniacensis ordinarius, amicus noster intimus, *in centur. 1. observat. Chirurg. 40.* Cum enim vir hic peritissimus diuturnâ experientiâ nullam operationem chirurgicam magis ægrum deterrere, majoremque horrorem eidem incutere videret, quàm ustionem actualis cauterii, ideò de commodiore & jucundiore modo cogitare cœpit, non sine successu, quemadmodum ex observationibus citatato loco propositis optimè patet.

*Modus Setacei frigidi.*

X. Hanc ob causam cutim in dicto loco forcipe comprehensam non ignito instrumento, sed cultello frigido ancipite perforat, & mox adæquatum funiculum ex serico rotundum crassitie foramen implentem transmittit, quibus peractis linteum duplicatũ ovi candido probè conquassato intinctum applicat, ratione doloris & sanguinis fortè fluentis. Deindè digestivum imponit ad aliquot dies, unguentum videlicet ex therebinthina, lota in aqua beton. cerâ, gummi elemi, oleo rosaceo, vel amygd. addito vitello ovor.

& pauxillo Croci. Tandem factâ digestione funiculum paulatim protrahendo, ut pars sanie humectata abstergatur, hederæ folium linteo molli involutum quotidiè bis imponit, quo foramina retinentur aperta, donec extracto funiculo cum commodo, & salute ægrotantis, indicatio consolidationis locum habeat.

*Rationes pro setaceo frigido.*

XI. Rationes quibus hæc operatio setacei frigidi confirmatur, non desunt: quod enim intentioni quoque satisfaciat, præter experientiam inde patet, quod vulnera ejusmodi aperta felicitate eâdem fluxus, & ichorosos humores ab aliis partibus revellere & evacuare valeant ac si combustione facta essent.

XII. Adde quod modus hic commodior, & melior sit illo, qui ignito instrumento perficitur, tum ex eo patet, quod vi ignis pars cauterisanda exiccetur, & per consequens corroboretur: atqui nec prius, nec etiam posterius requiritur. *Non illud*, quia setaceum propterea adhibetur, ut à parte laborante ad sanam superflua humiditas derivetur, ubi non opus est exiccatione, sed potius humectatione, quia constat sicca non attrahere, nisi primum aliquo modo sint emollita: *non hoc*, quia pars illa in quam humor superfluus derivandus est, potius debilitanda, quam confortanda videtur.

XIII. Imò cum Medicus non solùm corpus, sed etiam animum in curatione suorum ægrorum respicere debeat, propterea, quod suas operationes mediante natura, quæ in hominibus anima est, peragat: idcircò quantum fieri potest, ab ejusmodi ignito ferro abstinere debet ob horrorem, & phantasiam, quam plerique homines ex eo concipiunt, ita ut multi citius ad prælium adigantur, quam ut ferro candenti sese committant: at notum est, quid in hominibus, & præsertim in ægrotantibus phantasia possit.

*Magna vis affectuum animi.*

Patet hoc in eo, quod sæpius etiam metu consternata natura partem aliquam, cujus repositio arti denegatur, in locum suum reponat, quâ ratione procidentia ani desperata, subitò candente ferro monstrato, cum impressionis conatu quasi retrocedit, ut refert *Joh. Nesterus in Consil. Antidysenterico cap. 11. pag. 300.* quod etiam in uteri procidentia desperata refert *Rod. à Castro par. 2. lib. 2. de Mor. Mul. c. 16. sect. 2. dum inquit*: præstat actuale cauterium ignitum manu ostentare, ac simulet Medicus, vel obstetrix, velle partem tangere; ita enim natura retrahitur, & cum ea, uterus ipse &c. qua ratione subjicit, filo alligatos vivos mures repentè quoque cruribus submittendos esse. Memorabile est, quod idem addit, de vulnere ventris cum Intestinis egredientibus, quæ cum reponi non possent, *Andreas Nalacer, Chirurgus Salmaticensis*, candens ferrum magnum coram patiente manu gestans vulneri applicaturum finxit, cujus rei subitò terrore è vestigio intestina in suum locum reducta fuêre.

XIV. Adde, quod dolor etiam sit multo tolerabilior in hoc modo setacei, cum illum tantum repræsentet, quem in phlebotomia percipimus. Ita dicta sententia rectissimè confirmatur, ut potius, quam prior eligenda esse videatur, propterea, quod jucundior, melior, ac tutior sit hic modus, utpote, qui in ipsis etiam infantulis majori cum fructu, quam fontanella (quod alii practici volunt) in cervice, datis indicationibus, adhiberi possit, ut idem author Fabricius pulcherrimè probat. Vide quoque *Jacobum Guillemæum consentientem in Chirurgia sua Gallicè conscripta.*

*Resolvuntur rationes in contrarium adductæ.*

XV. Nec obstant rationes adductæ pro ignito instrumento, quod videlicet sanguinis fluxus ustione reprimatur, respectu doloris vehementis materia magis attrahatur, ipsaque pars confortetur: Non inquam, hæc obstant, quia primum sanguinis fluxus hic non est, ut ustionem indicet, propterea quod vasa conspicua caveantur, & sanguis præterea profluens aliâ ratione compescatur, ut dictum fuit. Dolor verò excrucians, quamvis aliàs affluxum moveat, hic tamen, ubi ferro candente fit, frustra expectatur, propterea quod exiccatio affluentes humores reprimat, & revulsionem impediat, quod vel maximè patet, ubi propterea combustio instituitur, ut fluxus humorum inhibeatur. Tandem partem sanam non confortandam, sed potius debilitandam esse diximus. Conjunge *Matthiam Glandorpium tr. de Fonticul. & Setonibus cap. 18. 19. 20. & seqq.*

## QUÆSTIO II.

### *An & quâ ratione sanguis columbarum sugillationem oculorum corrigat?*

*Sugillatio quid.*

I. Sugillatio latinis, *Paulo & Aëtio* ὑπόσφαγμα, malum est oculorum, ubi sanguis tenuis resudat, atque effunditur in oculum, potissimum respectu corneæ tunicæ, ex ictu seu plaga quâdam, maximâ ex parte ruptis, aut contusis vasis tunicarum, unde rubor, & aliquando dolor & subsequens inflammatio. Quomodo in tali affectu curando methodicè procedendum ex aliorum practicorum libris hic præsupponimus. *V. Tom. 2. l. 9. obs. 11. p. 445.*

*Affirmatur quæstio.*

II. De eo tantum quæritur, *num sanguis columbarum ejusmodi læsionem præ reliquis topicis optimè corrigat?* Veteres in his casibus magni fecerunt sanguines animalium, dum alii sanguini hirundinum, palumbarum & turturum; alii columbarum, præsertim masculorum, primas tribuerunt, ut habet *Holler. in Perioche l. 4. de comp. med. secun. loc.* At *Gal. l. 10. simpl. & Aëtius tetrab. 1. serm. 2. c. 75.* parvi faciunt ejusmodi controversias de sanguinibus, & potius aliis utuntur medicamentis magis vulgaribus.

Videatur *Vlysses Aldrovandus l. 15. Ornithol. c. 1. p. 217.* ubi varia ex *Galeno, Dioscoride, Celso, Plinio & aliis* collegit, quæ de sanguine columbino proponuntur.

III. Quoniam verò experientiâ, quæ rerum, & omnis scientiæ singularis principium, antiquorum assertio non destituitur, idcircò recentiores practici sanguinis, & potissimùm columbini usum adpro-

adprobant, eam ob causam, quod videant hujus beneficio sanguinem in tunicis oculorum concretum facilimè ac tutò discussione resolvi.

*Ratio affirmationis.*

IV. Adprobamus igitur & nos inter alia topica sanguinem columbinum ex corpore vivente, potissimùm circa venas alarum profluentem, propterea, quod habeat virtutem resolvendi, ac discutiendi, sine noxa, quæ in aliis quibusdam remediis timenda est, quam possidet ratione salis nitrosulphurei, adæquatâ humiditate optimè temperati.

*Unde sit sal nitrosulphureus in columbis.*

V. Obtinet autem animal hoc aëreæ naturæ ejusmodi salem nitrosulphureum in sanguine suo, tum quod ipsum sit temperamenti calidissimi, tum etiam quod alimenta ejusmodi salsa, nitrosa, & aluminosa diligentissimè perquirat, iisdemque ob similitudinem admodum delectetur, quemadmodum satis adparet ab excremento columbino, quod separatum à sanguine totum nihilominus est nitrosulphureum: ita ut ex eodem copiosa nitri quantitas arte eliciatur. Cujus ratione tam efficax est, ut spiritus illi nitrosulphurei in eo excitati ædes integras incendere, & comburere valeant, si verum est, quod *Gal. lib. 3. de temp. habet.*

*Columbarum caro bonum sanguinem generat.*

VI. Quod si tam efficax est illa qualitas in excrementis & impuritatibus separatis, ergò nobilior, & præstantior erit in ipso sanguine per digestionem vid. & concoctionem multiplicem præparato, magis scil. temperata, & animalis naturæ convenientior reddita. Hinc etiam columbas bonum & laudabilem sanguinem generare, adeòque boni nutrimenti esse dicimus, ita ut senibus, & iis, qui frigidis affectibus obnoxii sunt, alimentum præbeant accommodatissimum, ut habet *Quercet. in diæt. polyhist. cap. 5.*

Apud *Aristotelem lib. 5. Hist. animal. cap. 13.* sylvestres columbæ domesticis præferuntur, & ex iis verè & autumno natæ, quarum hæ laudantur ab Alberto, propterea quod melioribus granis vescantur. Veteres durioris sunt alimenti, & propter nimiam caliditatem & siccitatem improbantur, quanquam concedere videtur easdem *Bryurinus de re cibaria. l. 15. c. 24.* dum genitores columbarum circa brumam frigoribus, ut aliæ carnes omnes, tenerescere cum vulgo existimat. Plura de hac materia proponit *Ulyss. Aldrovandus citato loco, & Jul. Alexandrinus l. 13. Salubrium c. 3.* His adde distichon, quod habet *Georg. Pictorius in Meth. tuen. san. cap. 6.*

*Et stomacho ignito multum nocet ecce! columba,*
*Poplitibusque ægris, ni juvenis fuerit.*

*Columba ex accidenti tardioris sunt digestionis.*

VII. Nec obstat, quod *Avicenn. 2. tract. 2. c. 133. & lib. 3. Fen. 13. tract. 1. cap. 33.* columbas inter alimenta tardioris digestionis esse dicat: hoc enim ex accidente fit in pullis, antequam volatu sese exercent, ob humiditatem excrementitiam abundantem.

*Modus applicationis.*

VIII. Sed tandem quæritur de modo applicationis. *Forest. lib. 11. observ. 8.* cum aliis sanguinem ex alis columbarum calidum, prout defluit, statim instillat in oculum: rectè ex alis, quia in illis partibus vehementiori motui destinatis, ac levioribus, magis alteratus, majorique tenuitate præditus esse videtur. Quoad cætera, melius esset cum aqua quâdam appropriatâ, pro diversitate affectus, calefactâ, sanguinem profluentem perpetuâ agitatione miscere, ut indè fiat collyrium: quia alias fibrosæ sanguinis partes non separantur, sed unà oculo instillantur, quæ sua tenacitate adhærere, & collectioni sordium ansam præbere possunt.

## QUÆSTO III.

*An suffusio oculorum per vomitionem curanda sit?*

*Suffusio oculorum.*

I. SUffusio græcis ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις vulgò cataracta dicitur, teste *Aëtio tetrab. 2. ser. 3. cap. 5.* in quo humores circa pupillam quasi congelati præterfunduntur: ita ut visus lædatur ob crassitiem humoris albuginei: quæ si totaliter intenditur omninò visionem tollit, & vocatur suffusio completa ὑπόχυμα perfectum: quod si non totaliter à crasso humore obtenebretur pupilla, sed aliquâ parte adhuc pura supersit, videbuntur adhuc res objectæ; sed singulæ seorsim; at si in pupillæ centro exigua consistit suffusio, maneantque partes, quæ in circuitu sunt puræ, omnia quasi per fenestram apparebunt, *Gal. l. 1. de causis sympt. c. 2.*

*Paulus Ægineta lib. 3. cap. 22.* dum agit de Glaucomate & suffusione, hypochymata humorum affusionem esse dicit, qui inter tunicam ceratoidem & crystalloidem concrescunt: *addit*, quod Glaucomata non curentur; at hypochymata curari, sed non omnia. *Idem lib. 8. cap. 21.* sic incipit: Suffusio otiosi humoris in cornea membrana juxta pupillam concretio est, quæ visum impedit, aut certè, ne clarè oculus cernat, efficit. Quanquam vero Paulus hic à seipso diversus esse videatur, dum primo παρέγχυσιν, affusionem, postea verò σύςασιν seu consistentiam, suffusionem esse dicit; nihilominus facilimè patet mens ipsius, ubi dicit in eodem capite, quod de iis suffusionibus lib. 3. egerit, quæ nondum radices firmas habent, nullamque manus administrationem requirunt, sicut hoc repetit *Donat. Altimarus de Med. Meth. c. 19. & Forestus in Schol. ad Obs. 30. l. 11.*

*Notatio suffusionis declaratur.*

*Locus suffusionis.*

Porrò de loco suffusionis diversæ sunt Autorum opiniones, ut videre licet apud *Mercurial. l. 1. Pract. cap. 34.* quatenus *Autor libri de oculis* inter humorem crystallinum & uveam tunicam hoc morbi genus positum esse vult, quod etiam quibusdam Arabibus tribuitur, ubi tamen *Gal. 10. de U. P. cap. 1.* inter crystallinam & corneam tunicam affectum hunc esse statuit, cui subscribit *Paulus* Aetius, Actuarius, & alii Græci: Avicenna inter Albugineam Siphac & corneam suffusionem fieri pronunciat: *Celsus l. 7. de re Med. c. 7.* peculiarem quoque fovet opinionem, qui aliàs etiam à Galeno & aliorum sententiâ discrepat, quod tres tantummodo oculi tunicas & duos humores statuit, ut videre *licet cit. loco, & ibid. in com.*

F 2 *Bald,*

*Bald. Ronsei. Mercurialis citato loco* decisionem ponit: videndum est, inquit, quæ sit natura suffusionis; nihil enim est aliud, nisi humor quidam & vapor concretus & condensatus ante pupillam, seu humorem crystallinum. Igitur ubicunque potest hic humor concrescere, putandum est, totum illum locum posse esse subjectum ejus morbi: jam verò totum istud spatium, quod intercedit inter crystallinum & corneam tale est, in quo scilicet potest concrescere hæc materia: igitur videtur totum hoc spatium esse locum suffusionis, non quod semper in toto hoc spatio fiat, sed quod modò in hac, modò in illa parte &c.

*Negatur quæstio.* II. In hoc affectu *num vomitio conveniat dubium est?* Negativa videtur probabilis, quia per vomitum peccans materia magis ad locum affectum duceretur, utpote, quo ex partibus inferioribus humores sursum, & per consequens ad ipsos etiam oculos moventur. Imò cum vomitus sensibiliter auribus noceat, quemadmodum enormi vomitu surditatem, & gravem auditum aliquando ortum fuisse testatur experientia, *cum Avicen. lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 11.* Verisimile est eundem quoque oculis minimè convenire.

*Confirmatur affirmativa.* III. Sed contra, pars affirmativa quæstionis confirmari potest sequentibus. Quia vomitus visum clarificare dicitur, quod in hoc affectu maximè requiritur. Hoc fieri potest, quatenus vomitus materiam fumosam oculis subtrahit, ita ut sit medium evacuans, respectu inferiorum, & eradicans respectu superiorum. Imò cum albugineus humor per affluxum heterogeni depravatus hoc symptoma introducat, videtur verisimile vomitum convenire, utpote, quo superfluitates educuntur, adeoque causa impuritatis subtrahitur.

*Resolutio quæstionis.* IV. Pro quæstionis resolutione notandum, quod suffusio alia sit vera; alia notha; illa fit in oculis per πρωτοπάθειαν affectis; hæc autem frequenter ex consensu ventriculi oritur, ubi præter humorum in ventriculo contentorum vitium utrique oculo conjunctim similia accidunt, quemadmodum in vera suffusione, ita tamen, ut facili negotio à se invicem distinguantur, sicuti patet ex *Galeno lib. 4. de locis aff.* Quoad veram suffusionem vomitus non convenit, quod argumenta negativa probant: si enim (*inquit Conciliator diff.* 121.) læsio provenit oculis à seipsis, vel à cerebro, vomitus nocet, & in fieri, & in facto: cùm plus elevet peccantis materiæ ad locum laborantem, quam evacuet. Si verò suffusio fiat ventriculi vitio, rectè cum practicis vomitum concedimus, quia subtrahit causam foventem, & continuantem dictam affectionem. Quod pulchrè probant argumenta pro affirmante sententia adducta.

*Cautio.* V. Attendendum tamen, quod dicto loco Conciliator monet, ut præcaveamus nocumentum, quod vomitus introducere potest, quatenus materiam & vapores in cerebrum, & per consequens ad oculos laborantes dirigit. Si igitur particularis, non admodum frequens, & cum facilitate in corpore disposito, hoc est, per universalem curam antea præparato.

## QUÆSTIO IV.

*An depravatus auditus mulieribus post partum adveniens eandem curationem requirat, cum illo qui fit in convalescentibus?*

*Aurium tinnitus quale symptoma.* I. Inter auditus læsiones frequens est aurium tinnitus vel sonitus, quem græci ἦχον καὶ συριγμὸν vocant, ubi aures intra se ipsas sonant, ita ut externus sonus rite percipi nequeat, quemadmodum *Celsus lib. 6. cap. 7.* innuit. Est autem affectio hæc symptoma in genere noxæ functionis sensibilis depravatæ, quia sentit audiendi facultas id quod sentire non deberet, ut inquit *Altimarus lib. 1. de med. morb. cap. 34.*

*Ejus causa.* Plurimùm huc faciunt illa, quæ de Auditu secundum naturam à nobis proponuntur *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 2. Exerc. 6. §. 12. & seq. p. 158.* cum quibus conjungat lector subtilitates *Æmilii Parisani lib. 11. Ex. 1. cap. 1. & seq.* At in aurium tinnitu & sonitu facultas illud sentit, quod sentire non debebat, ideoque talis effectus est præter naturam, de cujus causa antecedente variæ sunt Autorum opiniones, quanquam causa proxima sit omnibus Objectum intra aurem hærens, & facultatem p. n. movens. Videatur hac de re *Mercurialis lib. 1. Pract. cap. 41. Jachinus in lib. 9. Rhasis, cap. 33. Sennertus l. 1. pract. par. 3. sect. 3. c. 6.* Ut enim in statu s. n. vis Auditus est apprehendere sonos & voces, quod pulchrè declarat *Bernardinus Telesius de Rer. Nat. l. 7. c. 33.* & in aëreo quodam consistit, quod membranulam quandam in aure positam circumdat, atque species sonorum ab extrinseco agencausatas recipit, non quidem ἀθρόως sed pedetentim, per anfractus hoc fine conditos in aure, quemadmodum ex aliis repetit *Valerius de Valeriis in Aureo opere in Lullium, mihi p. 142.* Ita in statu p. n. aëreum, istud minus ritè dispositum est.

II. Jam dubitatur, *num hoc malum, quatenus parturientibus frequenter succedit, & in convalescentibus quoque sæpius deprehenditur, unam eandemque curationem requirat?* Quod ut rectius intelligamus causæ inquirendæ sunt, cur videlicet talis affectio in utrisque frequenter inveniatur.

*Cur in puerperis frequens aurium tinnitus.* III. Quo ad puerperas τὸ ὅτι negari non potest, cum plurimæ post partum in puerperio non tantùm tinnitu aurium, sed etiam imperfecta quâdam surditate corripiantur. Verùm τὸ διότι quâ ratione scil. id fiat, non ita planum est, præsertim cum videamus uterum, ejusque annexas partes, ubi maximus est in partu dolor, ab auditus organo remotissimas esse.

*Subjicitur ratio ab observatione Anatomica deducta.* IV. Videtur vero consentaneum hoc fieri eâ ratione, quatenus, in adjuvando partus opere, facultas animalis omnes intendit vires, ut fœtus expulsionem, quâ ratione id fieri potest, adjuvet, quam ob

ob causam circa spinalem medullam maximus fit spirituum animalium influxus, cum ab ea potissimùm nervi motui infimi ventris prospicientes deriventur, ac postea in musculos distribuantur.

V. Prout autem vehementissima est hæc movendi intentio, ita fieri non potest, quin simul principium nervorum potissimùm circa posteriorem capitis partem afficiatur, eo scilicet in loco ubi spinalis medulla descendit: atqui artificiosa Anatomia docet, quod nervus quintæ conjugationis, qui auditui præest, eo ipso in loco ubi spinalis medulla descendit, suam habeat originem, brevissimoque ductu statim in aurem internam inseratur, quapropter facillimè patet, quod in vehementissimo illo nixu nervus auditorius quoque simul affici possit, ita ut circa illius insertionem post partum humores crassi & viscidi ob nativi caloris imbecillitatem, propriamque debilitatem, ratione vehementissimæ commotionis colligantur, cum aliàs etiam in parturientibus, imò & prægnantibus animales facultates sint debiliores, quatenus unius fœtus generationi & absolutioni natura potissimum incumbit.

*In parturientibus & prægnantibus debiliores sunt facultates animales.*

VI. Quoad convalescentes negare non possumus frequentissimè fieri, ut post morbum aurium sonitu, adeoque depravato auditu corripiantur: causa facillimè colligitur, quod videlicet ex morbo facultas alterandi & concoquendi sit debilior, undè plurimos vapores ob imbecillem calorem colligunt, qui, ubi petunt auditus organum, αἴσθησιν depravatam faciunt, ut inquit *Mercurialis l. 1. pract. c. 41.*

*Cur in convalescentibus aurium tinnitus frequens.*

VII. His positis atque determinatis concludenda est quæstio, ubi negativè respondemus, nimirùm in utroque affectu non unam & eandem curationem instituendam esse, propterea quod diversitas causarum det alias atque alias indicationes curativas. Ita in puerperis ejusmodi affectu correptis eò potissimum respiciendum, ut suas purgationes post partum exactè habeant, quibus ritè constitutis toti quoque prospiciendum, ita ut peccantes humores præparentur & evacuentur: tandem localia quoque non negligenda, quò materia collecta circa proprium auditus organum incidatur, discutiatur & absumatur, ubi commodissimè pulvis grossus ex Castorei drachma dimidia, olibani, myrrhæ ana scrupulo semis, rad. asari drachma una confectus & in vino coctus adhibetur, ita ut colatura ejus calida frequenter auribus instilletur, quemadmodum usum hujus remedii cum successu in talibus casibus olim usurpatum vidimus à Medico celeberrimo *Joh. Michelio, Archiducatus Austriæ Superioris Ordinario p. m.*

*Decisio quæstionis.*

Notandum tamen & hic ex *Herc. Saxonia lib. 1. Panthei cap. 20.* surditatem & tinnitum aurium potius siccis, quam humidis medicamentis esse tentandam, propterea, quod ex actuali humiditate tympanum reddatur laxum, aër implantatus incrassetur, & causa mali augeatur, undè suffumigationes ex Croco, Myrrha, Styrace, Benzoino, Ligno Aloës, Thure &c. probantur ab eodem, cum sacculis ex Calamentho, Origano, Majoranâ &c.

VIII. At in convalescentibus sufficit, ut respiciamus ad confortationem nativi caloris imbecillioris, quo adjuto, symptoma tale facillimè suâ sponte cessat: potissimùm verò cerebro per sua corroborantia prospiciendum, ubi *Jacob. Horstius, piæ Memoriæ, Medicus Professor Helmstadiensis, præceptor noster honorandus* magni faciebat rotulas proprias capitales ex ol. nucis mosch. per expressionem, marg. præpar. corn. cervi usti & s. q. sacch. in aquâ lavendulæ soluti confectas. Quod si malum suâ sponte post corroborationem non cessat, leviora topica dissolventia usurpantur, uti Crato commendat decoctum Origani in vino & aqua præparatum, & per spongiam auribus adhibitum.

## QUÆSTIO V.

*An Semen nigellæ manifestis vel occultis qualitatibus corrigat olfactus læsionem in coryza?*

I. PRæter manifestas qualitates, alias adhuc rebus inesse dubium non est, ex totius videlicet substantiæ proprietate provenientes, quarum ratione Magnes ferrum trahit, Rhabarbarum bilem evacuat, cranium præparatum Epilepsiæ confert, de quibus suo loco pluribus agemus, ubi morbos totius substantiæ considerabimus.

*Dantur occultæ qualitates.*

De morbis totius Substantiæ videatur *Tom. 1. Disp. 5. Coron. 1. Quæst. 13. 14. 15. 16. pag. 239. 240.* ubi conjungat, qui vult ea, quæ contra Fernel. & Argenterium disputat *Comes Montanus lib. 3. de Morb.* cujus assertiones censorias in alios examinat *Erastus* in libello, qui inscribitur, *viva Anatome Comitis Montani Vicintini.*

II. Jam saltem quæritur, *num Semen Nigellæ, cujus usus frequens est in Coryza, proprietate substantiæ vel manifestis qualitatibus affectionem dictam corrigat?* Prius videtur approbare *Langius lib. 1. Epist. 34.* ubi Melanthii semen catarrho convenire dicit, eo actionis modo, quo contacto tridente à torpedine marina piscatoris manus obstupescit, quâ præsentia Adamantis ac allii magnetis actio, ne ferrum attrahat, impeditur &c. Idem repetit *lib. 2. Epist. 49.* ubi nigellam catarrho prodesse dicit, eâ ratione, quemadmodum alia non manifestis, sed occultis totius substantiæ viribus aliquid perficiunt.

*Affirmatur prius à Langio.*

Quid propriè Nigella fit, vel Melanthium vulgò notum est: qui tamen lapsus quorundam agnoscere conatur, ille videat *Franc. Alexand. in Apolline suo, radio 1. in Confect. Anacardina, mihi p. 108.*

III. Sed posterius potius asserendum esse videtur, idque patet ex *Galeno lib. 1. de simpl. medic. facult.* ubi inquit, quod Nigella excalfaciat & siccet ordine tertio, sitque amara, tenuiumque partium, atque hâc ratione fieri, ut in linteo admota & assiduè olfacta catarrhos sanet, scil. materiam incidendo, exiccando, & sensibiliter ad evacuationem præparando.

*Posterius confirmatur contra Langium.*

F 3 Hinc

Hinc *Jacob Pad. in opere Aggregatoris mihi pag. 67.* secundum Classicos Autores Nigellam odoratam assatam, vel torrefactam Coryzæ fluxum inhibere statuit. Hinc oleum Nigellæ apud Rhasin habetur ad impetiginem efficax: & Sylvestris nigellæ, quæ in tritico multum crescit, herbâ optimè tritâ cum melle pessarii loco utitur *Hipp. in lib. de Mor. Mulier.* ad menses movendos, dicitque esse δηκτικὴν ἰσχυρῶς, id est, valdè morsum inferre. *Camerar. in Horto pag. 99.* Plura de viribus nigellæ collecta ex *Plateario, Avicenna, Constantino, Isaac, & Marco videas apud F. Vincentium Beluacensem in Speculo Naturali lib. 12. c. 19. & 20.*

*In morbis manifestis frustra quæruntur remedia occulta.*

IV. Datis igitur manifestis qualitatibus, non opus est, ut ad occultam confugiamus, præsertim in hoc morbo, ubi substantialis proprietas frustra quæritur. Cum enim dictus affectus non sit morbus totius substantiæ (nihil enim aliud est coryza, quam defluxus humoris excrementitii à capite ad nares, cujus causa est alteratrix cerebri debilitata, quam producunt nimium frigus, ardor solis, & ea quæ caput replere possunt *Gal. lib. 3. de caus. sympt. c. 4.*) consequens esse videtur, eidem quoque succurrendum esse per appropriata remedia contraria, non occultis, sed manifestis qualitatibus prædita: quodlibet enim patiens adæquatum & proprium requirit agens; ubi maximè convenit litus suturæ coronalis & verticis, & Gummi Elemi cum ol. succini dissoluto. Plura de Coryzæ natura, causis & differentiis atque curatione qui videre cupit, ille videat *l. de Catarrho Sebast. Paparellæ à Monte Sancto.*

## QUÆSTIO VI.

### *An vehemens hæmorrhagia narium per jecoris epithemata corrigi possit?*

I. Quanquam vehemens αἱμοῤῥαγία ῥινῶν, fluxus sanguinis è naribus, est symptoma in genere excretorum p. n. immodicè; nihilominus cum naribus accidat frequentissimè, adeoque olfactum impediat, non videtur inconveniens de eadem quæstionem præsentem movere.

*Quot modis αἱμοῤῥαγία fiat.*

II. Priusquam verò ad resolutionem controversiæ accedamus, ante omnia notandum sanguinis excretionem præter naturam ob triplicem venarum διάθεσιν, oriri posse, cum tot modis propria sanguinis receptacula labefactentur, ut sanguinem retinere nequeant: vel enim fit ἀναστόμωσις, quando vasorum orificia aperiuntur, tum ob retentricis imbecillitatem, tum ob sanguinis plenitudinem, tum etiam ob ejusdem acrimoniam, vel alias qualitates alienas, quibus expultrix irritari potest; vel fit διαπήδησις, quando sanguis instar sudoris per tunicas rarefactas & attenuatas præter naturam transcolatur; vel accidit διαίρεσις, quando vas ipsum sanguinem continens, exulceratione, erosione, incisione, ruptura, vel alias ob causas divisionem & unitatis solutionem patitur, ut habet *Galenus, lib. 3. de caus. sympt. cap. 2.* Sub hoc tertio modo continetur etiam ille, quem *Hollerius* reliquis addit *lib. 1. pract. c. 22.* διάβρωσις videlicet, ubi erosione vel exulceratione venæ dividuntur & aperiuntur.

*Rationes pro negativa quæstionis.*

III. His positis quæritur, *num jecoris epithema ferocem narium hæmorrhagiam corrigere valeat?* Negativa videtur probabilis ex dictis, propterea quod omnes enumeratæ causæ proximiores ad ipsas narium venas spectent: atqui harum dispositionem præter naturam (sive sit ἀναστόμωσις, sive διαπήδησις, sive διαίρεσις) quomodo jecoris, membri remotissimi, topica medicamenta adhibita corrigent & emendabunt?

IV. Imò cum quodlibet malum contrarium suum indicet, consequens est, hic ipsam venarum apertionem sibi contraria indicare media.

*Diluuntur instantiæ & pars affirmativa monstratur.*

V. Veruntamen cum artifex Medicus non semper causam proximam tantùm, sed etiam remotiores frequenter respicere cogatur, utpote sine quibus correctis frustra laboramus in proximis extirpandis: idcircò patet interdum ea præscribi posse remedia, quæ proximæ causæ vel etiam ipsi affectui non contrariantur.

VI. Ex hoc fundamento practici doctores interdum in vehementi narium hæmorrhagia jecoris epithema commendant, non neglectis aliis, quæ ipsis naribus respectu causæ proximioris adhibentur, propterea quod sanguis effervescens, & præter naturam ἀθρόως ad superiora commotus, ad suum principium & fontem, nimirum jecur, revocatur, ita ut postea venarum dispositio morbosa faciliorem admittat correctionem, quâ ratione ligaturæ extremorum, cucurbitulæ sine scarificatione circa hypochondria, aliaque similia commendantur.

*μετάστασις peccantis materiæ varia.*

Conjungantur hîc illa, quæ proponuntur *tom. 9. lib. 4. obs. 46. pag. 229.* ubi monstratur, quomodo per Epithemata Jecoris refrigerantia, astringentia, & jecoris imbecillitatem roborantia non tantum hæmorrhagia narium vehemens sistatur, sed etiam roboratâ naturâ sæpius acres humores per diarrhæam ejiciantur, quâ ratione *Spigelius etiam in libro de Arthritide* historiam unam atque alteram adscribit podagricorum, qui post usum Balnei artificialis ex sale, alumine, spiritu sulphuris & nitri, in alvi profluvium lapsi sint: nam etsi his (inquit) venæ à tepore & humiditate Balnei ampliores & patentiores redderentur, vis tamen aluminis astringendo cutim, articulos & habitum corporis carnosum, ita fluentes humores compescebat in venis, ut ab habitu corporis ad ventrem eos coegerit, & diarrhæam excitârit, &c. Sed tamen & hîc cautione opus, tam in hæmorrhagiâ, quàm in fluxionibus podagricis, ne nobis accidat idem, quod refert citato loco *Spigelius* de quodam alio podagrico, qui cum à balneis & lutis ita penes articulos corroboraretur, antequam partium principalium imbecillitati esset prospectum, post aliquot septimanas, accumulatâ novâ materiâ, partes principes invadente febri continuâ correptus periit.

## QUÆSTIO VII.

*An & quomodo Nicotiana vera catarrho vel Coryzæ conveniat?*

*Nomen Nicotianæ.*

I. INter alia maximè laudata medicamenta recentiorum est etiam *Nicotiana vera*, cui ab Hispanis Tabaco nomen inditum, ab Insula ejus denominationis, in qua copiosè nascitur, ut refert *Nicolaus Monardes.* Aliis Petum vocatur: nonnullis ob insignes virtutes herba Panacea indigatur.

*Nicotiana*, vel *Nicosiana* dicitur hæc herba *à Johanne Nicosio*, Neumansensi, Francisci II. Galliar. Reg. Consiliario, qui eam primò Galliæ innotescere fecit, ut habet *Joh. Neander in Tabacologia pag.* 3. Dicitur etiam *Catharinaria & Medica Herba*, teste *Paræo in præfat. Chirurg.* dum inquit: Petum Antarcticis, nobis Catharinaria & Medica, vulgò Regina Herba dicitur, quod ejus vim malignis ulceribus, vulneribusque utilem, Gallis antea incognitam, Catharina Medicea, Regum nostrorum mater, singulari studio & industria patefecerit &c. Plures denominationes vide apud *Dn. Caspar. Bauhinum in laboriosiss. opere Pinacis Botanologici lib.* 5. *sect.* 1. *p.* 169.

*Vires Nicotianæ.*

II. Quoad facultates hæc planta calida & sicca in secundo gradu statuitur: ideoque calefaciendi, resolvendi, mundificandi, & aliquo modo astringendi potestatem obtinet, juxta dictum autorem *pag.* 331. in latina Clusii versione.

Imò perniciosissimo toxico & veneno, quo Cannibales suas inficere sagittas consuevêre, Tabacum resistere Hispanos didicisse, nec non Helleboro, & aliis venenis contrarium esse scribit, & observationibus confirmat citatus *Neander pag.* 33. 34.

*Affirmatur quæstio.*

III. Jam quæritur, *num hæc Planta in Catarrho vel coryza sit usurpanda?* Affirmativa deducitur ex eo, quod respectu qualitatum dictarum defluxionibus humorum pituitosis remedium accommodatissimum esse videatur.

*Pulvis Nicotianæ quomodo sit usurpandus.*

IV. Modum præscribit ejusmodi *Everartus in com. de Tabaco*; Inprimis, inquit, ad affectus præter naturam capitis deturbandos, nempe catarrhum omnem, vertiginem, & oculorum defluxionem, capitis dolorem, modo ex causa frigida, aliasque hujusmodi particulas læsione morbi obsessas, plurimùm facit pulvis foliorum peti, subtilissimè tritus cribratusque & in utramque narem per canalem matutinis temporibus insufflatus, omnem humorem caput infestantem instar errhini purgat & divertit, dummodo illo pulvere per aliquot dierum spacium corpore prius benè purgato utamur.

Non absque ratione pulveri huic hodiè Macis, Majorana, Moschus & Ambra admiscentur, tanquam ea, quæ caput roborant, & spiritus animales reficiunt. Huc etiam pertinet Elixir phlegmagogum, quod habet Neander hoc modo: ℞. Magist. Magnetis, Succini, Hæmatitid. Extr. Euphorb. ana gr. v. Succi Nicotianæ ℨij. Succi Hellebor. ℨß. Aq. majoranæ ℥iiij. digerantur vase clauso ad unionem, indies agitentur: in usu gutt. vj. ore detineantur.

*Fumus Nicotianæ quid præstet.*

V. Imo & fumus ejus plantæ accensæ naribus & ore acceptus idem præstare videtur, utpote qui resolvente, incidente atque attenuante facultate pituitosos & viscosos humores educit & consumit. Quâ ratione Floridæ incolas statis anni temporibus solius istius herbæ fumo pasci referunt autores; quem per cornua huic usui comparata in os recipiunt, ubi famem sitimque sedari confirmant, phlegmaticorum humorum incredibili copia in os collecta.

Adde quod habet *Heurnius lib.* 1. *Meth. ad prax. pag.* 62. dum inquit: mira vi suffitu admissa prædita est Nicotiana, quam herbam sanctam, vel Petum, aut Reginæ vocant, nuper huic orbi illata. Etenim hæc mira ubertate ore ac naribus pituitam evocat. Arida folia carbonibus igne candentibus injiciuntur, ac fumus excipitur ore hiante ex infundibuli angustâ fistulâ: totum enim cerebrum pervadit & in aures eâdem arte infertur, & quoque uterum. Verum id affirmare possum, hanc herbam peculiari ratione cerebro dicatam esse, facileque eò viam affectare, ac id ab omni inquinamento eluere &c. Quomodo verò frequens Nicotianæ fumus attractus naturæ vim inferat pluribus determinat citato loco Neander, præsertim in corporibus juvenilibus & biliosis, qui tandem concludit: non quidem imus inficias in corporibus frigidis, & humidis nimis cerebris, quæ à madore titubant, & quibus pituitæ nimietas juncta est; aut ubi succus ille rigida quâdam frigoris potentiâ cerebrum percellit (cujus signa sunt faciei albedo, venarumque inconspicabilitas, capilli recti, stabiles & russi, frigoris impatientia, & totius corporis habitus rigidus, torpor & somnolentia, os, nares, oculi, madentes &c.) suffumigio hoc pravarum istarum ac putidarum materierum saburram evacuari posse & excludi: Nondum tamen omninò tutus in hoc respectu videtur nobis fumus iste exceptus, nisi cum cautione & respectu. Inter præcipuum verò haberi debet, ut ad necessitatem, non ad libidinem, & intemperantiam usurpetur: parcitas adsit & modus, purgetur verò caput prius sternutatoriis ex Peti pulvere &c.

*Cautio quoad usum fumi Nicotianæ.*

*Pilulæ ex Nicotiana confectæ contra sitim & famem.*

VI. Sic & Monardes ad arcendam famem ac sitim, Indos, ubi per inhospita loca proficiscuntur, pilulis ex Nicotiana confectis uti refert, unam post alteram ore continendo, ita ut nullam virium jacturam sentiant, conservato nativo calore etiam phlegmatis copia, quam in os attractam simul deglutiunt, & in penuria melioris succi concoquunt. Si igitur tanta est efficacia prædictæ herbæ, consequens esse videtur in catarrho & Coryza ejus usum minimè improbandum.

*Nicotianam vim obtinere somniferam.*

VII. Nec obstat, quod Nicotiana vim quandam somniferam habere videatur, cum referat *Dodonæus in stirpium historia*, ejus usum longum, ac profundum somnum subsecutum fuisse, immò etiam *Mo-*

*nardes* liquidò affirmat, dum inquit: sic nostri Indi oneribus ferendis, aut aliis laboribus defatigati, tabaci fumum hauriunt, & illicò, quasi mente alienati corruunt, excitati verò refocillatos eo somno, & vires recuperatas sentiunt. Eorum exemplo Æthiopes pro mancipiis eò deducti nimis frequenter eum hauriunt, quo fit, ut eorum Domini egregiè eos castigent, & illorum tabacum exurant, quo ansam auferant sæpius illo utendi, clam tamen uti non desinunt: Hæc ille.

*Quomodo Nicotiana sit somnifera, & simul etiam attenuet ac incidat.*

VIII. Non inquam, hoc obstat, quia medicamentum simplex unum & idem potest habere diversas, imò etiam contrarias operandi virtutes pro diversitate suarum partium, ut sæpius inculcat Gal. Quod ut magis intelligamus notandum ex Nicotiana incensa, si loqui licet cum Hermeticis, sulphur quoddam narcoticum cum sale volatili copioso exhalare: illius ratione motum spirituum animalium sistit, & prout magis est defæcatum, & correctum, quam in opio, mandragora, hyposciamo, & aliis, suavem inducit somnum, spirituum animalium motum inhibendo; hujus respectu vim incidendi, attenuandi, mundificandique possidet. Hoc est illud condimentum, quo pituitosi humores insipidi condiuntur, ita ut in ventriculum defluentes, potentiâ sint nutrimentum, adeoque Nicotiana famem, & sitim sedare dicatur: hujus ratione specifica & propria, unà cum sale fixo, cujus extractionem vi calcinationis peragendam aliquot modis docet *Everhardus*, varias obtinet operationes, de quibus non est instituti præsentis plura commemorare.

## QUÆSTIO VIII.

### *An & quâ ratione mucilago seminis cydoniorum linguæ nigredinem ex inflammatione corrigat?*

*Unde sit linguæ nigredo in febribus.*

I. SYmptoma febrium ardentium frequens est linguæ nigredo & siccitas, cum inflammatione vehementi, propterea, quod æstus febrilis immodicus, unà cum acribus vaporibus ex inferioribus partibus exhalet, & in spongiosâ linguæ substantia, promptissimè suscipiatur, cui concurrentibus defluxionibus scabriciem, ac nigredinem inducit.

*Proponitur quæstio.*

II. Huic malo per mucilaginem seminis cydon: succurrunt frequenter practici, quod quâ ratione fiat, cognoscendum. Vim refrigerantem, & exiccantem communiter eidem inesse statuunt, undè respectu contrarietatis remedium conveniens esse videtur inflammationibus. Hinc non solùm affectibus linguæ per inflammationem productis convenit, sed insuper igne ambustis commodissimè illinitur, & secundum *Quercetanum libro diæt. sect. 3. cap. 3.* utile collyrium in oculorum inflammationibus constituit.

III. Veruntamen cum vis refrigerandi, & exiccandi condenset, atque constringat, adeoque talibus affectibus minimè conveniens esse videatur, propterea, quod gangrænam in affecta parte facilimè producat: Idcircò remedium hoc non prout simpliciter exiccat, & refrigerat, sed alio quodam modo primis qualitatibus nobiliore officiam suum præstare consequens est.

*Determinatur quæstio.*

IV. Cum autem exhalationes fervidæ, prout mobiles, & exaltatæ unà cum humoribus peccantibus in parte quâdam suscipiuntur, inflammationes ejusmodi pariant: ideò sequitur illud remedium adæquatum esse, quod vim coagulandi spiritus vel exhalationes, & dissolvendi corpora, materiam videlicet, sustinentem fervidos vapores, obtineat. Hoc præstat aciditas vitriolata, vel armoniacalis, quæ in semine cydon. quoque abundat, cujus ratione mucilago seminis hujus inflammationem linguæ & faucium aliarumque partium corrigit, compescendo ferociam sulphurearum exhalationum: & attenuando, ac dissipando materiam peccantem, in qua dictus fervor sustinetur.

Quanquam verò dubitari potest, num etiam semini cydoniorum ejusmodi qualitas insit, cum potius viscositate & lentore suo scabritiem linguæ corrigere videatur, quo modo Butyro recenti, nec non laminâ lardi recentis, huic affectui quoque succurrere solemus: non tamen negabitur, quin etiam ipsum semen cydoniorum totius qualitates æmuletur, licet in lentore dicto vis stiptica refrigerans & exiccans magis temperata reddatur.

*Sal prunellæ Chymicorum seu nitrum præparatum.*

Hoc est quod experientia docuit Austriacos, & Ungaros, ubi talia symptomata faucium sæpissimè occurrunt, ob ardentissimarum febrium frequentiam, ut singulare, & specificum invenirent remedium, nimirum depuratum, ac præparatum nitrum cum floribus sulphuris, ex quo trochiscos formant, quos illi vernacula lingua Breünzeltlin vocant, propterea quod morbo huic, quem ab accidente hoc perciculoso, die Breüne appellant, præsentissimum præbeant auxilium. Hos trochiscos in aqua dissolvunt, quam non tantùm copiosè bibunt ad febrilem æstum extinguendum, sed etiam eâdem Gargarismi forma pro linguæ scabritie, & nigredine corrigenda utuntur, non propter frigiditatem quandam elementarem heterogenea cum homogeneis coagulantem, quæ hoc loco fingi nequit, sed propter aciditatem armoniacalem & vitriolatam, quæ corpora dissolvere, & spiritus ferocientes compescere & coagulare potest, quod ex Mercurii præcipitatione, aliisque rerum naturalium mutationibus facilimè demonstraretur.

Vulgaris illa salis prunellæ (ut notat Sam. Closſæus) cum sulphure præparatio, ad prunam, aliosque externos affectus potest sufficere: ad internos autem usus, & febres causonides (de quibus supra) minus prodest, contra eorum sententiam, qui salpetræ tum demum ad Medicinam bellè paratû esse contendunt, si scil. quater ad minimum cum sulphure detonet, totiesq; filtretur & coagule-

guletur: ajunt enim ei inesse crudos spiritus, qui nisi exhalent & dissipentur, ventriculo non levem noxam sint allaturi. Sed non animadvertunt ii, totam petræi salis substantiam ejusmodi spiritibus firmis & ponticis abundare, quos si crudos appellent, non multum repugnavero: per hanc detonationem autem tantùm abest ut corrigantur, quin unà cum sulphure subtiliores, & refrigerio aptiores partes in auras avolent, & si conflagratio illa diu duret, tandem nihil aliud sit restiturum, quam sal amarum, porosum & fixum calefaciendi & siccandi facultate præditum, id quod illis divinare non erit difficile, qui Cerberi hujus chymici spiritum per injectionem particularum sulphuris evocare didicerunt. Itaque totum artificium in depuratione hujus salis consistit, atque in legitimo exhibendi modo. Cape igitur salis petræ nitidioris quantum placuerit, funde in crucibulo igne mediocri, postea projice in lixivii communis barbitonsorum bonam quantitatem; (sit autem & hoc utcunque calens, aliàs resiliret materia in faciem) fac in eo dissolvatur, filtra, & evapora ad medias, dein repone in frigido, & ad fundum congregabuntur Crystalli purissimi, qui bonitate & elegantia secundos & tertios subsecuturos longè antecellunt: hos separa, & denuò in aq. Rosar. solve; ex alia parte etiam tantundem sacchari in aq. Cordiali, vel eadem; solutiones confunde, & coque secundum artem, ut in cella colligantur Crystalli, quorum usus est ad ʒß. vel ℈ij in ptisanâ vel decocto pectorali: sic enim palati sensum effugiunt: aliàs si in aquis stillatitiis exhibeas crystallum minerale, urinosum & mordicantem saporem senties qui ventriculo molestiam pariet. Paulo aliter purificationem Nitri proponit *Dn. Zach. Brendelius, Amicus noster, in comp. chymico pag.* 176. qui ex communicatione *D. Rein. Franci*, Nitrum primò solvit aquâ purissimâ, vel pluviali destillatâ, postea coquit ad aliquam consistentiam, & inisperso lixivio, residentem impuritatem mucilaginosam in fundo coagulatam relinquendo, quod clarum est, separat, & in loco frigido pro concrescendis crystallis reponit, &c.

*Elegans præparatio Salis Nitri in Crystallos.*

*Alia præparatio.*

## QUÆSTIO IX.

### *An dolor gravissimum tactus symptoma propriè calidis & humidis leniatur?*

I. Etsi nihil magis homines præter naturam afficiat, quam dolor, ita ut ille Medicus vulgò sit acceptissimus, qui celeriter in omni morborum genere doloribus leniendis dat operam, utpote cum multi doloris sævitiâ commoti ad medicamentorum usum accedant, quem aliàs in sana constitutione cum tota medicina ne gry quidem faciunt: tam obscura tamen est doloris essentia, ut de ea classici authores plurimùm dissentiant, imo eò usque perveniunt, ut quidam dubitent, num etiam dolor sensu percipiatur, quæstione primo aspectu ridiculâ, sed profectò Philosophicâ consideratione digna, ut paulo post patebit.

II. Ut autem tùm demum rem quandam cognoscimus, quando causam ejus proximam non ignoramus, cum scire sit rem per causam cognoscere, secundum Philosoph. Idcircò jam etiam de causa doloris meritò quærimus, doloris, inquam, illius, qui non generaliter omnis voluptatis sensualis oppositum est, sed quem *Aretæus l. de morbis diut. cap.* 12. rem asperam & inimicam sensui, nimirum tactus esse dicit, quatenus videlicet dolor nihil est aliud, quam operatio tactûs tristis, & plurimum inimica, ut ex aliis repetit *Langius lib.* 1. *epist.* 41. *Cardan. lib.* 1. *tract.* 5. *contrad.* 17.

*Inquisitio causæ dolorum.*

De dolore generaliter considerato, pro ut omni delectationi opponitur, vide *Salvum Schlanum in Comm. Artis parvæ Gal. lib.* 3. *mihi pag.* 517.

III. Quemadmodum verò ad ipsam αἴσθησιν scilicet ad sensationem tactûs, tria necessariò requiruntur, ut rectè fiat, nimirùm adæquata organi dispositio, medium justum, & objectum sensibile proportionatum, ut patet ex iis, quæ proposuimus in *Tom.* 1. *Disp.* 2. *Coron.* 3. *nostrarum nobil. exerc. de anima*, ideò manifestum est, sensus operationem depravatam respectu cujusdam enumeratorum requisitorum accidere.

*Requisita sensationis.*

IV. Non autem potest hoc fieri respectu objecti improportionati, ut placet quibusdam recentioribus, quemadmodum cum *Hor. Augenio & Andrigettho de Andrigetthis* statuit *Caspar Bartholinus in Probl. Med. Ex.* 3. *probl.* 3. quia dolor est symptoma corpori humano accidens: at quemadmodum morbus non est extra partes humani corporis, utpote cum sit essentialiter impotentia partium ad agendum, à dispositione præter naturam proveniens, ut colligitur passim ex Gal. ubi definitionem eandem inversam tamen, finem medicum respiciendo, repetit. Ita etiam symptoma, quod morbum immediatè sequitur, nullam causam proximam extra corpus humanum agnoscit; quale tamen objectum est, sive proportionatum, sive improportionatum, utpote, quod secundum realem suam existentiam à sensu non recipitur, sed solum per speciem, quâ, modo quodam incorporeo, qualitates objecti sensibus offeruntur: ita ut *Philos. l.* 2. *de anim. tex.* 121. sensus objecta sua percipere dicat, eo modo quo cera suum sigillum impressum repræsentat.

*Dolor non fit respectu objecti improportionati.*

*Instantia solvitur.*

V. Nec obstat, quod objecti vehementia sensum non tantùm depravare, sed etiam corrumpere possit, quemadmodum patet ex *Philos. l.* 2. *de anima. t.* 123. & ipsa experientia, quod non sine damno proprio milites Hannibalis & Dionysii tyranni subditi quidam vincti didicerunt, quorum illi per multam nivem iter facientes oculis vehementer lædebantur, hi verò ex carcere obscurissimo in domum splendidissimam, calce illitam, educti occæcabantur, ut refert *Gal. l.* 10. *de usu part. c.* 3. Non inquam, hoc obstat, quia objectum hoc præstat non immediatè, sed mediante corruptione organi, quod alibi demonstravimus, nimir. *Tom.* 1. *Disp.* 3. *Coron.* 2. *Quæst.* 13. *Ex.* 5. *pag.* 186.

VI. Porrò cum etiam in medio causa doloris quærenda non sit, utpote cujus, quatenus est medium, nulla est actio, relinquitur ipsum organum in causa esse, ut sensatio fiat dolorifica. Patet hoc maximè, quod sæpius adsit nobis sensus dolorificus rectè constituto objecto, rectè quoque sese habente medio. Hoc manifestum est ex eo, quod hyemis tempore ma-

*Causa doloris non est in medio.*

nus refrigeratâ vehementissimè doleat igneo calore præsente, qui tamen calor in eodem gradu eademque distantiâ existens non lædit manum alterius minimè refrigeratam: sic vulnus ab externo aëre vehementer dolet, qui tamen aër reliquam cutem non afficit. Hinc ergo constat in ipso sensus organo causam doloris statuendam. Sed nota, quod hic Organum intelligatur animatum, spiritu suo vivifico perfusum, de quo lege *Augustinum Donium de Nat. hum. l.2. c.12. & seq.*

*Dolor sensibus accidit, respectu organi.*

VI. Duo verò potissimum organo præter naturam accidere possunt, ad generationem doloris inservientia, nim. intemperies, & unitatis solutio. Quapropter *Avicenna l. 1. Fen. 2 doct. 2. c. 15.* duas agnoscit causas doloris intemperiem & solutionem continui, idque repetit ex quibusdam locis *Gal. l. scil. artis med. c. 80. l. 12. meth. med. c. 7. l. 2. de locis aff. c. 5.* & alibi.

*Non plures sed unam esse doloris causam immediatam, nimirum continui solutionem.*

VIII. Sed cùm unum à pluribus immediatè deduci nequeat, utpote cum unus effectus unam tantum causam agnoscat proximam, quicquid etiam contradicat *Mercurial. l. 1. pract.* idcirco concludimus magis probabilem esse sententiam illorum, qui causam doloris non duplicem, sed unicam tantum in organo statuunt. Quæ autem sit causa unica rursus non convenit inter omnes. *Averroes l. 3. coll. c. 13.* à sola intemperie dolorem oriri autumat: at *Galenus* rectius *lib. 4. simpl. Med. l. 1. de caus. sympt. l. 3. de fract.* ad solutionem continui refert causam doloris, cum *Arist. l. 6. Top* ubi partium separationem non doloris causam esse pronunciat.

*Quid intelligendum in præsentia per continui solutionem.*

IX. Quamvis enim non negemus intemperiem sæpius dolorem inferre, non tamen hoc fit immediatè, sed quatenus continuum solvit in organo sensus, aliàs consequens esset absque intemperie nullum dolorem dari, quod contra sensum & experientiam est. Per continui verò solutionem non intelligimus ipsum motum quo separatione partium organum alteratur, sed potius illud, quod tali motu productum est, quatenus enim partes in organo vel sensibiliter per secundas qualitates, vel insensibiliter per primas sunt solutæ, eatenus ad organi malam dispositionem sensatio tristis, adeòque dolor generatur.

*Dubium.*

Hic dubitari posset, cum in organo tactus non tantùm temperies conveniens ex qualitatum tactilium commoderatione, non tantùm unio, sed etiam justa compositio necessario requiratur, cur non causa doloris ex omnibus tribus istis requisitis eruatur, cum quodlibet istorum minus rectè sese habens dolorem introducere queat? Respondemus illud tantum rationem causæ doloris habere, quod immediatè, nullo alio interveniente, tristem sensationem causare natum est. At hoc non facit intemperies, commoderationem tactilium qualitatum in organo mutans, nec etiam compositio vitiata, nisi quatenus vel ad sensum, vel occulto modo continuitatem solvunt: ergò consequens remanet, in proxima causa solutionis continui meritò quiescendum esse, sed eâ ratione, sicut determinatum fuit.

*Resolutio.*

X. Nec obstat, quod eo momento, in quo continuum solvitur, dolorem protinus percipiamus, ubi fit animadversio, quia hoc respectu partium non solvendarum, sed solutarum accidit, utpote cum motus à termino suo ad quem partialiter accepto non differat, propterea quod illa moveri dicantur, quæ partim facta sunt, partim etiam adhuc fiunt, ut aliàs in Physicis demonstratur. *V. Inst. Phys. lib. 1. c. 3. q. 3.*

XI. Hinc patet non ridiculam esse quæstionem, quam movet *Conciliator diff. 77. & Cardanus citata contradict.* num etiam sentiatur dolor? quia verum est dolorem non sentiri ut *quod*, h. e. ut objectum, sed sentitur ut *quo*, h. e. ut αἴσθησις tristis, vel inimicus sentiendi modus, quem ob organi affectionem sensus communis adesse judicat. Unde *Hippocrates* rectè inquit: qui dolent, & dolorem non sentiunt, illis mens laborat. Sic etiam vulnerati, dum adhuc ira fervet, dolorem non sentiunt, quia nondum per phantasiæ operationem αἴσθησιν depravatam animadvertunt.

*An dolor sentiatur?*

XII. Si cui tamen placet, quod monent *Avicennæ* Interpretes *Mongius & Costæus*, causam doloris duplicem statuere, nimirum alterationem, & solutionem continui, quod medico negocio propter curationem, ubi scil. non semper proximæ, sed etiam sæpius remotæ causæ sunt respiciendæ, magis satisfaciat; eidem non admodum repugnabimus, propterea, quod sæpius dolorem percipiamus absque evidenti solutione, alteratione satis manifestâ, sæpius etiam unitatis solutio manifestissima, sine apparente alteratione dolorem introducat.

*Conciliatio diversarum causarum.*

XIII. His de essentia doloris præmissis quærimus, *num vera anodyna sint calida & humida?* Affirmativam tenemus, cum communi medicorum schola, dum propter caliditatem & humiditatem moderatam laxantia pro veris agnoscunt anodynis, quatenus partes dilatando materiam continuum solventem tollunt, & partem affectam attemperant, ut sunt Chamomilla, Althea, Melilot. semina lini. lac, adipes, olea, &c. Etsi verò stupefacientia sæpius quoque dolorem lenire dicantur, ut patet ex *Trall. l. 10. c. 1. Celso l. 5. de re med. c. 25.* & aliis multis; non tamen hoc propriè fit, propterea quod dolor hisce non tollatur per correctionem suæ causæ, sed ex accidenti, quatenus stupefacientibus ipsum innatum calidum afficitur, ita, ut unà cum dolore sensus ipse diminuatur, & pars dolens interdum omninò emoriatur.

*An vera anodyna calida humida? Affir.*

*Stupefacientia impropriè dolorem leniunt.*

Proprie dicta Anodyna hic determinantur, de quibus ulterius etiam agimus *in Tom. 1. Disp. 20. Coron. 7. Ex. 2. §. 24. p. 383.* quæ in 1. & 2. gradu caliditatis cum tenuitate partium jungantur, quâ de causâ partis dolentis temperamentum blandè fovent, calorem nativum roborant, materiam dolorem inferentem molliunt, digerunt & resolvunt, &c. Quod autem stupefacientia attinet, vel ad somnum conciliandum assumpta, vel exterius partibus dolentibus adhibita, de iis suo loco, *dec. 9. q. 2.* dicetur.

XIV. Sed quid Hermeticis respondendum, qui dolores internos in universum omnes à spiritibus salium resolutis proficisci volunt, ut patet ex *Petro Sever. l. Ideæ c. 13. Quercetano cons. de arthri. & aliis,* quam ob causam illa loca magis doloribus affici statuunt, quæ fre-

*Sententia Hermeticorum de causa doloris.*

frequenter mucilagines spiritibus salium acutissimis aliquandiu latitantibus, & tandem effervescentibus præditas continere solent, ut sunt intestina, renes, articuli, membranosæ partes, &c. Hinc vehementissimi dolores colici, nephritici, arthritici, pleuritici, &c.

XV. Idem nobiscum affirmant, quod proxima causa doloris sit unitatis solutio, quam non negamus respectu causæ antecedentis frequenter ab ejusmodi acribus fluxionibus serosis, vel ut illi loquuntur, à resolutis tartareis mucilaginibus oriri. Hac ratione, quædam anodyna non simpliciter laxando, & partem affectam attemperando, sed specifica proprietate ratione sulphuris anodyni dolores vehementissimos leniunt, spiritus illos salinos è mucilaginibus tartareis prodeuntes resolvendo, & corrigendo, ut hac de re disserunt Spagyrici.

## QUÆSTIO. X.

### *An dolor arthriticus venæ sectionem indicet?*

*Arthritis quid.*

I. Ut quæstionem præsentem penitius intelligamus, operæ precium esse videtur, naturam arthritidis per determinationem causæ proximæ considerare, & ex ejusdem essentia quæstionis decisionem deducere. Est autem arthritis articulorum dolor vehemens, ob materiam per affluxionem, vel congestionem p. n. collectam, quæ circa nervosas, & membranosas articulorum partes exacerbata sensationem dolorificam generat. Talis materia propriè loquendo non est sanguis, vel alius quidam humor per se consideratus, sed impuritas quædam serosa ad resolutionem, & coagulationem apta, vel in sanguine, vel in biliosis, melancholicis, aut pituitosis humoribus abundans, quam *Hermetici* Tartaream vocant, propterea quod non incommodè cum tartaro vinci comparari possit.

*Proxim causa Arthritidis.*

*An Podagræ genus sit Gutta?*

Franciscus *India l. 1. de Gutta c. 1.* Genus Podagræ Guttam esse statuit, vulgari, vel etiam barbarico nomine, propterea quod materia ab aliis membris in juncturarum & articulorum cavitates guttatim cadat, instar aquæ guttatim stillantis, quatenus etiam *Galeno teste l. 3. de natural. facult. c. 13.* nostri corporis membra ad se invicem superfluitates deponunt. Ast improprium, & suis speciebus angustius videtur hoc genus, cum etiam detur interdum podagra per congestionem, ex imbecillitate articulorum proveniens. Nos igitur Arthritidis vocabulum ἀπὸ τῶν ἄρθρων, parte scil. affectâ, sumptâ denominatione, pro genere retinemus, & propriè sumimus pro dolore articulorum, qui nomen Arthritidis retinet tam diu, quam diu articulorum omnium esse dicitur, ut habet *Gabucinus l. de podagra c. 2.* Ubi verò partem hanc vel illam tantùm afficit malum, ob loci affecti varietatem diversum nomen acquirit, ut Arthritica passio sub sese contineat Podagram, Chiragram, Gonagram, Ischiadem, Trachalagram, Rhachisagram, &c. Porrò dicitur articulorum dolor, non intelligendo tantùm extremitates ossium, sensu expertes, sed omnes eas partes, quæ exterius has ossium extremitates amplectuntur, ut sibi invicem conjungantur melius, nempe ligamenta externa periostium, membranas, tendines musculorum, musculos ambientes nervos, ipsasque musculorum extremitates, ut habet *Spigel. in l. de Arthrit.* hinc *Æmil. Campalongus l. de Arthrit. c. 2.* Arthritidem vocat dolorem, seu tristem sensationem tensivam partium, quæ articulis proximæ sunt, sensu tactus præditarum. Addimus insuper dolorem esse vehementem, seu exquisitum, ut affectus hic ab aliis levioribus articulorum, & vicinarum partium doloribus distinguatur, quales ex intemperie quadam, flatibus, casu, ictu & similibus fieri solent. Hic dolor ex intervallis affligit, quatenus per defluxionem affectus hic acerbatur, quæ perpetua non est, sed certis temporibus ebullit, adjuvante simul ipsa materia, quæ per congestionem ex imbecillitate partis laborantis suas certas commotiones patitur more tartari, quod in vinis certo tempore tantum effervescat. Quamvis igitur imbecillitates partium laborantium semper adsit, non tamen semper morbus affligit, quia ut inquit *Gabucinus*, non solum vitium articulis insidens, sed utrumque & humor scil. à natura alienus, & partium imbecillitas morbum affert articulorum. Sic etiam *Tussanus Ducretus l. de Arthritide c. 2.* hujus tam acerbi, sævique morbi duplices causæ ab omnibus peritis constituuntur: una quidem influentis humoris nimia redundantia: altera ipsorum articulorum imbecillitas, quarum neutra seorsim arthritidem facit, sed utramque simul concurrere necessarium est. Hujus peccantis humoris naturam à massa sanguinea, cum cujus partibus complicatur, alienam ac diversam esse pronunciamus: *Paræus l. 17. Chirurg. c. 1. & 2.* qualitatem virulentam ei tribuit, dum inquit: humor qui arthritidem committit non est notioris naturæ, aut magis effabilis, quam qui pestem, veneream luem aut Epilepsiam facit: idque confirmare conatur suis rationibus, quamvis eamdem improbare satagat *Frac. India cit. loc. l. 1. c. 2.* Hermetici morbum hunc Tartareum dicunt, cum salis acetosi effervescentiâ in synovia articulorum, unde non difficulter rationem reddunt intermissionis exacerbationis, & aliorum accidentium. Ita *Joh. Raicus*, olim in Academia Auditor meus, *in libello de Podagra*, definit Podagram, quod sit passio articulorum pedum tartarea, mineralis, dolorifica, periodica; proveniens ex duorum salsorum ἀλληπαθειῶν, glutinis scil. atque externi illabentis, reactione, quâ afficiuntur περιόστεοι ὑμένες. Hujus definitionis omnia membra pulchrè citato loro declarantur. Plura videantur hac de re in *Nosologia Petræi dissert. Harmon. 48. Thesi. 41. & seq.*

*Genus Podagræ Arthritidis.*

*Pars affecta Arthritidis.*

*Generatio doloris Arthritici.*

*Unde oriatur Tartarum in sanguine.*

II. Originem suam trahit ab ipsis alimentis propter partium concoctioni prospicientium imbecillitatem non rite digestis, unde talis materia copiosè cum sanguine, vel aliis humoribus abundantibus, commiscetur, & ratione similitudinis ad articulos, quatenus glutinoso sanguine gaudent, attrahitur, in iisque tùm affluxione, tùm etiam congestione, propter imbecillitatem quandam, vel ab ortu, vel aliâ ratione comparatam, colligitur, & statis temporibus suas patitur exacerbationes, ac dolorem producit arthriticum, pro varietate suæ naturæ diversum, quemadmodum hæc pulchrè deducit *Quercetanus in cons. de arthrit.*

thrit. Conjunge Campalongum l. de Arthritide c. 12. & Guiliel. Insulanum, de Salubri victu c. 22.

*Quæstio negatur.*

III. His ita constitutis, quærimus *num in hoc affectu venæ sectio conveniat?* Negativa videtur probabilis, propterea quod proxima causa dolorem hunc generans non lateat amplius in venis, adeòque impossibile sit, per venæ sectionem eandem corrigere. Adde quod venæ sectio calorem nativum debiliorem reddat, qui tamen hic potius confortandus esset, propterea quod aliàs malum hoc potissimum ex depravata concoctione profluat, quâ ratione Bacchi & Veneris filia dicitur arthritis, quod per crapulam, & seminis effusionem debilitata natura sanguinem amplius exactè purificare, & materias crudas ac mucilaginosas tartareas, separare nescit.

*Affirmativa ponitur.*

IV. Contra aff. placet *Celso, qui l. 4. de re med. c. 24.* statim sanguinem mittendum esse censet, ubi sentitur dolor arthriticus; id enim inter initia, inquit factum, sæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem tutam præstat. Non admodum dissentit *Aetius tetr. 3. ser. 4. c. 23.* ubi omnibus diei horis (non observato scil. tempore aliàs consueto) venam secandam esse statuit iis, qui vehementibus doloribus arthriticis infestantur.

*Limitatio problematis.*

V. Sed nota pro decisione controversiæ, quod medica curatio non semper causam conjunctam proximam respiciat, verùm ut plurimùm quoque in remotis, & antecedentibus corrigendis est laborandum; quapropter venæ sectioni quoque locum damus in doloribus arthriticis, tum temporis potissimùm, ubi materia antecedens est sanguinis superfluitas, cujus ratione defluens humor à parte affecta repellitur, & causa fovens proximiorem aliquo modo subtrahitur, ita ut natura ab onere & copia quodammodo levata, cruditates magis concoquat, adeoque sanguinis impuritates per loca consueta melius secernat. Conjunge *Card. lib. 1. tractat. 3. contradict. 24.* Item *Francisc. Indiam lib. 2. de Gutta cap. 2. Æmil. Campalongum lib. de Arthritide cap. 41. 42.* Quomodo verò purgandum etiam in podagra pluribus innuit *Salvus Schlanus lib. 3. Art. Med. Galenus in Comm. pag. 675.* dum inquit: Medici nostri temporis in Podagrâ statim tenues illos & serosos humores ad affectas partes defluentes purgant; & cum maximâ ægrotantium utilitate: & utuntur in purgatione medicamentis, quæ ultrà quod vacuant, corroborandi etiam vires habent, &c. Plura tam de purgatione, quam de aliis remediis vide apud *Henricum Garetium in Consiliis de articulari morbo, ex sententia Jacobi Sylvii, Johan. Fernelii, Antonii Galli, & aliorum.*

*Vide Michael. Maierum lib. de Arthritide c. 5. p. 99.*

Ita de quibusdam sensuum affectionibus corrigendis agere voluimus.

Σὺν Θεῷ

## DECAS QVARTA,

# CONTINENS CONTROVERSAS QUÆSTIONES MORBORUM QUORUNDAM ORGANORUM VOCIS ET RESPIRATIONIS.

*De vocis & resp. affect.*

### ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Ratio continuationis.*

*Ut sensuum beneficio species sensibiles apprehendimus, & conceptuum nostrorum initia formamus: ita formatas notiones ope partium, voci ac respirationi inservientium, vicissim loquelâ exprimimus, & hoc modo animi nostri sententiam aliis communicamus. Non igitur extra methodi legem esse videtur, de morbis quibusdam sermonem, ac respirationem lædentibus consequenter quædam problemata subjicere, cum de sensuum læsionibus præcedenti exercitatione dictum sit.*

### QUÆSTIO. I.

*An ancyloglossis, qui vix loqui possunt, sectione succurrendum?*

I. Quamvis ad vocis & sermonis generationem plurima membra requirantur, ut *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 1. Exercitat. 10. quæst. 9. pag. 101.* demonstravimus: inter illa tamen primatus linguæ attribuitur, cujus beneficio vox in larynge adjuvantibus pulmonibus generata, & à palato & gargareone conservata, cum aliis partibus inservientibus, articulata redditur, & sermonem significantem constituit, quod pulchrè declarant *Dd. Connimb. l. 2. de an. c. 8. q. 5.* Conjunge *Joh. Bapt. Codronch. l. 1. de vitiis vocis.*

*Lingua primarium vocis organum.*

II. Præstat

*Quomodo lingua vocem formet.*

II. Præstat autem lingua suum officium potissimùm in sermone formando motu suo vario; cujus beneficio reliquis partibus oris adjuvantibus vocem in larynge formatam variè frangit, & pro verborum varietate dispescit, & distribuit. *V. Aquapend. de form. locutione.*

III. Impeditur autem hic motus linguæ frequenter in quibusdam hominibus, quos ancyloglossos vocant, de quibus quæritur, *num iisdem sectione chirurgicâ succurrendum sit?* Affirmativa videtur probabilis, propterea, quod ἀγκυλόγλωσσον, *Budæo Interprete*, sit linguæ vinculum nervosum p. n. quo motus ejus impeditur, & per consequens, loquela redditur mutilata, præsertim tunc temporis, ubi literæ difficilioris pronunciationis, ut sunt l. r. k. exprimendæ veniunt.

*ἀγκυλόγλωσσον quid sit.*

*Modus sectionis ex Aetio & Paulo.*

IV. *Hinc Aetius Tetrab. 2. serm. 3. cap. 36. & Paulus lib. 6. de re med. cap. 29.* ἀγκύλωσιν vel linguæ incurvationem, sive sit à natura, ubi detinentes linguam membranæ duriores & curtiores sunt ab initio nativitatis, sive sit ex adventitia quadam causâ, propter cicatricem aliquam duriorem, ex ulceratione sub ipsa lingua, inductam, sectione artificiosâ curant, linguam ad palatum adducendo, & nervosum vinculum transversim secando, si vitium est ab ortu, vel quicquid durum est, si cicatrix in causâ, vi ferri absumendo, animadversione adhibitâ ne simul subjacentes venæ lædantur: quibus peractis, aqua frigida aut posca os colluunt, & postea lavatorio & incarnatorio medicationis ductu curationem absolvunt.

V. Hoc est quod nostri quoque tentant chirurgi non sine successu in infantibus quibusdam, membranam linguam sustinentem duriorem & mutilam habentibus, ita ut propter linguæ contractionem lactis etiam suctioni non sufficiant, quemadmodum *Forestus lib. 30. observat. 30.* testatur.

*Cautio notanda.*

VI. Sed notandum, quod interdum lingua contrahi, adeòque apparens ἀγκύλωσις generare possit, ex humore lento & arefaciente, quod in febribus acutis frequenter apparet, ubi omninò noxia & perniciosa est sectio, cùm potius violaceum oleum, malvæ decoctum, lac, aliaque similia, humectandi & emolliendi vi prædita, conveniant.

## QUÆSTIO II.

### *An vocis asperitas aceto Scillitico corrigenda sit?*

*Affirmativa quæstionis.*

I. Affirmativa quæstionis pars veritati consentanea videtur: cum enim acetum Scilliticum *teste Galeno lib. 7. de comp. med. sec. loca in fine*, maximè prosit orthopnoicis & asthmaticis, propterea, quod dissecantibus medicamentis, citra calefactionem insignem, indigeant, in quorum numero Scilla quoque habetur, quæ vim incisoriam abundè possidet, non tamen fortiter calidam, ut habet *Galenus libr. 8. Med. simpl. §. Scilla. Paulus Ægineta libr. 7. de re med. cap. 3. Aetius Tetrab. 1. sermon. Oribas. lib. 2. collect.* Idcircò videtur consequens *Avicen.* quoque dictum verum esse, dum acetum scilliticum vocis asperitati convenire statuit, cum *autore tertii libri facilè parabilium*, ubi idem innuitur, ut monet *Cardanus l. 1. tr. 3. contrad. 10.*

*Unde vox fiat rauca.*

II. Nec deest ratio: cùm enim vox rauca & aspera fiat ob humiditates viscosas circa guttur & asperam arteriam collectas, ubi soni purioris generatio impeditur, propterea quod humidiora minus ad sonorum productionem apta sint, quam sicciora & duriora, ut habet *Philosophus sect. 11. probl. 12.* Ideò, ratione contrarietatis, indicatio medica dissecantia & attenuantia requirit, quod acetum scilliticis virtutibus imbutum optimè præstat, sine insigni partium calefactione.

Adde *Joh. Bapt. Codronch. l. 2. de vitiis vocis cap. 3.* dum inquit: cum pituita præ sui tenacitate partibus vocalibus valdè hæreat, admovendæ manus sunt ad ea, quæ fortius extergere & incidere valent, ut est oxymel Scyllinum, Acetum Scyllinum, & superius descriptum Electuarium ex succo brassicæ, penidiis, oxymelite scyllino paratum, sæpiusque experimento comprobatum. Conjunge quoque *M. Fab. Quintilianum lib. 10. Orat. cap. 3.* ubi pulchrè monstrat, quomodo faucium vitia vocem impediant: ut enim tibiæ, inquit, eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium non satis purgatæ, alium quassæ sonum reddunt, ita fauces tumentes strangulant vocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant, convulsæ fractis sunt organis similes: finditur etiam Spiritus objectu aliquo, &c. humor quoque vocem ut nimius impedit, ita consumptus destituit, &c.

*Acrimonia scillæ quomodo corrigatur.*

III. Et quamvis maligna quædam acrimonia sit in scilla, cujus ratione minus conveniens esse videtur faucium asperitati: non tamen obstat, quia semper necessarium est, ut legitima præparatio & malignitatis separatio procedat, potissimùm in scillis palustri vel fœtido loco generatis & numquam transplantatis, in quibus veterum ille modus præparandi, ubi pasta panis involutæ coquuntur in furno calido, non videtur esse sufficiens, sed multo melior est illa ratio, quam præscribit *Quercetanus in Pharmac. dogm. cap. 18.*

*Limitatio affirmationis.*

IV. Cautio tamen adhibenda, quo ad generationem raucæ vel asperæ vocis secundum *Galen. 7. de comp. med. sec. loc. cap. 1.* ut distinguamus raucedinem vel asperitatem vocis, quæ fit communiter ob materiam defluentem & organis dictis immersam (de qua omnia quæ diximus accipienda sunt) ab illa vocis læsione, quæ vel ex clamore, vel ex phlegmone oritur, cui dicta remedia minimè conveniunt. Plura de Aceto scillitico vide apud *Matth. Durastantem, & in Aleodario Raymundi Mindereri.*

## QUÆSTIO III.

### *An frequens usus Eclegmatum conveniat in tussi?*

*Tussis cui subjecto sit tribuenda.*

I. Tussim frequenter organis respirationis accidere nullus est, qui nescit, quamvis de subjecto patiente nondum omninò conveniat inter medicos, dum *Avicenna* statuit esse passionem vel affectionem pulmonum, innuens materiam tussim producentem sem-

ſemper in ipſis eſſe pulmonibus; contra *Galenus* potius pectoris & diaphragmatis πάθος eſſe voluit, dum ipſam reſpirationem primò pectori, & ex accidenti tantùm pulmoni tribuit, pulmonem ſenſu manifeſto minimè præditum ſtatuens, ita ut ſui ratione rem noxiam non percipere, nec perceptam ejusmodi motu expellere queat. Utrique horum *Averroes lib. 2. coll. cap. de juvam. pulm.* ſeſe opponit, & potius cordis, quam pulmonis, vel pectoris hanc affectionem dicit, propterea, quod cordis cauſa pulmones proprium obtineant motum inſpirationis & expirationis; quod cor, ſentiens nocumentum, tuſſim excitet, ad removendam è viis ſpiritalibus materiam noxiam.

II. Etſi verò probabilem judicemus *Averrois* opinionem, ubi peculiarem ac proprium motum pulmonibus tribuit, quemadmodum patet ex *Tom. 1. Diſp. 3. Coron. 1. exerc. 8. quæſt. 8. pag. 83.* ubi controverſiam hanc reſolvimus: non tamen videmus, cur cordi potius, quam pulmonibus Tuſſis attribuenda, propterea, quod ipa reſpiratio ſimpliciter conſiderata nullo modo cordi, tanquam proximo organo, ſed ſemper pulmonibus adſcribenda ſit, quamvis nullus negare queat, gratiâ cordis eandem fieri, at verò ſubjectum actionis ſimpliciter, eſt etiam ſubjectum actionis læſæ.

*Tuſſis pulmonum & pectoris affectus. Definitio tuſſis.*

III. Quapropter concludimus cum *Matth. de Gradibus in com. ad. 9. Rhaſ. cap. 49.* quod tuſſis ſit affectio pulmonis & pectoris, illius autem immediatè & primò, hujus ſecundariò, quatenus pulmonem in expellendâ re noxiâ pectoris motus adjuvat. Eſt enim tuſſis vehemens efflatio, cum ſtrepitu per fauces erumpens, quæ fit à conſtrictione pulmonis & pectoris præter naturam, quando vis expultrix à cauſa quadam vias reſpirationis intercipiente, humore videlicet affluxo, vel affluente, ſive alio corpore obſtruente, aut alienâ qualitate primâ vel ſecundâ ſpiritalibus organis accidente, irritatur. *Galen. lib. 2. de cauſ. ſympt. cap. 4.*

Dico tuſſim eſſe efflationem, quatenus tuſſis expiratione tantùm, non inſpiratione perficitur, ut habet *Herc. Saxon. lib. 2. Panthei ſeu Pract. Med. cap. 1.* vel quatenus eſt motus concuſſivus partium ſpiritalium, ſtudentium efflatione valida excutere, quod noxium & moleſtum eſt, quemadmodum definit *Franciſ. Ranchinus part. 2. de morb. ſenum Sect. 2. cap. 2.*

*Affirmatur quæſtio.*

IV. III. Quæritur jam, *an in tali affectu, præſertim ubi ab humoribus affluxis & affluentibus oritur, frequens eclegmatum uſus conveniat?* Affirmativa placet pleriſque practicis, quos frequentiſſimè pro tuſſi corrigenda lohoch vel eclegmata, reſpectu cauſæ diverſæ, varia præſcribere videmus. Nec deeſt ratio, cum talibus medicamentis in tuſſi illa frequentiſſima, quæ à fluxionibus oritur, tam antecedenti, quam continenti cauſæ ſuccurrere poſſint, vel etiam intentione mixta ſimul utramque reſpiciant.

V. Sunt enim lohoch, vel eclegmata, aut attenuantia, incidentia ac detergentia humores viſcidos obſtruentes, quemadmodum apparet in lohoch de ſcilla, ſano & experto, è pino, è praſſio, & ſimilibus: aut ſunt incraſſantia & lenientia humores calidos & acres affluentes, ut ſunt lohoch de papavere, de Pſyllio, de Portulaca, Diacodion ſimpl. Galen. & alia, imò ſæpius ex dictis medicamentis tertium generatur, artificioſâ compoſitione, quo partim ad materiam affluxam diſſolvendam, & expectorandam, partim ad affluentem incraſſandam & inhibendam reſpicimus.

*Improbatur frequens uſus eclegmatum.*

VI. Veruntamen cum lohoch & eclegmata frequenter & diu uſurpata non tam pectori, quam ventriculo illabantur: ideò cautio adhibenda eſt, ne uſu illorum continuo viſcerum robur diſſolvatur, cum ratione dulcedinis, quæ facit ut ſimul crudi humores attrahantur, obſtructiones generentur, ita ut cruditatibus auctis, caput magis repleatur, & ob hepatis temperamentum alteratum hydrops ſubſequatur, ſicuti monet *Crato in opere Epiſt. à Scholzio editarum Epiſt. 18.*

VII. Hinc tutius eſſe videtur in ejusmodi affectibus bechicis & ſublingualibus, ut, quæ ore detinentur & ſenſim defluunt, quam quotidianum eclegmatum uſum continuare: quamvis non negemus, eundem interdum minimè negligendum eſſe, præſertim ubi rarius, & ſingulari animadverſione adhibitâ, ne citius ad ventriculum, quam pectus defluat materia medicaminis, talia uſurpamus.

## QUÆSTIO IV.

*An venæ ſectio tentanda ſit in principio Anginæ.*

I. ANgina præ reliquis vitiis morbus eſt acutiſſimus, *teſte Alex. Tralliano. lib. 4. cap 1.* cum ægri laquei, funisque more ſtrangulari ſolent, undè Græcis meritò κυνάγχη, ἀπὸ τῦ συνάγχειν, ἢ κυνάγχειν, hoc eſt, à ſuffocando dicta fuit. Eſt autem angina propriè dicta non omne vitium gutturi, vel faucibus accidens, ac reſpirationem impediens, quo ſenſu vox hæc ſæpius à veteribus uſurpata invenitur, ut habet *Johan. Viſcerus in Comen. aph. 16. lib. 3. Hipp.* ſed potius eſt faucium ſive gutturis compreſſio, ab inflammatione, ſecundum *Galenum lib. 4. de loc. aff. cap. 3.* Cujus pulſus, ut habet *Ioſ. Struthius de Arte Sphygmica lib. 4. cap. 30.* eſt undoſus, ſi ad peripneumoniam tendit, Convulſivus verò ſi ad ſpaſmum, agentis verò animam, creber & inæqualis: quâ ratione ſquinantia (ita enim ex corrupto græco vocabulo perperam latinis dicitur) *Conciliatori diff. 188.* dicitur præfocatio circa guttur ex apoſtemate conſurgens.

*Angina quid.*

II. Cum verò per inflammationem fauces, vel guttur, variis modis affici poſſint, idcircò plures anginæ differentiæ ſtatuuntur ab authoribus, quemadmodum videre licet apud *Hippocratem lib. 3. progn. Galen. lib. 4. de loc. aff. cap. cit lib. 4. Aph. in com. 34.* ubi ſimul & illæ numerantur præfocationes, quæ ex organicis morbis, utpote luxatione vertebrarum, colli, & ſimilibus oriuntur.

III. Verùm de iis ſpeciebus anginæ, quæ maximè ſpectant uſum medicum, & ſecundùm *Galenum locis citatis, Æginetam lib. 3 cap. 27. Trallianum loco ſupra citato,* & alios, dividuntur in κυνάγχην, ubi gutturis interni muſculi, in παρακυνάγχην, ubi gutturis ejusdem

dem externi musculi inflammantur: in συνάγχῃ, ubi faucium interni musculi, & in παρασυνάγχῃ, ubi faucium externi musculi inflammationem patiuntur, jam quærimus, *num in principio venæ sectio conveniat?*

*Negantia argumenta.* IV. Negativa videtur probabilis ex sententia Mesuei, qui interdum medicamentum præmittendum esse statuit, tunc temporis potissimum, ubi materia peccans simul cholerica vel phlegmatica est, propterea quod materia cholerica subtracto sanguine per venæ sectionem magis ebullire & effervescere, phlegmatica verò cruditatem majorem induere soleat. Imò si verum est, quod dicit *Avicenna lib.* 3. *fen.* 9. *tract.* 1. *cap.* 11. melius esse, ut remaneat virtus in corpore, & per evacuationem peccans materia subtrahatur: omnino sequitur in Angina ab inflammatione cholerica, vel phlegmatica, sanguinem in principio non esse mittendum, cum hac ratione virtutis quædam imbecillitas subsequatur, & cholera vel phlegma non primò evacuentur, utpote quæ materiæ potius purgationem, quam venæ sectionem indicent.

*Contrarium defenditur.* V. Sed contrarium cum *Matth. de Gradibus in* 9. *Rhas. tr. cap.* 48. *Paulo Aegineta lib.* 3. *cap.* 22. *Aetio tetrab.* 2. *ser.* 4. *cap.* 47. *Celso lib.* 4. *cap.* 4. & aliis recentiorum ac veterum libentius defendimus, quod scilicet in omni Angina, sive sanguis cum cholera vel phlegmate, sive solus peccet, initium à venæ sectione sit faciendum, modo virtus, ætas, vel aliquod aliud impedimentum, non repugnet: quia in principio statim eò respiciendum, ut affluxus humorum ad partem affectam inhibeatur, quod commodum venæ sectione fieri potest, revellendo videlicet materiam affluentem à parte affecta.

VI. Ut enim in aliis inflammationibus sanguis mittitur, non respectu illius materiæ, quæ jam actu apostema in parte quadam produxit, sed præservationis ergò, ratione materiæ adhuc affluentis & inflammationem augentis: ita etiam hîc venæ sectionem in principio præscribimus, ne affluentibus humoribus major fiat inflammatio, & consequenter præsens suffocationis periculum immineat.

*Satisfit rationibus Mesuei.* VII. Hinc patet Mesuei rationes nihil aliud probare, quam quòd phlebotomia evacuans non requiratur, utpote, quæ tantùm in plethora convenit: eo ipso tamen non tollitur hoc, quod respectu affluentis materiæ, ne affectus reddatur deterior, derivatio per sanguinis missionem institui possit.

*An semel vel partitis vicibus sanguis extrahendus.* VIII. An autem semel, vel partitis vicibus educendus sit sanguis dubium est: *Avicenna* citato loco vetat sanguinem plurimum subitò extrahere, præsertim ubi virtus, debilitari incipit: Si verò fortior est virtus, ad animi defectum usque sanguinem mittendo progreditur. Reliqui principes maxima ex parte eò inclinant ut pluribus interpositis vicibus sanguinem evacuandum esse censeant: cumulata enim, inquit *Altimarus cap.* 46. universimque facta evacuatio animi defectionem excitat, suffocationisque periculum infert, quod in præsenti morbo aliàs plurimùm timendum est.

Vide *Johan. Nicolaum Rogerium in Gal. de cur. ratione per V. S. ad cap.* 12. *sub finem*, & ulterioris declarationis gratiâ conjunge, quæ proponuntur à nobis in *Tom.* 1. *Disp.* 18. *Coronide, quæst.* 15. *pag.* 336. ut etiam, quæ proponit *Cæs. Claudinus consult.* 71. ubi in fœminâ laborante Anginâ exquisitâ auspicandum à venæ sectione esse statuit, primum in talo, propter menses simul sese ostendentes, postea vero quinque horis elapsis etiam in cubito, ac tandem sub lingua quoque post breve tempus. Cùm enim terrificum & miserandum sit hoc morbi genus, ubi suffocationis periculum extrema remedia requirit, quod *Franc. Ranchinus in Tract. de morb. subitaneis, cap.* 10. innuit, venæ sectiones protinus adhibendæ, reiteratis apertionibus venarum sub lingua, & sectis etiam ipsis jugularibus, simul cucurbitâ magnâ cum flamma multâ cervicis initio affixâ, colloque relaxato cum unctionibus. Suadet tandem hic Autor, desperatis omnibus, laryngotomiam celebrandam, & asperam arteriam secandam inter duos annulos, quâ parte membrana carnosa est, ut facilius postea coalescat. Hinc etiam patet, quomodo *Fuchsius citato loco & Thadd. Dunus lib.* 2. *de Venæ sect. cap.* 3. conciliari possint.

## QUÆSTIO V.

### *An Asthmaticis vomitus prosit?*

*Asthma.* I. Ἀσθματικοὶ græcis, anhelosi latinis, vocantur illi, qui citra febrim spiritum densum emittunt, more illorum, qui velociter currendo defatigati sunt: quod si levius est symptoma, ita ut citra sonum exiguè densa & crebra sit spiratio, δύσπνοια laborare dicuntur: *Dyspnœa.* si verò densissima & creberrima est spiratio, ita ut ob imminentem suffocationem jacentes non nisi rectâ cervice respirare possint, ὀρθόπνοικοὶ vocantur, quemadmodum colligitur ex *Galeno lib.* 1. *de diff. respirat. cap.* 11. *Orthopnœa.*

*Causa communis harum affectionum.* II. Causa dictarum affectionum est angustia circa asperæ arteriæ propagines, potissimùm in bronchiis, vel per obstructionem à lentis & crassis humoribus ibidem collectis, vel etiam à flatuosa materia, vel per coarctationem à tuberculo quodam p. n. vel per subsidentiam, à qualitate valdè reficcante producta. Etsi enim rarius à siccitate talis affectus generatur, non tamen impossibile videtur *Avicennæ lib.* 3. *fen.* 10. *tract.* 1. *cap.* 38. quod ulterius confirmat *Salius in Altimar. cap.* 38. non tantùm ratione, cum siccitas dilatationi & constrictioni pulmonum impedimento esse possit, sed etiam experientia, propterea quod Asthmaticus quidam juvenis solâ victus ratione humidâ aliquando curatus fuerit. *Sola siccitas an faciat Asthma.*

*Locus affectus in Asthmate.* Dico *potissimùm in bronchiis pulmonum*: quanquam enim *Alex. Massarias lib.* 2. *Pract. cap.* 2. reprehendat *Avicennam*, quod scribat causam Asthmatis quandoque contineri in bronchiis pulmonum, quandoque in ramulis levium arteriarum, quarum pariter multæ propagines per pulmones disseminantur, adeoque extra bronchia, quod sit contra *Galenum*: quia, inquit, si in pulmone obstruantur propagines non asperæ arteriæ, sed lævium arteriarum, tunc cor laborat, pulsosque facit inæquales, minimè asthma, nisi simul

mul bronchia quoque obstruantur sicuti contigit *Antipatro, Medico Siculo*, cujus historiam ex *Galeno lib.4. de locis aff. cap.* 8. addit: non tamen negari potest; quin extra bronchia pulmonum in aliis vasis etiam Asthmatis causa latitare possit: undè non omnes asthmatici cum stertore & sonitu respirant, quod etiam *Zecchius Consultat.* 58. innuit, quâ de causâ Galenus in citata historia Medico Siculo, circa lævia pulmonum vasa laboranti, non tantùm ea suasit, quæ aliàs Asthmaticis præscribuntur, sed etiam tandem eundem Asthmaticum factum, & aucta spirandi difficultate mortuum pronunciat. Quomodo verò causarum antecedentium ratione talis Asthmaticus affectus etiam frequenter à crudis humoribus circa viscera concoctionis, & in venoso genere collectis, & per venam arteriosam in pulmones effusis generetur, pluribus declarat *Sennertus lib. 2. Pract. part. 3. cap. 2.*

III. Quærimus jam, *num in Asthmate, illo videlicet, quod frequenter accidit, per obstructionem à viscida materia* (à quo reliqui dicti affectus tantùm secundum magis & minus differunt, ut post veteres innuit *Weccerus lib. 1. Syntax. part. 2.*) *ægrotantibus vomitus præscribendus*? Negativa fortassis veritati consentanea videbitur, tum quod peccans materia non hæreat in ventriculo, sed in pulmonum cartilaginosis meatibus: at vomitus non pectoris vel pulmonum, sed ventriculi particularis est evacuatio. Adde quod vomitus duplici modo nocere possit, tum quatenus caput replet & fluxiones auget, undè postea causa morbifica ob affluentem materiam deterior redditur: tum etiam, quod periculosus sit, ob suffocationem imminentem aliàs, quæ respectu vomitus excitati fit major.

*Negativa quæstionis.*

IV. Contrarium tamen, quod videlicet aliquando in Asthmate vomitus instituendus, habet *Paulus Ægineta lib.3. de re med. cap.29.* ubi vomitum radice raphani & similibus excitandum esse statuit: idem innuit *Oribasius lib. 9. item Aetius tetrab. 2. serm. 4. cap. 57.* ubi ex Archigene vomitum à radicibus per intervalla suscitatum approbat.

*Affirmatur quæstio.*

V. Sed nota quod illud ipsum fiat tunc temporis, ubi copiosa pituita in ventriculo collecta est, cujus respectu suffocationis periculum imminens majus redditur, idque tentatur in assuetis, ubi tot nocumenta ex vomitu non sunt expectanda: sic enim natura ab onere levata citius materiam proximam in ipsis pulmonum meatibus peccantem aggreditur, & alteratione suâ ad expulsionem præparare conatur: adde quod hâc ratione ventriculo repurgato fluxionum antecedens causa, & per consequens morbi continua augmentatio, tollatur, quatenus materia ulterius affluens inhibetur.

*Additur limitatio.*

Hæc administratio dupliciter locum habet: primo extra paroxysmum, quod fit vomitoriis moderatis, sicut videre licet *in Tom. 2. lib. 3. Observ. 3. pag. 126.* per exhibitionem Oxymellis de Peto Quercetani, vel similium: vel secundo, tempore paroxysmi, quando spes ferè nulla restitutionis superest, sicuti recordor honestæ fœminæ sexagenariæ, quæ superiori anno vehementissimo paroxysmo Asthmatico succumbebat, ita ut pulsus penitus intermittens, interdum caprizans, & vermicularis redderetur, extremis frigidis omninò redditis, adeò ut calor maximam partem suffocatione protinus extinctus, & mors in janua, quod dicitur, adesset. His rebus ita desperatis, Syrupus Emeticus, qui in *Tom. 2. lib. 7. Observ. 30. pag.* 344. ex Angelo Sala describitur, drachmis decem exhibitus fuit, quo paulò post operante, tanta copia viscidæ, tenacisque materiæ fuit educta, ut astantibus idipsum admirationi esset, ægrâ vicissim restitutâ, & ex orci faucibus erepta, quæ postea singulis ferè mensibus de novo collectâ peccante materiâ (erat enim aliàs cachectica, ut ratione totius venosi generis hæc saburra pectori communicaretur) similiter sibi ipsi per usum istius syrupi, cujus dosin semper in promptu habebat, invadente paroxysmo, succurrebat, donec sub finem anni præcedentis M. DC. XXX. hydropica facta, naturæ debitum solveret.

*Observatio.*

VI. Negativam ergò concedimus, si de proxima causa morbifica, crassa videlicet & viscosâ materiâ in bronchiis pulmonum hærente, sermo est, respectu cujus vomitus minimè convenire videtur: sed potius hic ea præscribenda, quæ citra vehementem calefactionem extenuant & abstergunt: immodico enim calore, ut & frigore, crassi & tenaces humores crassescunt magis, coguntur que, ita ut postea difficulter abstergi & avelli possint, ut inquit *Fuchsius lib. 2. meth. c. 7.*

VII. Hanc ob causam conveniens hic est oxymel squilliticum, ipsa scilla præparata cum melle trita, & similia, inter quæ est etiam *oxymel Cratonis*, in difficultate spirandi remedium præsentissimum, si sensim cochlear integrum deglutiatur, quod fit ex Herba Hyssop. Origan. Marub. puleg. veronic. scabiosæ, card. ben. ana Mj. rad. ireos incisæ ℥j. Agarici albiss. ʒx. Zing. ʒij. Decoquantur in s. q. aceti affusa tertia parte aquæ, & adde mellis puriss. q. s. iterum ad justam consistentiam coquatur & fiat oxymel.

## QUÆSTIO VI.

*An hæmorrhagia narium conveniat in Peripneumonia.*

I. Περιπνευμονία καὶ πνευμονία vel affectus περιπνευμονικὸς, ut *Celsus lib. 4. cap. 4.* vult, est ille, quem latini Pulmoniam, vocant, ita ut sit in numero illorum morborum, quos *Galen. lib. 2. Meth. Med.* à læsa parte affecta nomen accepisse statuit: Est enim *Paulo teste lib. 2. de re med. cap. 30.* pulmonis inflammatio, cum febri acuta, quemadmodum addit *Aetius*, quod ex variis *Galen.* locis repetere voluerunt, quâ ratione *Conciliatori quoque diff.* 100. pulmonis phlegmone dicitur. Malum sanè vehemens & acutum, quod plus periculi, quam doloris habet; veluti *Celsus citato loco* inquit, utpote cum *teste Hipp. lib. 2. & 3. de morb. & lib. περὶ παθῶν* judicetur die septimo, aut decimo quarto, aut ad summum vigesimo, ubi pauci effugiunt.

*Peripneumonia quid.*

II. Dubitatur autem *num in hoc affectu conveniens judicetur hæmorrhagia narium?* Affirmativam habet *Aetius tetrab. 2. serm. 4. cap. 56.* ubi inquit: Si ad salutem

*Affirmatur quæstio.*

lutem permutetur morbus, sanguinis eruptio à naribus abundanter sequitur. Consentit *Altimarus de med. morb. cap.* 51. iisdem verbis: item *Fuchsius lib. 2. de med. morb. c.* 9. & alii practicorum.

*Negatur ex Galeno.*

III. Verùm Negativa potius Galeno placere videtur *lib. 3. de crisibus* dum inquit: contingit interdum, ut per sanguinem fluentem è naribus phrenitis solvatur: non tamen lethargus aut peripneumonia fluxum sanguinis amant. Nec ratio deesse videtur: cum enim hæmorrhagia narium cholericis inflammationibus à tenuibus humoribus provenientibus conducens videatur, consequens est eandem nocere iis affectionibus, quæ à pituitosis humoribus suam ducunt originem. At verò peripneumonia, licet ab omni humore fieri posse videatur, frequenter tamen & maxima ex parte fit à phlegmate, quod *Avicenna lib. 3. fen. 10. tract. 4. cap.* 10. innuit, propterea quod in membro raro & subtili rarò tenuis humor contineatur, sicuti contra in substantiam crassam & densam rarò crassi humores irruunt.

*Conciliatio per distinctionem peripneumoniæ.*

IV. Sed pro conciliatione notandum ex *Forest. lib. 16. observ.* 46. quod sit distinguendum inter peripneumoniam biliosam & sanguineam, quæ hæmorrhagiâ frequenter solvuntur, quod voluit *Aetius* & inter phlegmaticam, de quâ loquitur *Galenus*, eamque cum lethargo conjungit: utpote cum quo respectu causæ convenit. Patet igitur utramque partem quæstionis cum limitatione accipiendam esse.

V. Quamvis autem Galenus citato loco tantùm loquatur de phlegmatica pulmonia, non tamen cholericam & sanguineam negavit, propterea quod *lib. 2. Aph. com.* 19. acutos morbos enumeret ex calidis humoribus procreatos, iisdemque pulmonum inflammationem addat. Quod rationem Avicennæ attinet, illa nihil aliud concludit, quam quod frequentius ex pituitosis humoribus originem suam hic morbus habere possit, quam ex calidis, ut interpretes *Costæus & Mongius* innuunt, & si hoc fiat, non quatenus tales sunt, sed prout ex accidenti putrescentes incalescunt, & inflammationem producunt.

## QUÆSTIO VII.

*An & quomodo pleuriticis vena secanda?*

*Pleuritis quid?*

I. Affectum, quem *Celsus* lateralem dolorem vocat, πλευρῖτις græcis dicitur, estque propriè inflammatio membranæ, intrinsecus costas & latera succingentis, ut habet *Galen. lib. 6. Aph. comm. 33. & lib. 5. de loc. aff. cap.* 3. Manifestatur a. hic morbus suis pathognomonicis signis, ut sunt *dolor lateris pungens*, quatenus pars membranosa inflammata est: *febris acuta*, propter cordis viciniam: *læsa respiratio*, quatenus propter dolorem instrumenta respirationis quodammodo impediuntur, & *tussis* plerumque cum subsequente sputo cruento, propter exudantem humiditatem tenuem ad pulmones, quemadmodum ex *Galeno lib. de const. ar. cap. 15. & lib. 2. de loc. aff. cap.* 9. colligitur.

*Signa pleuritidis.*

*Locus affectus pleuritidis.*

Dicimus Pleuritidem propriè inflammationem esse pleuræ, seu membranæ costas succingentis, ubi mo-



veri potest quæstio, num in pleuritide sola pleura, an vero simul etiam pulmo inflammetur? Præceptor meus *Dn. Platerus*, *ut videre licet in Centur. posthuma, quæst.* 58. & 59. semper simul pulmones inflammati sectione pleuriticorum se deprehendisse statuit, cui etiam subscribit *Zecchius in consultat. Medic. consult.* 26. *sub finem*, qui lateris dolorem, quem pleuritidem dicimus, magnâ ex parte ad pulmones pertingere dicit, rarò ad pleuram, propterea, quod pleuritide mortuos, quoad pulmonum substantiam & membranam investientem læsos observaverit. *Dn. Sennertus lib. 2. Practic. p.2. cap.*16. distinguit inter superiorem pleuræ partem, cum pulmonibus connexam, quâ inflammatâ pulmonum substantiam simul etiam affici concedit, & inferiorem, quæ sola quoque inflammari nata sit, ut vera pleuritis oriatur. Cæterum de materia inflammationis hujus inter autores etiam non convenit, ubi rectè dicit *Johan. Talentonius lib. 4. reconditar. rerum, cap. 1. pag.* 575. à sanguine & bilioso humore pleuritidem veram fieri, quoniam facilius per corporis permeant partes, & transeunt, quia aliis humoribus sunt tenuiores, quanquam ab alio quoque humore fieri posse non negandum sit, quod ex *Desid. Jacotio in comment. 1. Aph. 22. sect. 11. Præsag. Coacar.* confirmatur, non obstante, quod *Hippocrat. 6. Aph.* 33. eos, qui acidum eructant, adeoque pituitâ vel melancholiâ obnoxii sunt, non facilè pleuriticos fieri statuat, utpote, quo non eventus rei negatur, sed rarior affirmatur. Quomodo verò causa externa concurrente, parte dextra pectoris contusa postmodum in sinistra pleuritis fieri posset, itidem apud *Talentonium* legatur, una cum aliis ad morbi cognitionem ulteriorem pertinentibus. Conjunge quoque signa, quæ à varietate sputi de morbi temporibus dignoscendis proponit *Johannes Bapt. Donat. lib. 2. de maturitate materiæ in morbis cap.* 17.

*Materia peccans in pleuritide.*

*Observatio.*

II. De hoc morbo quæritur, *num eidem venæsectione succurrendum sit?* Affirmativa videtur probabilis, propterea quod adsit vehemens febris, vehemens dolor & ingens ac periculosa inflammatio, quæ omnia remedium magnum, quale est venæsectio, indicare videntur.

Quæritur hic an in omni pleuritide protinus ad venæsectionem sit accedendum? *Massarias lib 2. Pract. cap.* 3. concludit, in omni pleuritide, qualiscunque ea fuerit & à quocumque humore originem duxerit, perpetuo venam secandam esse, dummodo tres principes scopi conveniant: etenim, si pleuritis fuerit mitis, & desit morbi magnitudo, tunc à sectione venæ abstinendum est, cujus illustre sit exemplum apud *Galenum 6. Epid.* 3. 44. de quodam ægroto, pleuritide laborante, & cruenta expuente, quem ille visitavit, in cujus curatione censuit à venæsectione abstinendum esse, propter eam solam causam, quod morbus foret levis, & princeps scopus, morbi magnitudo deesset, de quo casu vide *Johan. Baptist. Sylvaticum in Hist. Medic. Galen. numero* 31. Huc etiam inclinat *Horat. Augen. lib. 8. de mission. sang. cap.* 28. dum inquit: si exigua fuerit, benignaque inflammatio in pleuri-

*Affirmativa quæstionis defenditur.*

*In quo casu pleuriticis non sit vena aperienda.*

*Vide quoque limitationes apud Jodocum ab Harchies lib. de contemptu Medicinæ.*

si, & fluxio haud vehementer irruat, quis dubitabit, ægrotum non indigere auxilio revellente? addo, neque etiam indigere vacuatione per venæsectionem instituta. Hinc ergo limitationes notandæ veniunt. Consentit *Joh. Franciscus in Medico reformato p. 1. abusu* 18. *p.* 103.

III. Nec obstat quod *Hipp. 2. vict. acut.* calidis fomentis in pleuritide dissolutionem tentare jubeat: id enim fit ubi mitis videtur lateralis morbus, ita ut venæsectione opus non habeat. Si enim talibus malum non cedit, nihilominus ad sanguinis evacuationem accedendum est, quod patet ex historia Anaxionis, cui post adhibita fomenta calida *Hippocrates* octavo die venam aperuit, ut videre licet *in 3. de morb. vulg.*

IV. Ita & illud limitatione indiget, quod habet *lib. 2. de rat. vict.* ubi ait, dolore ascendente ad jugulum venam secandam, eodem descendente, purgante pharmaco utendum esse. Quod posterius de pleuritide, ubi febris vehemens non est, intelligendum: aliàs enim, *quod monet Altimarus*, in vera pleuritide, propter vehementiam febris præsentis, venæsectio convenientior est: quâ ratione *Aetius quoque tetrab. 2. serm. 4. cap. 68.* idem dicens intelligendus est.

*Quænam vena sit incidenda in pleuritide.*

V. Ut autem Practici in eo plurimum consentiunt, in pleuritide venæsectionem convenientem esse, sic de ipsis venis aperiendis plurimum diffident, ubi principum Medicorum varia dicta discordiam generant. *Avicenna libr. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 1.* phlebotomiam in principio morbi statim ex latere adverso, & maximè ex saphena, opposita in longitudine, instituit. *Aratius* verò die primâ morbi venam secandam esse statuit in brachio opposito lateri dolenti: cùm præstet sanguinem peccantem procul abducere, ut inquit *lib. 1.* de *curat. mor. acut. cap. 10. Galenus* contra *lib. de curan. rat. per venæsect. cap. 6.* convenientissimum pleuriticis esse statuit, venam in brachio laborantis lateris aperire: idque confirmat experientia, quod sectio in eodem latere, sæpius & frequenter maximam, in adverso verò nullam, vel obscuram utilitatem attulerit.

Quanquam de Medicorum dissensionibus, quoad venæsectionem in Pleuritide, disputatum sit etiam à nobis *in Tom. 1. Disp. 18. Coronide, Quæst. 16. pag. 336. b.* lubet tamen etiam hic specialiter quædam annectere. Quod in opposito latere Venæsectio sit instituenda in principio, post citatum *Avicennam & Aretæum*, statuunt etiam alii plurimi, ut sunt *Cœlius Aurelianus lib. 2. Acutar. pass. cap. 18.* dum inquit: adhibenda phlebotomia, sed ex alio brachio, quod fuerit dolenti lateri contrarium: *Serapion. tract. 2. cap. 21.* qui sub initium, materia adhuc fluente, basilicam oppositi lateris indicit: *Avenzoar. lib. 1. tract. 16. cap. 3.* Cujus verba sunt: & cura hujus (pleurisis seu schahusiæ) est phlebotomare infirmum ex basilica dextri brachii oppositi: *Alsaravius tr. 12. Pract. cap. 8.* ubi dicit; curatio Apostematis, si videatur ex sanguine, in pleuritide scilicet, in principio plebotometur vena basilica oppositi lateris: *Haly Abbas lib. 6. Pract. cap. 16.* qui eadem verba habet: *Averoës lib. 7. Collect.* qui venam oppositæ partis etiam aperit: *Mesue l. 2. sect. 1. part. 2. sum. 2. cap. 7.* dum inquit; phlebotometur basilica ex latere opposito, & extrahatur de sanguine, usque dum alteretur color ejus: *Galeatius de S. Sophia in lib. 9. Rhasis ad Almans. cap. 57.* qui in pleurisi, si peccatum in solo sanguine est, plebotomiam in parte opposita de vena communi, vel de basilica suadet: *Arnold. de villa nova lib. 4. Breviarii cap. 5.* dum inquit, si materia est in fluxu, fiat minutio per phlebotomiam per partem oppositam: *Valescus de Taranta lib. 3. Philon. Pharmaceut. cap. 8.* qui sequentibus verbis subscribit; tundatur basilica oppositi lateris ad revellendam materiam in partem contrariam. *Joh. Michael Savanorola tract. 6. Pract. magnæ cap. 16.* ubi inquit, in principio materia existente in fluxu & habente raptum ad furculam, ad partes superiores debet fieri phlebotomia ex basilica lateris oppositi: *Dominicus Leonus sect. 2. Artis Med. l. 2. cap. 9.* qui, venam communem oppositi lateris in principio sufficere statuit, exceptis excipiendis: *Archigenes*, ut refert *Ætius*, venam in brachio non in eo quod rectà ab inflammato latere procedit, sed in opposito secat; *Celsus lib. 2. cap. 20.* ex opposita parte sanguinem mittit: quibus etiam subscribunt *Jul. Cæs. Scaliger. Vict. Trincavellius, & alii plures* Arabum dogmata sequentes.

Contrà *Hippocrates 4. Vict. acut. tex. 13.* in eo latere sanguinem mittere præcipit, in quo laborat æger: item *Galenus lib. de cur. rat. per V. S. cap. 16.* manifestam utilitatem sanguinis missionem in affecto latere præbere dicit: quem etiam sequitur *Aëtius tetrab. 1. serm. 3. cap. 12. Oribasius 1. Synops. cap. 10. & lib. 7. Collect. cap. 5. & alii Græci Principes.* Hos sequitur *Matth. Curtius, Petrus Brisottus, Joh. Manardus, Joh. Nicol. Rogerius, Joh. Baptista Susius, Barth. Vicarius, Franc. Valeriola, qui lib. 1. Enarr. 3. mihi pag. 112.* sanguinem in parte affecta mittendum censet. Quod etiam cum successu fecit in puero octenni pleuritide laborante, *lib. 5. Obs. 4. Item Hollerius, Rondeletius, Joh. Carvinus lib. de sanguine Dial. 6. p. 231. Pet. Vascus Castellus tr. 5. c. 10. diff. 3.* & alii plures. Singularis est *M. Ant. Montisianus, Vesalius, Dunus*, & alii, de quibus vide supra citatam nostram *Quæst. 16. Tom. 1. Disp. 18. in Coron. pag. 336. b.* Plura qui desiderat, in compendio quasi, videat *libellum de venæsect. in pleuritide Renati Moreau*, Medici Parisiensis, & conjungat ea, quæ proponit Sennertus *lib. 2. Prax. sect. 2. c. 16.*

*Conciliatio diversarum opinionum.*

VI. Verùm ut ex hac autorum dissensione nos extricemus, pro conciliatione notandum esse videtur, quod venæsectio vel sit evacuans, vel revellens, vel derivans. Quod attinet venæsectionem, quæ gratia evacuationis, propter sanguinem copia peccantem in toto instituitur, in illâ venæ majores in cubito potissimum secantur, nisi vitium sanguinis in mulieribus à suppressione menstrua ducat originem, ubi venas in poplite vel talo incidere magis convenit, cum hâc ratione non tantùm inutile tol-

tollatur, sed simul etiam consueta evacuatio rursus procuretur, ut habet *Galenus lib. de cur. rat. per. venæs. cap. 11.*

VII. Quodsi revulsionis gratia venæsectio instituatur, cum omnis revulsio respiciat humores ad partem affectam fluentes, meritò illæ venæ eliguntur, per quarum sectionem fluxus ad affectam partem inhibetur. Tales sunt venæ partium oppositarum, non quidem proximarum, sed remotiorum, inprimis respectu longitudinis & latitudinis ipsius corporis, cum observatâ rectitudine, non tam naturæ, quâ dextra dextris, & sinistra sinistris opponuntur, quæ in aliis revulsionum remediis minimè negligenda esse videtur, quam respectu manifestorum ductuum & meatuum, qui sunt inter venas partis mittentis, & oppositas.

VIII. Quemadmodum verò venæsectio revellens propriè dicta est ad partes remotas, ut materia non amplius affluat: ita derivans instituitur ad partes vicinas & proximas, propter materiam ex affecta parte ad alium locum derivandam, ut inquit *Galenus lib. 2. de arte curat. cap. 2.*

*Conclusio & determinatio quæstionis.*

IX. His præmissis concludimus, in corpore plethorico, ubi evacuationis causâ venæsectio instituitur, non plurimum interesse, num ex hac vel illa parte sanguis educatur, cum hic non primò ad morbum, sed ad sanguinis in toto abundantiam potius respiciendum sit, at si morbi respectu circa initium ob affluentem materiam inhibendam venæsectio instituatur, venæ brachii opposite eligantur, quod voluit *Aretæus*, interdum etiam venæ poplitis vel tali, ubi menstrui, vel hæmorrhoidum consueta evacuatio suppressa est, quemadmodum *Avicenna* voluit, in eodem verò latere venam secandam esse jubet derivatio, ubi ex ipsa parte affecta quippiam ad proximiorem locum derivare conamur, quo modo *Galenus* ejusdem lateris brachium pro phlebotomia eligit.

X. Ubi igitur materia adhuc in fluxu est, revellendum ad partes contrarias, maximeque remotas: at si materia jam fluxit, & nihilominus nondum parti penitus impacta est, ad propinquas partes derivatio instituatur. Vide *Mongium & Costeum* ad citatum *Avicennæ* locum, *Mercurialem lib. 1. pract. cap. 7. Capivac. lib. 2. pract. c. 3. Anton. ab Altomar, de med. mor. cap. 50.* & alios.

## QUÆSTIO VIII.

### *An mulieribus sputo sanguinis laborantibus menses movendi.*

I. UT sanguis naturæ thesaurus est, utpote quo vita nostra quotidie restauratur, quatenus ex eo singulæ partes nostri corporis nutriuntur atque conservantur: ita profusio ejus toto genere præter naturam dicitur, nisi vel robore naturæ fiat, in criticis quibusdam excretionibus acutorum, *Galenus lib. 3. de caus. cap. 11.* vel peculiari naturæ intentione certis temporibus instituatur, quod in naturali menstruorum fluxu muliebri satis apparet. *Galen. lib. 3. de caus. sympt cap. 2.*

Sanguinem, ceu sanguen, quasi Sanitatis genitorem, Latinos vocasse statuit *Claud. Deodatus lib. 3. Panthei c. 2.* cum salus atque vita sine sanguine constare nequeat, unde quidam vitam in sanguine posuerunt, juxta illud Poëtæ,

*Purpuream vomit ille animam.*

Hinc ergò sanguinis profusionem morbosam meritò toto genere p. n. dicimus.

*Periculosus affectus sanguinis expuitio.*

II. Inter omnes autem sanguinis eruptiones præter naturam difficilima & periculosa satis est αἱμοπτοὴ καὶ αἱμόπτυσις, καὶ αἵματος πτύσις, sanguinis expuitio, vel cruenta spuitio, ea videlicet sanguinis rejectio, quâ sursum per os cum tussi sanguis expuitur. Ubi illa maximè attendenda, quæ fit ob venas in pulmone vel ἀναστόμωσιν vel διαίρεσιν patientes, & tam sæva est. Ut mirari quis possit, quomodo sæpius natura tali in casu salutem sibi pollicere queat, cum tamen ad quamlibet modicam etiam ac tutam sanguinis effusionem expavescamus, quod visceris hujus pulmonis videlicet ἀναισθησία efficit, mortis securitatem falsò promittendo.

Talem sanguinis profusionem non ex ventriculo, non ex aspera arteria, non ex thorace, sed ex pulmonibus fieri patet indè, quia nec vomitione, nec screatu, nec tussiculâ, sed tussi vehementi rejicitur, sine dolore, tenuis, floridus ac spumosus, non crassus, grumosus ac nigricans sanguis. *Frambessar. lib. 4. Can. & Consult. Med. tit. 4.*

*Viri Juvenes curhoc affectu laborent.*

III. Etsi verò tali affectu frequentius viri, potissimùm juvenes, ut habet *Hipp. 3. Aph. 29.* afficiantur, utpote qui magis in victu delinquunt, ut addit *Galen. in com.* & simul etiam sanguinem biliosum magis obtinent, ut animadvertit *Mercurialis lib. 2. pract. cap. 3.* non tamen negandum, quin mulieribus quoque sæpius tale quid accidere possit, præsertim ubi consueta sanguinis evacuatio menstrua supprimitur, ita ut sanguis præter naturam, retertus incalescat & effervescat, atque consequenter, aut ratione acredinis, ora vasorum aperiat, aut eadem vasa respectu suæ plenitudinis extendendo rumpat, & acrimoniâ exedat.

*Mulieres cur etiam interdum afficiantur.*

*Affirmatur quæstio.*

IV. Jam dubitatur *num in tali casu menstrua purgatio provocanda sit?* Affirmativam habet *Avicenna lib. 3. fen. 10. tract. 3. cap. 6.* ubi inquit, sanguis inferius reclinetur in mulieribus per provocationem menstruorum in hora suâ. Nec videtur opinio diversa ab assertione *Hippocratica quâ lib. 1. Aph. 21.* statuitur, materiam peccantem iis viis educendam esse, quo maximè vergere & naturali motu inclinare videtur. At verò quis negabit in obstructione mensium commodius peccantem & superfluum sanguinem retentum per uterum, utpote consuetum ac familiarem locum, quam aliis viis evacuari. Ut enim Medicus minister naturæ est, ita etiam, quoad fieri potest, naturam imitari debet, præsertim in expellendis contentis p. n. propterea, quod hîc sine juvante virtute expultrice nihil præstare possit: at citius cum illis remediis conspirat natura, quæ faciunt ad juvandas operationes consuetas, quam cum aliis, ubi contra naturæ ordinem quippiam tentamus.

Etsi suadet idipsum *Hipp. Aph. 31. lib. 5.* dum mulieri sanguinem vomenti menstrua erumpentia solutionem afferre dicuntur, propterea quod conveniens

sit hæc revulsio, tàm optimâ rectitudine, quam per regionem maximè convenientem, ut habet *Vallesius in comm.* Cur non illud ipsum hîc etiam locum habeat? quanquam planius hoc sit, & præsentius juvamentum sit expectandum ut monet *Cardanus in comm. hujus Aph.* quia sanguinis sputum ruptura vasis oriri queat; ubi tum ob motum, tum ob vehementiam caloris etiam ob destillationes assiduas, quas eò confluere solent, morbus non solveretur.

*Negativa quæstionis.* V. Contra negativa suadetur ex hoc fundamento, quod omnia illa, quæ faciunt ad sanguinis effervescentiam in hoc affectu, angue pejus fugienda sint, quam ob causam à clamore, frequenti loquela, corporis commotione, iracundia & vehementibus animi affectibus cavendum: at verò illa, quæ menses movent cum vehementia quâdam calefaciunt & exiccant, quâ ratione attenuando & abstergendo aperiunt & sanguinem consequenter per consuetas uteri venas educunt, ut sunt calamintha, artemisia, pulegium, marrubium, melissa, sabina & similia. His autem adhibitis necessariò sanguis incalescit, attenuatur, effervescit, & consequenter acrior redditur, undè nocumentum potius, quam adjumentum, hic exspectandum, cum à talibus in hoc casu penitus abstinendum esse videatur.

*Decisio quæstionis.* VI. Sed pro decisione quæstionis, nota ex interpretibus Principis, quod dictum *Avicennæ* sit intelligendum de provocatione mensium, non illâ, quæ fit internis medicamentis exhibitis, quia alias sibi ipsi contradixisset, cum acria medicamenta omnia & per consequens etiam ea, quæ menses movent, ægris his interdicat, sed de ea, quæ fit frictionibus inferiorum partium, vel cucurbitarum appositione: imò saphenæ quoque sectione, quâ ratione non tantùm sanguis ad longinquiorem partem revocatur & revulsionem multò firmiorem efficit, ut habet *Trallianus lib. 7. cap. 1.* sed insuper etiam ad consuetam viam, videlicet ad uterum ducitur, ita ut consequenter menstrua purgatio redeat, modo justo tempore, ubi alias menses fluere consueverunt, instituatur, quemadmodum innuit *Galenus lib. de curan. rat. per venæs. cap. 12.*

## QUÆSTIO IX.

### *An saccharum rosarum conveniat phthisicis?*

*Phthisis propriè dicta.* I. PEriculosissima est illa tabis species, quam græci φθίσιν aut φθόην appellare consueverunt, in quâ adest consumptio totius corporis cum febri lenta ex ulcere pulmonis originem trahens. *An sit curabilis.* Hanc alii incurabilem omninò statuunt, idque potissimùm ex *Galeni* mente colligunt, qui ulcera pulmonum incurabilia statuere videtur, *lib. 4. de loc. aff. cap. 8. & lib. 5. Meth. Med. cap. 8. & 1.* propterea quod pulmones ob continuam & perennem respirationem in perpetuo motu sint: at ea, quæ consolidantur, quietem potius requirunt. Adde quod ratione tenuioris substantiæ non facilè fiat consolidatio: imò & vis medicamentorum ad locum affectum difficulter penetrat, ulcerisque purificatio satis laboriosa est.

Quanquam ipse motus respirationis in se consideratus, adeoque motus pulmonum tam vehemens non est (quatenus ipsam respirationem in se consideratam non animalem, sed naturalem commotionem statuimus, ex sententia *Aristot.* ut videre licet *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 1. Ex. 8. quæst. 8. pag. 83.* Cum quo loco conjungatur ὁμόψηφος *Thadd. Dunus lib. de Respirat.*) ut consolidationem impedire possit: quia tamen reliqua concurrunt, quæ motum hunc exacerbare solent, ut est tussis vehemens, idcircò mirum non est, quod ulcera pulmonum difficulter coalescant. *Vide hac de re singularia Tom. 2. lib. 3.*

II. Ut ut sit, negari tamen non potest, interdum in periculosis etiam affectibus naturam virtutem suam exerere & medicamentorum ope sanitatem vix speratam recuperare. Quod etiam in phthisicis experientia confirmat, quorum aliquos præter spem aliquando restitutos fuisse pristinæ sanitati Autoritas & experientia, tam veterum, quam recentiorum testatur, quemadmodum videre licet in *Avicenna lib. 3. fen. 10. tr. cap. 8.* qui phthisicam mulierem morti propinquissimam restituit; in *Conciliatore diff. 194. Valesco lib. 3. Philon. cap. 11. Valeriola lib. 2. & 3. observationum, Montano consil. 152. Erasto in consil. 88. à Scholzio edit. Franc. Arcæo tract. de feb. & lib. 2. de curand. vuln. Fracastor lib. 3. de morb. contag. cap. 8.* qui posteriores ligni Guajaci decoctum plurimi faciunt in ulceribus pulmonum curandis.

*Difficilis non tamen impossibilis est phthisis curatio. Vide Gal. lib. 5. Meth. c. 13. 14.* III. Quamvis igitur difficilis curatio phthisicorum ex Galeni sententia, non tamen omninò impossibilis omnis ulcerum pulmonis consolidatio statuenda est, præsertim cum peritissimorum Medicorum observationibus non temerè contradicendum esse videatur. Cum ergò benevolentiæ & humanitatis sit, in extremis etiam morbis ad experimenta procedere, quemadmodum *Aetius tetrab. 4. serm. cap. 120.* innuit: idcircò phthisicis quoque omni ingenio succurrendum.

*Negativa quæstionis ponitur.* IV. Inter alia verò, quæ plurimùm commendantur à practicis, est etiam *saccharum rosarum* (alias conserva rosarum) de quo quærimus, *num phthisicis ulcere pulmonum laborantibus conveniat?* Negativa videtur probabilis, eam ob causam, quod ulcus pulmonum mundificatione, & puris eductione indigeat: hæc enim duo potissimum in causa sunt, quod plurima pulmonum ulcera sint insanabilia, ut ipse *Galenus lib. 5. Meth. Med. cap. 5.* innuit. At saccharum rosarum imbecillius est, quàm ut mundificare & sufficienter ulcus abstergere possit.

V. Adde quod novum rosarum saccharum alvum solvat, cujus fluxus in phthisicis periculosus est: antiquum verò exiccando & adstringendo vias comprimat, angustioresque reddat, undè materiæ eductio impeditur, & sanies intrò pellitur. Imò cum frigidum sit saccharum rosarum, inconveniens videtur, propterea quod *Hippocrate teste 5. Aph. 24.* frigida pectori noceant.

*Affirmativa quæstionis deto feruditur.* VI. Contra affirmativa quæstionis pars veritati consonat, quam ob causam principes Medicorum eandem quoque confirmant, ut patet ex *Avicenna cita-*

*to loco*, quem plerique practicorum sequuntur. Id enim convenit phthisicis, *inquit Conciliator differ. citat.* quod mundificat, abstergit, glutinat, intemperiem introductam corrigit, & quodammodo simul nutritivum est: atqui hæc omnia saccharum rosaceum præstat, undè concludimus usum conservæ rosarum in curatione phthiseos plurimi faciendum esse, quod non solùm classicorum autorum testimonium, sed quotidiana quoque experientia testatur.

Hinc *Fumanellus lib. de Rosar. facult. cap. 9. pag. 242. sui operis*: Antiquum saccharum rosaceum sanguinem rejectantibus auxilium præbet, peculiareque est medicamentum ægritudinibus pectoris, sanguinem ac saniem expuentibus, ulceribus pulmonis atque tabidis. Cum quò benè coincidit, quod habet antiquus *Macer*, *sub titulo de Rosa, dum inquit: Ejus sicca gradu vis est, & frigida primo.*

Hinc etiam *Alex. Pedemontanus lib. 3. de Secretis*, saccharum rosarum ventriculum & cor & viscera reliqua firmare dicit, ipsorumque intemperiem emendare pronunciat. Adde *Nicol. Monard. lib. de Rosa, ejusque temperamento.*

*Limitatio quæstionis.*

VII. Notandum tamen, quod monet *Mesues*, & post eum *Conciliator*, saccharum rosarum non esse concedendum antequam alia medicamenta abstergentia & mundificantia fortiora præcesserint, & ulcus à pure repurgatum fuerit, ita ut levis abstergendi, plurimum vero glutinandi facultas requiratur, quod optimè præstat saccharum rosarum, inter novum & vetus medium, quotidiè, quacunque formâ id fieri potest, usurpatum.

*Resolvuntur instantiæ.*

VIII. Hinc patet, quid respondendum sit ad primam rationem negantem, quâ dicitur saccharum rosarum ad sufficientem abstersionem & mundificationem ulceris non sufficere, ut etiam ad illud, quo recens & antiqua conserva rosarum improbantur. Quod autem Hipp. frigida pectori inimica dicat, id non de tali frigiditate temperata, qualis inest rosaceo sacchro intelligendum, sed de excedente, quam nix & glacies repræsentant, ut in ipso aphorismo additur.

De Rosæ qualitatibus plura videas *infra in Herbario Horstiano lib. 1. c. 15. sect. 2.* ejusque varias differentias legas apud *Carol. Clusium in rariorum stirp. hist. lib. 1. cap. 81.*

Ut Rosa stat Spinis, sic dulcor constat amaris:
Sic sudore pio virtus, doctrina labore.

Vide *Ennium Elchionem libr. 1. de Math. Med. cap. 6.*

## QUÆSTIO X.

*An lateris incisio in empyemate tentanda?*

*Empyema quid.*

I. Ἐμπύημα græcis, suppuratio vel purulentia latinis dicitur, & propriè loquendo denotat collectionem puris in spatio thoracis atque pulmonis intermedio, undè suppuratos vel ἐμπυηκοὺς illos vocant potissimum, quibus inter thoracem ac pulmonem pus coacervatum est, ut patet ex *Galen. in com. 45. Aph. 7, & 27. Aph. 6. & alibi passim.*

*Unde fiat Empyema.*

II. Fit autem puris collectio, vel ob sanguinis eductionem, ulcere quodam ad cicatricem non perducto dictis in locis, vel ab inflammatione prægressâ, & ad abscessum mutata ac rupta, vel ob materiam ex defluxionibus ibidem collectam, & in saniem conversam, ut patet ex *Paulo lib. 3. de re med. cap. 32.*

III. Frequenter à ruptis abscessibus empyema suam ducit originem, qui vel sursum rumpuntur, in vacuum thoracis locum, & periculosum producunt empyema, vel deorsum, ubi partim per alvum, partim quoque per urinam purulenta materia evacuatur, transsumptione per vasa quædam contingente, quemadmodum statuunt *Paulus citato loco, & Aetius tetrab. 2. serm. 4. cap. 65.*

*Quomodo pus evacuetur inferius & superius.*

IV. Quomodo tam inferius, quam superius purulenta materia evacuetur, non ita planum est, quamvis, experientia teste, tam per urinam, quam per sputum illud ipsum fieri frequenter videamus. Quoad expurgationem per urinas *Galeni mens est lib. 6. de loc. aff. cap. 4.* quod pus per arteriam venosam ad sinistrum cordis ventriculum perveniat, & exindè per arteriam magnam ad emulgentes, per quas ad renes & vesicam ablegari potest. At cum cordis nobilitas, ac potissimum sinistri ventriculi præstantia, non facilè talem purulentæ materiæ transitum sustinere queat: idcirco potius per aliorum vasorum communionem hoc fieri statuendum est, idque maximè per illam venam, quam *Fallopius* à pectore in emulgentem descendere notavit, quæ etiamnum hodiè frequenter in corporibus humanis demonstrari potest. *Vide Tom. 2. lib. 3. Observ. 15. pag. 135. & seq.*

V. Ubi versus superiora rumpitur abscessus, & pus in cavitate thoracis colligitur, per sputum pus evacuatur, non quidem transeundo per venas pectoris mediante corde ad pulmones, ut olim *Erasistratus* voluit, sed transsudando per pulmonum tunicas, *teste Galeno lib. 5. de loc. aff. c. 3.* eo modo, quo per musculos & cutim in fracturis ossium cruentam materiam manare videmus, ità ut fasciæ ex eâ sæpius humectentur, etiam si conspicui meatus nulli adsint. *Galen. in com. lib. 7. Aph. 54.*

*An sectio pectoris conveniat.*

VI. Cum autem hic modus evacuationis sat periculosus, ideò quæritur, *num fortè convenientior dari possit?* Hic sectio pectoris sese offert, quam fortè fortuna inventam esse putant à milite quodam empyematico, qui de salute restitutionis desperans, ferè tabe consumptus, ad bellum accessisse dicitur, ubi ab hoste punctim læsus in throace, puri exitum molitus & ab empyemate liberatus fuit.

*Affirmatur ex Hippocrate.*

VII. Quod autem *Hippocrates* hoc remedium approbarit, ex *lib. 6. Aph. 27.* colligitur, cui *Galenus in comm.* consentit, & administrandi modum simul declarat. Non autem præter rationem hoc accidit, quia vulnera thoracis per se lethalia non sunt, & ipsa purulenta materia copiosa commodiorem exitum habere vix potest; nec præter experientiam, quia non tantum veterum, sed etiam recentiorum scripta testantur, hâc ratione plurimos fuisse conservatos, quemadmodum patet ex *Foresto lib. 16. observ. 48. Rondeletio*

*lectio cap. de purulentis*, *Amato Lusitano centur. 1. curat. 61.*

*Cautio notanda.* VIII. Nota tamen ex *Capivaccio libr. 2. pract. cap. 4.* tunc esse thoracem perforandum, ubi materia est copiosa, ita ut in quadraginta diebus per sputum evacuri nequeat, secundum *Avicennam & Galenum*: pus autem evacuatur sensim, & per vices, ut monet *Hipp. Aphor. citato*, propter virium infirmitatem, facta sectione per scalpellum (quam semper ustione commodiorem judicamus) inter costam tertiam & quartam circiter, infernè sursum numerando costas legitimas, in loco à spinali medulla remotiori. His peractis, vulnus chirurgo committendum, & more aliorum pectoris vulnerum tractandum, internis medicamentis pus repurgantibus non neglectis.

Hîc nota ex *Dn. Sennerto. lib. 2. Prax. part. 2. cap. 19. quæst. 2.* duo in loci electione attendenda esse: primum, ut operatio tutò instituatur, id est, nihil in thorace, unde ægro aliquod periculum imminere possit, violetur, pericardium scilicet, pulmones, diaphragma, venæ item & arteriæ insignes ac nervi: secundò, ut per locum, in quo sectio instituitur, pus commodè evacuari possit. Nota tamen, quod non tam religiose semper apertionis locus observandus esse videatur, cùm sæpius tumor sese offerat, ubi magna puris latentis & præcocti copia subest, & sui apertionem indicat, quod etiam locus dolorificus cum rubore & lancinatione desiderat, ubi tamen semper eò respicias, ne vel in anteriori parte thoracem aperias, sed in latere, non nimis humili, ne diaphragma lædatur. De quo pluribus egit *Hier. Fabric. ab Aquapen. part. 1. Operat. Chirur. cap. 46.* Conjunge *Costæum de igneis Med. præsidis lib. 2. c. 37.* ubi Thoracis suppurati curatio proponitur. *Tantum de controversis quæstionibus therapeuticis morborum Vocis & Respirationis.*

---

Σὺν Θεῷ

DECAS QVINTA,

# CONTROVERSAS ALIQUOT QUÆSTIONES AD CORDIS ET VENTRICULI AFFECTIONES COGNOSCENDAS ET CURANDAS PERTINENTES DETERMINANS.

## ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Cor vitæ nostræ principium, & per consequens ratione necessitatis præcipuum corporis humani membrum rectissimè statuunt Philosophi. Hanc ob causam natura provida non tantùm eo in loco cum reliquis membris Cor disposuit; ubi non facilè ab externis injuriis læditur, nimirùm in ipso thorace, certas ob causas ex ossibus & carne constructo, ut habet* Archan. Piccolomineus in Anat. prælect. lect. 5. lib. 2. *in quo tanquam rex in arce suâ residet, & exterius, reliquis scilicet partibus, per sua ministrantia membra facultatibus omnibus, spiritus & calorem communicando, præest: sed insuper quoque principium internum vitale copiosum concessit, ita ut minus quam aliæ corporis partes morbis obnoxium esset. Quasdam tamen affectiones p. n. nihilominus sustinet, per quas facultatis vitalis operatio immediatè læditur. De quibus aliquot quæstionibus agemus: iisdemque consideratis, ad quædam nutritivæ facultatis symptomata, propter ventriculi dispositiones præter naturam accidentes, progrediemur.*

### QUÆSTIO I.

*An acetum rosaceum in omni syncope conveniat. & obiter, quæ sit aceti natura.*

*Syncope quid.* I. Συγκοπὴ à verbo συγκόπτω, ferio, verbero concido, derivatur, & acutissimus est cordis affectus, ut patet ex *lib. 2. Aphor. 41. in com.* Latinis, cum proprio nomine careat, syncope quoque dicitur, Estque præceps virium lapsus, ut habet *Galenus lib. 12. Meth. Med. cap. 5. & lib. 1. artis curan. cap. 14. Paulus lib. 3. de re med. cap. 34.* *Syncope quid differat à defectu animi.* Differt à defectu animi, quem græci λειποθυμίαν καὶ λειποψυχίαν vocant, quod hîc adsit quidem lapsus animi, levior tamen, quam in syncope, utpote talis, qui syncopen plerunque

que præcedat. Hinc *Aetius tetrab. 2. ser. 1. cap. 51.* lipothymiam à syncope differre dicit, quod absque sudore derepente deliquium animi constituat: at syncope non sine sudoribus syncopticis gravis est omnium virium, præsertim vitalium, lapsus.

*Unde sudores frigidi in syncope.* II. Apparent enim in syncope sudores frigidi, *Hipp. & Gal. 1. prog.* attestantibus, propterea, quod ob vires magnoperè læsas, calor innatus ad cor tanquam ad propriam arcem intrò confugiat, unde humidum in partibus solidis, quasi suo conservante calore destitutum, retineri nequit, sed sudoris specie exit, tactu frigidi, quia calidum innatum aut extinguitur, aut extinctioni proximum est: ut annotat *Altimar, de med. hum. corp. Mal. cap. 15.*

*Causa syncopes.* III. Etsi verò plurimas ob causas hoc malum accidere possit, commodissimè tamen ad tres classes cum *Paræo lib. 8. Chirurg. c. 14.* omnes reducimus: vel enim fit syncope spirituum calorisque dissipatione, ut in evacuationibus excedentibus, vel eorundem spirium oppressione, ut in timore, aliisque affectibus, in quibus calidum principium suum repetit, vel denique corruptione caloris nativi, quod in cacochymicis quibusdam, vulneribusque venenatis fieri consuevit: idque solet accidere vel primariò, quando cor ipsum magnâ quâdam intemperie cum vel sine materia, aut venenatâ qualitate afficitur: vel per consensum laborantibus partibus aliis, ut patet in syncope stomachica, item in illa, quæ uteri suffocationem comitatur, & in aliis. *Vide Galen. lib. 12. Meth. cap. 5. lib. 1. artis cur. cap. 14. lib. 5. de loc. aff. cap. 1. & 2.*

*De Spiritibus & vitali facultate multa huc facientia vide apud Dominicum Bertacchium l. de Spir. & Vitali facultate.*

*Aceti facultates ex Galeno.* IV. Quamvis autem in syncope validæ medicinæ locus non sit, ut inquit *Paulus lib. 3. cap. 34.* interdum tamen, ubi vires adhuc aliquo modo consistunt, auxilia medica expetit, quam ob causam celerrimè, ubi spes quædam salutis superest, ægrotantibus in tali affectu succurrendum. Et cum in tam gravi morbo bis peccare non facile liceat, quærimus *num acetum rosaceum, quod vulgariter in omni syncope adhibetur, intentioni rationali semper respondere possit?*

V. Simpliciter hic decisivam responsionem adderem, nisi quæstio de natura aceti satis intricata esset apud autores classicos quam ob causam paucis determinandum restat, quam vim operandi possideat acetum, ubi corporibus nostris adhibetur.

VI. Galenus mistam operandi potentiam aceto attribuit, ita ut vim refrigerandi & calefaciendi, reprimendi, & attenuandi atque incidendi possideat, ut patet *ex lib. 11. Meth. Med. cap. 8. lib. 4. simpl. cap. 2. lib. 10. Meth. Med cap. 9. lib. 14. Meth. Med. cap. 7. lib. de atten. vict. & aliis in locis sexcentis.* Sequuntur Galenum reliqui Medicorum principes. Hinc *Paulus Ægin. lib. 6. de re med. cap. 3.* Acetum mixtæ facultatis est, frigidæ & calidæ, quæ ambo tenuium partium existunt: prædominatur tamen frigida calidæ: in tertio vero ordine siccat. Iisdem verbis consentit *Oribasius lib. 15. collect. cap. 1. & lib. 4. Synop. c. 32. Aetius tetrab. 1. serm. Actuarius etiam. lib. 6. de Meth. Med. cap. 1.* idem dicit, dum inquit: Habet acetum, quod in incidentium ordine recensetur, egregium quippiam,

*Vide quoque Pe. de Crescentiis. lib. 4. c. 44. & seqq.*

quod, præterquam quod discutiat, reprimat, repellatque influxum, utpote substantiâ suâ modicè calidum, & plurimum habens frigoris, idque tenuium partium.

*De aceti etymo & natura vide Lotich. in com. Petronii, l. 2. cap. 14.*

VII. Hæc est principum assertio de aceto, unde variæ variorum opiniones nascuntur, dum alii mordicus acetum calidum esse pronunciant: alii contra illud ipsum frigidum statuunt. Ut autem dicta magis intelligamus, aceti generationem considrabimus.

*An acetum calidum vel frigidum.*

*Assertio Galeni de generatione vini.* VIII. Hanc *Galenus lib 4. simp. cap. 2.* declarat eâ ratione, quod acetum fiat ex vino, ita ut ingenita vini caliditas amittatur, & alia ex putredine vini, partiali scilicet, partibus remanentibus aquosis, acquiratur. Quippe, inquit, vinosæ vini partes, dum ipsum in acetum transit, refrigerantur. At aqueum recrementum putrescens ascititiam caliditatem acquirit, veluti quæ putrescunt omnia, fitque acetum quiddam ex contrariis facultatibus mistum, partim refrigerantibus, partim calefacientibus.

*Sanctorius lib. 7. Meth. de vitand. error. cap. 4.* videatur, qui aciditatem omnem, adeoque etiam in generatione aceti ex vino, fieri à vincente frigiditate, & caliditate tantùm movente statuit, quod autoritate Galeni nec non ratione & experientiâ confirmare nititur.

*Assertio Zabarellæ de generatione vini.* IX. Planius hanc vini mutationem in acetum declarare conatur *Zabarella lib. 3. de misti gen. & inter. cap. 7. & seq.* ubi præsupponit, vinum habere duos calores, & duas humiditates, calorem videlicet elementarem seu temperaturæ, & calorem animalem ab anima vitis sibi insitum atque impressum, eo modo, quo semen animantium & plantarum calorem vivificum præter elementarem sibi communicatum habet, etiamsi anima actu destituatur. Habet insuper duas quoque humiditates, quas Galenus etiam intellexit, ubi substantiam vinosam, & substantiam aquosam, à se invicem distinguit: Substantia vinosa est illud humidum, quo fit conjuctio partium: at humidum aquosum est illud, quod ex alimentis contractum est tunc temporis, ubi cum vite vinum adhuc jungebatur. His præsuppositis dicendum putat autor citatus, acetum fieri per interitum caloris vitalis, manente calore elementari, sine separatione humidi continuantis à sicco: quodsi præterea calor temperaturæ quoque separaretur, & vinum verè putridum redderetur.

X. Verùm cum & hæc assertio suis dubitationibus non destituatur, eò allaborandum esse videtur, ut alio modo sensibus atque rationi fortè convenientiori naturam aceti declaremus. Hic nobis arridet assertio Hermeticorum, de qua vide *Quercetanum libr. 1. de sens. cap. 20. Tract. 2. de signatur. inser. in Tetra. cap. 7.* & alibi. Quâ statuitur, quod vinum acidum reddatur, separato suo spiritu, quemadmodum experientia testatur. Quò enim diutius soli aut locis calidis exponitur, eò majorem acrimoniam sensim contrahit, ac detractâ æthereâ essentiâ, quâ mirâ suavitate perfundebatur, tandem acescit. Cujus aciditatis causa non est elementaris quædam frigiditas, sed pendet ab acidis spiritibus salis, qui vinculo sulphureæ substantiæ, hoc

*Hermeticorum opinio de mutatione vini in acetum.*

est,

est vini spiritu, proprio in officio continebantur, & tantùm gratissimè palatum afficiebant, quo soluto, luxuriare effrenes solent, & occultam antè suam naturam manifestam faciunt.

XI. Est igitur sal quidam acidus, quem vitriolatum vocant, quod in vitriolo maximè abundet, qui in aceto cum aquosa substantia (detractâ sulphureâ essentiâ) acore suo se conspiciendum præbet, quemadmodum hæc pulchrè declarat Autor citatus.

Adde *Deodatum in Pantheo lib. 2. cap. 1.* dum inquit: Hermetici, præmissâ vitali Anatomiâ Aceti, ideò acetum acidum deprehenderunt, quod vini spiritu, cœlesti illa essentia arcto illo vinculo, occultos & acidissimos salis Armoniaci spiritus frenante, ac quo minus suas exerant vires, coarctante, spoliatum sit: non autem quod sit frigidum: nam & aqua, licet frigidissima sit, non tamen acida est, ob spiritus scilicet Armoniaci defectum. Hic enim sal volatilis & spiritualis, detractâ per separationem igneâ vini substantiâ, sese acore suo manifestat, & quò generosius fuit vinum, eò acrius illud aceti fermentum, vehementioresque & maximè penetrantes spiritus sese in apertum dabunt, ita ut acidus & attenuans aceti sapor, dissolvensque facultas tenuissimæ, penetrantissimæ atque spirituosissimæ salis Armoniaci essentiæ, aceto inexistenti sit adscribenda, non simplici frigidæ qualitati, quod non alia ratione accidit, quam quod æthereo illo spiritu vinum sit orbatum, quo præsente nunquam acetum fieri posset. *Dn. Sennertus lib. de Scorbuto cap. 2.* Paulò aliter declarare conatur, dum acetum è vino fieri, spiritus & salis volatilis, quæ in vino sunt, fixione, statuit, quasi dicat, non simplici separatione spiritus & salis volatilis è vino fieri acetum, sed eâ ratione, quatenus spirituosa vini substantia cum sale volatili ejusdem fixa redditur, quod num absque evaporatione & separatione fiat, experientiâ teste, dubium remanet. Conjunge *Palladium Spagyricum Johan. Petri Fabri. cap. 11. mihi pag. 140.* ubi vinum acescere demonstrat, evanescente vini spirituosa & ætherea substantia, relictis vini terreis & aqueis partibus, immaturis quasi, quam ob rem acetum & omphacium ejusdem qualitatis atque naturæ esse pronunciat; quod enim ex aceto ars, vel temporis vetustas eduxit, scilicet spirituosam vini substantiam, idipsum (inquit) idem in omphacio natura ipsa temporis brevitate, calorisque defectu non produxit.

*Cur acetum contrarias operandi facultates habeat.*

XII. His positis facili negotio demonstramus, quomodo acetum contrarias operandi facultates possideat, & quæ sit ratio diversarum illarum partium, quæ jam calefaciunt & incidunt, jam refrigerant atque reprimunt: quod enim acetum cum acrimonia sit acidum, & consequenter vim attenuantem atque dissolventem habeat, hoc fit ratione salis acidi, cum quo perfunditur, respectu cujus tenuissimæ essentiæ penitissimas ac durissimas etiam partes penetrare potest: quod autem insuper quoque refrigeret, propterea fit, quia sulphurea & ignea vini qualitas separata est in aceto, remanente copiosa aqua frigidâ elementari, respectu cujus frequens immoderatus vini usus diuturnorum, frigidorumque morborum causa est, ut annotat *Petr. Severinus in Idea cap. 7.*

XIII. Hæc aquæ frigiditas, juvante vi penetrandi, quæ propter dictas causas inest, in penitissimas partes fertur ac penetrat, & consequenter strenuè refrigerat. Adde, quod acetum ex accidenti quoque tales operationis præstet, quatenus ratione suæ aciditatis vitriolatæ potentiam obtinet colligendi vel coagulandi fervidas exhalationes, & dissolvendi corpora: ita enim in inflammationibus coagulat, & consequenter compescit exhalationes nitrosulphureas calidissimas, ac dissolvit materiam, ex qua tanquam ex minera tales fervores exhalant, unde causam calefacientem tollendo refrigerat. Hieroglyphicam aceti usurpationem vide apud *Adrian. Turneb. Adversariorum lib. 20. cap. 1.*

*Quæstio primaria negatur.*

XIV. Ex dictis apparet, rectissimè veteres aceto qualitates contrarias attribuisse, quemadmodum supra demonstravimus, idcircò jam tandem ad quæstionem accedimus, num scilicet acetum rosaceum in omni syncope conveniat? Negativè respondemus: cum enim causæ contrariæ non nisi per contraria remedia tollantur, ideò manifestum est aliter spirituum resolutionem, aliter quoque eorundem suffocationem atque infectionem curari debere.

*Conclusio & limitatio problematis.*

XV. Quam ob causam cum *Capivaccio lib. 2. pract. c. 9.* concludimus, quod syncope à spirituum resolutione facta per usum refrigerantium, potissimum fronti, faciei, regioni cordis & pulsuum applicatorum optimè corrigatur, ubi acetum rosaceum convenit, quod propter aceti qualitates penetrat & respectu rosarum vim refrigerandi, colligendique spiritus majorem acquirit. Quod si suffocatio in causa est, necessariò requiritur attenuatio ac dissolutio materiæ morbificæ, quæ per frigida minimè præstatur? quare hic ad nasturtium, nigellam, sinapi, Mithridaticam confectionem aq. cinam. extremorum frictionem & alia hujus generis accedendum est. Tandem si malignitas in causa, bezoarticis & appropriatis cordi prospiciendum. *Vide Albanum Torrinum in Metaphrasi Febrium, Joh. Damasceni cap. 23. & seq.*

XVI. Jam ergo non mirum, quod sæpius in absentia Medicorum ægri lapsu virium pereant: potest enim fieri, ut communi remedio refrigerante adhibito spiritus, alias suffocati, circa principium suum ulterius conglobentur, & penitus hâc ratione vitalis facultas supprimatur.

## QUÆSTIO II.

*An calida cordis intemperies semper refrigerantia indicet?*

*Affirmatur quæstio.*

I. Videtur Quæstionis pars affirmativa maximè probabilis, præsertim ubi nobis in mentem revocamus commune illud principium, contraria contrariis curari, quod quasi fundamentum totius curationis medicæ constituit, ut passim ex *Galeno & Hippocrate* colligitur, & peculiariter adhuc demonstratur *à Conciliatore diff. 153. Vide Vidio l. 12. de curat. gen. cap. 4. Vallesio lib. 8. controvers. cap. 4. & aliis.* Hinc Medi-

Medicina *Hppocrati lib. de flat.* adjectio & detractio vocatur, ut operationes affectibus contrarias innuat, quod magis patet *lib. 2. Aph. ubi inquit:* ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γίνεται κένωσις ἰῆται: καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονὴ, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

II. Ratio quoque in promptu est, propterea quod contrarium à suo contrario tollatur: cum ergò morbus corpore sit expellendus, necessarium est consequens, remedio contrario illud ipsum fieri debere, quandoquidem omnis actio corruptiva contrariorum est. Quod natura beluas etiam docuit, undè tempore hyemis, ut frigiditati medelam afferant, solem, æstate verò umbram diligenter perquirunt.

*Cur quædam per similia curentur. Vide Tom. 1. Disp. 17. Coronid. quæst. 1. & 2.*

III. Nec obstat, quod mala quædam per similia curari videantur, quâ ratione *Hipp. 5. Aph. 21.* nervorum rigorem affusâ aquâ frigidâ curat &

*Vulnera dum sanas, dolor est Medicina doloris.*

Non, inquam, hoc obstat, quia sæpius medicamentum videtur simile, quod tamen revera, quatenus medetur, contrarium est, quo modo frigida aqua in eusarco corpore affusa, non refrigerando succurrit in rigore nervorum, sed ex accidenti calefaciendo, quatenus calorem ad suum principium revocat, & ex consequenti auget. Interdum quoque morbum tollimus causam ejus corrigendo, ubi remedium non morbo, sed causæ contrarium esse debet.

*Rationes pro negativa.*

IV. Quamvis autem ex dictis problematis pars affirmativa deduci queat, fortassis tamen ulterius quis dubitare posset, contrarium potius statuendum esse, propterea quod Medicus naturæ minister rectissimè dicatur, & in curatione morborum nihil aliud præstet, quam quod naturam dirigat & suis medicamentis ejus operationes adjuvet: atqui naturæ operationes calido potius, quam frigido perficiuntur, undè vita animantiũ à Philosopho definitur ἡ μονὴ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς σὺν τῷ θερμῷ, permansio vegetativæ animæ cum calore: nulla enim est vitalis actio, cui non frigus per se adversetur, quamvis idem ex accidenti, quatenus calorem temperat, vitæ conservandæ inservire possit, de quâ controversia *vide quæst. 2. Exer. 4. Coron. 2. Disp. 3. Tom. 1.*

*Vid. Tom. 1. Disp. 17. Coronid. quæst. 3.*

V. Hinc videtur, consequens in cordis etiam affectibus audacter refrigerandum non esse, propterea, quod in eo quasi fons & officina caloris, omnium actionum communissimi instrumenti. Imò cum cordis virtus, tanquam membri nobilissimi, maximè conservanda, sive affectus calidi, sive frigidi sint, consequens videtur, calidis ut plurimùm cordi succurrendum esse, utpote quod respectu naturæ propriæ calidum est, & conservationem per similia expetit.

*Quæstionis declaratio.*

VI. Pro quæstionis intellectione notandum ex *Conciliatore diff. 196.* licet in ægritudinibus cordis frigidis absolutè conveniant calida, non tamen in calidis morbis eâdem ratione frigida præscribenda sunt, propterea quod in corectione morbi calidi non tantum eò respiciendum, ut frigiditatem introducamus, sed simul diligenter animadvertendum, ne calor, qui secundum naturam inest cordi, nocumentum aliquod patiatur à contrario, adeoque non tantùm morbus tollatur, sed simul quoque calor nativus extinguatur, quia non sufficit, ut in curatione morbum respiciamus, sed diligenter quoque virtus conservanda est: fit autem conservatio beneficio similium, de quo vide *Conciliatorem diff. 116. Vallesium lib. 6. controvers. cap. 2. Vidium l. 12. de curat. gen. c. 6.*

*Non semper per ficitur quod suadet indicatio curatoria.*

VII. Et quamvis morbus quatenus morbus indicet contrarium æquale, quemadmodum ex *Galeno lib. artis cap. 59. & lib. 3. simpl. cap. ult.* colligitur: non tamen illud ipsum procedit, ubi virtutis conservatio diversum suadet, quod ex *Vallesio lib. 8. controvers. cap. citato* apparet. Dicimus igitur in affectibus cordis calidis frigida medicamenta locum suum habere ratione morbi, quod probant argumenta in principio proposita, quæ tamen temperantur additis calidis cordialibus respectu virtutis conservandæ, quæ consistit in defensione caloris innati, spirituumque vitalium.

## QUÆSTIO III.

*An in cordis palpitatione venæsectio tentanda?*

*Palpitatio cordis quid sit.*

I. Παλμὸς καρδίας, latinis Palpitatio cordis est motus cordis depravatus ex dilatatione & subsidentiâ compositus, originem suam ducens à vapore multo & crasso, celeritate quâdam partem dilatationi idoneam commovente, quemadmodum è *Galeno l. 2. de caus. sympt. cap. 2. & lib. de tremore cap. 4. & 5. item lib. 5. de loc. aff. cap. 2.* colligitur. Adde *Dn. Joh. Nicol. Stupanum, quondam Præceptorem meum in Semiotica cap. 3. disp. 2.* Hinc patet, quid sentiendum de controversia, quæ est inter autores de causa palpitationis cordis, dum alii tantum à frigidis causis palpitationem provenire statuunt, idque ex mente *Galeni*, ut patet ex *Altimaro, Iacchino* & aliis: at reliqui sequuntur Arabum scholam, & non solùm frigiditate, sed etiam caliditati palpitationis affectum adscribunt, in quorum numero est *Rondeletius, Hollerius, Forestus, Fuchsius* & alii.

*An causa palpitationis cordis sit calida vel frigida.*

Παλμὸς, seu palpitatio generaliter loquendo, διαστολὴν p. n. in quacunque corporis parte, quæ distendi, iterumque concidere potest, dicitur. Tale quid accidit in partibus mollibus, cutaneis & carnosis, ubi crassus halitus exitum non reperiens cutim ac musculos attollit in altum, motu prorsus violento παρὰ φύσιν, à causa morbifica partem dilatante & attollente, de quo videatur *Gal. cit. loco.* In specie vocabulum hoc etiam cordis tremori, ut affectum hunc cum *Avicenna* nominat *Savanarola Tract. 6. Pract. cap. 11. Rubr. 2.* tribuitur, nimirùm, ut παλμὸς καρδίας seu palpitatio cordis dicatur motus cordis depravatus, sicuti descripsimus, pulsantis videlicet cordis facultatis, quæ à re quâdam molestâ stimuletur, usu ejus aucto: Vel ut habet *Peucerus lib. prax. Med. cap. 11.* Immoderata concussio cordis, vehementi diductione & contractione repellens à sese, vel excutiens, quæ offendunt & molestant. Quanquam verò præter rem alienam molestantem, cordis pulsum & salissationem, ut *Marcellus Empiricus* vocat, spirituum vitalium defectus, & caliditas p. n. etiam introducere queant:

quia tamen ex dictis hisce causis motus potius vehemens, quam depravatus oritur, idcircò priorem istam differentiam principaliter intelligendam esse putamus, undè veram palpitationem cordis illam dicimus, quando vapor ac flatus tàm copiâ, quam qualitate, manifestâ vel occultâ, motum istum depravatum introducit.

*Decisio per distinctionem.*

II. Hic enim non de causâ proximâ, sed de remotioribus controvertitur, quas plures esse posse non negamus, easque tam refrigerantes, quam calefacientes, ita tamen, ut tandem omnes in causâ proximâ producendâ conveniant: at vèro cum vapor & flatuosus spiritus productus calefacientibus ac tenuantibus medicamentis absumatur, non inconvenienter dictum videtur, à frigidis potius, quam calidis causis talem affectionem oriri, quamvis negandum non sit vi caloris, agentis in crudam vel pituitosam materiam ejusmodi vaporosum ac nebulosum spiritum palpitationis causam produci posse.

Non tantùm calorem, sed etiam frigus mediatam causam Palpitationis cordis esse posse testatur *Heurnius lib. de Mor. pect. cap.* 8. Hoc autem vel ipsum Cor occupavit, vel alias partes, undè tandem Cor affligitur. Prius confirmat à collectione substantiæ aquosæ in pericardio: posterius observatione Nobilis mulieris, quæ ex nimio sanguinis profluxio ex utero sæpè Palpitationem cordis patiebatur, quæ tandem in atrophiam lapsa & ad usum purgantium protinus totius generis arteriosi palpitationem passa fuit.

*Venæsectionem non convenire.*

III. Quæritur autem *an etiam in tali affectu cordis venæsectio conveniat?* Fortassis negativa probabilis videbitur, propterea quod indicans venæsectionis, nimirum sanguinis abundantia in præsentia non peccet: quis enim affirmabit flatuosam materiam, quæ causa est immediata affectionis, venæsectione tolli posse?

*Contrarium juxta Galenum asseritur.*

IV. Contrarium tamen *Galenus* innuere videtur, dum *lib.* 5. *de loc. aff. cap.* 2. affirmat omnes palpitatione cordis laborantes venæsectione & alimentis ac medicamentis attenuantibus curatos ac liberatos esse. Idque non sine ratione affirmatur: cum enim sanguis unà peccat, sui detractionem indicat copiosam, ne virtus suffocatione pereat, ut vult *Avicenna.* Quod si nulla plenitudo insignis adest, venæsectio tamen nihilominus convenit, propterea quod respectu partis affectæ magnus adsit morbus, quia princeps viscus afficitur, ubi revulsione cavendum, ne copia humorum ad ipsum cor aliàs debilitatum magis affluat.

Quoad electionem venæ *Valescus de Taranta in phil. pharm. lib.* 3. *cap.* 12. proponit dubitationem, cur Medici potius Basilicæ, quam Medianæ sectionem hîc præscribant? quibus respondendum esse statuit, hoc fieri tum quia major fit revulsio per Basilicam, tum quia tanta non fit resolutio spirituum & caloris nativi, sicuti fieret per Medianam, ubi tamen concedit etiam Medianæ sectionem, quando Basilica plenitudine non satisfacit.

V. Imò cum discutientibus respectu causæ proximæ uti debeamus, necessarium esse videtur, ut per venæsectionem præcedentem primò peccantes humores à parte affecta revellamus, quia aliàs cor, agentibus medicamentis in humorum copiam, deterius haberet. *Conjunge Ant. ab Altomari cap.* 45. *Capivac. lib.* 2. *pract. c.* 8.

Hinc nota, quod *Hor. Augen. lib.* 10. *de Sang. miss. cap.* 11. innuit: Cordis palpitatio (inquit) quemadmodum mihi compertissimum, ut plurimum ab humore melancholico concitari solet (subintellige palpitationem cordis per consensum hypochondriorum in splenеticis) quam ob causam applicatione hirudinum ad venas hæmorrhoidales maximam semper ægris utilitatem se paraſſe pergit.

## QUÆSTIO IV.

*An cordis palpitatio ab utero per consensum orta medicamentis cordialibus communibus corrigenda?*

I. PEr uteri consensum in mulieribus frequenter cordis palpitationem dari, quotidiana testatur experientia, tunc temporis potissimum, ubi propter mensium retentionem, exhalationes tetræ cordis thalamum petunt, & tum palpitationem, tum etiam imminentem suffocationem producunt. Quæritur hic *num talis cordis palpitatio medicamentis cordialibus communibus corrigenda?*

*Rationes pro parte affirmativa.*

II. Fortè probabilis videbitur affirmativa, propterea quod respectu proximæ causæ lædentis, ipsi cordi tanquam principalissimo membro statim succurrendum esse videatur per ea, quæ singulari proprietate virtutem ejus confortare, & evaporationum malignitatem corrigere valeant, qualia sunt pleraque odorata & aromatica, quæ balsamicâ suâ virtute calidum innatum confortant, & respectu caliditatis propriæ materiam vaporosam discutiunt & absumunt.

*Negativa defenditur.*

III. Sed contra negativa veritati magis consentanea est, propterea quod in omnibus morbis per consensum primò pars mandans respicienda sit, cui intentioni postea succedit altera, quæ tendit ad materiam peccantem divertendam & evacuandam, ipsamque partem per consensum affectam confortandam.

IV. Cum igitur hic uterus in causa sit, quoad generationem palpitationis, necessarium est ut primò mineram morbi in utero latitantem corrigamus, postea exhalationes noxias ad cor expirantes frictionibus partium internarum adhibitis, vinculisque circa femora injectis, revellamus, & illud, quod diverti, revellique nequit, dissipemus & consumamus.

*Cur odorata non conveniant.*

V. Hoc postremum alias optimè per odorata & aromatica perficitur: sed quia jam uteri constitutio morbosa adest, ab iis quoad fieri potest abstinendùm, propterea quod talia superius adhibita statim uteri suffocationem vehementem, & ex consequenti palpitationem cordis majorem introducant: cum enim rebus odoratis cerebrum suaviter afficitur, per consensum, qui est inter uterum & cerebrum vapores matricis morbosæ, latitantes, excitantur, excitati vasorum obstructionem augent, & ad principalia membra, præsertim ad cor exhalant, atque hoc modo gravibus symptomatibus originem præbent, de

quo

quo *vide Tom. I. Disputat. 3. Coron. 1. Exercitat. 7. quæst. 5. pag. 71.*

*Cur fœtida quædam conveniant.* VI. Confugiendum igitur hic ad illa, quæ ad absumptionem & discussionem illius vaporosæ substantiæ malignæ faciunt, ita tamen ut utero non noceant, qualia sunt quædam fætida & graveolentia, quæ huic intentioni satisfaciunt, tum quod inimica quasi naturæ vim expultricem suscitent, ita ut ad expellendas res noxias magis insurgat, tum etiam quod pleraque vim attenuandi, vehementerque dissipandi habeant, quod patet in Castoreo, Galbano, Asa fœtida, & similibus.

VII. Quare præmissis frictionibus & ligamentis mox nodulus ex asa fœtida, galbano & castoreo, paululum calefactus naribus frequenter adhibeatur: interius extractum castorei vel decoctum ejus cum floribus chamomillæ concedatur, præmissâ tamen tum etiam uteri evacuatione modicâ per medicamina appropriata factâ: Bezoartica quoque non negligantur, ea potissimum, quæ non admodum aromatica, amara potius quam dulcia, utpote quæ utero satis amica.

Per consensum uteri Palpitatio cordis non tantum ex crudo & flatulento spiritu in Virginum Leucophlegmatia, ut habet *Joh. Varandæus de mor. mul. cap. 1.* ut & in prægnantibus, quando substantia flatulenta à detento menstruo per arterias & venam cavam in cor elevatur, ut habet *Rod. à Castro lib. 3. sect. 1. cap. 13. part. 2. de Mor. Mul.* fieri solet, sed etiam alias, ubi suffocationes uteri frequenter invadunt. In omnibus eò respiciendum ut appropriata uterina conjungantur cum cordialibus, exceptis tamen quibusdam naturis, ubi potius odorata, quam fœtida conveniunt, ut videre licet in *Observ. nostris Tom. 2. lib. 3. Observ. 26. pag. 137.* de quo videatur etiam Amicus *Hochstetterus in Observ. dec. 4. Cas. 2.* Imò & antiquus *Græcus Autor Moschion* περὶ γυναικείων πάθων, in uteri suffocatione non probat fœtida, quæ tamen in capite de uteri dolore post partum probat.

## QUÆSTIO V.

*An vulnera thoraci circa cordis regionem inflicta quamprimum ut alia consolidanda?*

*Affirmatur quæstio.* I. CUm maxima sit cordis, tanquam principii vitalis dignitas, manifestum, vulnera thoraci inflicta periculosa magis aliis esse, quam ob causam non immeritò dubitatur, *num etiam eadem aliorum more tractanda, & eodem modo statim consolidanda sint?* Quibusdam affirmativa placebit: cum enim locus sit nobilissimus, idcircò unicè eò respiciendum, ne externis injuriis ipse caloris fons, cor scilicet, lædatur, quam ob causam ejusmodi vulnera, quâ fieri potest arte, consolidare conantur. Videatur Felix Würtz von der Wundartzney *cap. 11.*

*Negativa defenditur cum limitatione.* II. Verum tamen cum thoracis vulnera tantam saniem quotidiè effundant, quantam vix in aliis deprehendere licet, propterea quod natura tam propter conservationem partis, quam ob dolorem plurimum sanguinis quotidiè eò transmittat, qui malignitate & sordibus inquinatus, aut ob partis imbecillitatem non alteratus, citissimè corrumpitur: idcircò potius cum negante parte consentimus, quæ statuit talia vulnera diu aperta esse debere, ut sanguini corrupto & saniei pateat exitus, non enim negandum, quin retentus ibi præter naturam sanguis, vel humor quidam corruptus, majoris mali causa reddatur.

III. Unde *Paræus lib. 2. Chirurg. cap. 31.* pro decisione subjicit, quod prior sententia vera sit, quando nullus humor præter naturam in thorace continetur amplius: posterior contra meritò locum habet, ubi cavitas thoracis thrombis & sanie repletur. Plures limitationes vide apud *Guidon. de Cauliaco tract. 3. Chirurg. doct. 2. cap. 5. & Lanfrancum Tract. 2. cap. 6.* Conjunge quoque *Chalmeteum in Enchir. Chirurg. lib. 2. cap. 22. & Cornel. Schylandrum in Pract. chirurg. lect. 8.*

Subscribunt huic assertioni *Hieron. Fabric. ab Aquapend. part. 2. lib. 2. de vuln. cap. 42. & Franc. Peccetus lib. 2. de vuln. thoracis cap. 79.* quorum posterior rationes in utramque partem proponit: prior verò breviter vulnus apertum retinendum pronunciat, cautione additâ tempore administrationis observandâ, ne diutius ambientis aëris frigiditate lædatur.

## QUÆSTIO II.

*An vomitoria conveniant in cholera?*

*Cholera quid?* I. INter affectiones ventriculi est etiam cholera, malum sat periculosum & acutum, ubi ex fluxione & commotione biliosi humoris potissimùm superius & inferius ad excernendum æger singulis momentis torquetur atque excitatur. Etsi verò fluxus præter naturam astrictione curetur, non tamen hîc statim ad reprimentia procedendum, propterea quod in ejusmodi casibus primò non tàm affectus, quam causa morbifica respiciatur: quæ enim præter naturam in corpore coacervantur, necessariò evacuari debent, sive hoc fiat ipsâ naturâ, sive medicamentorum ope.

Malum hoc sat acutum & periculosum cholera, vel cholerica passio, τὰ χολερικὰ juxta Hipp. ἀπὸ τῆς χολῆς, à bilis & biliosi humoris rejectione dicitur, quanquam *Alex. Trallianus lib. 7. cap. 14.* aliam nominis derivationem habet, dum inquit: ne autem quis affectum ideò choleram vocari putet, quod à bile omninò fieri consuevit, sed quia materia, quæ per ventrem adfertur, ex intestinis videtur excerni: intestina verò χολάδες veteres appellabant, ut etiam *Homerus* testatur his verbis; κέχυντο χαμαὶ χολάδες, hoc est, fusa erant humi intestina.

*Negativa quorundam.* II. Verùm cum conatus hos exercendi summa virium imbecillitas sæpius cum convulsione atque Syncope subsequatur, ideò quæritur, *num etiam naturam adjuvare debeamus, quod per vomitorium fieri posse putant?* Negativa multis videtur probabilis, utpote cum vomitus vehementior non solùm fluxum per inferiora impedire, sed etiam imminentis convulsionis atque syncopes causa esse queat.

III. Nos distinguimus inter vomitoria vehemen-

 tiora

*Affirmativa cum distinctione defenditur.*

tiora & leviora, quorum illa quidem hic improbamus, ob causas jam dictas: hæc autem in hoc morbo cum *Pereda lib.* 1. *Pract. cap.* 35. aliisque practicis, commendamus, tunc temporis potissimùm, ubi æger alias nauseabundus fluctuantem habet ventriculum, ubi sufficit aqua decocta hordei tepida, cum pauco saccharo & oleo, quibus extergendi & acrimoniam humoris obtundendi facultas insidet.

Huc etiam refert, quod habet *Oribasius lib.7.cap.*14. Si ciborum corruptio per initia tibi appareat, & æger nihil ferè per ventrem & vomitum excernat, sed nauseet, velliceturque, tunc exhibere conabimur, quæ promovere vomitum largius possunt, qualis est mulsa, quæ ambo sine noxa præstare potest, nempe & alvum, & vomitum incitare. Quod si verò mulsam non libenter sumant, tepida aqua ipsis liberalior dari solet, atque vomitus sollicitari aut digitis, aut pennis anserum ex hydrelæo in os inditis, donec corrupta abundè evacuata tibi videantur. Hoc etiam *Bertrutius Bononiensis tract.* 1. *sect.* 3. *cap.* 10. innuit, ubi aquam calidam in multa quantitate commendat in cholera calida pro vomitu promovendo. Conjunge *Joh. Hasfurtum de Med. Morb. ex cœli positu lib.*2. *cap.*8.

*Quid agendum post evacuationem.*

IV. Hoc modo sat evacuatâ materiâ, nihil superest, quam ut virium respectum habeamus, ac præter diætam rectè ordinatam, tàm interius quàm exterius, ea usurpemus, quæ intemperiem calidam præter naturam corrigere, ac nutritionis membra rursus confortare queant; ut sunt interius conserva rosar. spec. diarrh. abb. diatrion santalon, spiritus vitrioli, tinctura coralliorum, &c. Exterius verò non negligantur inunctiones, circa ventriculi regionem factæ per ol. Masticis, cydoniorum, & similia, aut applicetur panis tostus calidus cum aceto asperso, sæpiusque renovetur.

Nota verò, quod ea, quæ proponuntur (quod etiam *Joh. Marquardus lib.* 3. *Pract. cap.* 8. probat, additâ limitatione, ne scilicet notabilis virium jactura simul adsit, per aliquot dies vomitionibus durantibus) tantùm de cholera humida sint intelligenda, non verò de cholera sicca, cujus curandi ratio consistit in spiritus flatuosi eductione & contemperatione, & in causæ, à qua spiritus iste flatulentus subnascitur, ablatione, quam ob causam *Hippocr.*4. *vict. acut. tex.*104. Vomitoria prohibet, & potius ventrem oleo subducit, balneum aquæ dulcis cum oleo persusum præscribit, somnum imperat, vinum meracius exhibet, oleum per os propinat, abstinentiam suadet, ac tandem, si opus, materiam peccantem evacuat.

## QUÆSTIO VII.

*An & quomodo dejectam appetentiam Spiritus vitrioli corrigat?*

*Vivens semper nutriri.*

I. QUanquam vivens ex sententiâ Philosophorum perpetuò nutritur, cum essentia partium continuo absumatur, quatenus calor omni tempore vim suam exerit in absumptione humidi, undè vis vegetativa non ita quiescit à suis operibus, ut animalis; sed semper materiâ patiente datâ eodem modo agit, nec ad utrumque oppositorum aptitudinem obtinet, ita ut medicis φυσικη sive naturalis indè dicta fuerit, quemadmodum *Tom.*1.*Disp.*3.*Coron.*2.*Exerc.*3.*quæst.*5. *pag.*167. demonstravimus: non tamen negari potest, interdum appetentiam alimenti externi aliquandiu penitus quasi aboleri, quod primò testantur animantia quædam hyberno tempore sine cibo & potu latitantia, sicut patet ex *Aristotele lib.*8.*hist.an. cap.*7. & *Plinio lib.* 8. *Natur.hist.cap.* 35. & 36. *Vide quoque Libavium lib.* 1.*Batrach.cap.*14.*part.*4.*Singularium.*

*Quod appetitus alimenti externi interdum aboleatur.*

Vivens hic non generaliter accipitur, quatenus vita à *Patricio definitur lib.*14. *Panarch.* quod sit essentia parturiens actionem, ut nihil aliud sit vita, quam essentiæ (scilicet animatæ, ut addit *Casmannus lib.* 1. *Biograph.cap.*1.) in seipso motio: sed strictiori significatu, quatenus vita est quasi affectio vegetativæ animæ, quâ ratione pluribus de vita & morte *Tom.*1.*Disp.*3.*Coronid.* 2. *Exercitat.*4.*pag.* 171. ut etiam in quæstionibus ibidem egimus. Cui placet ulterius hâc in re speculari, is videat *Nic. Taurellum lib. de vita & morte*, *Ott. Casmann. lib. Biographiæ*, ubi naturalem, mortalem & œconomicam Hominis vitam describit. Adde quoque *Rodoricum Zamorensem, lib.*2. *Speculi hum.vitæ,cap.* 5. & *Gerard. Dorn. tract.* 1. *Chym.Theor. cap.* 1. & *seq.* Notandum insuper, quod habet *Flaminius Ciconia lib. quæst. Natural. quæstione* 14. Calorem nativum animalium per totum corpus diffusum à principio ad finem usque vitæ semper in humidum radicale, ipsum absorbendo, agere: temporis autem longitudine, senescente animali, per continuam actionem caloris naturalis, in humidum radicale, ipsum humidum extenuari & diminui, undè partium spiritualium exiccatio, & consequenter caloris vitalis in corde suffocatio sequatur. Sed hoc ipso prædictus autor sibi satisfacere minimè statuit, quapropter addit: vel melius dicamus, quod quando calor ille non possit refrigerari & contemperari (scilicet in corde, pulmonibus exiccatis) fortior evadit: fortior autem factus, accipit magnum dominium super humidum, & ipsum citò absorbet, &c. Addatur *Augustin. Donius lib.* 2. *de Nat.hum.cap.* 14. ubi monstrat, cur & quomodo calor animalis indies fiat qualitate major, & quomodo ille idem consumat animal. Verùm his non obstantibus, accidit interdum, ut animalia quædam nihilominus absque externo cibo per tempus aliquod conserventur, ut diximus.

II. Deindè hominum quoque atrophiâ laborantium vita superstes idem innuit, utpote cum multi in febribus acutis, aliisque morbis per plurimos dies absque omni alimento assumpto vitam protrahant, ut inde *Fernelius lib.* 5. *Physiolog. cap.* 12. commotus fuerit, ut vegetatricem facultatem à vitali revera distinctam poneret, cujus contrarium, suo loco probavimus.

*Tom.*1. *Disp.*3.*Coron.*2.*Exerc.*2.*q.*10

III. Imò magis miranda sunt hic exempla rara hominum absque cibo & potu longo tempore viventium, cujus generis est illud, quod refert *Albert.lib.*7.*de Animalibus tract.* 3. *cap.* 3. fœminam quandam Colonien-

*Rara & admiranda inediæ.*

niensem tempore Imperatoris Friderici secundi interdum per triginta dies ab omni cibo & potu abstinuisse: ut & alterum, quod refert *Langius*, *Bucoldianus* & alii autores, de puella Spirensi, quæ Imperante Ferdinando, cibum & potum præcedente ventris, levique capitis dolore, fastidire, & prorsus cessantibus alvi excrementis, abdicare cœpit.

Præter enumeratas historias multorum diutius absque cibo & potu viventium mentio fit alibi, nimirùm apud *Marcellum nostrum Donatum lib.4.cap.12.& Tom. 2.lib.11.de variis miscellaneis Obser. 1.* cum quibus conjungantur etiam illa, quæ proponit *Sennertus lib. 3. Prax. part. 1. sect. 2. cap.2.* ubi inprimis admirandum est, quod refertur de Populis Lucomariæ Moscoviæ, nimirum singulis annis 27. die Novembr. eos mori, & vere subsequenti circa 24. Aprilis, ranarum instar, si credere fas est, eosdem reviviscere: Totam historiam lector videat apud *Citesium in libell.de Abstinente Consolentaneâ.*

IV. Sed quid opus est, ut exempla prioris seculi adducamus, cum adhuc hodiè res ipsa loquatur? refert enim *Quercetanus in diætet. polyhist.sect. 2.cap.4.* de puella trium vel quatuor annorum, quam Constani viderit, quæ per annum integrum ejusmodi abjectum appetitum habuerit, ut nihil omninò cibi potusque assumpserit, vita nihilominus superstite, cui ventris inferioris regio depressa, totumque abdomen lapidis instar induratum deprehensum fuerit, ac tandem appetitus, & pristina sanitas redierit.

*Admiranda observatio præsentis seculi.*

V. Addit adhuc aliam historiam, mihi quoque notissimam, de virgine illa, cujus mentionem fecimus *Tom. 1. Disp. 3. Coron. in append. de Cruentatione & conservatione cadaverum pag. 141.* quæ vivebat in sextum annum absque omni cibo & potu, cum ante biennium ex Sabaudia Germaniam repeterem & Helvetiam pertransirem, de cujus casus circumstantiis tunc temporis Bernæ cum Clariss. D. *Paulo Lentulo*, ibidem Medico Ordinario, diligentem inquisitionem institui, propterea quod viderem eundem singularem hâc de re tractatum edidisse, qui tunc temporis Anno 1606. Friburgi Aventicorum, ubi typis subjectus erat, fortè fortunâ ad manus nostras perveniebat.

*Declarantur circumstantiæ casus.*

VI. Cœpit hæc Apollonia Schreieriana, ut vocatur, honestorum parentum, nec non mediocri fortunâ præditorum, in pago Gats ditionis Bernatum, filia, sensim panis, deindè ciborum aliorum & fructuum quoque usum aversari: postea aliquandiu jusculis nutrita vivebat: tandem aliquot vini cochlearibus aqua diluti vitam sustentavit: postremò prorsus omnia respuens, stomacho ex dolore & cruciatu potum non ferente, citra ullius rei ingestionem vixit ad illud usque tempus, ubi eandem in Helvetia invenimus, approbantibus hæc omnia tum mihi, tum comiti meo, viro consultissimo Domino *Johan. Hagemeistero*, Juris utriusque Doctori eximio, amico meo suavissimo, multis ocularibus testibus, non plebeis tantum, sed etiam doctis, inter quos fuit dictus ille *Dn. Lentulus* & vir peritiss. *Dn. Wilhelmus Fabricius*, Medicus & Chirurgus Paterniacensis Ordinarius. Pluribus de hâc historiâ egimus *Tom. 2. lib.2. Observ. 29. pag. 97. & eodem Tom. lib. 11. de variis miscellaneis Observ. 1.* Addantur & illa, quæ pròponit *Baptista Fulgosus in Memorabilibus lib.1.cap.6. titulo de his qui sine cibo vixerunt*: Item *Johan. Matthæus in Quæst. Medicis q.5.*

*Admiranda inediæ causa.*

VII. Qui autem fiat, quod vita per tot mensium & annorum spacium absque cibo & potu sustineatur satis est dubium. Inveniuntur, qui τὸ ὅτι negant, propterea, quod nullas rationes videant, in quorum numero est etiam *Valeriola in annotat. ad paradoxa Joberti.* Sunt alii qui naturaliter tale quid accidere posse statuunt, in quorum numero est *Langius lib. 2. Epist. 27. Jobertus decad. 1. paradoxo 2.* qui ponunt imperfecta nutritione propter copiam pituitosorum humorum collectam, calorisque diminutionem aliquandiu tales homines absque cibo & potu vivere posse, cedentibus videlicet crudis illis humoribus in partium substantiam, quod fortassis de quibusdam animalibus hyemis tempore dormiendo vitam transigentibus, & hominibus tali constitutione præditis ac aliquandiu inediâ laborantibus concedi posset.

*Opinio I.*

*Opinio II.*

*Opinio III. præ reliquis verisimilis.*

VIII. At verò de iis, qui per multos annos vivunt absq; cibo & potu, eo modo, quemadmodum patet ex adductis exemplis, plurimùm adhuc dubitatur, præsertim cum hic peculiaris quædam causa dejectum appetitum introducens primò adesse videatur. Quod si absque præstigiis magicis hæc accidunt, ut vero consentaneum videtur, non à ratione alienus est discursus *Josephi Quercetani*, de causis ejusmodi raræ inediæ, quem habet in diætetico Polyhistorico, quo statuit, membra destinata ciborum & potionum attractioni atque alterationi, coagulari & exiccari posse, ita ut sint quasi emortua, quemadmodum refertur de infante, qui in lapidem coagulatus in utero materno citra sui, matrisque, corruptionem diu perstitit. Vitam verò non cooperantibus membris concoctioni primæ, secundæque dicatis superesse posse demonstrat ex eo, quod potissimæ corporis partes, in quibus vita potissimum sedem suam obtinet, cor videlicet, pectus & caput, in ejusmodi hominibus admodum vividæ sint, ita ut ratione similitudinis consequenter easdem spiritu & aëre foveri & nutriri posse videatur à veritate non dissentaneum, præsertim cum aliàs planum sit apud medicos, aëre per inspirationem, tàm manifestam, quàm occultam attracto, substantiam nostram refocillari, restaurari & conservari, quâ ratione odores etiam, quorum aër est vehiculum celerrimè vires confortare dicimus.

IX. Non tamen negandum, quod propter viscera nutritionis depravata honâ sui nutrimenti parte destituantur viscera vitalia, quam ob causam omnes totius corporis facultates languent, hinc etiam puella illa Helvetica sensim & leviter respirat, submissa voce vix loquitur, ad sensum tardâ, ad motum corporis inepta est.

X. Causam coagulationis, exiccationisque membrorum coctioni dicatorum dictus autor citato loco refert ad fæces tartareas densas ac spissas quibus circumquaq; viscera involvuntur, undè tàm diu perit appetitus,

donec vel arte vel natura sensim evanescentibus illis excrementis membra repurgentur & pristinæ facultates, aliquandiu quasi sepultæ, destinatas functiones vicissim obeant. Quamvis autem ulterius dubitare possimus, non tamen omninò improbabilia sunt ea, quæ diximus, propterea, quod videamus ex causa simili frequenter ad aliquot dies in ægrotantibus appetitum dejici, quemadmodum ex sequentibus patet.

Ea, quæ hic de causis rararum inediarum proponuntur, alibi pluribus à nobis repetuntur, ubi nihil addimus nisi quod ab eo tempore penes alios scriptum invenimus. Præter diversas opiniones à nobis propositas & discussas, duæ supervenêre, scilicet *Fortuni Liceti*, *qui lib.3.de his qui vivunt diu sine alimentis*, suam sententiam proponit, nimirum in omnibus iis, qui diu sine alimentis vivunt, nutritionem cessasse, pro cujus theseos confirmatione ponit, viventia omnia naturaliter vivere posse per longum tempus absque eo, quod ullo modo nutriantur. Verùm cum hæc assertio sit contra communem veritatem approbatam, diutius in eadem refutanda non hærebimus, sed lectorem *ad lib. 4. tit. 1. quæst. 7. Quæstion. Medico legalium Pauli Zacchiæ, Medici Romani Doctissimi, nec non ad* Sennerti *Prax. p.3.lib.1 sect.2.cap. 2.* remittimus, apud quos assertio Liceti ex professo examinatur & refutatur. Altera opinio est prædicti *D. Sennerti*, qui citato loco pro vera causa diuturnæ abstinentiæ proponit humoris, qui corpus nostrum conservat, talem dispositionem, ut à calore nostro absumi non possit, addita proportione caloris, nunc fortioris, nunc debilioris. Hanc assertionem idem Autor, Amicus meus, ingeniosè confirmat, tam à lucernis antiquorum, post aliquot secula repertis, quàm etiam ex chymicis observationibus, ubi patet experientia, quod res inflammabiles fixæ reddantur, ut diu in igne perdurare queant. Quanquam verò subjiciat, difficillimum esse, declarare, quomodo humidum ita disponatur, addit tamen, cum melancholicus humor & atra bilis acidorum ac salsorum naturam imitetur, quibus alias sulphur & alia inflammabilia figuntur, ut serius deflagrent, verisimile videri, per melancholicum succum alimentum ita disponi, ut actioni caloris resistat. Sed sicuti nostram assertionem juxta Quercetani placita deductam, tam hic, quam etiam alibi libero doctorum judicio subjecimus, ita prædictam etiam opinionem doctoribus examinandam, probandam vel improbandam relinquimus.

*An Spiritus vitrioli conveniat?*

XI. Etiamsi verò talia exempla diuturnæ inediæ rarissimè occurrant, frequens tamen est appetitus dejectio in multis morbis, ubi sæpius per plurimos dies ab omnibus alimentis ægri abhorrent, de quâ affectione quæstionem movemus θεραπευτικὴν, *an & quomodo Spiritus vitrioli dejectam appetentiam corrigat?*

*Negativa refutatur.*

XII. Plurimi reperiuntur, qui usum vitriolati spiritus angue pejus fugiendum esse statuunt, ut patet ex *Sylvatico controvers.* 48. & aliis, qui ex noxiis qualitatibus vitrioli communis non præparati & à suis impuritatibus minimè separati plurima deducunt inconvenientia: sed frustra; aliud enim est considerare dicta *Galeni, Dioscoridis, Pauli, Aëtii, Actuarii, Celsi, Oribasii*, & aliorum principum, ubi tantum de vitriolo crudo loquuntur: aliud est perpendere vitriolum præparatum, cujus magna est varietas, ita ut illud solum pluribus Hermeticis sufficiens videatur ad officinam pharmaceuticam exornandam.

*Asseritur affirmativa.*

XIII. De spiritu vitrioli, cujus usus hodiè frequens est, quærimus: hunc plurimum ad maximas putredines inhibendas inservire cum experientia rectissimè testatur *Crato in opere Ep. à Scholtz. edit. Ep.* 146. quamvis in siccioribus naturis cautio major, quam in humidioribus observanda sit. Hunc etiam in appetitu dejecto plurimum præstare quotidiè experimur, tunc temporis potissimum, ubi fecibus pituitosis & mucilaginosis internæ partes ventriculi quasi obvolvuntur & obstruuntur, ita ut spiritus famem producentes, hoc est, innatus ventriculi calor obruatur, & ad operationem suam perficiendam ineptus reddatur. Quatenus enim in se continet vim penetrantem, incidentem & mundificantem, eatenus materias & cruditates illas mucilaginosas attenuat, digerit & absumit, undè consequenter spiritus esurientes, antea quasi sepultos, excitat, qui fructus consuetos in extimulando officii sensu producunt & famem generant.

*Spiritus vitrioli quomodo succurrat inflammationibus.*

XIV. Imò extremis etiam inflammationibus succurrit, ubi calidissimis exhalationibus appetitus ciborum dejicitur, quatenus aciditate suâ spiritus effervescentes compescere, & per consequens fructus eorum, videlicet incendia præter naturam, extinguere potest. Hinc etiam practici in correctione dejecti appetitus à causâ calidâ, cibos cum aceto paratos frequenter concedendos & præscribendos esse statuunt, ut patet ex *Paulo Ægineta lib.3.de re med. cap.* 17. *Alexandro Trall.lib.7.cap.*5. & aliis plerisque, quatenus videlicet acetum abundat ejusmodi vitriolatâ aciditate, hujus ratione fervidas exhalationes coagulat, earumque fructus interpellit, refrigerando simul ex accidente, quemadmodum ex præmissâ quæstione prima manifestum est.

*Spiritus vitrioli justa præparatio.*

Cum hâc in quæstione vitrioli spiritus mentio fiat, lubet Colophonidis loco subjicere præparationem hanc maximè huc facientem, quâ ratione volatilis redditur, nec ita corrosivus est, verum ventriculi fastidientis restaurativum: Primo evitanda vulgaris calcinatio, sive reductio in colcotar, quia per eam subtiliores spiritus evaporant: 2. non ultra lib.vj. Vitrioli crudi retortæ loricatæ sunt committendæ, alias conglobatur nimis tenaciter totum vitriolum, nec ignis illud per omnes partes penetrare potest: 3. ultra 12. horas ignis continuandus non est; diutius enim si urgeretur, prodiret simul oleum vitrioli causticum, nullo artificio à spiritu separabile. His cautionibus prævisis, impone vas fornaci ignis aperti, & subministra ignem valdè lenem, quam diu exit phlegma, dein fortiorem, donec videris spiritum vitrioli nubium albarum instar totam recipientis capacitatem implere. Quando omnia refrixerint, liquorem omnem destillatum exime, inde matratio obturato ejus osculo peroptimè; putrefac per digestionem lenem in B. tepido spacio trium heb-

hebdomadarum, tandem destilla per alembicum duplicem in cineribus lento igne lenissimè: ascendet pars volatilior spiritus vitrioli in summum alembicum: phlegma verò fœtens & putre in inferiorem. Reliquum autem quod ascendere nequit, denuò tractandum ut supra per reaffusionem novi phlegmatis, digestionem & destillationem, quam diu aliquid spiritus ascendit. Hujus spiritus volatilis dosis & efficacia major est, quam corrodentis istius vulgaris, qui propterea suspicione sæpè non caret. Ex communicatione *D. D.Clossæi*, Amici, cui subscribit etiam *Zach. Brendelius in Compend. Chymico, pag.* 33. Manifestum hinc quod præparatio olei vitrioli, quam tot laudibus cumulat *Timoth. Rosellus in part.* 1. *Secretorum cap.* 11. tantâ commendatione digna non sit.

## QUÆSTIO VIII.

### *An & quo tempore in appetitu canino vinum exhibendum?*

*Canina appetentia quid sit, & inde proveniat.*

I. Accidit interdum hominibus fames præter naturam, græcis κυνώδης ὄρεξις canina appetentia (quæ differt à Bulimia, quatenus hæc particularis magis est, & deliquium accedens habet, juxta *Forest. lib.* 18. *Observ.*6.quod *F. Vincentius Beluacensis in speculo doct. lib.* 15.*cap.*94. determinat eâ ratione ex caussis suis, quia in Bulimo debilitetur virtus appetitiva cum consumptione corporis) qua vehementi & insatiabili appetitu alimenta appetunt, ut *Galenus habet, in com. l.*2.*Aph.* 21. propterea, quod continuò morsus quidam adsit circa ventriculi superius orificium, productus maximâ ex parte ab acidis ac mordicantibus humoribus in tunicis ventriculi collectis, ex quibus fortassis famelici & insaturabiles progrediuntur spiritus, qui exaltati, & in rabiem quasi acti, cuncta alimenta repentè conterunt & alterant, iisdemque alteratis & subactis, os ventriculi vicissim extimulant, atque hoc modo famem continuam producunt.

Hic adde, quæ proponit Amicus noster *D. Hochstetterus Dec.*5. *Observ. Cas.*1. *in Scholio pag.* 230. dum acidum humorem ventriculi ingenitum & innatum credit, quem relicta chyli vel cibi portio benè elaborata foveat & augeat, qui serosus sit, & acidularum tenuitatem atque acorem æmuletur: qui nervosum ventriculi corpus afficiat, & suâ mobilitate corpus alimentale ingestum permeet, læviget atque in liquorem solvat, sine quo coctio perfecta non fiat, haut aliter sicuti cerevisiam Zythepsæ coquere nesciunt perfectè nisi suo tempore fermentum accedat: qui spiritibus vel quasi corrosivis prægnans sit, ventriculo quasi innatus, in eoque indies renovatus & resarcitus ab assumptis alimentis, sicuti Præceptor noster p. m. ingeniosissimè quoque innuit *Dn. Felix Platerus scilicet in Tract. de funct.læsion. lib.*2.*cap.*13.*mihi pag.*593.

*Affirmatur quæstio.*

II. In hoc affectu dubitatur, *num vini potus conveniat?* Affirmat *Hippocrates lib.* 2. *Aph.* 21. ubi inquit: λιμὸν θώρηξις λύει famem, scilicet præter naturam vini potio solvit. Idem *Galenus in comm.* innuit, multò videlicet magis accommodatum esse remedium vini potionem, quam ciborum multitudinem, additque se multos sanasse, vinum abundanter exhibendo, illudque calidum, flavi vel rubri coloris, absque astrictione, præmissis videlicet pinguibus eduliis, antequam sitire inciperent.

Quo ad vini naturam legatur *Ant. Fumanellus in opere suo lib.* 4. & *Dn. Patruus Jacob. Horstius libell. de Vitæ vinifera.*

III. Rationem addit *Matth. de gradibus in* 9. *Rhas. cap. de app. can.* quod vinum ejusmodi maximam nutriendi vim habeat, & assumptum post pinguia alimenta diu in ventriculo remaneat, ut ita suam alterationem adæquatam sustinere cogatur? imò & causam frigidam, mucilaginosam videlicet vel pituitosam materiam collectam, attenuare atque incidere potest, quâ ratione materiam foventem corrigit & per consequens ad effectionem illam tollendam inservit.

Vide *Cardan. in Comm. ad Aphoris. citat.* ubi præter experimentum ratione confirmat, quod vinum famem curet: aut enim, inquit, fames à frigiditate est, & cum vinum calefaciat: famem sedat; aut à nimiâ resolutione, & vinum nutrit celerrimè; aut ob humorem atrum quem vinum æquat, &c. Conjunge quoque *Hieron. Thriverum Brachelium in Comm. ad præd. Aphor.* qui veterum ambiguitates solvit. Item legatur *Hyppol. Guarinonius in opere German. de noxa Sanit. cap.* 19. *lib.* 4.

*Singularis quæstionis confirmatio.*

IV. Quid si adderemus, generosum vinum spiritu suo proprio copioso mordicantem illam aciditatem corrigere, temperare, fructus illius impedire, eandemque naturæ amicam & convenientem reddere? an illud absurdum sit, non video, præsertim cum sensus testetur, aciditatem mordicantem aceti, quam diu cum vino conjuncta est, ita temperatam & correctam esse, ut palato saporem jucundissimum, naturæque nostræ maximè convenientem exhibeat. Adde quod agens respectu sui adæquati patientis maximè vim suam exerat in rebus naturalibus, quemadmodum Philosophi probant: at verò vini spirituosa propria substantia naturaliter hanc virtutem habet, ut aciditatem illam temperatam atque jucundam reddere queat. Vide *Johan. Viscerum in Comm. ad Aphor. Hipp.*

## QUÆSTIO IX.

### *An vehemens sitis oxycrato ebibito compescenda?*

*Affirmatur quæstio.*

Immoderata & vehemens sitis frequenter ob orificium ventriculi sinistrum, vel per se, vel per consensum affectum, accidit, de quâ quæritur, *num oxycrato ebibito compescenda sit?* Affirmativa deducitur ex *Galen. lib.* 1. *de simpl. med. fac.* propterea, quod ex aceto & aqua compositum, vim refrigerandi & humectandi possideat, non sine insigni vi penetrandi, cujus ratione per intimas partes sese insinuat, & fontem mali corrigit. Quatenus enim aceto constat, eatenus fervidas exhalationes coagulat & refrigerat, indeque generatam sitim extinguit: quatenus autem aquam admixtam habet, eatenus humectandi refrigerandique majorem facultatem continet, utpote cum aqua inter humectantia sit humidissima.

Vi-

Videatur *Galen. in Comm.* 1. *in lib. Hippocrat. de humoribus, mihi pag.* 145. *editionis Johan. Bapt. Rosarii Interpretis*, dum inquit, molesta autem est sitis vel maximè, eaque duabus de causis oritur, tum penuria humiditatis, tum caliditatis redundantia: sed primum genus ægrè curatur, alterum tollit acetum ex aqua epotum. De sitis causis & differentiis conjunge *Victor. Faventin. in Com. ad Aphor.* 19. *lib.* 4. *Hipp.* De remediis autem conferentibus legatur *Vid. Vidius lib.* 4. *de Febrib. cap.* 7.

II. Et quamvis aqua per se sola considerata respectu refrigerantis & humectantis facultatis satisfacere videatur, quatenus ab excedente caliditate & siccitate oritur: non tamen sola usurpatur, propterea quod vi suâ condensandi diu moretur in præcordiis, & obstruendo calorem præter naturam colligat, destitutâque penetrandi facultate ad partes intimas sese insinuare nesciat. Additur ergò acetum, & hoc modò oxycratum producitur, quod non tantum refrigerat & humectat, sed simul attenuandi, penetrandique potestatem obtinet. Notandum tamen in eâ siti p. n. potissimum hoc remedium convenire, quando caliditas & siccitas excedens affectioni præbent originem, quod frequenter in febribus ardentibus, per consensum fieri consuevit.

## QUÆSTIO X.

*An in inflammatione ventriculi semper vena secunda?*

I. Quemadmodum aliæ corporis partes, ita Stomachus, vel ventriculus quoque φλεγμονὴν, vel inflammationem interdum paritur, eamque vel sanguineam, ubi dolor ac tumor circa partem affectam, cum sensu gravitatis, multique caloris, accedente siti valida, febri ardente & nausea deprehenduntur, vel cholericam, ubi vehementior ardor ac sitis, febris quoque ardentissima, sed tumor ac gravitas minor est, ut *Altimar. lib.* 2. *de med. morb. cap. de Stomach. Inflam.* innuit.

*Affirmatur quæstio.*

II. Quærimus hic, *an etiam in hoc affectu venæsectio conveniat?* Affirmamus *cum Matth. de grad. in lib.* 9. *Rhas. cap. de dolore & Apostemate Stomachi*, cum *Altimaro* citato loco, & reliquis practicis, propterea quod in principio statim eò allaborandum sit, ut peccans & affluens materia à parte Inflammatione obsessâ per revulsionem avertatur, quod commodissimè venæsectione fieri potest, præsertim in sanguinis abundantiâ simul conjuncta, ubi sanguis educendus, pro ut vires ferunt, copiosè, ipsumque opus, necessitate requirente, renovandum, ac denuò reiterandum est.

III. Imò non tantùm in sanguineâ, sed etiam in cholericâ inflammatione sanguinis missio approbatur, cum etiam in hâc materiâ affluens ad partes remotas per phlebotomiam revellatur, & fervor humorum contemperetur: ut enim cholera, per se sola considerata, non introducit inflammationem, sed quatenus cum sanguine abundat, ita etiam sanguinis motum sequitur, eoque evacuato, vel aliâ ratione correcto, suam quoque correctionem sustinet.

Huc accommodari potest illud, quod habet *Hipp. lib.* 6. *de Morb. vulgar. statim ab initio*, de illo, qui in Oeniadis laborabat ventriculi dolore, qui sumptis omne genus medicamentis, tum sursum, tum deorsum purgantibus, nihil allevabatur: sectâ verò per vices venâ manus utriusque, donec exanguis fieret, tum demum alleviationem, & mali liberationem sensit.

Ita de cordis & ventriculi quibusdam affectionibus ansam disputandi præbere voluimus, consequenter Deo volente, de morbis intestinorum & mesenterii, de jecoris & lienis affectibus, de renum & vesicæ dispositionibus præter naturam, de muliebribus malis, ac tandem de morbis venenatis peculiares quinque decades problematum elaborabimus.

Σὺν Θεῷ

# DECAS SEXTA,

# DE MORBIS QUIBUSDAM INTESTINORUM, MESENTERII ET OMENTI.

## ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Cur intestina vicinaque partes plurimorum morborum origo?*

*Ut intestina vicinaque partes aliæ non solùm à corde, caloris vitæque principio, plurimum distant, sed insuper excrementis, ab alimentorum concoctionibus prodeuntibus, quotidiè scatent, ita mirum non est, iisdem varios gravissimosque morbos accidere, de quibus præsentem συζήτησιν singularibus quibusdam quæstionibus, tàm cognitioni, quàm curationi, plurimum inservientibus instituimus.*

QUÆ-

## QUÆSTIO. I.

*An Spiritus salis conveniat in colicis doloribus?*

*Colici doloris nomen.* I. Κολικὴ διάθεσις Æginetæ, morbus intestini plenioris *Celsi*, communi nomine dolor colicus dicitur, & ab *Hippocrate & Galeno* sub dolore intestinorum comprehenditur, quemadmodum vult *Mercurialis lib. 3. pract. 26.* ut non verisimilis sit assertio *Plinii lib. 26. natur. hist. cap. 1.* qui scribit, morbum hunc primum omnium esse expertum *Tiberium Imperatorem* cui etiam *Scribonius Largus* suffragatur, qui multas antidotos, propter dicti Imperatoris colicam compositas, proponit.

*Colicus dolor quid?* *Causa doloris colici.* II. Est autem colica passio dolor ingens, intestinum colon unà cum fæcum retentione occupans, cujus causa antecedens potissimum consistit vel in crassis & pituitosis humoribus, intra coli membranulas subsidentibus, vel in materiâ flatulentâ, præter naturam ibidem contenta, vel in inflammatione dicti membri, vel tandem in acri, mordacique succo, dictum intestinum afficiente.

III. Sed non rarò accidit, ut causæ dictæ misceantur, potissimùm tunc temporis, cum morbus diuturnior est, ubi frequenter unà cum crassitie materiæ jungitur etiam acrimonia flatulenta cum inflammatione. *Sententia Hermeticorum, de causa colici doloris.* Hanc ob causam juxta Scholam Hermeticorum διάθεσις κωλικὴ ex mucilagine Tartarea, stypticis, & acetosis spiritibus permixta, producitur.

IV. Quærimus autem in præsentiâ, *num etiam in hoc morbo Spiritus salis conveniat?* Fortassis negativa quibusdam placebit, propterea quod juxta *Galenum lib. 12. Meth. Medend. cap. 8.* *Rationes quæstionis negantes.* in hoc casu abstinendum ab iis, quæ admodum calefaciunt, quatenus illa crassos humores in flatus convertunt, & exacerbationem affectus majorem introducunt: at salem calefaciendi & resolvendi qualitate præditum apud omnes constat, undè sequitur, spiritum ejus, excessu & præeminentiâ quâdam δυνάμεως salis possidentem, hic minimè convenire. Adde quod spiritus salis maximè penetret, adeòq; peccantes humores magis exacerbare videatur.

*Affirmatur quæstio.* V. Contrà, quod spiritus salis spagyricè præparatus optimè conveniat in colicis doloribus confidenter asserimus, tùm quod attenuandi, resolvendique potestate, peccantes humores corrigat, tùm etiam quod discutiendi facultate flatulentam materiam digerat. Adde quod materiam putrescentem alteret, & plurimum à putredine superfluos humores præservet. Imò vi aperiendi causam morbificam disponit, ut eò citius ab eâdem natura sese liberare queat. Tandem quatenus fervidas & sulphureas exhalationes deprimit, seu fixas reddit, eatenus optimum quoque contra vehementissimum dolorem, ab acribus & fervidis mucilaginis tartareæ spiritibus ortum, anodynum constituit.

*Determinatur quæstio per cautelam.* VI. Nota tamen pro limitatione quæstionis, quod in affectu dicto primùm eò respiciendum sit, ut medicamentis lenientibus, potissimùm clysteribus, alvum aperiamus, & ea quæ methodus medendi requirit, tanquam universalia non negligamus, priusquam accedamus ad usum spiritus salis, qui justo tempore usurpatus, propter dictas rationes plurimùm præstat, præsertim in colica, quam crassa & viscida materia, cum acri mordacitate conjuncta, generat, ubi paucis tantùm guttis, in vino vel aquis appropriatis, Chamomillæ scilicet, vel similis, jejuno stomacho exhibetur, de quo vide plura in *Medulla destillatoria pag. 86. tract. 3. in Basil. Chym. Crollii pag. 149. in part. 2. M. Ant. Zimara Antri Mag. lib. 4.*

*Solvuntur argumenta negantia.* VII. Ad dubitationes propositas respondemus: & licet primùm admodum calefacientia non concedantur à Galeno: non tamen hæc assertio simpliciter proponitur, quia Galenus tantùm calefacientia rejicit, quæ liquant & in flatus vertunt humores peccantes, non autem discutiunt. Hanc ob causam addit, colicum dolorem, per ea, quæ incidunt, concoquunt, flatus discutiunt, exiccantque, citra valentem calefactionem, rectissimè curari: at verò qualitates hæ maximè conspiciuntur in spiritu salis: cum enim salis proprium sit inter cæteras facultates, quas possidet, detergere, obstructionem expedire, putrefactionem & corruptionem arcere, ut inquit *Quercetanus lib. 1. defens. cap. 20.* *Salis virtus.* multò magis talia præstabit spiritus ejus, qui in pluribus naturam salis superat, acrimoniâ videlicet destitutus, γλυκυπίκρῳ sapore summè penetrans, sitim nullam vel calorem generans, sed potius extinguens, quod in hydropicis apparet. *Vide Diedorum Euchionτem lib. 3. Alchymiæ cap. 1.* Hinc ergò non timendum, quod vi suâ penetrandi peccantes humores magis exacerbare possit, cum & ipse potius ferocientes spiritus consumat & colligat, quo eò citius à naturâ superentur & extinguantur.

Colophonidis loco notandum, quod ad hanc intentionem plurimum quoque servire possit Balsamus Masticheς *Strobelbergeri*, quem paratu facilimum, tanquam proprium inventum, *in l. Mastichologiæ pag. 98.* commendat in torminibus ventris, cujus compositio fit, quando Mastich. ol. ℥ß. cum. ol. comm. recentiss. optimi ℥ijs. lento fervoris igne solvitur, & postea tàm exterius, quam etiam interius usurpatur.

## QUÆSTIO II.

*An vinum conveniat in dolore Iliaco?*

*Nomen Ilei.* I. Εἰλεὸς & interdum χορδαψὸς vocatur, vehemens intestinorum dolor, quem Latini volvulum, à torturâ ilei intestini, quidam miserere mei, quod affectus sit peracutus, gravissimos dolores lethales inferens, quasi εἰλεὸς dicatur ἀπὸ τοῦ ἐλεεῖσθαι, quod est misereri, quemadmodum placuit Rhasi, licet denominativo vocis potius cum *Galeno l. 2. Meth. Med. cap. 2.* ab εἰλέω, quod significat verto seu volvo, deducenda videatur, Barbari passionem Iliacam nominant: *Causa proxima Ilei.* Et non aliundè provenit, quam à superfluitatum, quæ per alvum excerni debent, præter naturali retentione, quam læsa virtus expultrix introducit, ut habet *Salius de affect. part. cap. 11.* Causas antecedentes obtinet cum colico dolore plurimùm convenientes, sed vehementiores, quatenus obsident intestina tenuia, magis exquisito sensu prædita, quocirca dolor hic magnitudine, tempore & situ à colico dolore distinguitur.

De Ileo variantes sunt eruditorum sententiæ tàm

quo ad locum affectum, quam quo ad causam proximam. Quod locum affectum attinet, videatur *Hollerius in Com. ad Aphor. 44. lib. 6. Aph.* Quoad causam proximam, ponimus cum Salio læsam facultatem expultricem, eâ scilicet ratione, quâ *Franc. Ranchinus* idipsum doctè declarat, *lib. de morb. subitaneis cap.26.* subverso naturali intestinorum motu sursum remeant humores, & alimentorum aditus impeditur, undè præter obstructionem & adstrictionem causis etiam convulsionem intestinorum annumerat. Planius hanc causam, inversum videlicet naturæ & expultricis facultatis intestinorum motum, declarat *Sennertus lib. 3. Pract. part. 2. cap. 1.* ubi ex *Matth. de Gradibus in Pract. cap. de vomitu, ex Guainerio tract. 5. cap. 1.* & aliis notabiles historiæ referuntur, assertionem hanc confirmantes, ad quæ loca lectorem remittimus.

*Rationes negantes*

II. *Num autem in ejusmodi dolore Iliaco patientibus vinum concedendum dubium est*, præsertim ubi consideramus assertionem *Cælii Aureliani lib. 3. de acut. pass. cap. 16.* negativam statuentis. 1. Propterea quod vinum inflammationibus minimè conveniat; At verò dolor Iliacus ut plurimum ab inflammatione oritur, vel saltem non est absque inflammatione. 2. Adde quod vinum soporem inducat, exhalationibus suis ad sensuum officinam sublatum: At somnus & sopor ad deobstruenda intestina videtur inconveniens.

*Retinetur affirmativa.*

III. Contrarium verò statuit *Hippocrates lib. 3. de morbis & lib. 2. Epist.* ubi laudat potum generosum in hoc morbo, donec superveniat sopor. Nec sine ratione, quia primò humores obstruentes frigidi per usum vini generosi funduntur & colliquantur: Deindè cum dolor Iliacus jungatur cum obstructione vehementi, necessarium est, ut ejusmodi nutrimentum adhibeatur, quod facilimè nutriat, & non tàm per alvum, quam aliâ ratione partes suas excrementitias, nimirum per vias urinarias & sudorem deponat, quod maximè de vino conceditur. Moderata enim vini potio, inquit *Rantzovius de conserv. valet. cap. 8.* vires reficit, calorem naturalem corroborat, humores temperat, &c. Hinc rectè dicit *Galeot. Martius lib. de promiss. doctr. cap. 29.* quod vini meri vis sit, inflationes discutere.

*Limitatio quæstionis.*

IV. Notandum verò ex *Mercurial. lib. 3. de affect. infimi ventris, cap. 27.* quod Hippocrates commendet vinum generosum non in omni Ileo, sed quando peccans humor frigidus est. Licet enim interdum inflammatio quoque concurrat, nihil tamen obstat, quin vinum concedi possit, quatenus causam obstruentem respicimus. Quod soporem modicum attinet, illum nullo modo improbamus, propterea quod ad dolorem, à quo vires enervantur & corrumpuntur, conveniat. Conjunge *Wolff. Cabelchoverum cent. 2. Curat. 73.*

## QUÆSTIO III.

### *Num aliquando venæsectio tentanda in diarrhæa?*

*Diarrhæa quid.*

I. Multiplex est alvi profluvium, quod Diarrhææ nomine circumfertur, & in eo distinguitur ab aliis, quod copiosa excretione sine exulceratione & inflammatione τῶν ἐντέρων ægris molestum sit. Hujus curationem non peragit Medicus manu imposita, cruceque impressâ, quâ ratione Monachus quidam Dominicanus aliquando mulierem ab hac affectione diuturnâ, teste *Benivenio cap. 45. de abd.* liberavit, sed convenienti remediorum usu, secundum indicationes curativas instituto.

*Negantes rationes.*

II. Inter Indicata verò dubitatur, *num etiam interdum venæ sectio conveniat?* Negativa confirmabitur hoc modo. I. Ut contrariorum contraria sunt remedia, ita sequitur evacuationem per evacuationem minimè curandam esse: atqui diarrhæa est evacuatio. Ergo consequens est, eandem per sanguinis detractionem minimè curari. II. Accedit quod in omni fluxu morbifico vires dejiciantur: at harum debilitas obstat, quo minus venæ sectio tentari queat. III. Adde *Galeni* decretum *lib. 4. de victus ratione*, ubi dicit, alvo fluente, sanguinem non esse detrahendum.

*Affirmantes rationes.*

III. Contra quod affirmativa defendi possit, argumentis sequentibus probatur. Quia sæpius requiritur, ut fluxus humorum ad partes oppositas revellatur, quod venæsectione fieri potest. 2. Quia diarrhæa propter copiam sanguinis in toto superabundantis oriri potest: at ejusmodi plethora venæ sectionem indicat, tàm respectu sui, quam propter laborantem retentricem intestinorum. 3. Quia venæ sectione mordaces humores temperantur, & ad meliorem statum à naturâ reducuntur.

*Decisio quæstionis.*

IV. Notandum igitur juxta *Forestum lib. 21. observ. 6. & Altimar. cap. de diarrh.* ad venæsectionem in alvi fluxu procedendum esse, quando sanguinis adest abundantia, succique præ multitudine in vasis non retinentur, viribus & ætate non prohibentibus, ut ipsum profluvium cohibeatur, & qui confluunt ad ventrem peccantes humores revellantur, juxta *Hipp. 6. de morb. vulg.*

*Respondetur argumentis negantibus.*

V. Ad argumenta negantia patet responsum. Ad 1. Licet venæ sectio sit evacuatio, non tamen eadem est cum alvi profluvio, sed in hoc respectu rationem contrarii obtinet, quatenus materiam alio transferendo fluxum sistit. Ad 2. in duobus malis minus eligendum, ubi tamen eò respiciendum, ut consideremus ægri vires, num tales sint, quæ non prohibeant sanguinis missionem. Ad 3. Galenus de Critico fluxu loquitur, quem in præsentia meritò excipimus. Conjungantur hîc illa, quæ à nobis proponuntur *Tom. 1. Disp. 18. in Coron. quæst. 23. p. 340.* ubi in dysenteria quoque venæ sectionem interdum locum habere demonstramus, pro *Altimaro* contra *Joh. Bapt. Sylvaticum.* Ὁμόψηφος nobis est ex sententia *Alex. Tralliani lib. 8. cap. 67. & Aëtii serm. 9. cap. 45. Johannes Franc. Arquatus p. 1. Medic. reform. abusu. 19.* demonstrans in dysenteria, modo vires permittant, sanguinis missionem convenire.

## QUÆSTIO IV.

### *Utrum lac in lienteria concedendum?*

*Lienteria quid?*

I. Λειεντερία, quasi λειότης τῶν ἐντέρων, est fluxus alvi esculentorum non mutatorum, ab intestinorum retentrice abolita dependens, ut habet *Capivacc. lib. 3. Pract. 16.*

Gra-

Gravis est hic affectus totius nutritionem impediens, cui verè potest accommodari, quod habet *Alanus in doctrinali parabolarum c.* quum inquit:

*Sumpta quid esca valet, quæ quam citò sumitur, exit.*
*Nausea cor vexat viscera laxa dolent.*
*Quando non patitur medicamina morbus in alvo.*
*Non signum vitæ, sed necis esse puto:*
*Ut dape venter eget; sic spiritus indiget illâ;*
*Non benè pascuntur, eum nihil alter habet. &c.*

*Negantia argumenta.* II. *In hoc affectu, num lactis usus concedendus, quærimus?* Negatur quæstio sequentibus. 1. Quia in lienteria plurimum illa vitanda sunt, quæ ad alvum subducendam faciunt: at lactis usus alvum subducit, quatenus respectu copiosi seri detergit, humectat & aperit. 2. Quia lac assumptum refrigerat: ac refrigerantia meritò vitantur in lienteria, cum alias in hoc affectu facultatis concoquentis debilitas adsit. Conjunge, quæ de lactis natura, differentiis & qualitatibus ex Classicis Autoribus collegit *Matth. Sylvaticus in opere Pandectarum cap. 497. Adde quoque Berh. Gordon. quæst. 23. edit. Joach. Baudisii: & Guliel. Insulanus de salub. victu cap. 30.*

*Rationes affirmantes.* III. Contrà lactis usum commendat *Fuchsius lib. 3. de medend. morb. cap. 14.* cujus assertio confirmari potest. 1. quia in lienteria eo respiciendum, ut adhibeatur nutrimentum aliquod facilis alterationis, propterea quod propter imbecillitatem retentricis alimenta in ventriculo & intestinis diu remanere nequeant: atqui tale est lac, utpote quod teste *Galeno lib. 6. de plac.* citra alterationem converti potest. 2. quia respectu caseosæ substantiæ superabundantis lac aliquo modo vim obstruendi tenet. 3. quia tenues & acres humores expultricem facultatem irritantes temperat. Adde quod habet *Stephanus Atheniensis in com. lib. 1. artis cur. ad Glauc. num. 164. pag. mihi 138.* quod lienteria quoque fiat propter ventriculi internam & summam superficiariam partem excoriatam, ubi cibaria molestiam & mordicationem efficiunt, ita ut non retineantur: at in tali casu lactis usus maximè dictas ob causas conveniẽs erit.

*Limitatio.* IV. Notandum tamen hæc omnia non de lacte simpliciter, sed de lacte cocto concedenda esse, quando, scilicet per coctionem, serosa lactis abundantia, quæ propter nitrosam qualitatem detergit & aperit, sensim exhalat, unitis interim & benè coagulatis partibus reliquis ad nutritionem aptioribus, & lientericis benè convenientibus, tunc temporis potissimum, ubi dejectiones acres & biliosæ sunt. Undè patet, quid ad argumenta opposita respondendum.

Lactis naturam superius, dec. 1. tetigimus: impræsentiarum notetur Epigramma *Johan. Bapt. Fieræ Mantuani*, in Cœna sua, cum aliis operibus ejus impressa Venet. Anno 1537. quod sic habet:

*Si grato dulcore calet, cur putret? aquosum est:*
*Quod præstat? capræ: post? ovis: indè? bovis.*
*Quid lacte expectem? febres: caput, oraque lædi:*
*Et lædi nervos: sed benè pectus ali.*
*Quando bibam? quum fervet adhuc, mulctrâq; sub ipsa:*
*Poto, iter & somnus, mistaque mensa nocet.*
*Tot petii: unum orem: cur in contraria fertur,*
*Et nunc lac reserat, nunc reserata premit?*

## QUÆSTIO V.

*An Dysentericis internus ceræ usus conveniat?*

*Dysenteria quid?* I. GRavissimum, satisque molestum & periculosum est malum, quod Græcis δυσεντερία, Latinis per translationem, intestinorum difficultas dicitur, estque nihil aliud juxta *Galenum lib. 6. de locis affect. cap. 2.* propriè loquendo, quam exulceratio intestinorum, cum cruentis alvi dejectionibus.

*Causa dysenteriæ.* II. Oritur hic affectus, quo ad causam internam ab acribus & erodentibus humoribus, ἀθρόως à reliquo corpore ad intestina confluentibus, qui visciditatem & lentorem quendam nanciscuntur, cujus ratione plus solito intestinis adhærent, eademque exulcerant, ut habet *Mercatus lib. 3. de intern. morb. cap. 12.* undè patet, qui fiat, quod sæpius in diarrhæa peccantes humores mordacissimi ac fervidissimi sentiantur, & nihilominus exulcerationem intestinorum non introducant, quatenus scilicet ejusmodi viscida qualitate destituuntur, & intestinorum tunicis aliquandiu adhærere nequeunt.

*Cur acres humores in diarrhæa non introducant dysenteriam?* Chymici cum Paracelso causam hujus mali inquirentes, Dysenteriam ex sale resoluto deducunt, quatenus sal, dum à reliquis humoribus secernitur, & seorsim, juxta *Hipp. de Vet. Med.* subsistit, morbos & alvi fluxus concitare potest, ubi dysenteriales humores appropriatâ quâdam facultate intestinis inimicos statuunt, cujus occultæ proprietatis vi, quam Antimonialem, Elleborinam, Aloëticam, &c. indigitant, commoveantur, fermententur, in intestinis sedem figentes, temperiem corrumpant, alienam διάθεσιν imprimant, continuitatem solvant, ulcus inducant, affluentem chylum inficiant, venas mesaraicas erodant, &c. eo modo, quo pulmo marinus solis pulmonibus, Cantharides solis renibus, & aliæ peccantes materiæ, vel etiam φάρμακα alia venenata, partibus aliis noxia deprehenduntur.

*Quid in dysenteria agendum.* III. Quomodo verò patientibus methodicâ curatione per ea, quæ materias peccantes educunt, acrimoniam eluunt, ulcera detergent & consolidant, succurrendum, juxta præsens institutum non demonstrabimus (qui vult videat *Observ. nostras, & legat Consultationem sept. Tom. 1. Consult. Med. Zoroastri Tinelli, pag. 73.*) sed tantum quæstionis hujus determinationem subjicimus, *num scilicet internus ceræ usus dysentericis conveniat?*

*Affirmatur quæstio.* IV. Affirmativa confirmatur *à Dioscoride lib. 2. de mat. med. cap. 76.* ubi inquit, ceram in sorbitionibus commodissimè dysentericis dari. *Galenus* quoque non dissentire videtur *lib. 2. simpl. cap. 12.* ubi concedit, interdum ceram elotam intestinis infundi posse, quatenus mordicantes & erodentes humores temperare potest. His autoritatibus non contemnenda ratio subjicitur, propterea quod cera, juxta *Galen. lib. 4. simpl. cap. 5.* fit ex numero eorum, quæ citra mordacitatem exiccent & consolident, atque hoc modo medicamentum Emplasticum constituat, quale pro curatione dysenteriæ, respectu exulcerationis requiritur. *Vide Bart. Carrichter in der Speiß-kammer p. 81. Guil. Varignanan. in secretis tract. 15. serm. 1. c. 3.*

Adde quod pinguitudine suâ temperatâ plurimùm intestina affecta leniat, quâ de causâ propter utramque rationem genus hoc remedij à muliere quâdam medicâ cuidam ægro propinatum minimè rejiciendum esse statuit *Valeriola lib. 3. observ. 4.*

*Monstratur utendi ratio.* V. Cautio tamen adhibenda est in utendi modô, quâ cognitâ, facili negotio contradicentibus instantiis satisfieri potest, ubi notandum, quod primùm in cerâ justa requiratur præparatio, quæ lotione convenienti fieri potest, ut lentor & viscìditas ejus eò melius deponatur, quod in alba cera patet: deinde cerâ hâc præparatâ, juxta communem opinionem, pomum curtipendulum excavatum impletur, igne lento assatur, donec cera liquata per substantiam pomi diffusa sit, atque hoc modo pomum assatum dysentericis comedendum offertur, non semper, nec in principio, sed in contumaci dysenteria, tunc temporis, cum exulceratio satis elota ac detersa videtur.

*Modus Valeriolæ.* VI. *Valeriolæ citato loco*, pro pomo commendat malum Cotoneum, ut simul adstrictoriâ & glutinatoriâ facultate remedium præditum sit, nec tamen cum pomo illud ipsum utile esse diffitetur, quatenus molliori pomi substantia facilior in ima aditus atque transitus ceræ præbetur.

*Modus Quercetani.* VII. *Quercetanus etiam in Pharmacop. dogm. cap. 8.* ejusdem remedii utilitatem commendat, ubi drachmam unam ceræ albæ pulverisatæ commiscet cum eadem quantitate gummi Arabici, eodemque modo cum pomo assato, præmissis remediis universalibus, propinat.

VIII. Nos anno superiori, 1608. cum Epidemia dysenteria plures apud nos Giessæ invaderet, multis, in quibus contumacior affectus videbatur, magno cum successu ceram albam cum pulvere gummi Arabici, vel Tragacanthæ (quam contra rasiones internas commendat *Joh. Ruellius de Nat. stirp. lib. 3. cap. 14.*) in pyris assatis, post universalia & particularia remedia convenientia, præbuimus, ut adhuc hodiè nobiscum vivant, qui eodem remedio, tunc temporis iisdem ignoto, ex cymba Charontis revocati sibi videntur. Plura de ceræ usu & electione vide apud *Vlyss. Aldrovand. lib. 1. de Insect. cap. 3.*

## QUÆSTIO VI.

### *An in tenesmo interdum purgandum?*

*Tenesmus quid?* I. Tenesmus vel tenasmus, ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, quod sit frequens & inanis excernendi piditas, juxta *Paulum lib. 3. de re med. cap. 41.* dicitur, & symptomata dysenteriæ similia, nempe cruentas & mucosas excretiones infert, cum nixu tamen multò vehementiori, magisque inani, sicuti *Galenus habet lib. 3. de caus. sympt. cap. 2.*

*Causa Tenesmi.* II. Causa tenesmi ferè convenit cum illa, quæ dysenteriam excitat, nisi quod variatio sequatur respectu partis affectæ, quatenus exulcerantes causæ solum intestinum rectum in tenesmo, reliqua verò indifferenter in dysenteria præter naturam afficiunt.

Quanquam non negari potest, quod podex, seu extremitas intestini recti dolorem hunc tensivum maximè percipiat, non tamen sequitur, quod causa proxima, juxta quosdam semper etiam in ipsâ extremitate ponenda sit, quia propter continuitatem tenesmus excitari potest, etiamsi paulò superius peccans materia, facultatem expultricem stimulans, affigatur, quâ ratione secernendi conatum in glande penis calculus in vesica latens cum dolore producit, qui & ipse, quando collum vesicæ recto intestino incumbens occupat, conatum hunc desidendi generat, quod etiam in gravidis interdum fieri consuevit.

*Negantes rationes.* III. *An autem aliquando in hoc affectu purgandum dubitatum?* Negativa probari poterit hoc modo: 1. quia per purgationem impeditur ulceris mundificatio, & consolidatio, quatenus peccantes humores è reliquo corpore magis affluunt. 2. Quia per purgantia deterior fit exulceratio, quatenus incalescit & irritatur. 3. quia per purgantia natura magis ad excernendum extimulatur, undè symptoma conatus irriti deterius redditur.

*Affirmantes rationes.* IV. Contrà, quæstionis affirmativa, quod sæpius in tenesmo purgandum, sequentibus confirmatur: 1. quia tenesmus frequenter post dysenteriam oritur, ab acri sanie relictâ, vel humoribus peccantibus, intempestivè restrictis: at hic purgatio requiritur. 2. Quia magna ex parte pituitosis accidit tenesmus, propterea quod in intestino recto crassa & viscida pituita coacervetur: at hæc purgatione tollitur, ergò sequitur in tenesmo purgandum esse.

*Deciditur quæstio.* V. Pro quæstionis resolutione notandum primò, quod alia sit purgatio propriè sic dicta, catharctica, alia lenitiva, quarum hæc, & non illa, in tenesmo non rarò requiritur, utpote quæ non ex toto corpore, sed ex primis tantùm viis materiam peccantem educit: deindè distinguendum inter causas tenesmi, quæ sæpius tales sunt, ut evacuatione lenitivâ non indigeant. *Adde Diomed. Amicum lib. de Morb. Spor. cap. 78.*

*Responsio ad opinionem negantem.* VI. Ad argumenta contraria negantia respondemus. Ad 1. Procedit argumentum de catharcticis propriè sic dictis, quæ tam in tenesmo, quàm in dysenteria non concedimus. Ad 2. Licet irritetur ulcus etiam per lenitiva, non tamen affectus deterior redditur, propterea quod hâc ratione causa conatus irriti, mordax videlicet & extimulans materia, tollatur. Ad 3. Extimulatur per purgantia natura, non tamen conatibus irritis, sed eo fine, ut noxia rejiciantur.

## QUÆSTIO VII.

### *Num iis, qui vermibus intestinorum laborant, dulcia concedenda?*

*Ubi generentur vermes.* I. Quamvis *Avicenna lib. 3. fen. 16. tract. 5. cap. 2.* ferè tantùm in colo & cæco vermium generationem fieri statuat, non tamen hæc assertio simpliciter acceptanda, sicuti notat *Savanorola tract. 6. Pract. major. cap. 16.* Sed respectivè tantùm, quatenus pauciores extra colon & cæcum generantur. Alias negari nequit, in omnibus intestinis interdum vermes oriri posse, quia in omnibus causæ productivæ vermium concurrere possunt, phlegma scilicet putridum, tenacitate suâ

suâ lateribus intestinorum adhærens, quod ulteriori morâ magis corrumpitur, & ab agente calore in vermes commutatur.

De Vermium ortu & materia diximus *Tom.2.lib.11. de miscellaneis variis Obs.11.* ubi non obstat nobis, quod necessariò peculiaris in materia potentia requiratur, sicut urget hoc *Fortunius Licetus in lib. de spontaneo rerum ortu, & Sennertus in Instit. de caus.mor. & in lib.3. Practicæ*, pluribus enim idipsum *Tom.2. lib. 11. Obs.11. declaravi*, quem ad locum Lectorem remittimus. Plura de vermibus in homine nascentibus qui videre cupit, *Ulyssem Aldrovandum adeat, ubi lib. 6. de Insectis cap.2.* inveniet methodicè collecta, quæ sparsim à *Mercuriali, Gabucino, Tralliano, Benivenio, Rondeletio, Fernelio, Trincavellio, Cornelio Gemma, Paræo, Levino Lemnio, Marc.Donato* & aliis proponuntur. Conjunge quoque scriptum eruditum, quod sub titulo de *Lumbrico lato*, posteritati reliquit *Adrianus Spigelius cap.17.* in quibus de hac materia luculenter disserit.

II. Imò non tantùm in intestinis, sed etiam in aliis partibus corporis vermes generatos esse classicorum autorum experientia testatur, ubi notatu digna est historia, quam refert *Beniv.de abd. cap. 2.* de verme quodam monstroso, per vomitionem è ventriculo ejecto, quem *Paræus lib.19.* depingit, ut & altera, quam habet *Marcellus Donatus lib.4.histor. mirabilium cap.26.* de alio vermium monstro, per vomitum à Patritio quodam Mantuano reddito.

*An vermes in ventriculo generentur.*

III. Nec obstat hoc loco *Philosophi* autoritas *lib.4. Meteor.cap.3.* inquit: ζῶον οὐκ ἐγγίνεται ἐν τῇ πέψει, ὥσπερ τινές φασιν, ἀλλὰ ἐν τῇ ἀποκρίσει σηπομένη ἐν τῇ κάτω κοιλίᾳ, quia dictum hoc intelligitur de stomacho hominis sani, in quo nunquam vel rarò generantur vermes, ut rectè monet citato loco *Savanorola.*

*Proponitur quæstio.*

IV. Dubitamus autem in præsentia, *num iis, qui vermibus afficiuntur, dulcia concedenda sint*, propterea quod vermes ad contenta toto genere præter naturam referantur, quàm ob causam sui ablationem indicant, ubi requiritur, ut occidantur & expellantur: at verò quæ dulcia sunt, vermes & lumbricos in corpore nostro nutriunt, augent & conservant, quocirca passim ab autoribus amara, nimirum semen Centaurii minoris, rutæ, absinthii, Aloë, & similia commendantur.

*Resolutio quæstionis.*

V. Sed notandum ex *Paræo lib. 19. Chirurg. cap. 5.* quod vermibus naturaliter insitum sit, ut amara fugiant, & dulcia persequantur: hanc ob causam cautio est adhibenda, ne per exhibita amara lumbricos recedentes ad partes nobiliores & principes depellamus: Non igitur inconveniens erit, primò statim clysterem ex lacte, melle & saccharo, sine oleis & amaris medicamentis infundere, ut vermes eò magis inferiora petant, & consequenter citius expelli queant: & cum dulcedine illecti facilius id, quod necem inferre potest, devorent, ideò quæ amaritie vermes necare possunt, cum lacte saccharato per os exhibere conveniet. *Gabucinus* statuit, dulcia quà dulcia sunt, lumbricos non generare, cum dulcia sint ejusmodi temperamenti quo facillimè in bilem vertuntur, ex quâ lumbrici propter amaritiem generari nequeant: sed impugnat hanc assertionem *Mercurialis lib.3.de morb.pueror. & Ulysses Aldrovandus citato loco*, ubi nota, quod dulcia ejusmodi temperamentum habeant, ut non ubique statim in bilem abeant, propterea quod vehementioribus alterationibus indigeant, priusquam amarescunt, undè mirum non est, quod in constitutionibus calidis & humidis puerorum, infantum, mulierum, &c. dulcium tanta adustio fieri nequeat, sed potius prompta corruptio putredinalis, ad propagationem lumbricorum admodum faciens. Plura videat curiosus lector de dulcedine apud *Laurentium Gryllum lib. 1. cap. 13.* ubi inter cætera monstratur, dulcedini mellis amaritudinem succedere: quod subjectum æthereum, in quo dulcedo hæret, unà cum dulcedine consumatur, & ita in apertum proferantur amaritudinis seminaria latentia; & non solùm proferantur, sed ab igne augeantur, non autem de novo gignantur. Patet igitur non levi mutatione, sed variis alterationibus tandem dulcia bilem producere posse.

## QUÆSTIO VIII.

*An diuturnus Hæmorrhoidum fluxus constringendus?*

I. UT in mulieribus sanguinem superfluum, singulis plerunque mensibus, provida natura, per uterum evacuat, ita viris quibusdam, præsertim senibus, in quibus ob caloris debilitatem aliquid sanguinis non digesti, seu in partium naturam non conversi, superabundat, illud ipsum per fluxum venarum hæmorrhoidalium accidit.

II. Quærimus autem, *num diuturnus ejusmodi fluxus hæmorrhoidalis constringendus?* Videtur quod sic: I. quia fluxus sanguinis immodicus toto genere præter naturam est: at verò quæ toto genere præter naturam nobis accidunt, per contraria corrigenda sunt. 2. Quia diuturno hæmorrhoidum fluxu natura debilitatur, ob resolutionem spirituum: at medicus est minister conservationis naturæ. 3. Quia per immodicum sanguinis fluxum corpus non solùm refrigeratur, sed partes quoque debito suo nutrimento destituuntur.

*Rationes negantes.*

III. *Contra, quod diuturnus hic fluxus non protinus constringendus*, probatur sequentibus: I. Quia *Hippoc. est Aphorismus lib. 6. Aphor. 12.* Sanato à diuturnis hæmorrhoidibus, nisi una quæpiam servetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet. II. Quia quod *Galenus* in commentario subjicit, sanguis peccans ad jecur, aliaque membra nobilia regurgitaret, caloremque nativum suffocando debilitaret, ac tandem extingueret. III. Hinc obstructionem hæmorrhoidum affectus varii, præcipuè quartana, & ex liene icterus sequuntur, ut habet *Jobertus lib. de quart.cap.9.*

*Quæstionis decisio.*

IV. Pro controversiæ resolutione notandum, quod hæmorrhoidum fluxus, quatenus fiat ab expultrice coacta à sanguine superfluo & noxio, propriè & absolutè loquendo fit præter naturam, ut habet *Savanorola tract. 6. Pract. major. cap. 17. in fine.* Quapropter in eo differt à fluxu menstruo, quod hic communiter sanis etiam constitutionibus conveniat, quatenus natura provida boni sanguinis abundantiam mulieribus con-

conceſſit, eandemque per uterum ablegare voluit, ut ſuo tempore fœtus generationi, nutritioni & augmentationi, tanquam alterum ortus noſtri principium, inſerviret, ſicut fuſius demonſtravimus *Tom.1. Diſput.3. Goron.1. Exerc.1. quæſt.6. pag.17.* Hinc etiam optimè valentibus, beneque conſtitutis hæmorrhoidalis fluxus non accidit, nec conciliari, procurarivè debet, ut inquit *Solenander ſect.3.conſil.20.* Quibus autem naturis peculiare eſt hoc profluvium, & per conſuetudinem quoque naturale, in iis ſingulari dexteritate & prudentiâ Medicâ ita regatur, ne vel diutius ſupprimatur, quàm corpori ſit utile, vel copioſius humorem fundat, quàm valetudinis præcepta requirant, de quo videatur inſtructio diligens apud *Magninum Mediolanenſem, in Regimine San. tract. 2. cap. 6.* Rectè igitur *Jachinus in 9.Rhaſ.cap.72.* aſſerit, nunc permittendum eſſe fluxum hæmorrhoidalem, ſi per periodos id faciat, neque ſuperfluus ſit: nunc ſupprimendum, ſi vires lædat, ut indè concoctio vitietur, & hydrops ſequatur.

Imò notandum hic, quod habet *Salvus Sclanus in com.Artis Med.Gal.lib.3.mihi pag.632.* nimirum animadvertendum per hæmorrhoïdas in multis morbis & febribus evacuationem fieri, per hirudines ad earum apertionem adhibitas, quæ affigendæ, non ſolùm iis, in quibus ſolitæ ſunt aperiri, ſed etiam quibus evacuatio hæc eſt inſueta, ſi conjectamur aduſtum ſanguinem in corpore redundare. Quippe (verba ſunt *Jacobi Curionis in com.lib.3. Aphor. Hipp. Aphor.30.*) quæ corpus inutili iſto levat onere, & morbos ſimul omnes arcet, quibus melancholia præbet materiam, quos *Hipp. lib. περὶ χυμῶν* recenſet, dum dicit, qui hæmorrhoides habent, nec capiuntur pleuritide, neque peripneumoniâ, neque phagedænicis ulceribus, neque acutis & rubentibus furunculis, neque nigris & rotundis illis per ardorem in ſquamam tranſeunribus puſtulis, fortaſſè & non pſoricis & leproſis infectionibus, & aliis vitiliginis ſpeciebus. Plura de fluxu hæmorrhoidali videat *lector in Tom.2.lib.4. Obſerv.53.pag.244. & ſeqq.* & conjungat quædam ex *Obſerv. Caſtrenſibus Tob. Coberi*, olim amici mei, *Dec. 1. Obſervat. 10.* ubi caſum de ſeipſo proponit, graviſſimâ febri Ungaricâ correpti, quâ ſuccubuiſſet, niſi natura hæmorrhoides, antea non animadverſas, re vix non deſperatâ, ſponte recluſiſſet, &c. legatur etiam *Hipp.ſect.3.Epid.tex.28. & ibidem Palladius Sophiſta, in comm.mihi pag.225.*

*Vide Dion. Fontananum l.3. Pr.cap. 16.*

*Reſponſio ad argumenta in utramque partem propoſita.*

V. Ad argumenta in utramque partem propoſita patet reſponſio, quando perpendimus, quod affirmantia tantum concludant de fluxu laudabilis ſanguinis, in conſuetis naturis, ſine periodis, accidente: Et quod negantia loquantur de iis hæmorrhoidibus, quæ ſanguinem peccantem in naturis conſuetis, & neutrali quadam corporis conſtitutione præditis, certis temporibus evacuant. Conjunge *Diomed. Cornarium lib. Obſerv.num.26.pag.41.*

## QUÆSTIO IX.

*An meſenterii obſtructio Melancholiam hypochondriacam generet?*

*Cur plures ſint meſenterii morbi.*

I. Circa meſenterium, quod *Columbo* peritonæum duplex eſt, varias affectiones præter naturam generari dubium non eſt, ubi conſideramus, quod meſenterium ſit quaſi ſentina totius corporis, in quam tanquam ſedem ignobiliorem natura deponit illud, quod interdum partibus nobilioribus noxium & inimicum eſt. Teſtatur hoc maximè obſervatio *Paræi lib.22.Chirurg.cap.39.* qui quondam, in diſſecto cujuſdam mulieris cadavere, in ipſo meſenterio abſceſſus infinitos, à ſe invicem differentes, invenit: item *Philipp.Ingraſſ.de Tumor.tract.1 Tom. 1. cap. 1.* qui in publica ſuſpenſi cujuſdam anatomia, meſenterium variis ſcrophulis & abſceſſibus repletum, demonſtravit: *Marcellus Donatus, qui in lib. 4. cap. 7. hiſtor. mirabil.* confitetur, ſe in cadavere cujuſdam febricitantis, ac tandem cruentâ purulentâque dejectione morientis, in diſſectione, ſordidum ulcus meſenterii ea parte, quâ rectum attingit inteſtinum, inveniſſe: Et *Coiter in Obſerv.Anatom.* eidem rei fidem facit, ubi monſtrat, quod in Patritio Noribergenſi, homine intemperatiſſimo, cacochymo & cachectico, poſt mortem aperto, collectam materiam purulentam & fœtidam, inter duas meſenterii tunicas invenerit, quæ majorem infimi ventris partem occuparunt: ſicuti quoque *Benivenius cap. 33. de abdit.* in hiſtoria juvenis ex alvi torminibus mortui & diſſecti, obſervavit.

De morbis Meſenterii libellum peculiarem conſcripſit *Matth.Martini*, cujus lectio hic adjungatur, ut & ea, quæ *Sennertus lib.3 Pract. part. 3.* collegit, & quæ proponit *Sanctorius in Meth.vitand.err.lib.1 cap.24.* ubi monſtrat quomodo ſæpius doctiores etiam Medici fallantur in dignotione abſceſſuum Meſenterii, cujus rei exemplum etiam habui paucos ante annos in comite quodam, ſicuti patebit in *Tom.2.lib.4.Obſervat. Medicinalium.*

*Negatur quæſtio.*

II. Inter alia verò, quæ meſenterio præter naturam accidunr, eſt etiam obſtructio, de quâ quæritur, *an melancholiam hypochondriacam generare poſſit? Negativa* probabilis videtur, ex *Mercato lib.2.de morb.muliebr.cap.6.* ubi monſtratur, quod obſtructio Meſaræi, & Melancholia hypochondriaca, plurimum differant in mulieribus & virginibus, propterea, quod fiat melancholia hypochondriaca, quando ſanguis fæculentus in hypochondriis exuratur & efferveſcat, ex cujus halitibus poſtea caput & cor afficiantur, ita ut melancholici ſubindè terrores mœſtitiæque ſubſequantur: at in virginibus, alba febre laborantibus, adeſt quidem obſtructio circa meſenterium, ſed ſanguis ibidem collectus refrigeratur & recrudeſcit, ac univerſum generat affectum frigidum, quod color earundem ſubalbidus, crudorum humorem ſoboles, teſtatur.

III. Notandum igitur, quod obſtructio meſenterii, quatenus talis, non generat Melancholiam hypochondriacam, ſed prout conſtat ejuſmodi materia obſtru-

struente, quæ exustione & fervore, melancholicis fumis & halitibus arcem Minervæ perturbat, & operationes principes depravatas reddit.

*Hinc Martin. citato loco, pag.* 16. rectè dicit: neque insolens est, ut à Mesaraicarum venarum infarctu pertinaciori Melancholia oboriatur hypochondriaca, cum primis in atrabilariis, quia, cum ratione obstructionis sanguinem liberè, ac citra obstaculum, exugere nequeant, eundemque per corpus universum transmittere, accidit, ut plus justo incalescens sanguis aduratur; & indè, conversus in humorem melancholicum, in caput evaporet. Hunc & similes Mesenterii morbos *Caspar Asellius*, inventor venarum lactearum, quarti videlicet vasorum generis in peculiari tractatu de hâc materiâ *cap.* 15. obstructioni earundem tribuit, de quo pluribus alibi tractabitur.

## QUÆSTIO X.

*An tumor omenti curabilis?*

*Omentum quid?* I. Omentum græcis ἐπίπλοον, quoniam intestinis & ventriculi fundo ἐπιπλεῖ, hoc est, innatat, substantia membranea, ex duabus tunicis, quamplurimis venis, arteriis, nervis, & adipe copiosa constat. *An omentum tumore afficiatur?* *Columbo lib.* 11. *Anat. cap.* 6. Omentum est nihil aliud quam peritonæum, in quod tum venæ, tum nervi, tum adeps disperguntur, intestinorum tutamenti gratia factum est, estque non exiguo coctioni conficiendæ adjumento. Hanc partem corporis tumore præter naturam affici posse facillimè patet, quando perpendimus copiosa vasorum serie corpus illud membranosum præditum esse, ut mirum non sit materiam præter naturam ad hanc partem deponi posse, præsertim cum aliàs apud omnes in confesso sit, nobiliores partes, id quod noxium est, ad ignobiliores ablegare. Quod maximè quoque colligitur ex ipso *Hippocrate l. de glandul.* dum inquit: copiosiorem humiditatem, ab intestinis ad glandulas proprias ἀθρόως influentem, in omento, velut æstuario, conservari.

Omentum ex humoribus affluentibus intumescere non tantum ratio, sed etiam observatio testatur; sicuti videre licet apud *Vesalium*, qui omentum quinque librarum pondus æquasse vidit, cum naturaliter sese habens vix semilibræ pondus excedat. *Riolan. in Anthropolog. lib* 2. *cap.* 11. mentionem facit omenti glandulosi, quod totam illuviem infimi ventris susceperit, liene, cum mesenterio & pancreate, putredine ferè consumptis: *Roussetus de partu Cæsar. in Appendice pag.* 209. refert ex Galeno de abscisso ferè toto omento, sine vitæ jactura, quod absque difficultate fieri posse *Christoph. à Vega lib.* 6. *Aph.* 13. *in com. statuit.*

*Observatio singularis.* II. Licet autem hujus tumoris omenti nulla ferè fiat mentio apud Practicos, negari tamen non potest, eundem non rarò accidere, cujus rei confirmationem non solùm ratio dicta suadet, sed experientia quoque comprobat, ubi notatu dignam subjicimus historiam, de tumore satis monstroso, post dissectionem in fœmina mortua invento. Vivebat nobiscum anno superiore 1608. figuli cujusdam uxor, vivebat inquam, sed satis miserè, cum ejusmodi ventris tumore, ut ascitem ingentem quantitate mentiretur. Molem hanc ventris per annos aliquot foverat, & pedetentim auxerat, frustra præscriptis & adhibitis variis remediis, ad resolutionem & dissipationem tumoris à pluribus ordinatis, eò usque, ut ponderis illius extensione non solùm doloribus variarum partium consumeretur, sed insuper compressione pectoris ac diaphragmatis, ob depravatam sanguificationem ἀτροφίᾳ reliqui corporis præcedente, tandem extingueretur. Hæc paucis ante mortem septimanis tum à me, tum etiam ab aliis anxiè petebat, ut post mortem tumorem aperiremus, & in salutem generis humani, singularem affectum consideraremus: Id quod, plerisque tunc temporis nostris philiatris, & nobis Medicis Professoribus ordinariis præsentibus, factum fuit, anno superiori millesimo sexcentesimo octavo, d. 26. Aug. ubi post cutis & musculorum abdominis incisionem à Chirurgo tentatam, primò intestina juxta dextrum latus ascendentia occurrebant, quibus remotis, loco secundo tumor ingens, propria tunica satis crassa, totam capacitatem infimi ventris complens, in conspectum veniebat, qui parte inferiori, ut & in lateribus facili negocio, sine reliquarum partium læsione, separabatur; at superius à fundo ventriculi, partibusque circumjacentibus, non sine laceratione, divellebatur. Exemptus hic tumor tantæ magnitudinis erat, ut libras quinquaginta sex penderet, cum omnium admiratione & stupore. Exterius undique satis crassa, robustaque membrana constabat, quâ dissectâ, primum adiposa substantia, postea scirrhosus & glandulosus tumor observabatur, donec in medio cavitas, fœtida sordidaque sanie repleta, se offerret.

*Quod tumor omenti fuerit.* III. Tumorem hunc monstrosum in omento collectum fuisse, satis probabile est, quando structuram omenti, ejusdemque connexionem cum aliis partibus consideramus, quemadmodum pulchrè nobiscum faciunt viri experientissimi, Dominus Bauhinus, ac Dominus Fabricius, quorum epistolas & observationes, hâc de re ad me datas, lectori candido inferius, cum aliis notatu dignis subjicere volui.

*Responsio ad quæstionem.* IV. *An autem hic, vel similis tumor, curabilis sit?* valdè dubium est, præsertim cum tales excrescentiæ non aliter quàm ferro, seu sectione, curari velint: at quomodo in ejusmodi tumore interno sine vitæ periculo hoc fieri possit non video. Si quis tamen sagaci conjectura principium tumoris observabit, non dubitandum, quin usu continuo discutientium & resolventium fortiorum aliquid præstare possit. Tantum de præsenti materia.

Difficulter enim (inquit *Sennertus lib.* 3. *pract. pag.* 3. *cap.* 8.) humores vitiosi in omenti venas & substantiam effusi evacuantur, quia venarum illarum orificia in locum evacuationi aptum non dehiscunt, ut venæ mesaraicæ, & si evacuari debent, necesse est, ut regurgitent ad loca, per quæ sunt illapsi, quod verisimile non est fieri posse, cum expultrix hujus partis valdè debilis esse videatur.

Σὺν Θεῷ

DECAS SEPTIMA,

# DE QUIBUSDAM JECORIS ET LIENIS AFFECTIBUS.

## ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Ratio ordinis.*

*CUM ventriculi, intestinorum, & aliarum circumjacentium partium functiones ad Jecoris & Lienis operationes ordinatæ sint, quatenus materiam præparando & communicando sanguificationi serviunt, consequens est, ut jam quoque methodi ratione gravissimos quosdam partium dictarum affectus consideremus, qui profecto, ut frequentiores sunt, & non minoris momenti ad vitam, ita majorem diligentiam, in artifice requirunt, quò vitam calamitosam, ærumnosamque quam præstant, præcavere; aut ad meliorem mutare possimus.* Mercat. lib. 4. de morb. intern. curat. in principio.

### QUÆSTIO I.

*An hepaticis frigidis conveniant amygdalæ & pistacia?*

*Quinam dicantur hepatici. Quæ sit causa affectionis hepaticæ?*

I. QUibus citra manifestum tumorem imbecillum fit viscus aut organon sanguificationis, hos juxta veteres hepaticos vocat *Jachinus cap. 50. in lib. non. Rhas.* Oritur autem hæc imbecillitas uno è duobus modis, nimirum ut facultas αἱματοποιητικὴ à munere suo aberret, vel propter innati caloris detrimentum, quâ ratione post febres ardentes, diuturnos alvi fluxus, aliaque similia, sæpius homines hepatici redduntur; vel propter excessum qualitatum temperiei, caliditatis scilicet, frigiditatis, humiditatis & siccitatis, quibus excedentibus facillimè vitiatur jecoris actio, propterea quod humor qualitati excedenti respondens copiosius generetur, ut inquit *Merc. de Carator. facultat. quæst. 214.* Undè patet, cur malâ intemperie sine materia jecur non admodum afficiatur, quatenus scilicet excedenrem qualitatem contentorum vitia subsequuntur.

*Vide Ferdin. Cassanum in Quæst. Med. 2. & 3. Jecoris intemperies raro sine materia.*

II. Licet autem calida intemperies affectionem hepaticam interdum generare possit, prout calor immodicus causa est cruditatis, duplici ratione, *teste Mercuriali lib. 3. pract. cap. 17.* suffocando videlicet, & hebetando calorem nativum jecoris, cujus respectu privatio quædam caloris concoquentis adest; & excessu virtutem concoctricem debilitando, quâ ratione chylus perfectè non concoquitur, nec sanguis ad absolutionem perducitur: frequenter tamen à frigiditate visceris hujus ejusmodi morbus dependet, undè *Savanorola tract. 6. pract. major. cap. 14. Rubrica 4.* inquit: secundum plurimum mala complexio frigida causa est debilitatis hepatis, ubi tamen simul illam quoque frigiditatem includit, quâ jecur per innati caloris resolutionem infrigidari potest à caliditate præter naturam excedente.

*V. Pompejum caimum l. 3. de Cal. innato cap. 9.*

Hepaticum affectum à causa calida proponit *Jachinus citato loco*, per observationem puellæ Lucensis, quæ sic describitur: in ea, inquit primùm, aderat intemperies calida, cujus ratione hepatica dicebarur: erat & extenuatio, quâ in tabem tendere videbatur: aderat & siccitas solidorum, quæ incrementum corporis tardabat, cui tametsi succurri non posset, attamen prohibere ejus opus, undè minus corporis incrementum impediretur: erat enim in media adolescentia. Necesse itaque erat, ut in complicato affectu ad id, quod causa erat, maximè spectaremus. Nam sine ejus sanatione neque alterum sanari poterat: id erat intemperies calida & sicca, in cujus sanatione, quoniam ex longitudine affectus verisimile erat acervata esse excrementa biliosa, & id omnia testabantur, ideò cœpi primum vacuationem moliri medicamento, quod minimè excalfaceret, cujusmodi fuit aqua villica, quam septies propinavi eâ ratione, quâ docui aquas propinari solere. A purgatione ad alterationem transivi, quam succis herbarum efficere nixus sum: accepi cichoreum & sonchum: priorem quidem plantam egregiè laudat *Galenus lib. 8. κ. τ.* tanquam visceri gratissimam, non refrigeratione solùm, sed & abstersione, quam facit in venis illius, & astrictione, quam requirit jecur infirmum. Sonchus earundem facultatum est, plus tamen refrigerat. Hæc ambo in succum redacta, manè cum modico sacchari exhibui: idque per dies decem, quando jam remitti caliditatis signa omnia visa sunt. Interim tamen & victus ratione sum usus, adhibendo omnia, quæ refrigerant, ut ex herbis oxalida, lactucam, portulacam, Intybum: ex fructibus verò pruna, cerasa, melopepones. Evitavi salsa, dulcia, pinguia omnia: interim extrinsecus etiam cataplasmata earundem virium adhibui, ut quod ex farinâ hordei & succis supra dictis constat; vel etiam Epithemata, quæ in usu ad talem intemperiem esse solent; mox & ab his ad illitiones ex cerato santalino dicto, aut ex cerato simplici Galeni; demum ad extenuationem curandam accessi, & lactis potione sum usus, eâ ratione, quam supra docui. His adeò profecit, ut non modicè carne repleretur, & calorem, supra quam credi potest, mutaret

ret ad melius. Hactenus *Jachinus*, cujus observationem Methodicè descriptam hîc addere placuit, ubi notandum, aquam istam villicam dictam, esse in agro Lucensi, sicuti *Baccius de Thermis lib. 6. cap. 3.* pluribus declarat, cujus minera statuitur in primis ferrea, à subdominio autem, *Mengho ac Savanorola* testibus, aluminata, quæ præter cætera cuncta hepatis vitia sanare, venarum oppilationes aperire, & colorem optimum facere, nec non macros impinguare ibidem dicitur.

*Rationes negantes.* III. Cum igitur frequens sit causa frigida, meritò quærimus, *num in hepaticis frigidis amygdalæ & pistacia conveniant?* Negat *Altimarus cap. prop.* cujus assertionis rationes tales afferri possunt: Quæ facilè corrumpuntur non conveniunt in hepaticis frigidis: at amygdalæ & pistacia facilè corrumpuntur. 2. Adde quod insuper etiam oleaginosa sint: at verò frigida jecoris constitutio his maximè læditur, propterea quod obstructiones ejus, quæ ut plurimùm conjunguntur, *teste Rondel. cap. 30. lib. 3. meth. med.* ejusmodi qualitate augeantur, aut quod promptissimè in bilem convertantur.

Eodem sensu *Magninus Mediolanensis part. 2. Reg. San. cap. 12.* amygdalas, inprimis siccas, propter unctuositatem, nocumenta inducere posse statuit, ratione cujus dolorem capitis inducere, promptèque in bilem converti posse dicit: sed limitationem addit, quâ ratione corrigi possint, earumque vires & utilitates postea pluribus describit.

*Confirmatur affirmativa.* IV. Contra, quod affirmativa potius defendenda, colligitur ex *Savanorola citato loco*, qui amygdalas inter alia medicamenta convenientia præscribit. Confirmatur autem affirmativa pars sequentibus. 1. Quia amygdalæ, præsertim amaræ, vim habent extenuandi, & crassos, viscidosque jecoris humores expurgandi, juxta *Galen. lib. 2. de aliment. facult. cap. 22. & 30.* in quo de Pistaciis idem affirmatur, quâ ratione commotus *Fallopius tract. de morb. Gall. cap. 57.* amygdalas & pistacia præscribit in victûs ratione eorum, qui ligni decocto utuntur. 1. Quia secundum *Diosc. lib. 1. de re med. cap. 136.* amygdalæ urinam ciere possunt, ut & pistacia: at quæ urinam movent, frigidis hepaticis optimè conveniunt, ubi justo tempore præscribuntur, propterea quod non solùm jecur roborent, sed obstructiones ejus simul quoque resolvant, de quo vide plura *apud Renod. lib. 1. de mater. med. sect. 6. cap. 25. 26.*

V. Hinc *Fuchsius lib. 3. de med. morb. c. 24.* inter cætera medicamenta ad auferendas obstructiones mirè pistacia conferre dicit, si scilicet decem aut duodecim per noctem in Malvatico macerata, in aurora jejuno stomacho sumantur.

*Respondetur argumentis oppositis.* VI. Rationibus *Altimari satisfacit Salius in annot. cap. 82.* Ad 1. Negatur, propterea quod amygdalæ & pistacia difficulter concoquantur: quæ autem difficulter conficiuntur, illa quoque difficulter corrumpuntur, quatenus omnis coctio alimentorum fit mediante corruptione, terminum à quo considerando. Ad 2. Ab humido oleagineo non admodum timenda est obstructio, quia oleagineum accedit ad caliditatem: nec nocent, quod citissimè in bilem convertantur. quia nihil timendum in hepate refrigerato, quod alimenta & medicamenta calefacientia & abstergentia requirit, quorum usum amygdalæ & pistacia præstant, vi scilicet calefaciendi & abstergendi prædita.

*De Amygdalis & Pistaceis nota versus Baptistæ Fiara Mantuani:*

*Est calida & mollit dulcis; sed Amygdala amara*
*Exurit: mensas nesciat ista tuas.*
*Iliacum levat, & tabem de pectore dulcis:*
*Quam benè distat? alit dulcis: amara necat.*
*Cui torpent jecur & renes pistacia prosint,*
*Nec minus hæc stomachi cœna senilis amet.*

Qui delectantur Harmonia Macrocosmi cum Microcosmo, Jovialem statuunt Amygdalum arborem, undè fructus hepar confortate, laudabilem sanguinem procreare, nec non optimè nutrire dicitur, ut videre licet in *Isagoge Physico Medica Aug. Etzleri, cap. 2. pag. 64.* cui adjunge *Novum Orbem Hel. Dieterich in Introductione Jovis.* Obiter hîc notandum, quod habet *Joachim. Struppius in lib. Anchoræ famis & sitis, sustent. 2. cellula 7.* ubi monet, quod in amygdalatis emulsionibus conficiendis expresso jam lacte, reliquiæ, quæ aliâs ceu inutiles abjiciuntur, laudabili pani conficiendo per se, vel cum farina triticeâ, vel adoreâ, mistæ serviant, qui simul additis appropriatis insalubris esse non poterit in hepaticis reficiendis.

## QUÆSTIO II.

*Num in jecoris & lienis obstructione ferri & chalybis usus conveniat?*

*Argumenta negantia.* I. PRo quæstionis negativa sic argumentari licet. 1. Metalla intra corpus assumpta noxia sunt: at ferrum & chalybs sunt metella. Probatur antecedens: quia metalla ex latentibus specuum subterranearum mæandris à solari lumine longius remota, & per consequens nocenti qualitate corporibus humanis molesta, protrahuntur. 2. Quæ vim obtinent refrigerandi, minimè conveniunt in obstructionibus viscerum: at ferrum refrigerat. Probatur Major ex autoritate *Philosoph. 4. Meteor. cap. 6.* ubi inquit, quod ferrum sit de genere eorum, quæ concrescunt à frigore, per evaporationem totius caloris. 3. Medicamenta terrea & crassa non conveniunt in obstructionibus: at ferrum juxta *Galen. 4. simp. cap. 18.* est corpus terreum & crassum, utpote quod consistentiam suam à frigore obtinet, *lib. 1. Meth. cap. 17.* 4. Quicquid obtinet vim adstringendi, illud in obstructionibus non præscribendum: at ferrum & chalybs vim adstringendi possident. Ergò non conferunt in hoc casu. Minor satis patet ex aqua Chalybeata, quam exhibemus dysentericis, & ex croco Martis, qui commodissimè in astringendo præscribitur.

*Rationes affirmantes.* II. Contrà quod affirmativa pars potius defendenda, satis patet ex Classicorum Medicorum monumentis, qui ferrum & chalybem in hoc morbo plurimùm commendant, ut sunt *Mercat. lib. 2. de usu præsid. c. 7. & lib. 2.*

*lib. 2. de morb. mulieb. cap. 18. Capivacc. l. 3. pract. cap. 26. plerique Practicorum.* 1. Quia ferrum & chalybs non pondere suo partes obstructas permeando (quâ ratione veteres, ut ex Aëtio patet, rusticis hominibus chalybem crassioribus particulis præparatum exhibebant) sed abstergendi virtute plurimum pollent. 2. Repurgandi quoque meatus obstructos facultas non levis ferro inest, ob maximam, quâ fruitur, copiam Sulphuris & Mercurii, ut vult *Mercat. lib. 2. de morb. mulier. cap. cit.* Cum enim ferrum sit rudius metallum, habet ob id plurimùm de materia principiorum metallicorum, quorum ratione liquandi, fundendi, attenuandi, quod viscidum & crassum est, maximam potentiam & efficaciam possidet. 3. Adde quod ferrum cum Cupro maximam habeat convenientiam, siquidem unum in aliud facilimè transmutatur, alteriusque naturam induit, ut exinde Poëtæ Veneris & Martis amores, mystico quodam sensu, confinxisse videantur, rationem fortassis ex mutuo consensu metallorum dictorum colligentes, ut habet *Quercet. in Tetrade cap. 20.* Ut autem Cupri, seu Veneris, Ens primum vitriolum est, cujus facultas in reserandis obstructionibus efficax, ita verisimile est, tale quid Marti quoque seu ferro, convenire.

*Quæstionis declaratio.*

III. Pro quæstionis ulteriori declaratione notandum, quod ferrum & chalybs, ut & alia metalla, priusquam in corpus assumantur, justam & convenientem requirant præparationem, cum Metallorum usus, ut rectissimè, post alios Medicos expertos, *Quercetanus notat in Tetrad. cap. 32.* citra noxam in Medicina non fit, nisi comminuantur, alterentur, & naturâ metallicâ depositâ, in aliam essentiam transmutentur. Est autem præparatio diversa, pro diversitate finis, cujus gratia medicamentum quærimus. Ita si ferrum vel chalybs ad fluxum alvi, vel alterius partis, sistendum requiratur, aliâ opus est præparatione, quam tunc temporis, ubi partes obstructas ab infarctu liberare, & repurgare conamur, quod *Mercatus citato loco* sequentibus declarat, ubi dicit: Nam Chymistæ, ut alvum sistant, ex toto nituntur vim sulphuris & argenti vivi auferre, extinguere & separare, & ob id grandi igne, aut aquâ validâ conterunt, & in crocum Martis convertunt, quo sanè præsidio validissimè fluxus quivis sistitur, & partes validè roborantur. Hinc *Quercetanus in pharmac.* crocum Martis astringentem, vel igne reverberii, vel cum liquore sulphuris acidulo, fieri docet, tunc temporis scilicet, ubi medicamentum contra fluxus dysentericos, hepaticos & similes exoptamus, ut ab omni sulphureo excremento & Mercurio bellè purgetur, cujus ratione aliàs mordacis & venenosæ est conditionis, ac non parùm purgat, vomitumque movet. Quod si viscerum obstructiones reserandæ veniant, alia præparandi ratio requiritur, nimirum, ut partem chalybis abstergentem, aperientem & repurgantem quæramus, quæ consistit in principiis ejusdem mineralibus, repurgatis à partibus excrementitiis: est enim in ferro (inquit Mercatus) duobus modis sulphur & Mercurius; uno, quatenus jam vera est ferri substantia, altero, veluti futurum, ut sic loquar, alimentum, quod crudius, crassius, perniciosius est; undè meritò separationem requirit. Fit autem hæc separatio modis variis, inter quos communis ille, quem *Fallopius habet lib. de fossil. & metall. cap. 19.* *Mercato* probatur *lib. 2. de recto præsid. usu. cap. 7.* ubi aceti lotione limatura primum purificatur, ac deindè cum vino generoso per tempus certum infunditur, cujus infusi matutino haustu, partim evacuando, partim discutiendo, scirrhi lienis & jecoris resolvuniur. Præfert tamen *Mercat. citato loco* huic præparandi rationi suam, quâ chalybs justo modo præparatus in vino coquitur, donec spumosum & pingue quid supernatet, ex quâ spumâ chalybis syrupos & electuaria, cum aliis convenientibus, ad viscerum obstructiones depellendas componit.

*Opinio Mercati.*

Chalybs nihil aliud est (*inquit Varandæus lib. de morb. mulier. cap. 1. pag. 19.*) quam ferrum frequenter ignitum, in aqua extinctum & depuratum, idem quod στόμωμα apud *Arist. l. 4. Meteororum*, ex quo, dum ita paratur, & malleis percutitur, decidit squama, quemadmodum in ære & ferro, cujus usum voluit esse *Dioscorides*, ut tergeat, & alvum solvat: *Galenus autem lib. 9. simp.* scribit, omnes istas squamas esse acres, & liquare carnem, ita tamen, ut æris squama istud præstet siccando magis, ferrum autem astringendo. Sed præter vulgares istas qualitates incidendi, detergendi, imò ratione ponderis aperiendi, non est rationi adversum, & quotidianæ experientiæ, in chalybe proprietatem quandam esse purgandi, quemadmodum in Rhabarbaro, & in rosis, quæ manifestis qualitatibus adstringunt: hinc Aëtius squamam ferri & chalybis per os rusticis, & durioribus corporibus, exhibet, ad scirrhos lienis comminuendos, quia pondere suo obvios humores crassos & viscidos deturbat, acrimoniâ incidit & deterget, adstrictione verò lienem condensat & roborat: mollioribus verò & delicatis exhibet vinum vel mulsam, in quâ chalybs ipse sæpius extinctus, ex quo (inquit ille) alvus subducebatur, & tumor lienis subsidebat. Additur porrò, quod *Paulus Ægineta & Practici*, idipsum confirment, qui non tantum squamâ chalybis, sed ipsâ scoriâ, & aquâ illa, quæ excurrit per lapides illos molares, quibus enses acuuntur, in contumacibus obstructionibus utuntur. Conjunge *Rod. à Castro de morb. Mulier. part. 2. lib. 2. c. 6.* & nuper editam *Auroram Medicorum Freitagii lib. 1. cap. 12. ut etiam Pantheum Deodati lib. 3. cap. 19.* Nota verò, quod monet Amicus meus *Clossæus*, ferrum ex sulphure impuro, vitriolo & terrâ rubrâ, utcunque fixa, compositum esse. Sulphur adesse demonstrat odor mineræ inter, & post fusionem, quâ ratione limatura martis ad candelam accensam ardere solet: Vitriolum testatur rubigo, & in salem atque crystallos hujus naturæ resolutio: terram rubram varia crocorum genera, ex Marte producta, indicant. Non igitur ab Halinitro copioso, quod quibusdam inesse verisimile videtur, sed à prædictorum mineralium cruditate vis ventris turbativa provenire videtur, quando in aquâ communi vel stillatitiâ chalybs, nondum

dum multis ignibus malignis suis spiritibus spoliatus, dum candet, extinguitur, quâ de causâ majorem correctionem, in vino extinctus, acquirit. A sulphure virtutem habet deobstruentem, & aperitivam, à vitriolo penetrantem, incidentem, nec non à terrâ suâ siccantem & confortantem. Hinc igitur accidit, ut quoties sulphuris qualitates, additione novi & recentis, intenduntur, quemadmodum in croco Martis per sulphur parato accidit, medicamentum maximè aperitivum nanciscaris; si cum aceto, aquis fortibus, aut aliis acidis & vitriolatis paretur, astringens redditur, & alvum densans. Si verò utriusque, tàm sulphuris, quàm vitrioli spiritus, igne forti & reverberatorio exhalent, relinquitur crocus spongiosus siccans, consumens, demumque roborans. Quod si menstruis salinis eundem ulterius redigas in tincturam aut essentiam, tùm habebis liquores spirituosos ex arte penetrantes, attenuantes, vehementer deobstruentes, & (quia terræ partem simul secum evehunt) adstringendo roborantes. Quibus prælibatis non erit difficile pronunciare, quæ in ferro sint partes tenues, quæ crassæ, & quomodo ex varia ferri præparatione variæ remediorum crases resultent.

*Opinio propria.* IV. Hæc ut magis intelligamus, notandum in ferro & chalybe respectu salis proprii, diversique præparandi modi, diversas reperiri partes, quatenus quædam sunt tenuiores, & à terrea substantia separabiles, quædam verò magis fixæ, & cum terrestri materia magis unitæ: illarum respectu reserandi & attenuandi potentiam, harum ratione, vim astringendi, contrahendique possidet. Hanc ob causam rectè statuit *Quercetanus in diæt. polyhist. sect. 3. cap. ult.* quod vinum chalybeatum ad hepatis & lienis obstructiones reserandas, cum aliis appropriatis, fiat ex limatura chalybis vetustissima, & rubiginosâ, justo modo purificata, per infusionem octiduanam, præsertim cum hâc ratione nullo modo partes in terrestri substantia fixæ (cum appropriatum menstruum ad metalla solvenda affundatur) sed tantùm tenuiores, è superficie quodammodo per rubiginem in calcem redactæ, separentur. *Et in Pharm. dogm. cap. ult.* crocum Martis attenuandi, aperiendi & deoppilandi virtute præditum, non per Calcinationem reverberii, sed laminis ferri candentibus, in Magdaleones Sulphuris immissis, vel affusione convenientium aquarum diuturnâ, conficiendum esse docet, quem etiam additâ cautione in antidoto Splenetica majori præscribit.

*Vinum chalybeatum.*

*Balsamus Martis.* V. *Matthiolus lib. 5. Dioscor. ad cap. 54. & Reusn. lib. de Scorbuto exerc. 7. pag. 790.* Balsamum, vel oleum quoddam Martis, cum calcinatione, conficiunt, limatam scobem chalybis ad calcem igne reverberii redigentes, calcem factam cum aceto destillato ad rubedinem digerentes, aceto abstracto, per aquam stillatitiam acrimoniam eluentes, & coagulum per retortam in oleum rubicundissimum destillantes, quo operandi modo medicamentum eximium ad jecoris & lienis obstructiones conficitur, quatenus hâc ratione nihil aliud, quàm oleum salis Martis extrahitur, quòd aliàs, materiæ ligamentis obrutum, operandi facultate destituitur. Nec obstat, quod hoc oleum Martis per calcinationem fiat, quâ aliàs chalybis limatura præparatur ad fluxus alvi sistendos, propterea quod post calcinationem nova salis in re calcinata residui subsistentis extractio spagyrica instituatur, quod in croco Martis, qui dysenteriis vel diarrhæis confert, minimè tentandum est.

*Responsio ad argumenta contraria.* VI. Superest jam ut ad argumenta negantia quæstionis respondeamus. Ad 1. Negamus majorem propositionem, propterea quod simpliciter concedi nequeat, metallorum usum internum semper esse noxium, quia nolens volens ipse *Erastus quoque Epist. ad Monavium 271. in opere Scholtzii* tandem asserit, quod metallicis medicamentis, ut ipse loquitur, nocentibus, uti cogamur, cum aliter ægrum sanitati restituere non possumus, minus malum cum majore permutando: sed quâ fronte noxium vocatur illud remedium, quo sanitati laborans restituitur? distinguendum igitur inter metalla cruda & justo modo præparata, quorum hæc tantùm singulari medica prudentia, pro diversitate morborum, diversimodè præscribuntur, ut patet ex *Libav. lib. 1. conflict. metal. in fine.* Licet enim concedamus, pleraque metallorum noxium quoddam venenum possidere, non tamen absurdum est, quin illud ipsum artis ingenio corrigatur, quod pulchrè monet *Zwinger. in exam. princip. Chym. cap. 5.* quatenus præparatione medicamentum in sua principia resolvi potest, ubi necessario qualitas maligna, toti composito conveniens, in principiis eâdem ratione non invenitur, quia proprietates aliæ remediis insunt respectu mixtionis, aliæ meritô principiorum constituentium, illæ, cum prius non adessent principiis, jam ex mutuo illorum congressu enatæ, unâ cum forma rei triumphant, quâ incolumi, vigent, eversa languent, hæ verò cum prius adessent principiis, ex mutuo eorum concursu minuuntur, & quamvis in mixto permaneant, non tamen nisi retusæ sunt. Hinc rectè concludit *Ruland. in progymnas. Alchym. quæst. 20.* Metallica remedia non esse noxia, quatenus per Spagyricam præparationem nocentes qualitates deponunt, quod vel maximè probant thermæ metallicæ quarum legitimus usus non rarò desperatis affectibus succurrit, propterea quod in iis proprietates & virtutes salutares metallorum à prima minera metallica naturaliter separatæ, vel per spirituosas exhalationes, vel corporalem materiam admistam, vigeant, ut habet *Tabernæmontanus, in Thesauro thermarum germanico, cap. 1.* Nec obstat, quod ex latentibus terræ specubus metalla producantur, quia talis locus eorundem generationi naturaliter convenit, & principiorum metallicorum concursioni maximè idoneus est, ut habet citato loco *Zwingerus:* fiunt enim metalla à virtute quâdam metallifera, & analogo calore, qui mineræ abscondità proprius est, ut inquit *Libavius lib. 1. conflictuum Metallicor. cap. 12.* quod non obscurum est in terra, minerali qualitate prægnante, quæ cumulo per tempus aliquod collecta, ad separationem mineralium habilior & aptior redditur; quam ubi dispersa soli exponitur, sicut in

*Vide Petr. Amelungium tr. 1. cap. 1. pag. 189.*

*Vitriolum artificiale.*

in artificiali vitrioli præparatione patet, ubi terra vitriolata post separationem calchanti, quæ fit lixivio multiplici, vicissim cumulo coacervatur, & post tempus determinatum iterum atque iterum vitriolum, priori non rarò purius, exhibet.

Ridiculum verò, quod quidam multis verbis Medicamenta Metallica suspecta reddere conantur, propterea quod corpus nostrum non nutrient, eo nutritionis significatu, quo propriè partes nostri corporis alimento assumpto, reficiuntur: quasi verò conservatio virium, tàm in sanis, quàm ægrotantibus, semper eodem modo fieri debeat; *de quo vide Tom. 2. lib. 10. Observat. 6. pag. 496.*

VII. Ad 2. Licet major propositio simpliciter vera non sit, præsertim cum plurima sint frigida, quæ viscerum obstructionibus conveniunt, ut patet in radicibus Cichorei, Endiviæ, seminibus frigidis majoribus, & similibus, respondemus tamen potissimùm ad minorem, cujus confirmatio sufficiens esse non videtur, propterea quod Philosophus, ferrum à frigore per evaporationem totius caloris concrescere dicat, respiciendo causam solventem, non internam caliditatem, undè negat eo calore solvi posse, quo aliàs fuit solutum, quatenus idem agens consideramus, ut monet *Libav. lib. 1. conflict. metall. cap. 17.*

*An ferrum calidum vel frigidum?*

VIII. An autem ferrum frigidum sit vel calidum, adhuc disputatur. *Fallop. tractat. de metall. & fossil. cap. 21.* asserit, ferrum habere partes diversas, nimirum frigidas & calidas, sicut in aceto sunt partes aliquot calidæ & plures frigidæ. Contra conantur alii demonstrare, ferrum esse calidæ naturæ, qui primum utuntur autoritatibus variis, nimirum *Pauli lib. 1. de re med. c. 52.* ubi inter calefacientes aquas enumerat etiam ferreas, *Halyab. in 5. Theor. cap. 14.* quia aquam ferri siccare & lienem calefacere dicit, quâ ratione *Montagnana* quoque, & alii practicorum, in peccante viscido phlegmate præscribunt aquam chalybeatam: Media sententia est quorundam, qui statuunt ferrum in minera repertum, calidâ constare naturâ, propter calidiora principia constituentia: quod verò arte conficitur, & à reliquis mineralibus secernitur, frigidum esse, quoniam terrea, crassioraque in eo abundantius permaneant, subtiliori parte per vim ignis absumpta, quod placet *Ronseo lib. de magnis lienib. pag. 82.* Nos, missis aliorum placitis, ferrum diversis qualitatibus, vel operandi potentiis, præditum esse dicimus, prout diversimodè præparatur, ejusdemque partes à se invicem separantur, id quod ex superioribus colligitur.

*Vide Rod. à Castro citato loco.*

IX. Ad 3. concludit argumentum de ferro, vel chalybe crudo, non præparato, cui meritò crassitiem medicamentis minimè convenientem concedimus: at verò viscerum obstructionibus non nisi justo modo præparatum hoc convenire diximus.

X. Ad 4. Confert etiam in adstringendo ferrum, sed non respectu illarum partium, quibus aliàs aperit: ubi diligenter notandum, primam aquam chalybeatam, in quâ ferrum novum extinguitur, abjiciendam esse, cum non levem solvendi & aperiendi vim obtineat, monente Mercato citatis locis, quod ex superioribus facilimè cognoscitur.

## QUÆSTIO III.

*Num in inflammatione jecoris purgantia cum cibis miscenda?*

*Cur jecur inflammationi obnoxium.*

I. Cum corde excepto, nullum viscus in corpore nostro sit calidius jecore, mirum non est, illud ipsum inflammatione frequenter affici, quando scilicet sanguis in jecoris substantiam extra venas p. n. effunditur, inflammatur & putrescit. Quamvis autem in hoc affectu, secundum *Æginetam*, in principio nunquam purgantibus medicamentis utendum esse videatur, propterea quod, ductis humoribus per partem affectam, inflammatio deterior fiat: interdum tamen purgantia præscribenda esse censet *Mercat. lib. 4. de morb. intern. curat. cap. 2. Mercurial. lib. 3. pract. cap. 19. Altimar. cap. de Inflam. hepat. & alii practicorum*, eâ cautione, ut fiat hoc ipsum inflammatione consistente in concava jecoris parte, phlegmone in resolutionem tendente, quocirca necessariò requiritur, ut humores primùm exactè præparati, & viæ quoque expeditæ sint.

*Quando purgandum in inflammatione jecoris.*

*Affirmatur quæstio.*

II. Quærimus autem, *nùm talia purgantia medicamenta cum cibis commista conveniant?* Videtur hoc approbare *Galen. lib. 13. Meth. cap. 15.* ubi inquit: procedente tempore (loquitur de jecoris inflammatione) ubi Phlegmone jam concoquitur, etiam valentioribus uti licet, asaro & celtica nardo, & phu, quod vocant, & petroselino, & Smyrnio, & Meo: sicut etiam per ventrem vacuare, si cavum afficitur, cnico cibis admisto, & urtica, & Mercuriali, & filicula, præterea quæ modicè alvum dejiciunt, magisque in remissionibus his ipsis audacius, quam antea utendum, tùm verò, quæ his sunt valentiora, partim in ptisana, incoctis, partim in mollissimum pulverem redactis, exhibenda verò & hæc sunt, vel ex aqua. Ego namque etiam filiculæ aliquid in ptisana aliquando incoxi, & nigri veratri corticem.

Huc etiam quadrat illud, quod habet *Marcus Oddus de Compos. Medicam. cap. 13. sub finem*, dùm inquit: attractioni medicamentorum adjumento esse miscellam cibi cum medicamento, aut alicujus, quod à proprietate quâdam cum membro attrahente familiaritatem habeat atque convenientiam: sic enim dùm dissolutum est medicamentum alterans, cum cuidam humido nutribili admistum sit, libentius & facilius à membro trahitur, undè si nos velimus renum & vesicæ calculum frangere, ex sanguine hircino, vel citrorum succo, quæ limones nostri vocant, aliquid verò ei medicamento admisceamus, quod familiaritatem habeat cum istis partibus, facilius & promptius attractio efficietur. Vide dissentientem *Guiliel. Seraphinum de Compos. lib. 3. cap. 9.* ubi pharmaco sumpto nullam etiam sorbitionem convenientem esse statuit, Item *Johan. Matthæum in Quæst. Medicis, quæst. 9.*

*Negantes rationes.*

III. Hanc assertionem Galeni, licet à citatis autoribus

*Negantis rationes.*

ribus approbetur, citante Mercuriali reprehendit *Constantinus Africanus Monach. in lib. Meth.* quos in compendium redegit, potissimùm duabus rationibus, propterea quod si cibis misceantur medicamenta purgantia, ciborum sequatur corruptio, & proindè membra convenienti alimento destituantur, atque ipsa medicamenta præscripta sint calida, quæ jecori inflammato maximè adversentur.

IV. Pro quæstionis intellectione notandum, propriè dicta cathartica cum cibo non esse commiscenda, propterea quod medicamenti vis à cibo obtundatur, ipseque cibus à medicamento & humoribus attractis, inquinetur & corrumpatur. Hanc ob causam communiter, juxta præscriptum *Avicen. Pauli*, & aliorum, medicamenta purgantia jejuno stomacho propinantur, cum addita cautione, ne comedant vel bibant, donec operatio sit perfecta. Quamvis autem has ob causas in catharticis exhibendis jejunum stomachum observemus: notandum tamen, interdum non incommodè cum alimentis quoque purgantia, potissimum lenitiva, concedi posse, quatenus in prandio (quod moderatum ex jusculis & cibis levioribus adparatur) vina medicata purgantia, vel etiam brodia, cum incoctis evacuantibus, aut similia, in principio conceduntur, cum hâc ratione medicamentum non solùm jucundum reddatur, sed insuper quoque, promptissimum in vaporibus à cibo exhalantibus, nanciscatur vehiculum, quo citiùs ad intimas viscerum partes penetrat, & levi negotio sine torminibus peccantes humores expellit. Hinc etiam *Aëtius Tetrab. 1. serm. cap. 57.* in cibo medicamentum optimum esse dicit iis, qui naturaliter alvum habent astrictam, fortassis & iis, qui ex diuturno morbo laborant.

*Dissent. Pet. Morellus de Methodo prascrib. rem. lib. 1. sect. 1. cap. 6.*

Huic assertioni subscribit etiam *Massaria lib. 3. Pract. cap. 13.* dùm inquit: digna est maximâ annotatione ratio dandi medicamenta purgantia, quam tenebat Galenus, qui solitus fuerat illa permiscere alimentis: idque dupliciter, uno modo simul coquendo alimenta & medicamenta: altero contusis medicamentis, eorumque pulverem tenuissimum permiscendo cum ptisanâ, vel aliis medicamentis. Quæ sanè utraque ratio, cùm in aliis morbis, tùm maximè in inflammatione jecoris videtur præstantissima: nam cum cibus descendit ex ventriculo, non tantùm ille, sed medicamentum quoque unà attrahitur ad jecur, undè verisimile est, facilè admodum, & minori cum labore, expurgationem succedere. Ac fortè idipsum venit in mentem Autori *lib. 4. vict. morb. acut. tex. 18.* dùm dicit, sorbitiones attractorias dandas esse, tametsi Galenus hanc sententiam tanquam obscuram, & nihil docentem videtur neglexisse. Quamobrem meâ quidem sententiâ optimum foret, hanc medendi & purgandi rationem, hoc tempore inusitatam, suscitare, & ad usum referre, cujus profero exemplum.

℞. Polypodii, Epithymi ana ℥j.
Cinam. ℈j. M. F. pulvis, misceatur cum ptisana.

pro Medicamento levissimo: valentius foret sequens:

℞. Cort. Hellebor. nigri ℈ij.
Sem. Anisi, Fæniculi an. ℈s. M. & permisceatur ut supra. Hactenus Massaria.

Qui verò pleniorem hujus quæstionis declarationem desiderat, illum ad *Tom. 1. Disp. 19. remittimus, ubi in Coronid. annexâ quæst. 8.* sufficientem decisionem habebit.

*Respondetur ad instantias Monachi.*

V. Quod ad instantias *Monachi Constantini*, respondet Mercurialis melius fuisse, ut bonus hic Monachus lectitasset libros Prophetarum, quia prima ratio concluderet aliquid, si semper & quotidiè cum cibis medicamenta propinarentur; at verò non admodum obest, licet semel atque iterum assumpta alimenta non nutriant, quia & ipsa inedia evacuatio est. Secundò licet aliquantisper calida sint medicamenta à Galeno præscripta, corrigitur tamen eorundem caliditas in admista ptisana & similibus: imò & calida sæpius in calido morbo, non respectu morbi, sed respectu causæ morbificæ, præscribuntur.

*Vide Ioh. Sporischium de Curandi rat. per diætam.*

## QUÆSTIO IV.

*An vomica jecoris extrinsecus aperiri possit?*

I. Jecur exulcerari novum non est, sed frequenter accidit, maximo tamen cum vitæ periculo, quatenus pars princeps ejusmodi solutione continui lethaliter afficitur, ipsaque materia peccans difficulter expurgari potest. Nam quamvis *Bertinus lib. 13. Med. cap. 7. Gemmæ lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. Quercetanus de vulner. Sclopetar. cap. 2.* & alii, quosdam à vulneribus supervixisse testentur, sunt tamen ejusmodi casus rarissimi, qui singulari naturæ robori, Medicorumque dexteritati tribuuntur.

*Negatur quæstio.*

II. Hanc ob causam in præsenti quæstione pars negativa potius defendenda videtur, propterea quod *Fernelio lib. 6. de part. morb. cap. 4. teste* cui etiam *Forestus lib. 19. Obs. 10.* subscribit, ulcus ex abscessu contractum, quoniam alimento continenter alluitur, perpetuò colluvie multa sordescat, neque unquam sanescere possit, propterea quod Iecoris substantia spermatica sit, & non magis, quam aliarum partium, reparari queat. Cum igitur ejusmodi affectus per se lethalis, meritò medicus ab externâ incisione vel ustione abstinet, ne occidisse videatur, quem affectus vehementia tollit.

*Affirmatur quæstio.*

III. Contrà, quod in suppuratione factâ jecoris, ubi possibile non est per urinam, vel alia ratione pus evacuare, per peritum & cordatum Chirurgum apertio per ferrum candens instituenda sit, *Mercatus innuit lib. 4. de curat. morb. intern. cap. 2. juxta Aretæum lib. 1. de sign. & caus. chron. cap. 13.* ubi inquit: At si extra feratur abscessus, ipsum non secari utique malum est, quia si prætermittatur incisio, à pure jecur eroditur, nullaque mortis dilatio est, si secare autem malis (scilicet sine ferro candente,) profluvii sanguinis periculum instat, statimque hominem perdi continget. Idem *Hippocrat.* etiam innuit *lib. de affect. internis,* quem *Celsus* quoque sequitur *lib. 4. de re med. cap. 8.*

qui vomicam jecoris ferro aperiendam esse statuit. *Rhases* aperta intus vomicâ extrinsecus etiam apertionem consulere videtur, quem secutus est Medicus ille Clariss. Venetus, cujus *Capivac. lib. 3. pract. cap.* 23. meminit, qui Patavii cuidam deplorato jecoris ulcere laboranti, homini robusto aliàs, & nauticis laboribus addicto, præter reliquorum Medicorum consilia, curavit abdominis partem in regione jecoris novaculâ aperiri, ut plurimum puris per vulnus efflueret, undè postmodum, benè curato vulnere, homo superstes mansit, ac triennio pòst saltavit & laboravit, nihil sentiens incommodi.

Notandum insuper hic, ut artificiosâ conjecturâ colligamus, num suppuratio facta sit in concava, vel convexa parte jecoris: si enim illud, infelix erit apertio, quemadmodum testatur exemplum, quod adducit *Coiter in observ. Anatom. & Chirurg.* de cive quodam Norico: Si autem abscessus occupabit gibbam jecoris partem, tutior erit apertio, quâ ratione *Hercul. Saxon. lib. 3. Panthei cap.* 29. mentionem facit Nautæ cujusdam, cui inter costam atque costam apertione succurrit, octo dierum spatio libris 12. puris eductis, qui per integrum annum fistulam plumbeam in loco aperto gestaverit, & postea plenariè restitutus fuerit, ut pluribus eandem historiam refert etiam *Schenckius Observ. Med. lib. 3. sect. 2. Obs.* 21. Sed non sine causâ de talibus apertionibus dubitat *Hier. Fabricius ab Aquapendente, qui part. 1. operat. Chirurg. cap.* 52. legatur.

*Administrationis chirurgicæ cautela.*

IV. Hic ergò majorum habito consilio (ut verbis *Mercati* concludamus) satius erit anceps experiri auxilium, maximè viribus constantibus, in corporibus ætate florentibus, quam in certa desperatione versari. Foramen, si id tentaveris, exterius amplius facito, interius verò angustius, tandem facto & extracto modico pure, obdurabis lineis panniculis, succo plantaginis & rosarum intinctis, ne fluxus sanguinis majus accersat periculum, & postea aqua hordei & saccharo cum succo rosarum, & syrupo earundem, ulcus ablues, & abstergere, repurgareque curabis. Ac dum pus exire jam destiterit, protinus, ne calor per foramen expiret, ulcus ad cicatricem quam brevissimè reducere curabis. Hæc ille.

## QUÆSTIO V.

*Num in ictero flavo bilis purganda?*

*Icterus flavus quid?*

I. Icterus flavus est symptoma qualitatis mutatæ, quâ color cutis in facie, totoque corpore, propter humoris biliosi excrementitii cum sanguine permistionem, flavus p. n. redditur.

*Affirmatur quæstio.*

II. *An autem in hoc affectu cholagoga medicamenta præscribenda dubitamus?* Affirmativa confirmari potest ex eo, quod adsit hoc loco bilis superabundans, quæ per Cholagoga evacuari debet: Hinc *Jachinus in lib. 9. Rhas. cap.* 51. præscribit purgationes ex Scammonio, Electuario de succo rosarum, & similibus. *Mercurialis* quoque *l. 3. de Meth. Medendi.* 33. ejusmodi proponit cathartica, quæ bilem educunt, ut hac ratione subducantur humores, qui fovent bilem, ad cutim effusam, quo eadem eò citius postea ab ipsa natura dicutiatur.

*Negatur quæstio.*

III. Contra negativa quæstionis concluditur ex *Hippocr. lib. de intern. affect.* ubi dissuadet in Ictero medicamenta bilem ducentia, ne corpus magis conturbetur. Adde, quod frequenter in Ictero non copia bilis, sed propter obstructionem meatuum vesicæ felleæ, succedens ejus effusio noceat: at illas obstructiones non per Cholagoga tollimus.

*Quæstionis decisio.*

IV. Nota pro quæstionis declaratione juxta *Mercat. lib. 4. de mor. intern. curat. cap.* 4. quod in Ictero duobus modis purgandum sit, primò catharticis iis, quæ crassos & obstruentes humores ducunt, abstergunt & repurgant, ut apertâ obstructione, biliosus humor, qui gignitur, ad sibi naturalia loca liberè permeet, quo solo auxilio, si exactè attenuantia & incidentia adhibueris, morbum curabis. Deinde ejusmodi medicamentis etiam opus est, quæ bilem, quam naturalia vasa capere nequeunt, imminuunt & evacuant, idque post obstructionis apertionem: prius *Hippocratis* dictum innuit, posterius *Jachinus & Mercurialis* volunt. *Michaël Johan. Paschalius de curan. mor. lib. 1. cap.* 42. distinguit inter Icterum criticum, & illum, qui dependet ab obstructione crassi humoris, adeoque monstrat, quomodo diversimodè præparatio & purgatio sit instituenda.

*Qualia purgantia conveniant.*

V. An autem fortibus medicamentis catharticis hoc fieri debeat, dubium est? *Altimar. cap. proprio*, ex sententiâ *Aëtii*, affirmativam tenet, propterea, quod ob ventris siccitatem purgationes debiliores nihil in Ictericis præstent; & natura materiam ad circumferentiam corporis transferens, non admodum has evacuationes adjuvet. Huic consentit etiam *Dom. Leonus sect. 3. lib. 3. Pract. cap.* 2. Sed è diametro contra *Altimarum* concludit *Mercatus*, statuens in Ictericis validas purgationes admodum noxias esse, propterea quod in obstructo corpore satius sit, paulatim à longinquo bilem allicere, & crassum humorem ab obstructo vase educere, quam subitò evocato excremento majorem & pressiorem efficere obstructionem, ut non rarò incautis & imperitis accidit. Quapropter per vices aliquot leviores adhibere purgationes, quam violentiâ quâdam morbum reddere deteriorem, consultius erit.

## QUÆSTIO VI.

*An Icterus niger eandem cum Scorbuto curationem habeat?*

*Icterus & Scorbutus differunt.*

I. Quamvis quidam Scorbutum & Icterum nigrum pro uno eodemque morbo habuerint, meritò tamen cum *Ronseo l. de mag. lienib. cap. 3. & Albert. lib. de Scorb. num.* 165. *& seq.* differentiam agnoscimus, propterea quod propria nigri arquati τεκμήρια sint color circa faciem niger, & maximè circa partes veluti in umbra occultatas, oculi virore pallidi, gustus subausterus & amarus, excreta nigra & variegata, frigus in toto corpore, sine febri & contagio, corpusque totum *Aretæo* μελάγχροον, quasi fuligine felli admista infectum. Talia Scorbuto conjunctim non conveniunt,

unt, ut patet ex *tractatu nostro de Scorbuto exerc.* 1. licet alia quædam communia signa in ambobus morbis inveniantur, tarditas videlicet & lassitudo, difficilis exudatio & similia, quæ commoverunt quosdam, ut inter Scorbutum & Icterum nigrum non distinguerent.

*An utriusque eadem curatio?*

II. Horum assertionem ulterius confirmant illa, quibus ad speciem probari potest, curationem Icteri nigri non esse differentem à curatione Scorbuti, ubi tale argumentum sese offert: Eædem Indicationes constituunt eandem curationem, at in Ictero & Scorbuto sunt eædem indicationes. Minor Probatur: quia in Scorbuto requiritur, ut lien à materia obstruente liberetur & confortetur, quod etiam necessarium est in Ictero nigro, quemadmodum ex libris Practicorum patet.

*Quæstionis declaratio.*

III. Hic notandum pro quæstionis intellectione, quod inter Scorbutum & Icterum nigrum sit quædam convenientia, quatenus uterque morbus fit vitio potissimum lienis, ob cujus imbecillitatem in utroque reliquum corpus afficitur: veruntamen cum modus læsionis, ut ex signis adductis patet, maximè diversus sit, ideò sequitur πρῶτον δεκτικὸν utriusque affectus, ipsum scilicet lienem, diversimodè laborare. Diversitas hæc diversitatem curationis introducit, quatenus in Scorbuto non simpliciter ad copiam Melancholici sanguinis & lienis obstructiones, ut in Icteritia nigra, respicimus, sed maximè solliciti esse cogimur de specifica quâdam corruptione, Scorbuti materiæ propria, quæ peculiaria & appropriata sua remedia requirit, quemadmodum alibi fusius demonstravimus.

Dico *potissimum* vitio lienis Icterum nigrum fieri, quia non omninò rejiciendam esse judico *Dn. Plateri quondam Præceptoris mei, sententiam Tract.* 3. *Prax. lib.* 1. *cap.* 2. dum statuit Icteri nigri causam esse bilem præternaturalem: in venis mesaraicis corruptam, indéque nigricantem, propterea quod non probabile videatur, bilem ejusmodi à liene prodire, cum inibi nullam cavitatem vel sinum habeat, in quo colligatur, neque etiam adsit è liene vena quædam, per quam ad cavam deferri possit. *Sennertus* communem sententiam cum hâc conciliare nititur, dum *lib.* 3. *prax. part.* 4. *cap.* 11. inquit, si statuatur, bilem atram, cum in venis mesaraicis copiosè colligitur, ubi ad hepar pervenit, cum bile flava misceri, & in vesiculâ fellis colligi, bilisque flavæ colorem indè mutari, quæ nisi per convenientes vias evacuari possit, in totum corpus cum sanguine diffundatur, & Icterum nigrum pariat. Nec obstare, quod nullus ramus à liene ad cavam pertingat, quia mediante vena portæ humores circa lienem collecti ad jecur etiam pertingere, & in reliquum corpus derivari queant.

## QUÆSTIO VII.

### *An hydrops calefacientibus curetur?*

*Causam hydropis esse caliditatem.*

I. NEgativa quæstionis pars ex eo confirmatur, quod hydrops, juxta quosdam, à caliditate generetur, at morbus per contrarias qualitates à corpore pellitur. Quod autem caliditas hydropis causa sit, *Cardanus l.* 2. *progn. com.* & *in Aph. p.* 615. demonstrare conatur, quapropter eandem frigidis medicamentis curandam esse statuit, pro cujus assertione sequentes rationes adducuntur. 1. quia juxta *Hipp. in progn.* hydrops sequitur ad morbos acutos. 2. quia secundum *Arist.* 3. *Probl.* 5. hydrops à potu vini generosi producitur, at potus vini calefacit. 3. quia calor p. n. calorem jecoris dissolvere, & per consequens sanguificationem depravare potest: hinc *Athenæus in comm.* 2. *progn.* hydropem à calore fieri dicit, quatenus eodem ex accidenti jecur refrigeratur. 4. quia calor p. n. intensus in humiditatem agens, flatum producit, ex quo tympanites oritur, ut vult *Averr. Collect.* 5.

*Causam hydropis esse frigiditatem.*

II. Contra quæstionis affirmativam ex eo concludere licet, quod unanimi ferè Medicorum consensu generatio hydropis intemperiei jecoris frigidæ tribuatur, undè ratione contrarietatis morbus indicabit Calefacientia. Antecedens probatur sequentibus. 1. quia nunquam fit hydrops juxta *Galenum lib.* 5. *de loc. aff.* nisi frigida quâdam intemperie jecur afficiatur, sive hoc fiat primariò, sive per consensum. 2. quia necessum est ut hydrops fiat propter sanguificationem debilitatam: at verò quemadmodum αἱμάτωσις perficitur à calido naturali visceris, ita sequitur diminutam sanguificationem à caloris defectu dependere. 3. quia in hydrope loco sanguinis generatur aquosus humor, idcircò sequitur à jecore refrigerato hoc fieri, quatenus genitum sequitur naturam generantis.

*Decisio quæstionis.*

III. Pro conciliatione nota ex *Horatio Augenio Tom.* 2. *Epist. lib.* 8. quod proxima causa, quæ sanguificationem impedit, sit frigida jecinoris intemperies in omni hydrope, quamvis nihil impediat, quin antecedens causa possit esse calida, quod etiam *Mercurialis innuit, lib.* 3. *de Med. morb. cap.* 24. Frigida scilicet intemperies, prout denotat caloris naturalis defectum, qui omnem qualitatum excessum præter naturam sequitur, eodem *Augenio* attestante. Hinc etiam *lib.* 3. *Epist. tom.* 2. inquit: quid impedimento esse potest, quin ascites ex acuto morbo statim fiat, quemadmodum ab *Hippocrate* & *Galeno* scriptum fuit: Si enim omnis immoderata intemperies actum impedit propriæ virtutis, cur non impeditur ex intemperie calida sanguificatio? Patet igitur quod argumenta negantia priora concludant de causa antecedente, non autem proxima: postremum verò negatur, quia flatus non intensi, sed potius debilioris caloris effectus est. His ergò positis consequens est, ut, remotis causis antecedentibus, eò dirigamus medicamentorum usum, quò defectus caloris, quam frigiditatem vocant, in jecore corrigatur, quam ob causam appropriata calefacientia præscribenda veniunt.

*Singularis dubitatio.*

IV. Veruntamen cum curandi leges, ipsaque medicamenta, tàm à veteribus, quàm recentioribus Medicis præscripta, non simpliciter tantùm correctionem frigiditatis, sed resolutionem peculiaris materiæ in hoc affectu peccantis respiciant, quatenus per evacuantia, resolventia & discutientia jecori succurrere conamur, idcircò dubitatur, an vera sit sententia Spagyricorum, quâ statuitur hydropis generationem ut plurimùm fie-

ri

ri propter collectionem serosæ & tartareæ materiæ, in jecore quodammodo coagulatæ, cujus ratione consequenter chylus, loco boni sanguinis, in ejusmodi similem salsum & aquosum humorem maxima ex parte convertatur? hoc ipsum an penitus improbabile sit, ii dijudicent, qui sitim hydropicorum immensam, non frigiditatis & humiditatis, sed salsedinis à tartaro superabundantis effectum, in ejusmodi laborantibus frequenter observarunt: qui urinas hydropicorum crassas, & cum rubedine ferè nigricantes (quas reddunt ubi malum confirmatum est, ipsaque materia jecur obstruens resolvitur) non superficialiter tantùm aspexerunt, sed artificiali evaporatione paucissimi liquoris, in meram substantiam salinam commutatas, viderunt, qui vulneribus hydropicorum rebellibus propter acrimoniam humoris abundantis (quam aqua sola non præstaret) frustra consolidantia remedia præscripserunt; qui tandem non simpliciter tantùm calefaciendo, sed per ea, quæ tartarum coagulatum resolvunt, & per vias urinarias, sudores, aliâve ratione, propellunt, ejusmodi laborantibus succurrere didicerunt, usu scilicet spiritus Terebinthinæ, Arcano Tartari, sale Cichorei, Restæ bovis, Agrimoniæ, cardui benedicti, & similibus. Conjungatur lectio eorum, quæ à nobis *Tom. 2. lib. 11 de variis miscellaneis observ. 7.* proponuntur, ut & illa, quæ *Carol. Piso* probabiliter de Generatione hydropis disserit, *in opere de morbis ex illuvie serosa, titulo de Hydrope.*

## QUÆSTIO VIII.

### *Num in ascite παρακέντησις tentanda?*

*Hydropis differentiæ.*

I. Hydropis, vel aquæ inter cutem, tres numerantur species, vel differentiæ, nimirum Ascites, cum inter peritonæum & intestina plurimus aquosus & serosus humor coacervatur, (quod ἀσκὸν vel utri modo venter impleatur) Tympanites, ubi flatus & impurus spiritus potissimùm in dictis locis colligitur, & abdomen instar tympani extensum apparet, & Anasarca, quando per universum corporis habitum humor superfluus disseminatur, ut instar spongiæ caro universa humida, tumidaque appareat. Omnes hæ differentiæ fiunt affecto jecore (quemadmodum contra alios ex *Cardano patet lib. 2. contrad. tract. 3. contrad. 22.* à quo peccans materia, tumorem producens, aliis partibus communicatur. Vide, si lubet, *Sylvium Lanceanum, in libello peculiari, quod hydrops non semper fiat à jecore*: adde quoque *Stephanum Rodericum Castrensem, de Meteoris Microcosmi lib. 4. cap. 12.*

*Quomodo materia aquosa in hydrope distribuatur?*

II. Modus communicationis aquosæ materiæ, quoad Anasarcam, non admodum difficilis est, quando perpendimus, unà cum sanguine, qui totum in corpus distribuitur, simul quoque materiam aquosam peccantem ad habitum corporis facillimè derivari posse. Sed quoad Asciten diversæ sunt opiniones autorum, ubi secedimus à *Fernel. lib. 6. pathol. cap. 8.* statuente, quod aquosus humor in abdomine colligatur propterea, quod rupta vel exesa sit jecoris quædam vena, per cujus fissuram derelictam serosus humor, tanquam tenue quid, continuò transcoletur, quod ob scirrhum, vel nimiam siccitatem viscerum interdum quoque fieri posse subjicit, quam assertionem solidissimè *Augenius lib. 8. Epist. Tom. 2. & Mercurialis lib. 3. de Med. morb. cap. 24.* refutant, & potius juxta Galen. sententiam cum plerisque asserimus, aquosam materiam in abdomine colligi maxima ex parte per transcolationem cæcorum meatuum, quod facillimè fieri potest, propterea quod aquosa, serosaque materia copiosè superabundans, à membris & ulterioribus venis, velut ad nutritionem inepta, non attrahatur, ut inquit *Jachinus in 9. Rhas. cap. 52.* undè remanet copiosè circa primas venas, per quas διαπηδήσει, roris instar, in abdominis cavitatem defluit.

Hinc patet cur sensim & paulatim ejusmodi fiat collectio, quod non accidit ubi per disruptionem viscerum, vel venarum, incurabilis ventris tumor hydropicus oritur.

III. Quæritur autem *num in hâc hydropis specie, nimirum in Ascite, παρακέντησις tentanda sit?* Negabat hoc olim *Erasistratus*, his & similibus argumentis commotus: quia per aquosæ materiæ effusionem spiritus simul dissipantur, & per consequens facultates omnes debilitantur: 2. Quia jecur deinceps, ob subitam mutationem diaphragma cum pulmonibus deorsum trahit, undè δύσπνοια & sicca tussis, quæ hydropicis periculosa. 3. Adde quod hydrops, ut ex præcedenti quæstione patet, in malâ jecoris dispositione consistat, undè frustrà de seroso humore effundendo solliciti sumus, hepate neglecto.

*Affirmatur quæstio.*

IV. Contrà παρακέντησιν interdum tentandam esse patet ex *Hipporat. lib. 6. Aphor. 27. 7. Aphor. 45. & alibi, Galeno lib. 14. Meth. Med. cap. 13. Aëtio Tetrabib. 3. serm. 2. cap. 20. Paulo lib. 3. de re med. cap. 38.* hanc ob causam à recentioribus multis approbatur, ut patet ex *Paræo lib. 7. Chirurg. cap. 12. Capivac. lib. 3. practic. cap. 19. Mercuriali lib. 3. de med. morb. cap. 24. Foresto lib. 13. Observat. 42.* & aliis, sed certis suis conditionibus, cùm sit remedium magnum, in quo non temerè, sed singulari prudentiâ procedendum est. Quod autem interdum abdomen aperiendum sit, indè colligitur, quod non rarò tanta serosi humoris copia colligatur in abdomine, quæ nullius medicamenti virtute possit educi: at cum affectus non curetur, teste *Celso lib. 3. de re medic. cap. 21.* nisi copiosa materia peccans educatur, ideò parum prudenter, ut inquit *Paræus citat. lib. de perforatione abdominis ambigitur, cum eò necessitatis æger redactus, ut eâ sola ipsi succurri possit.*

*Ratio affirmationis.*

*Vide Iac. Pons in Medico pag. 118.*

*Limitatio affirmationis.*

V. Notandum tamen juxta *Hippocrat. 6. Epid. sect. 7. tex. 8.* ut cum cautione hoc fiat, quando scilicet brevi tempore *tumor* ad insignem magnitudinem pervenit, & *priusquam* materia putrescat, *febris* succedat, viresque *graviter* dejiciantur. Fiat autem evacuatio non unicâ vice, sed paulatim: quia enim secundum *Aphor. 27. lib. 6.* Empyici vel hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua ἀθρόως effluxerit universim, subitò moriuntur, ob spiritus unà dissipatos.

Hic

Hic moveri potest quæstio, quam etiam attingit *Hieron. Fabr. ab Aquapend. par. 1. Operat. Chirurc. 55.* Num expediat magis per scrotum, quam per abdomen sectione factâ, aquositatem emittere: Respondetur, quod si quando accidat, ut propter peritonæi laxitatem seu apertionem ad inguina, aqua in scroto, tanquam in vase, aut vesica, collecta sit, ita ut scrotum sit tumidum & intentum, facileque fistula inseri possit, quæ nobis nolentibus, ne guttam quidem aquæ effundat, in eo casu consulo, (inquit prædictus Autor) ut potius scrotum perforetur. Hujus perforationis exemplum videat lector in *Observ. nostris lib. 9. tom. 2. observ. 3. pag.* 435. pleniorem autem apparatum, quoad aperiendum abdomen, prædictus Aquapendens subministrat, juxta cujus instructionem cum successu quoque sectionem sub umbilico factam fuisse memini: Nec penitus improbat prædictus Autor assertionem *And. Laurentii, qui Anatom. lib. 6. cap. 9. quæst. 9.* Hydropicos *juxta Celsum*, in ipso umbilico secandos esse statuit, quod fieri posse dicit, quando umbilicus ita laxatus, apertusque est, aut tumens, ut ab exteriori parte ad internam cavitatem, & aquam ipsam tenuissima cutis tantùm intercedat, quam vel ipso tactu, digitique compressione, ac perspicuitate deprehendes, naturam imitando, quæ sæpius hanc viam sponte quærit, ut ex observationibus Laurentii manifestum est. Cùm verò laxitas hæc non apparet, umbilicus pungendus non est, ne fortè umbilici rugositas magis dilatetur, quam par est, &c.

VI. Hic quidam loco sectionis adhibent quotidianas scarificationes totius infimi ventris, quâ ratione Medicum celeberrimum superioris Austriæ *D. Johannem Michelium* quosdam desperatos hydropicos restituere memini.

Quoad scarificationem notum est ex veteribus ac recentioribus, quod in diversis corporis partibus ad educendas hydropicorum aquas adhibeantur, quam Chirurgiam pluries se administrasse in talis, testibus, præputio, semperque felici cum successu, scribit Aquapendens, qui de modo, tùm etiam de altero succedaneo Chirurgico, fonticulorum videlicet impressione, videatur citato loco. Conjunge, si placet, *Argelatam in Chirurg. lib. 2. tract. 26. & Albucasin lib. 2. Chirurg. cap.* 53. Et inter recentiores *Casp. Taliacotium lib. 1. Chirurg. curtor. cap. 20. Stephanum Gourmelinum lib. 1. artis Chirurg. pag.* 185.

VII. Jam ad rationes in contrarium adductas respondemus. Ad 1. Nihil timendum, ubi partitis vicibus evacuatio materiæ peragitur, quod experientia multorum hac ratione liberatorum testatur. Ad 2. Vitatur hoc incommodum, juxta Paræum, ægro in lecto recumbente, præsertim cum ejusmodi subita evacuatio non instituatur. Ad 3. Negatur: quia absurdum non est membranosas partes consolidari posse, præsertim ubi cum musculis arctissimè cohærent, quod in peritonæo accidit. Ad 4 Licet mala jecoris dispositio primò sit respicienda, minimè tamen tanta seri copia negligenda est, propterea quod medicinam humor inclusus, juxta Celsum, impediat, & procedente tempore interitum portendat.



## QUÆSTIO IX.

*An in lienis obstructionibus diuretica medicamenta præscribenda?*

I. Affirmativa videtur approbanda, cum consideramus illa medicamenta, quæ juxta *Avicenn. & alios, à practicis* multis in lienis obstructione præscribuntur: nec deest ratio, quia lienis obstructio fortioribus indiget remediis, juxta *Galen. lib. 13. Meth. Med. cap. 16. & lib. 2. de art. curat. cap. 5.* quàm obstructio jecoris: at verò quatenus aperientia jecoris fortiora redduntur, eatenus diuretica fiunt. *Affirmatio quæstionis.*

II. Verùm pars negativa potius cum *Galeno* defenditur, qui citato loco lienem non per renes & vias urinarias, sed per alvum tantùm expurgari posse statuit. Confirmatur hoc ulterius à *Savanarola tract. 6. pract. major. cap. 15.* in fine, quia materia quæ est in splene, non potest evacuari per urinam, nisi primum ad cavum jecoris perveniat: at verò cum grossa materia citius deorsum descendat, & tanquam noxia à jecore non facilè recipiatur, ipseque lien cum Mesaraicis venis cohæreat, verisimile est, eandem melius & leviori negotio per alvum secerni. *Negativa probatur.*

III. Notandum tamen, quod interdum exhibenda sint ea, quæ materiam per vias urinarias exturbant, quatenus natura quandoque peccantes humores eò ablegare conatur, ubi non exhibentur, juxta *Savanarolam*, ut sunt diuretica, sed quatenus obstructiones lienis vehementer aperiunt. *Capivaccius lib. 3. cap. 25.* diuretica concedit respectu materiæ conjunctæ, quæ lieni inhæret, sed propter materiam antecedentem, ut fluxus ulterior avertatur, & tumor minus augeatur. Patet igitur quâ limitatione medicamenta diuretica dupliciter in lienis obstructionibus concedi possint, quam ob causam interdum à practicis non immeritò præscribuntur. *Respondetur ad affirmativam.*

IV. Quod autem rationem adductam attinet, nimirum lienis obstructiones vehementibus aperientibus indigere, id fit ratione materiæ, quæ magis cruda & rebellis est, non respectu modi evacuandi. Quapropter licet fortiter incidamus atque aperiamus, non tamen statim per urinas materia ducitur, quia viæ dantur proximiores, nisi fortè singulare quid natura moliatur, & mediantibus arteriis emulgentibus attenuatam materiam ex ipso liene recipiat, quod tamen rarò accedit.

## QUÆSTIO X.

*An lienosis usus aceti conveniat?*

I. Videtur quod non: cum enim juxta *Gal. 4. Simpl. 12.* ejusmodi vires acetum obtineat, ut judice *Mercat. lib. 6 de febr.* gignendo melancholico succo sit accommodatissimum, consequens est illud ipsum lienosis minimè convenire; Cui ratio ejusdem *Mercati l. 1. de* *Negatio quæstionis.*

morb. intern. curat. cap. 17. succedit, similitudo scilicet aceti & melancholiæ; cujus respectu intempestivus acidorum usus melancholiam generat.

Huc etiam Autoritas *Hippocratis* adduci potest, 3. *de vict. acutor. tex.* 38. ibidemque *Galeni*, quod Acetum Melancholicis adversissimum sit.

II. Contra lienosis acetum convenire manifestis verbis asserit *Galen. lib.* 11. *Meth.* ubi spleneticis medicamentis aliquid aceti commiscendum esse statuit, quod idem repetit *lib.* 9. *de med. comp. κ. τ. cap.* 7. Hanc assertionem Galeni plerique practicorum sequuntur, usum aceti lienosis concedendo, non simpliciter, sed quatenus acetum desiccat, attenuat, & crassitiem ac viscositatem incidit, quas operationes ex veris suis principiis *decad.* 5. *quæst.* 1. deducimus.

III. Pro quæstionis intellectione notat *Mercurialis l.* 3. *de morb. med. cap.* 22. quod melancholicus humor possit augeri à medicamentis, vel alimentis dupliciter, vel secundum qualitatem solam, vel secundum substantiam: Primo modo acetum auget Melancholiam, eò quod faciat aciditatem, quæ est propria Melancholiæ, sed non secundo, quia hâc ratione potius diminuit eandem, quatenus aciditate suâ penetrat, obstructionesque dissolvit. Hoc ut magis intelligatur, distinguendum esse videtur inter Melancholicum sanguinem, qui secundum naturam generatur, & inter impuritates varias, ex quibus obstructiones & scirrhi lienis nascuntur: illum quoad qualitatem auget acetum; has verò dirimit & resolvit. Consequenter de renum & vesicæ morbis tractandum.

---

Σὺν Θεῷ

## DECAS OCTAVA;

# DE RENUM ET VESICÆ DISPOSITIONIBUS PRÆTER NATURAM.

### ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Renum & vesicæ officium.*

*Post considerationem illorum affectuum, qui Jecoris & Lienis operationes impediunt, non incommodè considerantur illæ dispositiones præter naturam, quæ renibus & Vesicæ, viisque urinariis accidunt, utpote quarum partium functiones ad priora sanguificationis organa singulari naturæ providentia ordinatæ sunt, quatenus ad ulteriorem sanguinis depurationem, humiditatem serosam separando, serviunt.* De quo vide Barth. Eustachium, in tract. Anatom. cum figuris æneis.

### QUÆSTIO I.

*An in calculo renum spiritus Terebinthinæ conveniens?*

*Materia calculi.*

I. QUò rectius quæstionem præsentem dertermine-mus, ante omnia requiritur, ut generationem calculi, quæ fit in corpore nostro, penitus consideremus & perpendamus. Quemadmocum verò cuncta quæ fiunt naturaliter, ex certâ determinataque materia producuntur, sic etiam calculi, frequenter in renibus & vesicâ urinaria, non rarò in aliis quoque partibus corporis, juxta Medicorum observationes, inveniuntur, ex viscosa, lenta, limosaque materia concrescunt, undè verè dicit *Alsaravius lib. practicæ med. tract.* 20. *cap.* 10. cautelam à passione lapidis renalis in evitatione viscosorum ciborum consistere. *Balthas. Brunnerus in Consil. Med. Consil.* 63. ex materiâ melancholicâ & sanguine adusto potius, quam ex pituitâ, interdum calculos renales generari statuit.

*Unde oriatur materia calculi.*

II. Etenim ejusmodi materia non aliam agnoscit originem, quam alimenta, quotidiè assumpta, in quibus, plus, minus, pro cujusque cibi potûsve natura, fœculentum & limosum quid abundat, quod ubi justo modo secerni nequit, generationi calculi præbet originem. Hæc materia superabundans in scholâ Spagyricorum plurimum de natura salis participare dicitur, quoniam in forma liquoris hinc indè distribuitur, & iterum coagulatur, quod iis tantùm convenit, in quibus principium salis superabundat, teste *Quercetano in consil. de Arthr. & Calc.* & communiter Tartarum vocatur, ab analogia, quam humores & sanguis noster cum substantia vini habent, in quâ materia ejusmodi plurimùm abundans Tartari nomine insignitur.

*Qualis sit materia calculi secundum Hermeticos.*

*Causa efficiens calculi.*

III. Licet autem in hâc materia Calculi ferè consentiant autores classici, plurimùm tamen inter sese dissident, quo ad causam generantem & efficientem, dùm alii à frigore calculos concrescere statuunt: alii contrà calorem excedentem ponunt: alii neutram harum opinionem approbant. Quod frigus ad generationem calculi faciat *Aretæus & Ruffus* innuere videntur, ubi asserunt, in senibus fieri lapides renales eò, quod humores viscidi & crassi facilè congelentur à frigore: nec *Galenus* admodum dissentire videtur, dum *lib.* 6. *Epid. com.* 1. *text.* 6. lapides renum eo pacto concrescere dicit, quo fiunt tophi: At hi fiunt frigiditate, quâ ratione *Hippoc. lib.* 2. *Epist. sect.* 3. ossium naturam frigidam ad generationem tophorum inservire pronunciat. Verùm cum tantus frigoris excessus, qui ad calculi congelationem faciat in corpore vivente fingi nequeat,

*An sit frigiditas. Negatur.*

queat, idcirco concludimus, frigore generationem calculi fieri non posse; concedendo tamen, quod caloris imbecillitas ad materiæ calculosæ collectionem inserviat, quod authoritatibus dictis demonstratur.

*An sit caliditas?*

IV. Alii calori potissimùm hoc munus in efficiendo calculo tribuunt, ut patet in *Paulo Ægineta lib. 3. cap. 45. Tralliano lib. 9. cap. 4.* juxta quos, ignea renum caliditas calculos generat, absumens videlicet in glutinosa consistentia humorum id quod tenue est & aqueum, ut habet *Jachinus in com. in lib. 9. Rhas. cap. 64.* & alii sexcenti. Sed & horum opinio difficultatibus suis non caret, propterea quod vero minimè consentaneum sit, tantùm in corpore nostro superabundare calorem, qui calculos veluti lateres coquat, & humidiores partes absumendo, solidos, quod superest, vertat in lapides. Adde quod renes & viæ urinariæ quotidianâ scateant humiditate, quatenus excrementis humidioribus & serosis transitum præbent, quâ de causa minus ejusmodi exiccatio timenda.

*Negatur.*

*Zecchius in l. Med. Consult. 58. pag. 321.* has difficultates videns, efficientem & materialem calculi causam concedens, crassum scilicet, viscidumque humorem, & renum atque vesicæ calorem, tertiam causam addit, nimirum angustiam in conformatione meatuum urinariorum, quâ de causâ morbum hæreditarium pronunciat. At verò cum sæpius anatomia post mortem in calculosis meatus istos maximè patentes attestetur; quâ ratione videmus eos, qui diutius nephriticis doloribus laborant, patentes obtinere vias ad vesicam, ut sæpius majores etiam calculi sine gravi dolore secernantur, necessariò sequitur, omne dubium hoc modo minimè solvi posse. Laudanda tamen viri hujus doctissimi solertia, præsertim quoad inventionem illam sectionis minoris in collo vesicæ circa peritonæum, quâ succurrendum esse monstrat iis, qui calculo vesicæ satis magno lethaliter laborant.

*In materia calculi vim coagulationis esse.*

V. Qui neutram opinionem approbant, eò inclinant, ut nec frigus, nec calorem pro causa primaria agnoscant, sed ipsi materiæ calculi peculiarem vim coagulandi concedant; ut enim corallium, juxta *Cordæum in comm. 7. in Hippocrat. lib. 1. de morb. mulieb.* aeri expositum lapidescit, non quod ambientis aeris qualitatibus attingatur, sed propter absconditam causam, quæ à circumstante aere affecta indurationem producit; ita verisimile est, in ipsa calculi materia vim coagulandi residere, quæ datis necessariis requisitis ad illius generationem primariò faciat.

*Opinio Spagyricorum de generatione Lapidis.*

VI. Hæc vis concretionis à Spagyricis sali tribuitur, unde calculum fieri dicunt, quatenus materia salsa tartarea suâpte naturâ vergit ad coagulationem, quâ ratione Dn. Platerus quoque calculos generari statuit, propterea quod acris & salsus succus terrestreitatis in sero & urinâ permisceatur, à quo postea calculus compingatur & concrescat. Si enim juxta *Matthiolum in Præfat. in 5. Dioscor.* succus quidam lapidescens, qui corpus aliquod penetrans in lapideam naturam convertit; extra corpus humanum datur, cur non illud ipsum etiam concedendum in nobis? Sanè in thermis, fontibus, acidulis, salsis &c. tophos ac lapides mineræ cujuslibet respondentes, circa margines accrescere videmus, quod caliditati vel frigiditati tribui nequit, sed proprietati materiæ mineralium aquarum. Imo in vino quoque, circa doliorum latera, fæculenta & salsa materia concrescit in lapideam substantiam, quam tartarum appellant, non caliditate vel frigiditate, sed vi coagulandi, quæ materiæ Tartareæ inest. Nec opus est ut longius abeamus: in ipsis urinis è corpore humano emissis illud ipsum patet, quæ licet purissimæ videantur emissæ, procedente tamen tempore coagulantur in matulis, & sabulosam materiam, tartaro vel calculis non dissimilem, deponunt. Hinc rectè dicit *Claud. Alberius lib. de Concordia Medicor. pag. 39.* materiam tartaream esse causam materialem calculi, quæ cum vi salis coagulante conjungenda sit.

*Tartari vini generatio.*

*Vera calculi generatio.*

VII. Ex quibus omnibus patet, eò magis hanc opinionem præ reliquis retinendam, quò magis cum ratione & experientiâ consentit: Etenim ex dictis pulcherrrimè patet, calculos in nobis generari, quatenus fœculenta, limosaque materia terrea, salso succo permista, loca angustiora & sicciora pervadit, iisque adhærescit, & sese adglutinat, id quod frequenter in renibus & vesica fit, utpote per quæ loca fæculenta, limosaque illa materia tartarea cum urina aliàs quoque à sanguine ablegatur. Conjunge *Tom. 2. lib. 4. Observ. 45. & 46. pag. 224. & seqq.* Lege quoque si placet de calculi generatione *Christoph. Guarinorium in Consiliis, Consult. 620. pag. 739.*

*Causa adjuvantes calculi generationem.*

VIII. Ergò, quò magis alimenta tali materiâ abundant, quò minus eadem ob imbecillitatem concoctricis facultatis separatur, eò citius calculus, potissimùm in renibus & vesica generabitur, maximè in iis, qui hæreditariâ quâdam dispositione partes illas imbecilliores, & ad expellendum segniores obtinent. Et quamvis *Galenus* passim generationem calculi calori adscribat, non tamen obscurè *l. 6. Epid. com. 3. text. 15.* innuit, in pueris calculos vesicæ generari, non propter calorem præcipuè, sed qualitate materiæ, quæ ipsa sibi compactionis causa est, quatenus crassities urinæ, in unum coiens, coagmentandi, concrescendique principium statuitur: at quomodo concresceret hæc materia, nisi vim coagulandi respectu salis obtineret?

IX. His, quo ad calculi generationem, præmissis, quæritur:

*An Spiritus Terebinthinæ conveniat in calculo renum?*

*Affirmatio Quæstionis.*

Affirmamus, propterea quod sit medicamentum resolvens, altéque penetrans, & insignem virtutem obtineat in visceribus purificandis, tartaroque collecto resolvendo, & per vias urinarias expellendo. Quemadmodum autem alia medicamenta diuretica non exhibentur, priusquam primæ viæ per lenientia sint exinanitæ, sic etiam hoc loco requiritur, ut antequam ad continuum & quotidianum usum spiritus Terebinthinæ, qui nihil aliud est, quam oleum ejus purissimum, perveniamus, lenitiva purganM 2 tia

*Cautela*

tia præmittantur, quamvis in usu ipsius Terebinthinæ in substantia non semper hoc requiratur, utpote quæ & ipsa vim alvum subducendi possidet, præsertim ubi cum Rharbarbaro pulverisato miscetur, juxta descriptionem *Cratonis in opere Consil. à Scholzio editorum Consil.* 152. Nec obstat, quod Spiritus vel oleum Terebinthinæ, levissimo calore, præsertim per balneum vaporosum, destillatum, *teste Quercetano lib. de med. spag. præpar. part.* 3. *cap.* 3. sit calidum, frigidisque propterea nervorum & articulorum affectibus medeatur, quia caliditas Terebinthinæ temperata membris coctioni dicatis amica est, quam ob causam eo quoque respectu calculosis conuenit, quatenus concoctiones adjuvat, ut materia peccans eò melius à sanguine separetur: quod maximè patet ex historia Monachi, nephritide & articulari morbo laborantis, qui post multa remedia frustrà tentata, tandem assiduo Terebinthinæ usu, quam singulis diebus per menses aliquot nucis magnitudine jejunus cum saccharo deglutiebat, teste *Amato Lusitano centur.* 1. *curat.* 63. à dictis affectibus liberatus est, & convaluit. Adde *Joh. Bapt. Theodos. Epist. Med. num.* 63.

*Instantia solvitur.*

## QUÆSTIO II.

*Quænam vena in inflammatione renum secanda?*

*Venam poplitis vel malleoli aperiendam esse.*

I. Inter alia præsidia, quibus inflammationi renum succurritur, frequens est venæsectio, de quâ dubitatur, *quomodo sit instituenda & quænam vena sit aperienda?* Primò quod circa poplitem vel malleolum vena sit pertundenda *Galenus* innuere videtur, *lib.* 13. *Med. cap.* 11. & 6. *Aph.* 36. *in comm.* asserens, quod in affectis membris supra jecur, cubiti, inferioribus autem partibus inflammatis, poplitis aut molleoli venæ sint secandæ. Nec ratio deesse videtur, propterea quod in inflammationibus ab illis locis sanguis mittendus esse videatur, à quibus materia peccans proximè potest evacuari.

*Contrà venam cubiti secandam esse.*

II. Contra, quod in renum inflammatione potius à vena cubiti sanguis mittendus esse videatur, *Aretæus*, *Ruffus*, *Aëtius*, & omnes ferè Arabes innuunt, propterea quod in iis, qui renum inflammatione laborant, sanguinis multitudo congregata videatur, cui talis venæsectio commoda videtur.

*Conciliatio autoris lib. de ren. aff. dig. & med.*

III. Has opiniones discrepantes *Autor libri de ren. affect. dign. & Med. cap.* 4. conciliare conatur, ubi dicit: tunc temporis in renum affectibus malleoli vel poplitis venam aperiendam esse, cum valida est virtus, sin imbecillis, venam in cubito potius secandam statuit: nam si virtute debili infra evacuabimus, retentrix facultas, quæ est imbecillis, non retinebit, sed universa materia in præceps rapietur, & partem assiduo defluxu impetet, succis videlicet in locum imbecillem perpetuò procumbentibus. Verùm cum semper, secundum *Galenum* virium robur ad venæsectionem requiratur, non videt *Altimarus*, cur vena cubiti sit incidenda tunc temporis, ubi vires imbecilliores ipsam sanguinis evacuationem dissuadent.

IV. Potius igitur conciliationem ex *Galeno* deducere conabimur cum *Altimaro de lap. ren. Mercuriali lib.* 3. *de med. morb. cap.* 29. & aliis, qui retinent *Galeni* decretum in *lib. de sang. miss. per venas.* quo in loco scribit, in omnibus inflammationibus infra renes, mittendum esse sanguinem à partibus inferioribus: in inflammationibus supra renes, à partibus superioribus; in renibus verò inflammatis utroque modo agi posse, quasi renes ipsi medii sint inter partes superiores & inferiores, adeò ut sententia sit Galeni, in renibus inflammatis debere interdum mitti sanguinem à partibus superioribus, interdum ab inferioribus.

*Conciliatio vera juxta Galenum.*

V. Mittitur autem sanguis è vena brachii, ubi recens est inflammatio, cum humorum fluxione, totiusque plenitudine, ut innuit *Forestus lib.* 24. *Observ.* 30. quod non fit, ubi facta est inflammatio, nec ulterior fluxio humorum, corporisque plenitudo copulata est, quia tunc requiritur, ut materia evacuetur & derivetur per loca proximiora, quod fit pertusis venis inferiorum partium, quemadmodum ex adductis quoque Galeni locis thesi prima confirmatur. Quod autem reliquorum Principum assertionem attinet, nimirum venam brachiorum potius incidendam esse, illa vera est inflammatione incipiente, cum plethorâ totius, & fluxione materiæ, quo tempore propter evacuationem à toto sanguis detrahitur.

*Determinatio veritatis.*

## QUÆSTIO III.

*An lactis usus in exulceratione renum præscribendus?*

*Causa ulcerationis renum.*

I. Exulceratio renibus varias ob causas accidit, quas *Mercatus lib.* 4. *de morb. curat. cap.* 7. tribus classibus comprehendit, ita ut omnis renum exulceratio vel fiat ex abscessu rupto, vel ex humorum acrium, erodentium & salsorum affluxu, vel tandem à re solvente continuum vi & impetu quodam, sive casus sit, sive percussio, aut vulnus. Utcumque tamen fiant ulcera renum, curationem sibi communem vendicant, ut ulterior materiæ peccantis affluxus per convenientem victus rationem & pharmaciam inhibeatur, & ea, quæ faciunt ad ulceris absterfionem, purificationem & consolidationem, administrentur.

*Ulcerum renum curatio generalis.*

II. Quæritur autem *num hoc loco lactis usus conveniat?* Affimativa placet Medicis, sed certa limitatione subjecta: nam quoad initia factæ exulcerationis, quatenus majori absterfione opus est, veteres lac asinæ vel equæ cum melle præscripserunt, cujus loco hodiè, cum saccharo, caprillum exhibetur, utpote quod nitrosâ suâ substantiâ magnam etiam abstergendi potentiam obtinet. Quod si ulcus detersum videtur, potius lac bubulum cum melle vel saccharo singulis diebus exhibendum. *Est enim hoc præsidium*, (inquit Mercatus) *ut alimentum, & ut medicamentum, efficacissimum, quippe serosa parte abstergit, caseosa consolidat, butyrosa vero & pingui dolores ac morbos lenit, viresque reficit.* *Vide plura de lactis differentiis apud Jodocum Willichium lib. artis magiricæ cap.* 74.

*Affirmatur quæstio.*

III. Nec obstat, quod lac difficulter ad renes transeat, inprimisque visceribus noceat: primum enim facillimè corrigitur, ubi miscentur cum lacte succus melonum, & alia, quæ perducunt ad renes; alterum non timendum,

*Instantia solvitur.*

dum, cum lac post medicamenta universalia præbeatur, eo modo, quo illud ipsum determinavimus. Hinc Mercurialis, ubi ulcera sordida satis sunt, convenit illud lac, quod magis abstergere potest, ut asininum, equinum, camelinum: ubi autem non ita sordida sunt ulcera, convenit lac, quod minus abstergit, magisque carnem generat, ut est caprinum: ubi tandem ulcera prorsus sunt emundata, convenit id lactis genus, quod optimè nutrit, ut lac ovium & vaccinum. *Vide Argelatam lib.5. Chir. tract.17. cap.11.*

*Diversitas lactis diversis intentionibus inservit.*

## QUÆSTIO IV.

### *An succini sal & Oleum præscribendum in renum viscidis obstructionibus?*

I. Ambra citrina vulgò dicta, Græcis Electrum, Persis & Mauritanis Carabe, Latinis succinum, Germanis Agstein/Bernstein/oder Gentar dicitur, de cujus origine & natura variæ fuerunt opiniones apud veteres, quemadmodum videre licet in *Plin. lib.37. natur. histor. & Libavio part.1. singular. tract. de succino, cap.1. ut & parte 3. singul. lib.5.* Nobis sufficit, ut in præsentia determinemus, succinum nihil aliud esse, quam succum bituminosum, concretum in certis terræ locis, instar aliorum bituminum, quod pluribus loco posteriori confirmatur à Libavio. Vires hujus multiplices & admirandæ sunt in pluribus humani corporis imbecillitatibus, præsertim ubi spagyrica succedit præparatio, quâ materia terrestris & impurior à puriori & nobiliori segregatur.

*Succinum quid.*

Qui vult, *Andreæ Aurifabri lib. de succino* conjungat, qui c.1. extra omne quoque dubium statuit, succinum esse bituminosam substantiam, à terræ venis in mare effluentem, in quo agitata tandem in lapidis duritiem concrescat. Confirmat idipsum aliquot experimentis, & breviter quoque de nomine, loco natali, modo colligendi, differentiis & viribus disserit. Videatur quoque *Jac. Martinus Scotus de concretorum corporum generat. cap.8.* ubi de succini natura & concretione plura proponuntur.

II. Fit hoc potissimum, ubi succini albi (quod reliquis præfertur) fragmenta selecta crasso modo contunduntur, cucurbitâ non nimis altâ recipiuntur, aquâ rosaceâ vel Betonicæ q. s. affusâ, & apposito capitello, juncturis obturatis, per arenam, servato ignis gradu, nec tamen admodum increscente, destillantur: hic primum aqua & oleum album, cum spiritibus, nubium instar, egreditur, quibus desinentibus, deinde sequitur oleum flavum, ac tandem rubeonigrum, cum sale, per sublimationem ascendente, de quibus plenius agit *Cunradus in Medull. destill. tract. 9. de Suc. & Crollius in Basil. chym. pag. 190.* ubi maximè rectificatio purioris olei, & salis purificatio notanda venit.

*Succini præparatio spagyrica.*

Cum difficulter assurgat oleum succini, quam diu adest vehiculum aquosum, idcircò potius alii sunt hic imitandi, qui sine vehiculis aquarum hoc oleum destillant, ubi modus sequens observari potest: Recip. succini albi modicè tusi lib.j. vel alteram, laterum contusorum (Hartmannus cinerem ossium combustorum præfert) quantum lubet. Mixta per Retortam luto munitam ex Arenæ igne in amplum recipiens destilla: egredietur primò phlegma acidum, deindè oleum album cum spiritibus, nubium instar, mox flavum, ubi verò rubronigrum subsequitur oleum, cessa, & Retortam transfer in furnum ignis aperti, ubi mutato Recipiente, continuetur ignis, donec nil amplius egrediatur. Priora olea adhuc aceto suo commixta rectifica super idem caput mortuum, & habebis oleum album limpidissimum, aquæ fontanæ instar, quod separabis, deindè flavum paulò minoris conditionis: acetum quoque ab oleo albo est separandum. Nigrum autem oleum quod attinet, illud aquâ fontanâ est permiscendum, & per dies aliquot digerendum, sæpius vas agitando decanta, aliam affunde, & digere ut prius, sic oleum ab omni fætore vindicatur, quem sal volatile succini simul cum oleo ascendens causatur. Hoc oleum, per infundibulum ab aqua secretum, misce denuò cum cineribus frondium juniperi, & rectifica: quod si limpidius desideras, fac ut ex vesicâ cupreâ cum aquæ fontanæ quantitate suff. adhuc semel destilletur. Sal volatile autem ut obtineas sic procede: cape acidum succini, & aquam priorem, quam oleo nigricanti affudisti, filtra, & in B. M. ad tertiæ partis remanentiam extilla, pone in frigido, separabitur sal quoddam ex fusco rubescens, quod probè siccatum sublimabis lento igne, & egregiè albescet. Aliam præparationem non contemnendam habet *Claudius Dariot de præparat. med. cap. 10.* quæ ex Gallico sermone transfertur hoc modo: Recipe succini clari pellucidi, pulverisetur, & in vas circulatorium mittatur, affuso sp. vini optimo, salis proprii acrimoniâ non destituto (qualis est ille, qui ad extractionem vegetabilium fuit usurpatus) ut superemineat ad latitudinem 2. vel 3. digitorum, vas optimè claudatur capitello suo, commissuris luto munitis, & per 24. hor. in cineres calidos reponatur, singulis 6. horis per commotionem permistis contentis, post refrigerationem spir. vini tinctura succini prægnans decantetur, idque reiteretur quoties necessarium. Fæces, quæ remanent in fundo cum pulverisatis tegulis figulinis misceantur, & per Retortam in arena eliciatur oleum, quod à phlegmate suo per rectificationem separetur, cujus odor non tàm gravis esset, si fieret adhibito refrigeratorio superius descripto. Usus olei est gutt. 2. vel 3. cum vino tepido contra dolorem nephriticum, & suffocationem matricis. Spiritum vini tinctum prægnantem separa per destillationem à tinctura, quæ mellis instar in fundo remanebit, & sub nomine Magisterii succini reponitur &c. *Balduinus Clodius in Officina Chymica, mihi pag. 32.* hunc modum proponit ad destillandum oleum album succini: ℞. succini opt. pulver. q. v. imbibatur vino veteri optimo, sepeliatur in cella, profundè satis, in arenam, ad longitudinem viri vel 7. circiter pedum: relinquatur ibidem per 6. menses, postea, per Retortam destilletur oleum, exterius & interius usurpandum. Alium modum *oleum Carabis* destillandi vide apud *Joh. Bapt. Portam, lib.9. de distill. cap. 3.*

*Olea diversa ex succino.*

*Sal volatile succini.*

*Alia præparatio olei succini.*

*Magisterium succini.*

*Affirmatio quæstionis.*

III. Quæritur autem: *num oleum hoc, ut & sal succini conveniat in renum obstructionibus*? Asserit hoc, præter alios multos, de oleo *Libavius part. 3. singul. lib. 5. cap. 28.* dum inquit: renum lapides confringit oleum succini, vel pulvis, cum aqua raphani & malvatico: nec deest ratio, quia meatus urinales aperit, & materiam peccantem resolvit, caloremque concoctionis autorem adjuvat. At verò, magis adhuc salem ejus commendat Crollius, quem remoratam urinam promovere, meatuumque urinalium obstructiones mirabiliter expedire pronunciat, à granis tribus ad decem, in aquâ Petroselini, seu Ononidis, usurpatum. Et meritò, quia teste Libavio citato loco cap. 22. Sal iste subtilis est essentia, nitrosamque qualitatem cum Calchantina aciditate temperata possidet, undè vi abstersoria & acri pollet, ut *idem part. 1. singul. tract. de Suc. cap. 7.* habet, & nihil aliud, quam olei pars subtilior, pruinæ modo concreta esse videtur.

*Vis olei succini.* *Vis salis succini.*

*Instantia.*

IV. Sed obstat in præsentia, quod ejusmodi penetrantia & attenuantia renum obstructionibus videantur incommoda, cum peccantes materias ad vias urinarias commoveant, quod minimè conducit, utpotè cum per partes læsas eductio fieri non debeat. Adde quod curatio contrarietate perficiatur, quocirca vomitus potiùs quam diureticorum usus præscribendus. Hic notandum juxta *Conciliatorem diff. 205. Savanarolam tr. 6. Pract. Major. cap. 15.* quod ejusmodi medicamenta diuretica non conveniant in obstructionibus renum, nisi propter plethoram vel cacochymiam universalia sufficientia præmittantur, quemadmodum plenius determinat *Mercatus de curat. facult. quæst. 27.* undè patet, quid ad instantiam primam respondendum, nimirùm purificatis intermediis viis, ulteriorem renum obturationem minimè timendam esse. Secundam quod attinet, illa nihil concludit, cum contrarietas curationis non semper motum materiæ peccantis ad opposita loca requirat: eò enim ducenda materia, quò maximè suapte sponte vergit, juxta *Hippocratem lib. 1. Aph. 21.*

*Solvitur.*

## QUÆSTIO V.

*An propriè dicta diuretica ad calculum vesicæ frangendum adhibenda?*

*An calculus vesicæ semper è renibus rudimentum habeat?*

I. UT in renibus, sic etiam in vesica sæpiùs calculus generatur, non quidem, ut voluit *Fernelius lib. 6. cap. 13.* semper eâ ratione, quatenus rudimentum aliquod lapidis è renibus in vesicam per ureteres derivatur, quæ assertio non immeritò ab *Horatio Augen. lib. 6. Tom. 2. Epistolar. Rondeletio lib. 5. Meth. curand. cap. 44. & Mercuriali lib. 3. pract. cap. 33.* refutatur, præsertim cum pueris frequenter vesicæ calculus adsit, in quibus tamen præcedens renum calculus non observatur.

*Negatur quæstio.*

II. *An autem in hoc calculo frangendo diuretica propriè sic dicta præscribenda* dubium est? *Horat. Augen. tom. 1. Epist. 4. lib. 12.* Negativam proponit, propterea quod propriè dicta diuretica sint maximè calida & sicca, magisque materiam indurent, quam resolvant, utpote quibus sanguis, teste Galeno, non tantùm extenuetur, sed & fundatur, secernatur, & per consequens incrassetur, non secus atque lac quod coagulatur, sero so videlicet & tenui seorsum segregato, crasso vero in sese coëunte.

*Quando diuretica conveniant.*

III. Patet igitur talia non convenire, nisi calculo jam rupto, & in partes minimas redacto, quo tempore necessarium est, ut naturam adjuvemus, ut à viis, & receptaculis urinariis, per diuretica medicamenta peccans materia purgetur. Nota tamen, quod interdum in frangendo calculo præscribantur etiam diuretica, quatenus alia medicamenta mollientia & laxantia ad vias urinarias ducunt, & illud, quod fractum & liberatum est, expurgant.

## QUÆSTIO VI.

*An urinæ stillicidium corrigendum per aromatica assumpta.*

*Causa stranguriæ V. Ioh. Vasseum de Urin. jud. p. 47.*

I. STillicidium urinæ, quod Græcis στραγγουρία dicitur, variis de causis fieri potest, quæ à Galeno *lib. 4. Aph. 58. & lib. 3. Aphor. 16.* ad duas classes reducuntur, nimirùm ad retentricis imbecillitatem, & vesicæ morsum; seu urinæ acrimoniam, quod posterius frequenter accidit, quocirca quæritur, *num etiam aromatica in tali casu conveniant?* Videtur probabilis negativa, propterea quod ignis igni non sit addendus; quatenus igitur aliàs adest peccantium humorũ fervor acrimonia, cujus ratione morbus à pluribus ardor urinæ vocatur, eatenus verisimile videtur, alia potius convenire remedia, quam ob causam hæc affectio sæpius per decocta emollientia & refrigerantia corrigitur, ut patet ex *Foresto lib. 25. observ. 1.*

*Negativa de quæstionis.*

*Resolutio quæstionis.*

II. Veruntamen, licet negandum non sit, stranguriam ab acrimonia seri frequenter fieri, non tamen ex eo sequitur, causam antecedentem, ad quam curatio dirigitur, semper esse caliditatem; quia fieri potest, imò frequentissimè fit, ut crassities humorum frigidorum ad acrimoniam colligendam ac retinendam inserviat, ita ut acrior urina generet stranguriam, non quatenus talis, sed prout exitus ejus, quam ejus acrimonia accelerat, ob admistas partes crassiores, impeditur. Ut enim acres & biliosi humores dysenteriam non generant, ubi fluxum alvi concitant, nisi viscidicitas quædam accedat, cujus respectu parietibus intestinorum adhærent, eaque exulcerant, sic etiam serum suâ naturâ peculiarem acrimoniam possidens, non generat urinæ stillicidium, nisi peccantes humores crassiores accedant.

*Acres humores quomodo dysenteriam generent.*

*Recens cerevisia quomodo generet stranguriam.*

III. Hinc patet quomodo recens cerevisia stillicidium urinæ generet, crassitie videlicet & frigiditate suâ meatus urinarios obstruendo, & consequenter fæcum minimè depuratarum acrimoniâ serum exacerbando, ubi vinum generosum ebibitum oppidò juvat, utpotè quod calefacit, attenuat, cruditates concoquit, adeoque causam antecedentem corrigit.

*Aromaticis in strangurìa quo tempore utendum.*

IV. Hâc ratione sæpius non inconveniens est aromaticorum usus, quando scilicet urinæ stillicidium ab ejusmodi causa antecedente frigida & obstruente dependet, non obstante, quod materia peccans proxima sit acris & fortassis calida: frequenter enim accidit, ut in calido morbo calidum quoque præscribatur reme-

remedium, non morbi respectu, juxta curativas indicationes, sed propter causas antecedentes peccantes, ut superius *Decad.5.Quæst.2.innuimus.*

## QUÆSTIO VII.

*An guttur galli crematum & pulverisatum proprietate quâdam occultâ sanet immictionem?*

*Immictio quid.*

I. Vitium, quod Græcis ἐνόρησις dicitur, Latinis vocatur Immictio, quando quædam urinæ incontinentia adest, præsertim tempore somni, quæ fit propterea, quod musculus vesicam claudens, præter naturam affectus sit. Afficitur autem dictus musculus vel externis, vel internis causis: externis, quando frigiditas quædam sedentibus super marmora, seu natantibus, introducitur, aut percussione, casu, vel solutione continui (quæ prægnantibus in difficili partu, & calculo laborantibus à Lithotomis frequenter accidit) dictus musculus læditur, ut vel influentem facultatem à nervis recipere nequeat: vel eadem etiam influere non possit: Internis, quando frigida intempeties interna, cum succis frigidis, humidisque superabundantibus, in causa est, ut musculus vesicæ resolvatur, emolliatur & laxetur, quod frequenter pueris, naturâ scilicet humidioribus, accidit, ut & puellis atque virginibus, in quibus affectus est contumacior, ob superabundantes pituitosas humiditates: imò & senibus, quo ad calorem nativum debilitatis, interdum accidit, excrementitios humores facillimè colligentibus.

*Quomodo lædatur musculus in immictione.*

*Cur somniantibus citius accidat immictio.*

II. De hâc immictione, quæ ab ejusmodi causâ interna frequenter in somno accidit, utpotè, quo tempore spiritibus aliò revocatis facultas retentrix ob musculi mollitiem officii sui facillimè obliviscitur, in præsentia quæritur, *An scilicet in ea guttur galli crematum & pulverisatum proprietate quâdam occultâ conveniat?* Affirmativa placet *Solenandro s.4.consil.Med.11.* qui non negat universalia medicamenta maximè requiri, quæ faciant ad crassorum humorum attenuationem, lentorum incisionem, collectæque materiæ dissipationem & evacuationem, subjicit tamen his verbis: *Verùm proponam medicamentum paratu facile, quo ego in artis operibus felicissimum virum, cum juramento, prosperè in in hoc affectu Romæ usum observavi, D. Gilbertum Hollandum Medicum: is accipiebat guttur galli, urebat, ut non consumptum, sed tostum, exiccatumque teri posset, exhibebat pulvisculum sub noctem, ante cœnam, cum tantillo vini rubelli subastringentis: si illo uti haud posset, exhibebat in haustu dilutissimæ poscæ, idque reiteratò paucis diebus faciebat. Illud nullâ manifestâ causâ, sed proprietate quâdam sanat affectum.* Hæc est assertio *Solenandri*, cum quâ convenit etiam quodammodo *Forestus lib.25. Observ.21.* ubi inquit: *Consuluimus septuagenario cuidam, urinam continere non potenti, ut gallinæ guttur combustum cum aqua tepida sumeret jejunus: hoc enim à proprietate valet.*

*Quæstionis Affirmativa.*

*Quæstionis decisio.*

III. Quamvis autem hoc medicamentum, post universalia præmissa, magnifaciendum esse videatur, ob tantorum Medicorum experientiam, non tamen video, cur statuendum, non manifestâ qualitate, sed peculiari proprietate, illud ipsum juvare, præsertim cum, vi suâ calefaciendi & exiccandi, frigidis & emollitis partibus succurrat, & introductam laxationem musculi corrigat. Accidit, quod medicamenta singulari proprietate totius substantiæ agentia, non manifestis, sed occultis morbis, illius proprietatis respectu, succurrant: ac morbus hic, ut ex superioribus patet, occultus non est.

*Instantia solvitur.*

IV. Nec obstat, quod affectus plurimos jam per medicamenta manifestarum qualitatum, jam per illa, quæ agunt totius substantiæ proprietate curare conemur: hoc enim duplici ratione fieri potest, quatenus scilicet morbi totius substantiæ simul etiam includunt dispositiones p. n. qualitatum manifestarum, quibus per sua contraria succurrendum, undè præter alexipharma, tempore pestis, ea quoque præscribuntur, quæ symptomata supervenientia manifestis qualitatibus leniunt, vel etiam quatenus medicamenta diversas possident qualitates, manifestas & occultas, uti patet in ligno Guajaco, quod convenit lue Gallicâ laborantibus occultâ proprietate, quâ venenum illud oppugnat: at frigidis humidisque naturis præscribitur, quatenus respectu manifestarum qualitatum vim exiccandi, calefaciendique possidet.

*Quædam medicamenta manifestas & occultas qualitates possident.*

## QUÆSTIO VIII.

*An & quomodo oleum scorpionum inunctum conveniat in Ischuria?*

*Ischuria quid.*

I. Ischuria propriè loquendo talis est urinæ suppressio, quæ propter vesicam affectam accidit, ubi quæritur, *an oleum scorpionum in ejusmodi casu conveniat?* Videtur negativa concludenda, propterea quod oleum Scorpionum sit medicamentum alexipharmacum in specie veneno Scorpii resistens: undè *Paræus libr. 20. Chirurg.cap.22. commune, sed certum alexiterium contra venenatum Scorpionis morsum est, plagam inungere ipso Scorpionum oleo.* Cum autem in hoc affectu tale venenum absit, consequens erit, illud ipsum frustra præscribi, propterea quod quodlibet agens in determinatum suum patiens operetur.

*Negativa quæstionis.*

*Ol. Scorpi. Mattholi efficacia.*

II. Innuit etiam prius post alios multos *Matthiolus libr. 3. Dioscord. com. ad cap.11.* dum inquit: *Usu exploratum habeo, quod oleum scorpionum per me factum, in quod sanè magnus ingreditur scorpionum numerus, cordi duntaxat & pulsantibus temporum, manuum ac pedum arteriis illitum, ab omnibus liberat venenis, dummodo erodenti facultate vacant, quin & eos sanat, qui tam à viperis, quam cæteris venenosis animalibus, vel icti, vel demorsi fuerint. Præstat item maximè hoc oleum, cum in homines pestilentia sævit, &c.*

*Affirmativa confirmatur.*

III. Contrà quæstionis affirmativa colligitur ex omnibus ferè practicis, & quotidiana experientia confirmatur, quod scilicet in hoc casu præsentissimum remedium constituat oleum scorpionum, si juxta sententiam *Mesuei* renibus & pubi illinatur. *Altimarus* per colem Rutaceum, de scorpionibus, aut Nardinum, seu irinum oleum, cum pauco Castoreo, infundit, ut vesicæ actio revocetur. Hinc *Valer.Cordus*: oleum

*um scorpionum lapidem renum & vesicæ frangit & expellit, lumbis, pubi, peritonæo illitum, aut per meatum urinarium injectum.*

*Quæstionis decisio.* IV. Notandum hîc, quod etiam quæstione præcedente monuimus: medicamentum aliquod diversis qualitatibus, occultis nimirum & manifestis præditum esse posse, quod iterum in præsentiâ repetimus, demonstrando scorpionum oleum non solùm occultâ proprietate venenis resistere, sed etiam quo ad manifestas operationes vim resolvendi, aperiendique possidere, præsertim cum præparetur affuso amararum amygdalarum oleo, quod per se quoque vim calefaciendi, detergendique possidet. Quod autem oleum scorpionum à Matthiolo maximè tantùm in venenatis affectionibus commendetur, non improbamus, ubi perpendimus illius compositionem, prout ab eodem in *comment. præfat. lib. 6. Dioscord.* describitur, quæ minimè simplex, sed plurima venenis resistentia Pharmaca, mirâ præparationis dexteritate, recipit.

## QUÆSTIO IX.

*An in frigida Dysuria conveniant diuretica?*

*Affirmativa.* I. PLacet Affirmativa *Altimaro cap. de dysuria*, dum inquit: Pro medicamentis, eis utantur, quæ calefaciendi ac urinam ciendi vim habent, quemadmodum est Scordii & Artemisiæ decoctum, Hyssopi, Pulegii, Fœniculi, Origani vel thymi, cum aqua mulsa: nec minus interdum Theriaca, aut Mithridatium, Diagalanga, aut Diacinnamomum, aut Diacalamenthum, aut Dianisum præberi poterit, prædictorum scilicet ʒj. assumens, cum vini albi unciis tribus, aut tantundem prædictæ aquæ mulsæ.

*Negativa.* II. Contrarius est *Salius in annot. in Altimar. cap. 97.* qui præcedentem assertionem dubiam esse statuit, quoniam ista (inquit) licet calefaciant, ducunt tamen copiosam materiam ad locum affectum, qui cum sit debilis, & malè possit excernere, magis ex hâc materiæ copiâ affligetur.

*Conciliatio.* III. Sed nota pro conciliatione, juxta Altimarum, quod tunc temporis, ubi cum frigidâ intemperie simul pituitosi succi redundant, non solùm in vesica, verùm etiam in toto corpore, dicta medicamenta minimè sint præscribenda, nisi primum peccantes humores convenientibus digestivis præparati, & catharcticis accommodatis evacuati fuerint.

## QUÆSTIO X.

*An in inflammatione vesicæ cucurbitulæ cum scarificatione pubi affigendæ?*

*Vesicam inflammari posse.* I. INter alios affectus p. n. quibus vesica laborat, est etiam inflammatio, quam non minus, quam aliæ corporis partes internæ, sustinet, cum multas obtineat venas, situmque suum prope magnos venarum ramos habeat, ut inquit *Rondeletius lib. 3. Method. curand. cap. 26.* Affectus est periculosissimus, quem febris acuta, vigilia, delirium, & urinæ suppressio comitantur, unà cum irrito egerendi conatu, ardore, dolore, duritie & gravitate circa pubem & inguina, ut ex *Paulo* repetit cum aliis multis *Fuchsius lib. 3. de Med. Morb. cap. 43.* *Signa inflammationis vesicæ.*

*Affirmatur quæstio.* II. Quæritur autem *num in hoc affectu cucurbitulæ cum scarificatione pubi aliquando affigendæ?* Affirmat *Altimarus*, dum inquit, *cap. de inflam. vesicæ*, à venæsectione in decocto seminis lini, fænugræci, in hydrelæo, pauco addito Aniso aut dauci semine, insidere ægrum facito, &c. deinceps vesicæ locos irrigato ex oleo Chamæmelino, Anethino, seminis lini; aut eo, in quo Althæa fuerit incocta. Item fomenta adhibeantur per aquam & oleum, in vesicis semiplenis admota, vel spongiis: & ubi hæc non suffecerint, cucurbitam circa pectinem aut pubem, unà cum scarificatione affigemus. Idem quoque *Mercatus innuit lib. 4. de morb. intern. curat. cap. 3.* inquiens: *in primo mali accessu sanguinem mittes &c. quo facto omni diligentiâ studendum est, ventrem emollire clystere injecto ex hydrelæo, in parvissima copia, aut ex oleo seminis lini & lacte, vel ex butyro & oleo amygdalarum dulcium: sed tutius fore arbitror insessionibus id opus exequi, maximè his, quæ recipiunt decoctum fænugræci & violarum. Præstabis item fomenta ex eisdem cum vesica aut spongia, & partes dolentes irrigabis oleo chamæmelino, anethino, vel amygdalarum dulcium, in quo ferbuerit Althæa. Quod si adhuc his factis dolor non quieverit, cucurbitam juxta pectinem affixam scarificabis.*

III. Verùm & huic assertioni contradicit *Salius citat. lib. cap. 102.* qui nequaquam affirmativam concedendam esse putat, quoniam cucurbitula cum scarificatione affixa, inflammationem exasperando, & materiam plurimùm ad locum affectum attrahendo, sæviorem reddat morbum: & hoc præcipuè si in principio & augmento inflammationis, & dum adhuc materia fluit, administretur.

IV. Sed notandum pro quæstionis resolutione, quod minimè major affectus exacerbatio cum *Salio* timenda, quia nec *Altimarus*, nec etiam *Mercatus* statim in principio cucurbitam scarificatam adhibent, verùm aliis præmissis, tam universalibus, quam topicis medicamentis. Concludimus igitur affirmativè, quatenus hoc medio per derivationem materia emollita & præparata minuitur, adjuvante venarum communione, quâ ramus epigastricus & hypogastricus in uno principio, nimirum iliaco venæ cavæ processu, junguntur.

***Tantum de Renum & vesicæ dispositionibus præter naturam.***

Σὺν Θεῷ

# DECAS NONA;
# DE QUIBUSDAM AFFECTIONIBUS MULIEBRIBUS.

## ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Mulieres multorum morborum participes esse rectè pronunciat Hippocrates, qui propterea reprehendit Medicos, non exactè causam muliebrium morborum percontantes, eosdem veluti viriles affectus curantes. Ratio hujus miseriæ, quâ præ viris mulier afficitur, potissimum à duobus dependet, tùm quod mulier suâ naturâ, quoad ortus & generationis principia, propter accidentalem corporis dispositionem, viro sit imperfectior, cùm teste* Thoma part. 1. 91. 92. *ex virtutis activæ debilitate, materiæque ineptitudine producatur, adeoque causis morbificis irruentibus eò minus resistat: tùm etiam quod actionibus naturalibus membrorum generationi destinatorum in fœminis varia vitia succurrant, ex quibus fœminarum corpus mille morborum sortibus premitur, ut inquit* Mercatus lib. 1. de mor. mulier. cap. 2. *Unde rectè dicit* Erotis, Libertus Medicus Juliæ, *quem aliqui* Trotilum *nominant, statim* in prologo libri de Muliebribus *quoniam mulieres naturâ sunt viris debiliores, hinc est quod in iis sæpius abundant ægritudines, maximè circa membra operi naturæ debita, quæ cum in loco secretiori accidant, ipsæ propter Verecundiam, & conditionis fragilitatem, non audent angustias suarum ægritudinum Medico revelare. Necessarium igitur, ut post alias quæstiones therapeuticas in præsentia gravissimorum quorundam affectuum muliebrium, per aliquot problematum declarationem, mentionem faciamus.*

*Cur mulieres præ viris morbosa.*

### QUÆSTIO I.

*An & quomodo in suppressione menstruorum vena secanda?*

*De sanguine menstruo vide Tom. 1. Disput. 3. Coron. 1. Exerc. 1. pag. 12.*

I. Cur fœmina sanguinem menstruum effundat, alibi plenius diximus, nimirum propter sobolis generationem, quâ de causâ natura provida mulierem frigidiorem viro genuit, ut debili calore generet quidem, teste *Galeno lib. 2. de sem. cap. 5.* non tamen vicissim resolvat abundantiam sanguinis, ubi corpora muliebria δυσδιαφόρητα plurimum inserviunt. Vide *Archang. Piccolomineum lib. 3. Anat. Tract. lect. 2.* Quia verò mulier membra generationis imbecillia possidet, eodem *Galeno testante*, idcircò per ea sanguis superabundans certis temporibus evacuatur, ubi tamen imbecillitas & imperfectio vicissim absolutè non consideratur: sed tantum respectu individui, quæ propter speciei propagationem, singulari naturæ providentiâ, requirebatur: *non enim credendum est*, inquit *Galen. lib. 14. de usu part. cap. 6. opificem partem totius generis nostri dimidiam sponte imperfectam, ac velut mancam, fuisse facturum, nisi imperfectionem hanc magna quædam utilitas fuisset secutura.* Quocirca patet obiter, in constitutione naturali mulierum sanguinis menstrui fluxum certis adesse temporibus, tàm diu, quàm diu propter ætatem ad prolem concipiendam non sunt ineptæ: est enim unus idemque sanguis essentiâ, quem singulis mensibus, tanquam superfluum, natura excernit, & quo fœtus in utero completur, & extra uterum, in lac converso, nutritur, licet negare nequeamus, eundem tàm à priori, propter cacochymicam constitutionem subjecti, quàm à posteriori, propter causas externas aëris ambientis, ubi jam secretus est, variis modis corrumpi posse, quod fefellit *Fernelium* & alios, qui statuunt, sanguinem, qui singulis mensibus excernitur, ob noxiam & venenatam naturam ad nutrimentum fætus ineptum esse, quam assertionem alibi refutavimus. Conjunge *Alb. Bottonum de mor. mul. cap. 6. & seq.*

*Cur per uterum sanguis superfluus expurgetur?*

*An sanguis menstruus sit alius ab eo, quo fætus nutritur?*

II. Evacuatur autem hic sanguis superfluus naturaliter per uterum, ut diximus, eam ob causam, quò tempore conceptionis ad generationem inservire queat: undè colligitur præter naturam fieri, quando dictus sanguis per loca alia profluit, sive hoc fiat per oculos, observavit *Brasavol. in com. 4. aph. Hipp. aph. 25. Dodon. in Obs. Med. cap. Mercatus lib. 1. de mulieb. affect. cap. 7. Forest. lib. 11. Obser. 13. Gabelchoverus cent. 4. curat. 42.* Sive per os, quasi vomitione quâdam prodeat, quod notavit *Aretæus lib. 2. cap. 2. Mart. Rulandus Pater in cent. cur. 83. & 78.* Sive per os & nares simul, quemadmodum experientia *Paræi lib. 23. Chirurg. c. 52. Roderici à Castr. l. 1. part. 1. de morb. mulier. cap. 3. Amati Lusitani, cent. 2. curat. 17.* testatur, seu etiam, quemadmodum alii scribunt, per ubera, vias urinarias, digitos, hæmorrhoides, aut alvum propellatur, quod postremum præcedenti æstate Anno 1608. in

*Tom. 1. Disp. 3. Coron. 1. Exerc. 1. quæst. 7. pag. 17. Præter naturales excretiones menstruæ.*

*Observatio propria.*

in puella nobili & nobili quindecim annorum hic in Hassia observavimus, quæ per annuum spacium ob exiles uteri venas, à viscidis humoribus obstructas, singulis mensibus per sedem sanguinem copiosè projecerat, quam Dei gratiâ, præmissis universalibus, per incidentia, attenuantia & laxantia, tàm interius, quàm exterius, potissimùm circa tempus mensium instans, exhibita, sanitati restituimus.

*Affirmatur quæstio.*

III. Hæc menstrua sanguinis abundantis evacuatio non rarò præter naturam in mulieribus supprimitur, quam ob causam hic quærimus, *an & quomodo in eâdem venæsectio conveniat?* Quidam insomni menstruorum suppressione, à quacunque causa fiat, venæsectionem concedunt, etiam in causa frigida, quia sanguine detracto (inquit *Rodericus à Castr. part. 1. lib. 1. cap. 4.*) hoc semper consequitur, quod natura, ut vacuum repleat, undique sanguinem movet, ideoque fluxibilior redditur, ubi tamen notandum, quod in venæsectione instituenda duo potissimùm consideranda veniant, nimirùm ut illud ipsum præstemus, vel quod sanguis copiâ suâ peccet, vel quod motum habeat inordinatum, quod posterius semper adest, & venæsectionem indicat, licet frequenter fiat, ut propter contraindicantia ad actum eadem traduci nequeat.

*Quænam vena sit incidenda.*

IV. At quænam vena secanda sit, dubium est. *Galen. lib. de curand. rat. per venæsect.* nequaquam in cubito venam incidit, eò quod purgationem menstruam comprimat, & sanguinem ad partem superiorem retrahat; quam ob causam plurimi practicorum in mensibus suppressis, licet plenitudo adsit, semper venas tali vel malleoli secandas esse suadent, ut patet ex *Fuchsio*, *Mercuriali* & aliis. Contra *Aëtius* mulieribus, ob plenitudinem hoc affectu laborantibus, copiosa sanguinis missione succurrendum esse pronunciat, quapropter tùm cubiti, tùm tali venam incidendam esse statuit.

Huic assertioni subscribit *Mercatus lib. 1. de morb. mulier. cap. 9.* dum inquit: *redundante in toto corpore sanguine, ut obstructionem in utero, aut vicinis partibus efficiat, à distantissimis partibus, ab eâ, quæ affecta est, aut obstructa, sanguinem revellere & evacuare oportebit, ut Aëtii est consilium, internam cubiti venam esse secandam: verùm, redundante sanguine in utero ipso, aut in toto corpore propter uteri ipsius obstructionem, à venis tali sanguinem commodius extrahet, ut voluit Galenus. Conjunge* Jac. Sylvium, in com. de mens. mul. vide quoque Dionys. Fontananum lib. 3. de inter. mor. cur. cap. 17.

*Conciliatio Galen. & Aëtii.*

V. Conciliationem hîc tentat Altimarus, Aëtium scilicet magnam supposuisse plenitudinem, quæ cum copiosâ evacuatione indigeat, primò cubiti venas, deinceps eas, quæ in talo, secare jussit, ut ex utrisque simul tanta possit sanguinis copia evacuari, quantum unicâ sectione plenitudo requirebat: Galenus verò non admodum magnam plenitudinem inspiciens (*inquit Altimarus*) & ex adverso vires robustas, in mulieribus plenitudine laborantibus, supponens, eandem in poplitibus seu tali venis venæsectionem fieri decretum reliquit. Eadem decisio legitur etiam apud *Rodericum à Castro citato loco*, dum inquit: *Si confertam vacuationem mulier ferre nequeat, non erit abs re basilicam primò tundere, quod propterea plerumque fit, aut fieri debet, quia copiosissimæ illæ evacuationes, quibus Hippocrates & Galenus utebantur, in usu jam non sunt.* Patet igitur *Salium in annot. cap. 107.* frustra reprehendere Altimarum, dùm inquit, Aëtium respicere plenitudinem, quæ in causa est obstructionis mensium, sibi vias præcludendo, contra Galenum ejusmodi plenitudinem intelligere, quæ ex obstructione mensium subsequatur: frustrà, inquam, Altimarus reprehenditur, quia nihil alienum ab hâc assertione posuit. Conjunge *Johan. Nicol. Rogerium in lib. Galen. de cur. rat. per venæsect. cap. 11.*

*Quam reprehendit Garcias Lopius Var. lect. c. 17.*

*Quo tempore talis venæsectio sit instituenda?*

VI. Hoc ergò posito, *quæritur de tempore venæsectionis. Paulus ex Ægina lib. 3. de remed. cap. 60.* decem diebus, posteaquam constitutum tempus circuitus muliebris præterierit, venam incidit: at *Galenus citato libro* triduo, quatriduove, ante consuetam periodum, sanguinis missionem incisâ vena tentat, quem plerique practicorum sequuntur, ut patet ex *Mercato*, *Fuchsio*, *Altimaro & aliis*. Notandum hic quod assertio Pauli de venæsectione evacuante respectu totius, vel revellente respectu uteri sit intelligenda; contrà, Galenus ad uterum derivantem intelligit, hinc etiam Rodericus inquit: Vena giberi tundenda est, infestante cum suppressione febri, & longissimè ab eo tempore, quo mulier purgationem expectat.

*Quomodo fiat revulsio ab utero.*

VII. Patet hic obiter, quod revulsio fiat ab utero non per venas crurum apertas, ut placuit *Fuchsio lib. 3. de med. morb. cap. 59.* propterea quod crura rationem contrarii respectu matricis habere nequeant, & peccans materia ex toto per ejusmodi venæsectionem trahatur ad locum affectum, quod est contra naturam revulsionis, sed potius per incisionem gibberi. Conducit autem secta vena poplitis vel tali, quatenus derivando servit, & sanguis in utero redundans ad pedes ducitur, quod fit in inflammatione uteri, vel in toto superabundans ad uterum consequenter evocatur, quod fit in mensium suppressione.

Colophonidis loco quæritur hîc, *an etiam in ipso fluxu mensium venæsectio locum habere possit?* de quo videatur *Constantinus Lucas in Avicen. de phlebotomia lib. 2. cap. 30.* Nonnullorum, inquit, sententia est, non esse moliendam tunc temporis venæsectionem, &c. etenim (inquiunt) sanguinis missionem hæc insequi pericula, ut si in crure vena secetur, ne immodicè fluant menstrua, si verò in brachio, ne distrahatur natura, menstruaque ipsa supprimantur; quod quidem ut tutò agamus, observandum dicimus, modo adsit, quod non urgeat, majorave pericula, quam quæ sanguinis missionem insequi possunt, ab eo imminẽant: & propterea dixit Avicenna, menstruatam non esse minuendam, nisi ob maximam necessitatem, veluti in sanguinis sputo, ac in angina, &c. *Vide Galen. 10. Meth. 10.*

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

*An opiata narcotica conveniant in fluxu mensium nimio?*

I. Quod Lusitani vocant Amfiam, ab Arabibus, quos Indi sequuntur, dicitur Ofium, deducto à Græcorum Opio nomine, cujus diversa genera, pro regionum diversitate, dari censet *Joh. Fragosus in hist. Med. Exotic. cap.* 12. diciturque eidem gummi vel lachryma Papaveris, herbæ valde cognitæ, quæ in Castilia vocatur Dormidera, destillans ex capite plantæ fisso, vel scarificato. *Adamus Zaluzanius lib.* 2. *Meth. Rei Herbar. cap.* 13. Opium sativi papaveris succum liquoremque gummeum vocat, scapo inciso genitum, κατ' ἐξοχὴν ὄπιον, sive ὄπιον appellatum, tanquam ad stupefaciendum, placandosque dolores valentissimum, sapore perquam amaro, odore vehementi, gustu acri, & objectum flammæ flagrantem. Hujus *qualitates ab aliis aliter declarantur, dum quibusdam frigidum, aliis calidum, aliis diversarum proprietatum statuitur frigidum à plerisque medicorum pronunciatur, ut patet ex* Galeno passim, Dioscoride lib. 4. cap. 60. *aliisque sexcentis, qui omnes ex effectu colligunt, opium summè frigidum esse, propterea, quod calorem nativum opprimat, somnum profundum introducat, totumque cerebrum, & omnes sensus stupefaciat. Hinc* Scribonius Largus lib. de compos. Medic. cap. 48. facit opium gravedinem, gelationem & livorem artuum, frigidosque sudores manare, præterea spirationem impedit, mentem soporat, sensusque alienat.

*Cur opium à multis frigidum statuatur.*

II. Aliis, qui non penitus in verba majorum jurasse videntur, opium potius qualitatis calidæ, quàm frigidæ statuitur, in quorum numero est *Matthiolus in comm. ad Dioscor.* citato loco, ubi inquit: *quamvis opium quarto excessu frigidum statuatur, tamen si ex sapore, & effectu, rerum temperamenta & qualitates cognoscuntur, opium nostri usus (quantum ego quidem deprehendere potui) non modo gustu amarum percipitur, sed etiam acre, adeò, ut paululum in ore detentum, linguam & palatum exulceret, undè haud dubiè colligi posse putaverim, calidissimas illi inesse qualitates, cujus rei fidem augere potest, quæ ex eo prodit, odoris gravitas. Veruntamen ne impudentis aut arrogantis nomen subeam, quod in hoc omnium ferè medicorum sententiam destruere velim, eorum judicio rem hanc æstimandam relinquam, qui ante nos opii tùm facultates diligentissimè expenderunt.* Hæc ille: Subscribit quoque *Libavius lib.* 2. *Batrach. cap.* 13. dicens: *de opio multi multa: ego verò cum non pœnitendæ eruditionis & experientiæ viris id effectu potius, quam qualitate, & eo etiam analogo, frigidum statuo, aliàs potius calidum, quanquam sensus obtundat, quod non fit frigore primæ qualitatis, sed naturæ spiritu adverso.*

*Matthiolo potius calidum est opium.*

*Libavio quoque calidum est opium.*

III. Quidam præterea medium tenere conantur, dum qualitates opii diversas pronunciant, ut patet in *Capivaccio lib.* 7. *pract. cap.* 9. *& Renodæo lib.* 1. *de mat. med. sect.* 10. *cap.* 1. quibus opium est mistæ qualitatis, ita ut caliditatem leviorem & fugacem, frigiditatem contra validiorem & contumacem habeat. Hinc etiam frigidum absolutè pronunciatur opium, secundum Capivaccium, quia frigidæ partes, & quantitate plures sunt, & qualitate seu gradu intensiores, quam calidæ: frigidæ enim in quarto gradu sunt: calidæ in tertio.

*Opium habere diversas qualitates aliorum assertio.*

IV. In hâc Autorum discrepantia paucis, quid nobis probabilius videatur, aperiemus: nimirum in opio, ut & aliis quibusdam narcoticis, inesse frigiditatem non subjectivè, sed effectivè, quatenus, ex accidenti, Spiritus vivificos sistendo & mortificando, partes nostri corporis refrigerant. Quod enim opium narcoticam & soporiferam qualitatem habet, hoc non fit eâ ratione, quatenus illud ipsum est frigidum, sed prout copiosum sulphur nacoticum indigestum, ac fœtidum possidet. Nam & fumus sulphureus (inquit *Quercetanus in Pharmacop. dog. cap.* 24.) carbonum, & vapor sulphureus tàm vini, quàm croci, multò citius hominem in somnum præcipitabunt profundum & letheum, quàm aqua nivis aut glaciei montium, quamtumvis in summo excessu frigidissima. Hæc enim frigiditas caret spiritibus vaporosis, & sulphureis, qui cerebri ventriculos opplentes, ejusmodi soporiferas inducunt affectiones, quique æquè in vino, carbonibus & croco reperiuntur, licet non tàm noxii & lethales. Hinc *Petrus Severinus in Idea Medicinæ cap.* 7. Opium cum tantâ amaritudine stupefaciendi virtutem habere dicit, propterea, quod in artificiali separatione illius sulphur oleosum planè narcoticum deprehendatur, cum sale quodam diaphoretico, cujus ratione subtili resolutione sudores movere potest. Quod enim in papaveribus (inquit *Quercetanus lib.* 1. *defens. cap.* 20.) atque opio narcoticum est, id nihil aliud est, quàm pars quædam oleosa ac sulphurea, flammam concipiens. Hæc vim stupefaciendi possidet, non quatenus calida vel frigida; sed totius naturæ potestate, ut loquitur *Libavius*. Eò igitur tandem res recidit, in opio substantiam esse oleagineam, quam sulphur narcoticum vocant, cujus ratione qualitate non manifestâ, sed occultâ totius substantiæ, spirituum & caloris motus inhibeatur ac sistatur, undè mirum non est, quod ob caloris ac spirituum immobilitatem introductam varii frigiditatis effectus evenire videantur.

*Assertio veritatis.*

*Cur opium Narcoticum?*

*Opium cur stupefaciat, & nihilominus etiam sudores moveat?*

V. Hæc proprietas narcotica suam correctionem requirit, antequam cedat in usum medicum, quam veteres per addita medicamenta calidissima tentarunt, falso præsupposito fundamento, quod scilicet in excessu frigiditatis stupefactiva qualitas opii resideat, quapropter Euphorbium, utrumque piper, cinamomum, caryophyllos & similia miscuerunt in antidotis opiatis. Rectius juxta recentiores sulphuris illius narcotici malignitas in opio corrigitur, aceto, tàm vulgari, quàm montano, aliisque succis, vitriolatam proprietatem possidentibus, quibus vapores & halitus narcotici sistuntur, & infringuntur.

*Proprietas Narcotica quomodo corrigatur.*

*Acetum opii correctivum.*

Inprimis autem commendatur opii essentia, quæ fit per extractionem cum aceto fortissimo, ita tamen, ut primùm, frustulatim incisum opium lento igne in

*Opii essentia.*

 patina

patina torrefiat, quò sulphur fœtidum eo melius expirare possit, de quo vide *Quercet. in Pharmacopæa.*

*Quæstio principalis affirmatur.*

VI. Talis opii essentia ad opiata narcotica componenda maximè convenit, de quibus quærimus, *an etiam in fluxu mensium excedente conducant?* Affirmant communiter practici, quia talia medicamenta conferunt ad omnis generis hæmorrhagias, in quacunque corporis parte subsistant, quatenus proprietate singulari spirituum, calorisque commotionem inhibent, & per consequens facultatis expultricis actionem impediunt. Ut enim in superpurgantibus contingit (*teste Jacchino com. in 9. Rhas. cap. 67.*) ut irritata natura non pellat modo excrementa propriorum humorum, quæ à medicamento trahuntur, sed præterea & utilia simul: sic & hic evenit, ut incipiat quidem natura purgare inutile, sed ex proritatione quasi furibunda opere expellendi excedat, ut opus naturale sympaomaticum evadat. Hic necessarium est, ut motus naturæ depravatus sistatur; quod post alia communiora medicamenta per usum narcoticorum fieri potest. Notandum tamen, quod in hoc casu usus opiatorum considerate præscribi debeat, cum aliorum medicamentorum ope nihil efficimus, propterea quod mulieres naturâ, quo ad calorem innatum, debiliores sint, & per consequens stupefacientibus vehementius afficiantur. Vide *Peucerum in Prax. cap. 21.* qui suadet ℥j. Philonii persici, aliis non juvantibus.

Non enim dubitamus, quin urgente necessitate, benè consideratis circumstantiis, tribus vel quatuor granis laudani opiati, ritè præparati, plus præstemus ex voto, quam si potiones istas astringentes, & quam plurimis ingredientibus constantes, nauseam absque fructu reiteremus, qualis est *D. Joh. Schroteri* Still-tranck auff 6. mahl / *apud Wittichium in consiliis,* qui potus præter quinquaginta simplicia, compositas species aromaticas etiam aliquot habet, adeoque ad minimum 70. ingredientia continet, ut videre licet *Consil. 53. mihi pag. 371. Henricus Smetius Miscell. Med. 4. Epist. 2. & 3.* in pertinaci hæmorrhagia uteri conjugis propriæ victu refrigerante, incrassante, astringente, sicut etiam revulsione, derivatione, extremorum fomentis, unguentis, pessis, &c. nihil quicquam profecisse se fatetur, ut tandem ad clysterem uterinum, μητρεγχύτην veteres vocant, ex succo arnoglossi cum hypocistide permisto, in fine secundi mensis, tanquam ad sacram anchoram, non sine successu exoptato properaret: At verò tanto temporis spatio quanta virium jactura? an non melius est, opio ritè correcto fervorem & ebullitionem sanguinis protinus, ubi copia non amplius naturam gravat, compescere? de quo vide *Tom. 2. lib. 10. Observ. 3. pag. 478.*

VII. Obiter hic quæritur, *qui fiat, quod per universam Mauritaniam & Asiam frequens sit opii usus:* siquidem ejus usui (*teste Garcia ab Horto lib. 1. arom. cap. 4.*) ita assueverunt, ut eo abstinentes periculum vitæ incurrant, quod etiam *Christophorus à Costa de opio* scribit: dum inquit: *Vulgatissimus est apud Aphricanos & Asiaticos opii usus, & ejus usui ita assueverunt, ut etiam abstinere nequeant, sine manifesto vitæ discrimine. Id ipsâ experientiâ comperi, dùm Indico mari in Lusitaniam redirem. Etenim eâdem navi vehebantur captivi, Turcus quidam natus in Aden, & alii tùm Turci, tùm Persæ, & Arabes, qui clam aliquantulum opii secum detulerant, quo propter penuriam veluti medicamento usi erant, Eo absumpto, Turcus ille Adensis ad me, heus tu (inquit) quandoquidem curandorum ægrorum in hac navi provinciæ tibi data est, certò scias, nisi mihi & meis sodalibus opium præbueris, biduum nos non supervicturos. Cum verò negarem, opium me habere, respondit: illud ergo esto unicum remedium, quo nos, qui opii usui assuevimus, liberari queamus, si singulis diebus manè, cuique puri vini, haustum propines, licet nobis admodum arduum sit & tædiosum, quod arti nostræ adversetur, sed quoniam nostra salus ex eo dependeat, necessario ferendum est. Ex illius igitur præscripto, vinum omnibus dedi, liberatique sunt, & intra mensis spacium vinum amplius gustare noluerunt, nec illis obfuit opii defectus, cujus usus jam in desuetudinem abierat: imò cum illis deindè vinum & opium dare vellem, neutrum cupiverunt.* Hæc ille. Conjunge Fragosum citato loco.

*Consuetudo altera natura.*

VIII. Hic eò respiciendum esse putamus, quod in illis hominibus agiles omninò, mobilesque sint spiritus, omnium operationum autores, quorum quietem & reparationem per usum opii sibi conciliant, quapropter Garcias eam ob causam frequentem opii usum Mauritanis esse dicit, ut lassitudinem ex laboribus, animique fastidia tollant. Quod autem ex ejusdem defectu vitæ periculum incurrant, & ex frequentiori usu nihil damni percipiant, consuetudo in causa est, quam rectè naturam alteram appellamus.

*Opium potius calidum quam frigidum.*

IX. Tandem ergò manifestum redditur, opii qualitates primas potius calidas esse, quam frigidas, cum insignem amaritiem & aliquam acredinem habeat, facilimè flammas concipiat, odorem gravem ac fœtidum expiret: etenim ipse Galenus amaritiem non frigoris, sed caloris effectum statuit, quicquid contradicat *Averrhoes lib. 5. coll. cap. 27.* quem sequitur, *Valleriola lib. enarr. 4.* Odor autem, Philosophorum decretis consentientibus caloris est soboles, undè frigida sunt inodora, ut patet in glacie, nive, aqua, plurimisque metallicis. Verùm de caliditate & frigiditate non opus est, ut admodum solliciti simus, propterea quod effectus quem quærimus, totius naturæ facultatem, seu qualitatem occultam sulphuris narcotici in opio contenti sequatur. Conjunge *Sennert. lib. 1. pract. cap. 1. part. 2. & Döringium tract. de opio sect. 1.*

## QUÆSTIO III.

*An in uteri suffocatione sanguis mittendus?*

*Veri suffocatio quid sit.*

I. INter muliebria mala, de quibus agimus, communissimum est ὑστερικὴ πνίξ, strangulatus vel suffocatio matricis, quâ correptæ mulieres, cum noxa sensus & motus, debili pulsu & respiratione, aliquando nullâ apparente, pallidæ, tanquam mortuæ, procumbunt, cujus morbi causam *Galenus l. 6. de loc. affect.*

*affect. cap.* 5. ad plenitudinem & collectionem menstruorum, vel seminis retentionem sequentem refert, quæ gravissima suffocationis uteri Symptomata generat, quatenus teste *Jacchino com. in ad. 6. Rhas. cap. 69.* ejusmodi materia veneni naturam contrahit, & tam diu latitat, quousque à natura dimoveri incipiat, ubi varia succrescunt accidentia, pro qualitate & quantitate illius venenatæ materiæ latitantis. Cùm autem proxima causa consistat in ejusmodi corruptione materiæ latitantis in utero, mirum non est, quod interdum hic affectus adsit, ubi nec menstruorum, nec seminis retentio suspecta est, quemadmodum *Fernelius lib. 5. Path. cap. 16.* monet, utpote, cum quivis humor in utero corruptus ejus generis vaporem, ex loci natura venenatum, expirare possit. Hinc *Mercat. lib. 2. de morb. mulier. cap. 3.* non semper, sed frequentius à sanguine, vel semine retento, symptomata uterina suffocationis provenire statuit, quod ipse Galenus quoque voluit.

*Causa suffocationis uteri.*

II. Vapor malignus, qui graviora & horrenda symptomata paroxysmi producit, *teste Fernelio*, plurimorum venenorum conditione frigidus est ac melancholicus, undè *Capivaccius lib. 4. Pract. cap. 10.* Suffocationem uteri totius refrigerationem esse dicit, à veneno frigido, propter obstructionem vasorum ad uterum pertinentium dependentem. Undè manifestum est, quod præter effectus malignitatis refrigerationis etiam appareant notæ, quibus tamen minimè movemur, ut soli refrigerationi matricis malum hoc adscribamus, quemadmodum facit *Antonius ab Altomari libr. de med. morb. cap. proprio*, quia concedimus quidem cum *Steggio lib. 7. med. pract. cap. 4.* Similem affectum à frigida uteri temperie, ac flatibus, generari posse, quem tamen pro Strangulatu matricis non agnoscimus, propterea quod gravissimis Symptomatibus, huic affectui, propriis, careat. Hinc etiam uteri præfocationem, quam *Aëtius* ex refrigeratione, mensibus prodeuntibus, fieri posse statuit, cum *Capivaccio citat. loc.* non verum uteri strangularum, sed syncopen hystericorum, ob viarum inanitionem accidentem, pronunciamus.

*Qualis sit vapor malignus peccans.*

*Non à sola refrigeratione dependet hoc malum.*

III. Dubitatur autem in hoc affectu, *num etiam sanguinis missio locum habere queat*: Dissentiunt plurimi, propterea quod viribus collapsis detractio sanguinis vix atque ne vix quidem approbetur: at quis hîc vires ad venæsectionem validas in semimortua judicabit. Accedit & hoc, quod uteri suffocatio, non tam à sanguine, quàm à retentione seminis fiat, ut diximus, quod apparet in virginibus, vernis passerculis lascivioribus, & viduis junioribus, consueto viri amplexu privatis: at seminis noxa per sanguinis missionem non corrigitur.

*Negantes rationes. Vide Trotulam de pass. mul. c. 4.*

IV. Pro resolutione quæstionis notandum, quod sicut in aliis morbis, sic etiam hîc eò maximè respiciendum, ut antecedens causa tollatur, quapropter concludimus, quod in omni suffocatione matricis, præ reliquis operationibus medicis, obstructio solvenda, & materiæ copiosior affluxus inhibendus veniat, quibus intentionibus in suffocatione, proveniente ex retentione sanguinis menstrui, commodùm succurritur per sanguinis missionem, tàm in paroxysmo, necessitate urgente, atque caloris nativi, propter copiam sanguinis, extinctione imminente; quàm extra eundem, utpote, quâ superfluus sanguis præter naturam retentus, evacuatur, ab utero aliò transfertur, & imminens spirituum atque caloris suffocatio solvitur. Hic virium imbecillitas intentionem Medici mutare nequit, propterea quod talis non ex resolutione spirituum, sed potius ob eorundem, ratione plenitudinis, congregationem præter naturam, liberamque commotionem impeditam, quæ venæsectione corrigitur, proveniat. Quod si suffocatio fiat ex semine corrupto, remedium hoc primò non conducit: Si tamen corpus εὐσαρκον, non negarem, quin hic etiam ὁ...τίρως conducat, quatenus affluxum humorum, obstructionis causam augentem, ad alias partes dirigere potest.

*Resolutio quæstionis.*

*Virium imbecillitas cur interdum venæsectionem permittat.*

## QUÆSTIO IV.

### *An vinum hystericis conveniat?*

I. Mulieres prædicto malo obnoxias, hystericas vocamus, de quibus quæritur, *An vino uti debeant?* Affirmativam *Hippocrates lib. de mulier.* morb. innuere videtur, dum inquit: *si uteri ad hepar accesserint, muta derepente fit mulier, & dentes conserit: tum manibus subtus depelle, & infra hepar ac hypochondria fascia mulierem constringito, ac ore aperto vinum odoriferum, infunde, naribus graveolentia offer, subtus verò aromatis beneolentibus suffito.*

Neque hoc sine ratione dicitur, præsertim cum vinum non solùm respectu confortationis utilissimum sit, verum etiam vi suâ discutiendi deobstruat, atque ita spiritibus vitalibus penè suffocatis succurrat.

II. Contrarium *Avicenna* habet, dum inquit, *cave ne des eis* (hystericis) *vinum, quoniam aqua est eis convenientior, neque carnes grossas, & ea, quæ addunt in carne, & spermate.* Cujus assertionis ratio in eo consistere videtur, quod vinum optimè nutriat, & per consequens copiam seminis atque sanguinis augeat: at verò talia minimè conveniunt.

*Negatur quæstio.*

III. Hîc pro decisione quæstionis notat *Langius lib. 1. Epist. 23. & Mercat. lib. 2. de mor. mul. cap. 3.* verbis iisdem, quod inter Hippocratem & Avicennam nullum sit dissidium: nam quia inquiunt in hujus morbi paroxysmo, ob virtutis languorem, spiritusque coarctationem, Syncope crebrò accidere solet, Hippocrates, accepta à virtute defecta indicatione, quæ cæteris præpollet, pro reficiendo virtutis robore, aperto ægrotantis ore vinum odoriferum instillare jubet: Avicenna verò, cum ex sanguinis redundantiâ, & coacervati in utero spermatis copiâ matricis præfocatio oborta fuerit, dum ea, quæ sanguinem & sperma in viduis & virginibus adaugent, rectè vetat, qualia sunt præcipuè caro & vinum. *Roder. à Cast. part. 1. de morb. mul. cap. 1. l. 1.* concedit quidè, rectissimè conciliationem fieri posse, cum dicimus Hippocratem à deficiente virtute, & languore facul-

*Decisio quæstionis, & autorum conciliatio.*

cultis animalis indicationem sumpsisse. Avicennam contra ad copiam sanguinis & seminis minimè augendam respexisse: non tamen necessarium judicat, ut distinguamus inter fœminam in accessione, & extra accessionem, quia vinum non in omni paroxysmo conducit. Sed hæc instantia minimè videtur probabilis, propterea quod Hippocratis verba manifestè paroxysmum describant, undè potius cum Mercato & Langio præsentem quæstionem concludendam esse statuimus, juxta quos, colophonidis loco, notandum, quod in uteri præfocatione, ex obstructione venarum ejus, à sanguine grosso facta, potus vini albi tenuis (quod ὀλιγοφόρον Græci vocant) potius, quàm aquæ, præscribendus esse videatur, præcipuè si in illo, quæ menses promovent, utpote libanotis, schænanthum, pulegium, juniperi baccæ, & similia macerentur. Non autem sit vinum Thasium; quod Hipp. cum viginti partibus aquæ permiscere jubet, vel simile generosum, de quo vide *Marsil. Cognatum lib. 3. Variarum Obs. cap. 12.*

Hanc quæstionem etiam proponit *Joh. Varandæus lib. de morb. mulier. cap. 6. pag.* 130. Est, inquit, controversia inter Autores nostros, utrum horâ paroxysmi vinum Hystericis sit exhibendum: Avicenna omninò prohibet; Hippocrat. concedere videtur; etenim summa refrigeratio totius corporis, virium languor, & spirituum retractio non videtur melius sublevari posse, quam exhibito vino generoso: attamen quia hic affectus ut plurimùm pendet à retento semine putrefacto, sanguine, & vaporibus tetris, qui ab utero elevantur, ratione causarum, non videtur vinum exhibendum; quia tenuitate suâ, & summâ penetratione magis ac magis irritabit materiam illam intus delitescentem, undè communi experientâ videmus, mulieres hystericas ex usu vini in paroxysmo malè se habere. Itaque ista discrepantia hoc modo componi posse videtur, ut vinum ordinariè non sit exhibendum tempore paroxysmi, sed tantùm extraordinariè, quando scilicet ratione virium summè collapsarum, complicatæ syncopes, vel instantis mortis, cogimur ad præsentaneum hoc remedium & auxilium recurrere, jam omnibus aliis frustrà tentatis.

## QUÆSTIO V.

*An Tartarum vitriolatum conveniat in morbo virgineo?*

*Varii morbos innominatos.*

I. QUilibet Medicorum id, quod *Langius lib. 1. Epist.* 21. innuit, quotidiè experitur, multas in morborum catalogo ægritudines, nomine & non cura carentes inveniri, quemadmodum accidit quoque in affectu, quem communiter morbum virgineum vocant, quod virginibus, viro maturis, frequenter molestus sit, qui febris alba dicitur Brabantinorum matronis, ob faciei pallorem, quæ denominatio defenditur à *Mercato & Roderico à Castro*, non quod vera febris adsit (hoc enim absurdum, cùm sit affectus frigidus) sed quia tales ægrotantes speciem febrientium præ se ferunt, nimirùm debilitatem, ac pulsus celeritatem & frequentiam, ob eventilationis defectum. Vocatur & aliis febris amatoria, non propter colorem, quod palleat omnis amans, quemadmodum aliquibus placuit, sed quia virginibus amantibus & amabilibus, hoc est, pulchrioribus, frequens est: quo enim formosior est corporis constitutio, eò citius excrementitiæ superfluitates colliguntur, propterea quod (*teste Mercato l. 2. de morb. mul. c. 6.*) in temperatioribus partibus laudabilius requiratur alimentum, undè per accidens major cruditatum copia colligitur, relictis videlicet sanguinis portionibus impuris, quas deformiores in alimentum quoque commutare queunt.

*Morbus virgineus cur febris alba vocatur.*

*Cur febris amatoria dicatur?*

*Cur formosiores excrementorum copia obnoxiæ?*

II. Est autem morbus virgineus nihil aliud, quàm obstructio venarum circa matricem, cujus ratione sanguis superfluus ad venas majores regurgitat, & operationem viscerum sanguificationi servientium interturbat, ut indè crudus colligatur humor, qui distributus in corpus reliquum, colorem rubicundum vertit in pallidum (undè quibusdam Icterus albus vocatur) & pro indole suâ varia producit Symptomata, videlicet *totius refregirationem*, ob sanguinem viscidum & crudum minus evacuatum, quo consequenter calor nativus opprimitur, *parvam ac crebram respirationem*, propter compressionem diaphragmatis, à copia materiæ circa viscerum regionem in hypochondriis collecta, *cordis palpitationem*, ob cruditatem sanguinis, & indè prosilientem flatuosum spiritum, quem cordis motus extrudere conatur, *lassitudinem insignem totius*, ob copiam crudi sanguinis, quâ facultas animalis opprimitur, *cibi fastidium*, ob excrementorum colluviem pituitosam, in ventriculo collectam, *capitis gravitatem atque dolorem*, quando flatuosus spiritus cerebrum replens, acrimoniam simul nanciscitur.

*Morbus virgineus quid sit.*

*Deducuntur symptomata morbi virginei.*

III. Inprimis autem hîc respiciendum ad mensium *obstructionem*: nam juxta *Langium* præsens morbus generatur eo tempore, quando sanguis menstruus ad matricis loculos & venas ab hepate defluit, qui cum ob illarum angusta oscula, quæ nondum patuerunt, viscosis quoque & crudis humoribus obstructa, & denique ob sanguinis grossitiem erumpere non possit, tum rursum per venæ cavæ, majorisque arteriæ propagines ad cor, epar, diaphragma & præcordiorum venas regurgitat, capiti quoque bona pars impertitur, & circa viscera gravia parit accidentia, dyspnæam, tremulum cordis pulsum, inflationem, stomachi fastidium, cardialgiam, nec rarò, cum amentia Epilepsiam, & delirium. Hæc ille.

*Mensium obstructio præcipua causa morbi virginei.*

IV. Quæritur autem *an in hoc affectu tartarum vitriolatum conveniat?* Affirmativam tenemus, propterea, quod in hoc morbo talia medicamenta conveniant, quæ frigidos ac viscosos humores incidant, attenuent, cruditates concoquant, obstructiones aperiant, & materias adhærentes abstergant. At hæc omnia præstat efficacissimè tartarum vitriolatum: etenim si tartarum vini per se consideratum, vim aperiendi & abstergendi non levem possidet: cujus ratione communiter à Practicis in morbis scorbuticis & hydropicis præscribitur, multò magis hoc tartaro vitriolato concedendum est, ubi præparatum, & optimè purificatum oleum tartari per

*Affirmatur quæstio. Tartari vitriolati facultas.*

per oleum vitrioli guttatim affusum, non sine excandescentia, figitur, & in coagulum albissimum mutatur, cujus præparandi modum facilimum videas in *Medulla destillat. Cunradi*, *tr.* 2. & *in Basilica Chym. Crollii p.* 115.

Observandum hîc, quod tartarum vitriolatum, si ad literam juxta Crollium paretur, nauseabundum admodum sit, & in delicatis sæpè vomitum excitet, propter majorem copiam olei Tartari respectu spiritus vitrioli. Melius operatio instituitur, quando partes æquales utriusque sumantur: vel procedatur modo sequenti:

*Tartari vitriolati singularis præparatio.*

Recip. Tartarum ad albed. calcinatum, solvatur in aceto destill. & fiat sal purissimum, quod iterum solvatur, in spir. vini, abstrahendo illum in B. ad siccitatem satis. Huic admisce oleum vitrioli optimum, æquali ferè proportione, guttatim infundendo, ut & tumultuarius stridor non fiat cum nimio impetu, & exurgens vaporum exhalatio, quantum fieri poterit, prohibeatur. Continua affusionem olei vitrioli donec strepitus & ebullitio cesset, tum abstrahe superfluam humiditatem igne cinerum, tandem calcina sal residens fortiter, spatio diei unius, & habebis sal fusibile & fixum, cujus dosis est à ℈s. ad gr. XV. in morbis ab obstructione ortis, cum syr. viol. vel rosato.

*Cautela necessaria.*

V. Notandum tamen, in hoc morbo temerè non protinus ad usum hujus medicamenti procedendum esse, sed ante omnia necessarium est, ut primæ viæ per medicamenta lenientia purificentur, quo peracto, semel atque iterum repetitis evacuationibus levibus, ad usum tartari vitriolati procedendum est, ita tamen, ut pro diversitate naturarum, illius scrupulum integrum, vel dimidium, cum appropriatis aquis destillatis, vel brodiis, quibus convenientes radices & herbæ coctæ vel maceratæ fuerint, singulis diebus, horis tribus ante cibum, bis exhibeamus, per tempus aliquot, eò respiciendo, quo materia præparata, si necessitas hoc urget, interdum per dilutum Rhabarbati expurgetur, & mensium obstructio, circa tempus conveniens, per balnea, frictiones, aliaque convenientia, resolvatur.

## QUÆSTIO VI.

### *An pica prægnantium eodem modo curetur, ut in aliis?*

*Pica prægnantium quid?*

I. Frequens est malum prægnantibus, quod picam vel malaciam vocant, ut varia appetant edulia prava, carnem videlicet crudam, terram, carbones, lateres, cretam, calcem vivam, & nescio quid non ulterius: fitque propter affectum oris ventriculi, cum appetitis rebus contrarius, vel etiam similis vitiosus succus in Stomacho colligitur, & maximè iis accidit, quæ partus producunt pulcherrimos. Licet enim tales temperamento plerunque laudabili constent, nihilominus toto gravidationis tempore variis afficiuntur symptomatibus, tùm quod aliis citius cruditates colligant; ut præcedenti quæstione probavimus, tùm etiam, quod partus præstantiorem sanguinis partem ad se alliciat, impuriore & magis fœculentâ relictâ, secundum *Hippocratem lib.* 1. *de morbis mulier.* Satius enim prudentissimæ naturæ visum fuit, inquit *Julius Cæsar Arantius*, *de fœtu humano cap.* 4. matris ventriculum afficere, vomituque noxium humorem expellere, quam in uterum, unà cum sanguine, cum fœtus discrimine deferri. Addo quod naturâ in hoc unicum, fœtus nimirum generationem & absolutionem intentâ, reliquæ facultates nutritivæ debilitentur, adeoque minus corruptioni sanguinis & humorum redundantium resistant, undè tot θρεπτικῆς δυνάμεως accidentia præter naturam in prægnantibus conspiciuntur.

*Cur etiam temperatis prægnantibus accidat?*

*Cur diversus sit appetitus depravatus,*

II. Diximus autem appetitis rebus contrarium & similem vitiosum succum in orificio ventriculi colligi posse: quia contrarium peccantis materiæ collectæ mulieres appetunt, quatenus potentia naturalis nondum perversa est, *teste Mercato*, quæ propter sui conservationem illud appetit, quod materiæ collectæ repugnat; propterea quod peccantes humores nondum connaturales facti sint: at ubi penitus infecerunt orificium ventriculi, similia cupiunt, quia jam quasi naturales facti sunt, undè sequitur appetitus similis: verùm enim est quod *Galenus artis Med. cap.* 63. innuit, malas temperaturas, quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differre ab iis, quæ naturales existunt, quoniam contraria, non autem similia appetunt, quemadmodum naturales.

III. Cum verò non solùm utero gerentibus, sed etiam aliis interdum hic affectus accidat, masculis nimirum & fæmellis, *teste Langio lib.* 2. *Ep.* 12. quando rugosæ ventriculi tunicæ circa orificium acidis, acerbis, amarulentis, aliisque peccantibus humoribus imbutæ fuerint (quod etiam *Mercatus* approbat, dum inquit, se sæpius hunc affectum in virginibus alba febre correptis, & viris atro humore infestatis observasse.) Idcircò quæritur, *an in prægnantibus eadem sint præscribenda remedia, quæ conveniunt aliis?*

*Quæstio principalis negatur.*

Negativè respondemus cum Mercato, propterea quod in his, neque purgationibus, neque aliis, quæ vehementer abstergunt pharmacis utendum esse videatur, ob abortus periculum. Etenim cum primis mensibus vigeant hæc accidentia in prægnantibus, consequens est, cautè procedendum esse, præsertim cum circa tempus illud Hippocrates purgationem interdicat. Quarto verò mense, circa quem tutior esset medicamentorum usus, sponte suâ cessat affectus, utpote per frequentes vomitiones absumpta materia, vel agente concoctrice facultate (cum exiguum cibi propter fastidium conjunctum ejusmodi mulieres assumant) plurimùm alteratâ, simul adjuvante fœtus attractione copiosiori, qui propter majorem augmentationem plurimum sanguinis tunc temporis attrahit & absumit. Notandum igitur in prægnantibus hunc affectum aliter tractari non posse, quàm victus ratione convenienti, ad materiam peccantem attemperandum instituta, levi abstersione, & facili vomitus provocatione, si scilicet eò natura inclinat, non neglectis iis, quæ ad stomachi corroborationem interiùs & exteriùs inservire queunt.

Hîc addantur, quæ in 1. Hippocrat. sect. proponit de-

de hâc materia *Johan. Zechius lect.6.pag.60.* & sequentibus, ubi præter dicta addit etiam, quod si mulier utero gerens febre detineatur, licet humor non turgeat, ventrem in quovis mense leniri posse medicamentis lenientibus, quod aliquoties etiam experientiâ edoctus feliciter postremis quoq; mensibus, urgente necessitate per clareta laxativa me fecisse memini. Addit autem prædictus Autor cautiones alias, in hoc casu notandas, nimirum abstinendum à purgatione in iis, quæ facili negotio & frequenter in syncopen incidere solent: rursus, quæ faciles ad vomitiones: quibus menses facilè moventur: quæ levi de causa convulsiones patiuntur &c. quæ & similia, sicut aliàs in purgatione observanda judicat Autor, ita etiam hîc non negligenda videntur. Conjunge *Tractat. de Morbis Mulierum lib.1.cap.2.*

## QUÆSTIO VII.

### *An mulier utero gerens acuto morbo correpta purganda sit?*

I. CUm præcedenti quæstione dictum sit, utero gerentem non admodum alvi vacuationem perferre posse, meritò quæritur in præsentia, *num etiam prægnantem acuto morbo correptam purgare liceat? Hippocrates* illud ipsum *lib.4. Aphor.1.& lib.5.Aphor.9.* determinat, dum inquit: *prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & usque ad septimum mensem, sed has parcius. Minore verò aut grandiore conceptu, abstinebis.*

*Affirmatur quæstio.*

Hanc assertionem Hippocratis *Averrhoes l.7. coll. c.4.* reprehendit, & purgantia medicamenta prægnantibus absolutè interdicit his verbis: *Pharmacia ad bonum finem pervenire nequit quoniam in se habet substantiam venenosam, & fortassè faciet malos humores fluere ad embryonem, ut ipsum lædant, propterea quia medicinæ purgantes sunt medicinæ provocantes urinam, & quod provocat urinam, est de genere provocantium menstrua, & abortire facit.*

*Averrhois instantia proponitur.*

Verùm hæc Averrhois assertio minimè sufficit ad aphorismi veritatem infringendam, quemadmodum patebit ex ejusdem ulteriori declaratione, quàm ex sententia *Sylvatici controvers.84. Rod. à Castro part.2.l.3.de morb.mul.cap.21. Salii de affect.par.cap.21.* & aliis subjicimus.

*Solvitur instantia Averrhois.*

II. Etenim purgantur interdum prægnantes, tunc temporis scilicet, ubi materia turget, quoniam in tali casu pharmaco exhibito non magna fit in corpore commotio, propterea quod humores turgentes spontè facilimè hinc indè defluant, naturaque adjuvante levi medicamine protinus educantur. Non autem hoc sufficit, sed opus est, ut respiciamus etiam ad tempus gestationis, quia licet materia turgeat, non tamen primis & ultimis mensibus purgandum, ut monet Hippocr. in aphorismo, cum utrobique facillimè subsequatur abortus, ob fœtus ligamenta, quæ primis mensibus propter mollitiem & humorem, postremis ob siccitatem, fœtusque gravitatem, citissimè, totius commotione, propriaque irritatione, rumpuntur. Intermedios verò gestationis menses cum Hippocrate excipimus, in quibus humoribus turgentibus leviori aliquo purgante medicamento prægnantes evacuantur; quia tum temporis validiora sunt fœtus ligamenta, quam ob causam purgationis commotionem sustinere queunt. Adhibetur autem hic purgatio tunc temporis, ubi materia turget, tùm propter imminens periculum, quod ex materia turgente timendum, tùm etiam quod talis materia commota leviori negotio purgetur, ut supra innuimus.

III. Nec obstat, quod quidam asserant, non solùm in mensibus intermediis purgantia concedi posse, quando materia turget, sed etiam in materia firmata, propterea quod experientia confirmet, frequenter absque noxâ prægnantes in ejusmodi casu purgatas fuisse: non inquam, hoc obstat, quia potest fieri, ut robur infantis ac matris ex accidenti resistat, adeoque natura seipsam defendat, quod cum raro fiat, regulam communem minimè tollit: Verisimile enim est, non sine periculo purgans adhiberi, quando materia non turget, propterea quod levia medicamenta materiam firmatam movere nequeant, fortiora verò, vehementissimam agitationem introducendo, tàm fœtum, quàm matrem afficiant. In ipsis verò medicamentis adhibendis ex Roderico de Castro nota, quod ab amaris solitariis, quæ fœtum enecant; & nimium lubricantibus, quæ laxando vias ad abortum disponunt, abstinendum sit.

*An tantum turgentibus humoribus purgandum?*

## QUÆSTIO VIII.

### *An prægnantibus vena secanda?*

I. NEgativam *Hippocrates lib.5. Aphor.30.* videtur innuere, dum inquit: *mulier utero ferens, sectâ venâ abortit, eoque magis si sit fœtus grandior.* Nec asseritur hoc sine ratione, cum per venam sectam fœtui subtrahatur alimentum, quo denegato, fœtus debilitatur, & ante tempus, & perfectam absolutionem, expellitur. Contra; Affirmativam partem *Celsus* innuit, *lib.2. de re med. cap.9.* qui ejusmodi auxilium tutò in gravidis, viribus constantibus, exerceri posse statuit, quo etiam inclinat *Averroes lib.6.collig. cap.4.* Hæc assertio confirmatur ab aliis illo fundamento, quod ex præcedente quæstione sumitur, à concessa nimirum purgatione: si enim purgatio conceditur gravidis, cur non etiam venæsectio, quod auxilium minus periculosum, & magis in artificis directione consistit.

*Negatur quæstio ex Hippocrate.*

II. Notandum juxta sententiam *Horatii Aug.l.6.de missione sang. Sylvatici controv.83. Salii Diversi de aff. part. cap.22.* & alios, quod audacter vena sit incidenda prægnantibus, datis indicantibus, tunc temporis, ubi tanta sanguinis adest copia, quæ licet imminuatur, pro fœtus alimento nihilominus sufficiat. *Hinc aphorismus Hippocraticus* innuit, eò minus prægnantes venæsectionem ferre posse, quò fœtus est grandior, utpote qui majori nutrimenti copia gaudet. Ubi autem fœtus minor est, nimirum in primis mensibus, sanguis evacuari potest per venæsectionem, si morbus acutus, vel aliud quid hoc indicat, quia tunc

*Resolutio quæstionis.*

tunc temporis fœtus non admodum indiget copioso sanguinis affluxu, quod eo majori cum audacia peragitur, quando prægnans simul plethoricæ constitutionis est. Etenim non raro fit, ut per venæsectionem in ejusmodi mulieribus plethoricis abortus præcaveatur, quod hâc ratione fœtus imminens suffocatio corrigatur: quemadmodum enim sanguinis inopiâ fœtus interit, sic minimè negandum, quod idem, repentè sanguinis irruente copia, suffocari possit. Hinc in aliquibus mulieribus Austriacis, cum olim in primis praxeos annis ibidem medicinam factitaremus, aliter abortum præcaveri non potuisse, quam venæsectione observavimus, unde facilimè subscribimus *Hor. Augenio lib. 6. de missione sang. cap. 1.* qui in unâ atque altera muliere plethorica per sanguinis copiam venæsectione diminutam primis mensibus, abortum, singulis annis aliàs tertio vel quarto mense gestationis recurrentem, feliciter se præcavisse testatur, cujus rei exemplum refert quoque *Christophorus à Vega com. ad lib. 5. Hipp. aph. 31.*

*Quando & quomodo prægnantibus sanguis mittendus. Vide Blasium Hollerium lib. 1. Med. Theoricæ cap. 15.*

III. Caret hoc ipsum admiratione, præsertim cum videamus, interdum in ejusmodi plethoricis constitutionibus ipsam naturam sanguinis evacuationem moliri, quâ ratione quibusdam toto gestationis tempore menses fluunt, *teste Joberto in com. lib. 2. de natural. facult. cap. 3.* ex iis scilicet venis, quæ sunt in uteri collo, per quas etiam immensum sanguinis fluxum patiebatur prægnans quædam Boronissa, curata à *D. Jacobo Horstio*, cujus observationem videas in *Schenckio, tom. 2. l. 4. obs. 146.*

*Quadam prægnantes sanguinis copia abundant.*

Huc etiam refer *ex tom. 2. lib. 5. obs. 34. pag. 292. & observ. 41. pag. 294.* ut etiam illa, quæ proponit *Joh. Fuchsius in compendio abusuum de purgat. & venæsect. par. 2. cap. 9.* Reperiuntur (inquit) fæminæ, sanguine usque adeò redundantes, ut non uni, sed pluribus sufficerent fœtibus alendis. Novi non modo hic (Monachii) sed & alibi, quibus jam gravidis ad septimum usque mensem, citra ullam noxam, consueta menstrua per periodos stillarent, optimè habente fœtu, quod partus tandem, & alia etiam signa prius indicârunt contra illud Hippocratis: si mulieri utero gerenti purgationes procedant, impossibile est, fœtum esse sanum, *lib. 5. Aph. 60.* Verum hæc rara sunt: Novi demùm, quæ toto gestationis tempore singulis mensibus largius paulò fluxerint, citra ullum fœtus incommodum, & licet phlebotomiam nunquam admiserint, proles tamen produxisse firmas, robustas, & diuturnæ vitæ. Hactenus ille: sic etiam notabilis est observatio *Pauli Zacch. Medici Romani lib. 1. quæst. Medico-Legal. tit. 3. q. 1. num. 31.* dum inquit: & ego non multis abhinc diebus juvenculam curavi satis venustam, Juliam nomine, cujusdam scribæ vel tabellarii uxorem, quæ cum antequam conciperet, non benè purgaretur, dehinc utero gerens, indesinenter purgabatur, ita ut quotidiè, & non menstruatim, ut in cæteris, sanguinem, atque illum quidem non improbandum, ab utero redderet. Est autem temperamento prædita bilioso, puella verò, quam ex ea prægnantia peperit, benè compacta & obesula est, & benè valet &c. Conjunge *lectionem Lælii à Fonte, in Consult. Med. Consult. 4.*

Quod attinet Hippocratis aphorismum, illum *Salius loc. cit. & Rodericus à Castr. part. 2. de morb. mul. l. 3. c. 2.* cum aliis multis, tantùm de largâ sanguinis evacuatione, quæ veteribus in usu fuit, intelligendum esse putant, quod tamen minimè placet aliis, & inter eos *Sylvatico, loco citato*, propterea, quod veteribus non solùm larga, sed etiam parca sanguinis missio fuerit in usu, quam ob causam concludit, veriorem illorum esse sententiam, qui statuunt aphorismum Hippocratis minimè universalem esse, eamque admittere limitationem, quæ sumitur à dictis indicantibus, quæ venæsectionem in prægnantibus suadent. Nec tamen propterea divinus senex reprehendendus est, quia tantum respexit ad illa, quæ communiter accidunt, ubi prægnantes venæsectionem non admodum sustinere posse videntur, propterea quod sanguinis quandam copiam pro fœtus nutritione requirant. Quatenus enim prægnans secundum naturam constituta est, eatenus aphorismus rectè præcepit, eandem venâ sectâ abortire, maximè si hoc fiat ultimis mensibus, ubi fœtus grandior copiam sanguinis pro alimento majorem requirit. Adde *Joh. Franc. Arquatum in Medico Reformato, pag. 1. abusu 12.*

*Quomodo sit intelligendus aphorismus Hippocratis.*

IV. Obiter hic patet, venæsectionem in prægnantibus tutiorem esse purgatione, quippe cum aliâ ratione fœtui nocere nequeat, quam alimenti subtractione, quod minimè in prædictis casibus timendum: at purgatio majorem corporis, humorumque commotionem efficit, nec eodem modo, pro nostrâ voluntate, cum venæsectione dirigi potest. Hinc *Averrhoes 7. collig. 4.* tutam judicat venæsectionem, quando repletio fœtui non necessaria conspicitur, qui tamen de pharmaco præscribendo penitus dissentit.

*An venæsectio purgatione tutior sit in prægnantibus?*

Determinata hoc modo controversiâ, non possum intermittere, quin aliquid addam, de intolerabili & gravissimo venæsectionis abusu in his locis, præsertim hic Ulmæ, & in vicinis regionibus; ubi prægnantibus plerumque gracilibus, ac vix pelle tectis; præpinguibus & obesis, exiles venas habentibus, quibusque sanguis parcissimus; albis, mollibus, teneras carnes habentibus, & illis etiam, quibus res angusta domi, quæque laboribus & ediâ conflictantur, & vix sibi, vel fœtui quidpiam sanguinis superflui colligunt, quibus etiam suâ naturâ venæsectio deneganda, ut monet prædictus Autor, nihilominus audacter semel circa medium gestationis tempus vena scinditur, persuasione factâ, fœtum hâc ratione minus Elephantiasi obnoxium, cum tamen in his regionibus frequentius hoc malum, quod inferiori Saxonia, licet ibi nefas sic prægnanti sanguinem mittere, ignotum est: item variolis & morbillis levius eundem affligi, quod itidem falsum experientia testatur, qui ipsemet in his regionibus hunc affectum graviorem sæpius, quam alibi observavi. Imò penitus detestabilem judicat prædictus Autor morem istum Augustanarum potissimùm,

mum, quæ prægnantes in ultimo mense venæsectionem instituunt, ut eò citius in partu liberentur. At quæ dementia est, ex uno vel altero casu, quando vel in excessu plethoræ, vel imminente causone, vel simili constitutione, fortè ex consilio medici venæsectio cum successu instituta fuerit, statim generalem indè formare regulam? Conjungat lector ea, quæ candidè proponit *David Herlicius de cura gravidar. c.* 15. ubi quæstionem hanc suis limitationibus determinat.

## QUÆSTIO IX.

*An prægnanti graviter decumbenti liceat abortum provocare?*

*Quæstio negatur.*

I. QUamvis quidam ex Medicis affirmativam quæstionis asserere voluerint, propterea quod ipsis impossibile visum fuerit, utero gerentem ab acuto morbo liberare, nisi fœtus primum excluderetur, quo mater à tali statu liberata, tutius omne remediorum genus admitteret, ut ita, quobus malis propositis, minus eligendum, & potius fœtus, quam unà cum fœtu mater periret: vero tamen & rationi magis consentaneam negativam judicamus cum *Salio Diverso*, *Roderico de Castro*, *Sylvatico & aliis.* Etenim primo jurejurando princeps medicorum *Hippocrates* cautum esse voluit, ne quis fæminæ, quò partum abigat, medicamentum exhiberet, quam ob causam in Synodo Constantinopolitana sexta, sancitum est, ut abortum facientia medicamenta propinantes, homicidii pœnis afficiantur. Hinc potius de abortu præcavendo sollicitus est medicus fidelis, eumque præcavere convenientibus remediis nititur, ut videre licet apud *Jac. Ruffium de Hom. gen. lib.* 4. *cap.* 4. Conjunge *Franc. Ranchinum in Hipp. jusjurandum*, & *Sennertum de Morb. Mulier. p.* 365.

*Instantia solvuntur.*

II. Nec obstat, quod in matris salutem & conservationem aliquid videatur tentandum.

Quâ ratione in *Harmon. Gynæceor. part.* 1. *cap.* 6. *ex Theod. Prisciano* refertur, quod, quando matricis vitio, aut ætatis propriæ, frequenter fæminæ periclitentur in partu, expediat prægnantibus in vitæ discrimine constitutis, unius partus sæpius jactura salutem mercari certissimam, sicut arboribus arescentium ramorum accommodatur salutaris abscissio, & naves pressæ onere, cum gravi tempestate jactantur, solum habent ex damno remedium.

Primo enim non sunt facienda mala, ut eveniant bona, nec nostrum est, matrem salvare, fœtus dispendio: deinde spe quoque fallimur, propterea quod in acutis morbis ipse abortus lethalis sit: quatenus enim uterque affectus per se periculosus, morbus videlicet acutus, & ipsa fœtus imperfecti exclusio, quæ maximè p. n. est, eatenus malum malo additur, & laborans in extremum periculum deducitur. Quocirca nunquam (teste Salio) nec pharmacum nec abortivum medicamentum, ad hanc intentionem exhibeatur, sed semper incumbat Medicus conservationi fœtus, quantum in ejus potestate erit, omnia rectè circumspiciens & mensurans, fœtusque & matris summam habens rationem, ne partu interfecto, unà & matrem interficiat, ut sæpè factum esse ab his medicis apparet. Quod si oppositum nonnunquam visum sit, hoc non rationi, sed robori mulierum, per quod errata Medicorum tolerare potuerunt, adscribant. Hæc ille.

*Observatio propria.*

III. His rationibus commotus, ante triennium, Anno 1607. cum Soltquellæ medicinam facerem, ad nobilem matronam prægnantem, circa medium gestationis tempus acuto morbo laborantem, & obscuros atque falsos partus dolores percipientem, vocatus, nullis precibus tùm ægrotantis, tùm adstantium, eo adduci potui, ut medicamentum fœtum interimens & expellens præscriberem, sed potius naturæ totum negotium committens, quâ fieri potuit diligentiâ fœtui & matri prospexi, quâ ratione sensim ægra vires recolligens justo partus tempore filium sanum edidit, magno muliercularum quarundam dedecore, quæ propter uteri Strangulatum, eandem, contra nostrum prognosticum minimè prægnantem, sed fortè mola tantum affectam, pronunciabant.

## QUÆSTIO X.

*An mola laborantibus exercitium conveniat?*

*Mola quid.*

MOlam appellamus carnem informem atque inutilem in uteri capacitate conceptam, cujus causa est, non solùm sanguis menstruus, aut semen muliebre, sed viri semen invalidum, quod alimentum quidem trahere, nihil verò conformare potest, ut habet *Fernelius* idque juxta *Hippoc. l. de Sterilit.* dum inquit: *molæ conceptus causa hæc est, cum multi menses modicum & morbosum semen conceperint, neque conceptus rectè fit, & venter plenus est, velut prægnantis.* Hinc *Galenus rectè lib.* 14. *de usu part.* sine viro mulierem quandam molam seu fœtum concipere posse negat, propterea quod omne motionis principium sit à semine virili, quemadmodum alibi plenius demonstravimus. Vide quoque *Nicol. Rocheum de Morb. Mulier. cap.* 7.

*Vide Ioh. Viscerum ad Aph.* 37. *lib.* 5.

Moveri potest hîc illa quæstio, num etiam mola sine congressu viri concipi possit, in virginibus incorruptis, & viduis, concubitum non admittentibus? Negativam ponimus hîc ex sententia *Hipp. Galeni*, & *Fernelii lib.* 6. *Pathol. cap.* 15. (qui tamen lib. 7. Physiol. cap. 6. sibi repugnat, & contrarium asserit, dum rudiores molas quandoque mulieres proprii duntaxat seminis vi, nullo viri concubitu, concipere dicit) cui subscribunt etiam *Gorræus in def. Med. Donat. Altimar. de Med. Morb. cap.* 112. *Mercatus lib.* 3. *de Morb. Mulier. cap.* 8. *Duretus in com. ad Coacas Hipp. pag.* 47. & *seq. Amatus Lusitan. Cent.* 4. *curat.* 36. *Maur. Cordæus in lib.* 1. *de Morb. Mulier. Hipp. mihi pag.* 267. *Rod. à Castro lib.* 3. *de Morb. Mulier. cap.* 7. *par.* 2. *Ludov. Bonaciolus in Enn. Muliebr. cap.* 6. *alii.* Contra sunt alii non pauci, qui tenent Quæstionis affirmativam, ut *Valescus de Taranta in Philonio l.* 6. *Lilii, c.* 18. *Savanor. in Pr. Majori, cap. de Mola, Scaliger com. l.* 10. *Hist. an. Lemnius lib.* 4. *de occultis c.* 19. *Dodonæus Observ. Med. c.* 49. *Fuchsius in Pr. l.* 3. *Meth. Med. cap.* 58.

*Vid. Tom.* 1. *Disp.* 1. *Coron.* 11 *Exerc.* 1.

*cap. 38. Moxius in Meth. Med. Morb. Muliebr. per venæ sect. 2. cap. 29. & alii.* Assertionem utramque diligenter examinat *Paulus Zacchias, Medicus Romanus lib. 1. Quæst. Medico-Legalium tit. 3. Quæst. 6.* qui tandem num. 35. & 36. distinguit inter molam vitalem, & vitâ penitus destitutam, quarum illam sine viri congressu vix generari posse statuit, neque enim (inquit) possibile mihi videtur, ut muliebre semen tantum possit, ut vitam subjectæ materiæ impertiri valeat: & paulo post: imò de quâcumque magnum indicium violatæ castitatis, ex generatione molæ desumerem, cum aliàs rarissimè in iis, quæ viro non utantur, gigni manifestum sit. Amicus noster *Melch. Sebizius in tr. de Molis*, plerasque molas ex viri concubitu provenire credit: quasdam tamen etiam sine illius cohabitatione generari asserit; si enim, inquit, semen est mulieribus, sique illud aliquid ἐνεργείας in se habet, cur quæso impossibile esset molam ex eo produci, productamque sanguine menstruo augeri &c.

II. Quærimus autem, *an in mola curanda corporis exercitium conveniat?* Videtur hoc ipsum negare *Ant. ab Altomari*, quem sequitur *Forestus*, & alii practicorum, juxta sententiam *Avicennæ & Pauli*, propterea quod motus quamlibet fluxionem concitet. Veruntamen cùm vera mola per exercitium non rarò avellatur; potius cum *Roderico & Salio*, statuendum videtur, in excludenda mola corporis exercitium inconveniens non esse, nisi fortè dicta mola, sed tumor quidam induratus in matricis ostio subsistat, de quo *Paulus* egisse videtur.

*Quæstionis resolutio.*

Alii dicunt (inquit *Rod. à Castro pag. 2. de Morb. Mul. l. 3. c. 7.*) hos Autores in mola exercitationem prohibuisse, quando educenda est, non tamen in fœtu, quia fœtus naturaliter exitum petit, & humorem secum habet, os uteri & ejus collum lubricantem, qui fœtui viam faciliorem parat. At mola præter naturam est, & exercitio siccatis ductibus, vix avelli potest. Est & tertia respondendi communior ratio, exercitationem prohiberi initio, dum adhuc corpus plenum est, ne plures menses descendant, & materia fiant, quâ mola augeatur, sed non interdici corpore jam evacuato, & in fine curationis. Plura de curatione Molæ videas apud *Cordæum in Hipp. l. 1. de Morb. Mul. citato loco.*

Sed pro συζητήσει muliebrium affectionum hæc sufficiant.

---

Σὺν Θεῷ

# DECAS ULTIMA,

# DE QUIBUSDAM CONTAGIOSIS ET MALIGNIS AFFECTIBUS.

## ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

*Venena qualitatibus occultis agere.*

Postquam Scaliger Exercit. 218. Sect. 8. *affirmaverat, omnia ad qualitates manifestas deducere, summam esse impudentiam, statim subjicit venenorum exemplum, quæ diversas ab Elementorum qualitatibus proprietates obtinere dicit, ita ut lateant animos temperatos, illudant curiosis. Hoc non solum in Philosophorum scholis, sed etiam apud Medicos manifestissimum est, præsertim, ubi consideramus morbos contagiosos ac malignos, qui non manifestâ qualitate caloris, frigoris, aut alterius: sed occultâ quâdam venenatâ proprietate, vitali principio contrariante, miris modis corpora nostra lædunt & afficiunt. Horum naturam paucis per problemata subsequentia considerabimus, ut pateat, quantùm occultorum affectuum curatio distet ab illa medicatione, quæ per calidum, frigidum, humidum & siccum absolvitur.*

*Morbi totius substantiæ.*

### QUÆSTIO I.

*An peste correptis purgans medicamentum præscribendum?*

*Cur multi de peste scripserint.*

I. Impræsentiarum in pestis nomen inquirere noluimus, nec etiam originem ejus admodum inquirimus, sive ex sordibus residentibus, & non purgatis cloacis, *lib. 1. §. 1. de Cloac.* sive juxta *Heraclidem Ponticum in allegor. Hom.* à solis ardore, certis temporibus venenatos vapores excitante, sive juxta *Diodorum Siculum lib. 12. Biblioth.* ex aquis stagnantibus humectis, aut aliunde proveniat. Cùm autem propriè pestis sit Epidemius morbus, contagio populum inficiens, instar flagelli divini, sicut pluribus demonstrat *Pet. Georg. Tholosanus Syntag. Juris, lib. 31. cap. 21. num. 3. & 4.* Hinc horrenda pestis effecta plurimos viros doctos commoverunt, ut in ejus naturam diligenter inquirerent, summisque conatibus proprietates illius determinare conarentur, quod non omnibus eâdem felicitate successit, ob affectus hujus horrendi penitus occultam & absconditam essentiam. Inprimis autem

*Error multorum quod pestis ad manifestas qualitates pertineat.*

hoc ansam erroris multis præbuit, quod in eo laborarunt, quò pestis naturam à qualitatibus manifestis deducerent, quam ob causam in eo conveniunt, quod pestem ex putredine dependere statuant, sed ob difficultatem, quâ talis assertio laborat, in diversas abeunt classes. Hinc *Marcellus Capra lib. de morb. pand. fol.* 18. & *Alexander Massar. de abusu vesicant. fol.* 8. peculiarem terminum & gradum putredinis inexplicabilem addunt, undè non tàm ad antidota, quàm ad ea, quæ siccant, excrementa purgant, obstructiones solvunt &c. respiciendum esse putant. *Hieronym. Fracastorius lib.* 2. *de morb. contag. cap.* 3. pestem febrem sordidæ & profundæ putrefactionis, includentem seminaria acutissimæ contagionis, asserit: Cui etiam *Pet. Sybillinus lib. de peste, cap.* 1. subscribere videtur: qanquam inter recentiores *Hieron. Perlinus declamatione adversus contagionem* idipsum pesti denegare conetur. *Eustach. Rudius l. de febribus c.* 20. febris pestilentialis essentiam putredinem esse dicit rei venenatæ, cor insigniter lædentis. *Ant. Portus lib. de peste* putredinem, ex qua pestis oritur, largam, profundam, sordidam, conclusam, ad minima elaboratam, & in lentore constitutam statuit. *Horat. Augen. lib.* 4. *Epist.* 1. *tom.* 1. pestem vel pestilentem febrem omnem, putredinem continere dicit, sed excellentem & magnam, aliquid corruptionis includentem. *Jordanus tract.* 1. *de pestis φαινομ. cap.* 4. essentiam febris pestilentis in calore acri, mordacique statuit, qui in abstrusis & abditis corporis pentralibus latitans, in propatulo parum admodum vel nunquam versetur, intima horribili incendio premat viscera, & à maligna putredine p. n. in nobis generetur. Vide *Pamphilum Florembenum in Collect. de Febribus p.* 102. & *seqq.*

*Opinio I.* — *Opinio II.* — *Opinio III.* — *Opinio IV.* — *Opinio V.* — *Opinio VI.*

*Omnes opiniones dictæ generaliter improbantur.*

II. Etsi autem præsens institutum specialius omnium harum opinionum examen minimè concedit, generaliter tamen demonstrasse sufficiat, quod pestis essentia ex putredine, qualis qualis etiam illa sit, salvâ veritate, deduci nequeat, quia in putredine nihil aliud est, quàm primarum & manifestarum qualitatum actio, quæ ad effectus pestiferos declarandos minimè sufficit: hinc sæpius non levis putredo partibus nostris accidit (quod in ulceribus pulmonum apparet) cordi propinquissimis, à quâ tamen pestem excitatam nunquam legimus. Adde quod sine febrilibus, adeoque putrefactionis signis, non rarò pestes observatæ fuerint, ut patet ex practicorum monimentis, undè consequens est, putredinem de Essentia pestis non esse. Imò putredo non tàm subitò generatur, nec tàm fordida & profunda in nobis, absque manifestis indiciis, latere potest, ut exindè pestis accidentia deduci queant. Tandem si sola putredo in causâ est, cur omnes, tàm quoad curationem, quàm quoad præservationem, non iis, quæ putredini solùm resistunt, sed venenum à tota substantia oppugnantibus, utuntur.

*Quod essentia pestis non consistat in putredine.*

III. Quocirca potius cum *Sarraceno lib. de peste cap.* 2. *Valeriol. in append. ad locos communes*, *Columba lib.* 1. *de peste, cap.* 31. & aliis concludimus, pestem non ad putredinem, sed ad morbos totius substantiæ referendam esse, quia non sensim sed ἀθρόως, maximâ vi ac celeritate, insitos vitalesque spiritus, ipsumque adeò animæ proprium instrumentum, nempe calorem nativum primigenio humido inhærentem, primùm ac per se, tetrâ malignâque lue oppugnat, fatigat, ac plerumque corrumpit, ac prosternit. Continens enim pestis causa (inquit *Nicol. Taurellus in Methodo Medicæ prædictionis pag.* 120.) nec est putredo, nec inflammatio, sed occulta quædam & venenata vis, quæ nunquam sine febri in corpore delitescit &c. Plura videas optimo judicio collecta, quoad hanc materiam, in *Decade Pestifuga Guilelmi Marquis*, Medici Antwerpiensis. Etenim obiter notandum quod contra *Fuchsium lib.* 3. *Inst. sect.* 1. *cap.* 4. *Montaldum lib.* 2. *de homine sano cap.* 9. & alios ex superius citatis necessariò statuendum, dari morbos quosdam totius substantiæ, non quidem eâ ratione, quâ voluit *Fernelius*, partium substantiam seu formam sæpius immediatè & per se laborare, cum sanitas & morbus non ad essentialem, sed accidentalem corporis constitutionem pertineant, sed quatenus qualitates nobiliores, formæ magis intimæ, non manifestis, sed occultis qualitatibus contrariis afficiuntur. Notandum enim, quod quemadmodum rebus naturalibus non tantùm quatuor Elementa insunt, sed & nobiliores formæ, quæ earum τὸ εἶναι complent & absolvunt, sic etiam non solùm qualitates illæ manifestæ calor, humor, frigus & siccitas, aliæque hujus generis, sed etiam nobiliores, & illarum respectu magis occultæ, reperiuntur, à formis nobilioribus emanantes, ut nobiliorum operationum causæ sint proximæ. Ut autem manifestæ illæ sese mutuò afficiunt, & è subjectis se invicem expellunt, ita & hæ sibi contrariantur, quod vel unicè ex plurimarùm rerum antipatheja colligitur: at verò quicquid talium qualitatum respectu fit, illud ipsum respectu totius substantiæ fieri dicitur, tùm in corpore nostro, tùm etiam in ipsis medicamentis, non quod totâ substantia immediatè agant, sed ut ejusmodi actiones ab actionibus manifestarum qualitatum distinguantur, quicquid etiam hic objiciat *Andreas Chioccus, qui l.* 1. *Quæst. Med. q.* 3. theriacam, & alia alexipharmaca, qualitatibus potius manifestis, quam occultis juvare statuit, persuasus rationibus *Erasti in libell. de facult. Med.* Pulchrè hoc demonstrat *Stegghius leg.* 3. *Med. Theor. cap.* 2. inquiens: *partes nostri corporis corrumpuntur tum per manifestas causas, tùm per occultas: hæ fiunt ratione qualitatis cujusdam, procedentis immediatè à forma substantiali, parti cuidam nostri corporis, vel facultati vitali adversæ, ut formam partis, vel consequenter totius corrumpat* &c.

*Pestem esse morbum totius substantiæ.*

*Dari morbos totius substantiæ.*

IV. Quærimus autem hîc, *num peste correptis purgans medicamentum conveniat?* Inveniuntur, qui purgationem approbant, propterea quod peste correpti cacochymiâ laborent, maximisque corruptionibus humorum scateant. At verò talia purgationem indicant. Adde quod febris, internaque viscerum inflammatio fiat deterior, per usum alexipharmacorum, veneno resistentium, & insigni caliditate præditorum,

*Opinio affirmativa quæstionis. Ioh. Banhinus experientia comprobat purgantia moderata in principio libel. de peste.*

*Opinio negativa quæstionis. Vide Iordan. de pest. phæ. nom. tr. 3. c. 7.*

torum, nisi per præcedentem purgationem humores peccantes evacuentur. Aliis contrarium placet, nimirùm à purgantibus in peste quiescendum, propterea, quod causa peccans pestifera consistat in malignâ, venenatâque proprietate, quæ non purgantibus, sed alexipharmacis veneno resistentibus, expurgatur. Hanc ob causam illa medicamenta statim præscribunt, quæ venenum pestiferum expellunt & abigunt, quemadmodum illud ipsum in aliis venenatis affectibus eodem modo requiritur. Et quamvis verum & specificum pestis alexipharmacum homines latere hactenus voluerit *DEUS Opt. Max.* cujus peculiare flagellum hic morbus est, nihilominus ad communia remedia venenis resistentia, quæque multis experientiâ teste profuerunt, in pestilentia confugiendum esse censent, ad illa scilicet, quæ tota Essentia cordi amica, venenisque contraria sunt, illudque per sudorem, & occultam transpirationem inprimis expellunt.

*Decisio controversiæ.*

V. Pro quæstionis decisione concedimus, quod prima indicatio in peste desumatur à veneno pestifero, cui nec calidum, nec frigidum, nec purgatio, nec venæsectio, primò & immediatè succurrit, sed alexipharmacum simplex vel compositum, prout illudipsum, pro diversitate circumstantiarum concurrentium, indicatur. Verùm *plura cathartica* (*inquit* Palmar. lib. 2. de febri pestil. c. 24.) *non modò venenis non obluctantur, sed etiam venenatâ & maleficâ vi prædita sunt, quâ corporis vim, roburque partium dissolvunt. Si igitur pestis causa venenata est, cordique peculiariter infensa, nonnè ejus remedium cordis & insiti caloris robur tueri, venenoque adversari consentaneum est? At verò tantum abest, ut cathartico id concessum sit, ut præterquam, quod venenatæ malignitatis particeps est, pestilentem etiam perniciem cordi & spiritibus insertam, illicoque in corporis ambitum natura impetu tendentem, exagitet, confundat, & ad præcordia maximo naturæ damno, revocet, atque revellat, &c.*

*Purgantia appropriata in peste.*

Notandum tamen ex *Quercetan. in Alex. lib. 2. c. 7.* quod medicus observare debeat, num corpus sit cacochymicum, & putridis, qui malum foveant, atque sustentent, & febrem secum invehant, abundet humoribus: *quia tunc temporis specificum aliquod remedium prædictos humores expurgans, at simul qualitatem venenatam retundens, exhibendum esse censet.* Quo consilio *Palmar.* citato loco, Rhabarbarum cum aquis Bezoardicis infusum exhibet, vel etiam cum bolo Cassiæ & Rhabarbaro Mithridatium permiscet. Heurnius sæpe candidum Theriacæ drachmâ, pauxilloque pulvere Tormentillæ & Dictamni repletum & assatum, affusis aquâ Calendulæ, Cardui bened. paucoque aceto, in mortario contundit, & succum exprimit, in quo pharmaca solutiva convenientia dissolvit & exhibet, quâ ratione purgare, sudorem provocare, venenoque resistere nititur. Sic etiam ipse Quercetan. vel in decoctis, vel etiam aquis alexiph. in B. M. convenientia solutiva per diem naturalem infundit, & expressum datis indicationibus propinat.

*An vena secanda in peste.*

VI. Quod autem de purgantis medicamenti sumptione monuimus, illud obiter quoque de venæsectione notari potest, quam per se pestis alexipharmacum minimè statuimus, licet plurimi, præsertim ex vulgo, sanguinis emissionem primum in in pestis curatione statuant: *ea siquidem* (inquit Palmarius) *nativi caloris substantiam, quam tueri operæ pretium est, imminuit, infringitque vires, quas pestis amuletum confirmare debet. Præterea non solùm, quò natura & humor viam affectant, eo ducere medicum oportet, per loca naturæ longè commoda, & naturam probè suo fungentem munere in morborum curatione perpetuò imitari, sed etiam si quando utilis ipsius motus segnior aut infirmior existit, eum citare atque arte promovere. Quæ si vera sint, & naturæ pestis causam à se amoliri conantis motus intus foras sit, ut certè fieri fatendum est, quum è corporis centro ad peripheriam è partibus præcipuis ac principibus ad ignobiles, imbutos veneno atque inquinatos humores, unaque cum iis venenum ipsum propellat, quorsum attinet statim initio curationis catharticis & sanguinis missione motus in corpore ciere natura contrarios, & salutarem ejus impetum intercipere?* Notandum tamen, quod sanguinis missio conducat, quando subjectum laborantis admodum plethoricum est, & non solùm signa pestis, sed & implicitæ constitutionis putridæ Symptomata, ab humore, æstu, fervoreque prodeuntia, conspiciuntur, ubi statim in principio vena secatur, viribus scilicet adhuc constantibus, & sanguis plus minus, pro ratione plenitudinis, ætatis, anni temporis, aliarumque circumstantiarum mittitur, de quo vide Horat. *Augenium, Mercatum, Heurnium, Quercetanum, Sarracenum, Palmarium, Jordanum, Marsilium Ficinum lib. 4. de vita sana cap. 6. Bernhard. Dessenium lib. de peste pag. 53. & seq. Rod. à Castro tract. de peste, Marcum Anton. Zimaram par. 2. Ant. Magici lib. 2. quæst. 2. Diomedem Amicum, de peste cap. 54. & alios.* Si enim audacter omnibus vena secatur, vel purgans exhibetur, Medicorum experientiâ confirmatur, plures ex his interire, quàm ex iis, qui penitus à purgantibus & sanguinis evacuatione quiescunt, quemadmodum videre licet in *Foresto lib. 6. observ. 9. & seq. Rod. Fonseca de tuenda sanit. cap. 27. Paræo l. de peste cap. 24. Palmario l. 2. pest. feb. cap. cit. & aliis.*

*Conjunge Georg. Agricolam de peste p. 124.*

*Decisio quæstionis.*

Legatur elegans disputatio *Johan. Bapt. Minadoi.* qui *cap. 4. tract. de abusu non mittendi sang.* inquit, non semper esse verum, tutum in omnibus febribus malignis, & etiam pustulis manantibus, esse, protinus sanguinis missionem abrogare: nec esse verum perpetuò in omnibus, nec semper esse consentaneum rationi, nec utile. Dii immortales (pergit ille) quot ego toto meæ vitæ decursu, febribus malignis, pustulis, vel papulis exeuntibus, & transactâ quartâ & septimâ, & quartâ decimâ, cum paulo superiori virium robore, ab inferis revocatos vidi, in quibus natura non poterat ad extimas partes, nec per alios meatus, noxios, venenosos succos excernere, adjuti missione sanguinis restituti sunt sanitati; contra eos, qui illicò, auditâ & visâ morbi pestilentis constitutione, eam abrogarunt, &c. Subscri-

bit assertioni huic *Ant. Fonseca tr. de febri Epidemia, controv.19. eamque tr. ex professo Joach. Faber, in peculiari libello Germanico, sat eruditè concinnato*, quanquam Homonymus Dn. *Joh. Faber Landishutanus Med. in tr. de febri maligna*, dissentit. Idem asserit etiam pluribus in lib. de febre purpurâ *Joh. Coytarus c. 12.* cui etiam reiteratio venæsectionis in malignâ febri probatur. Adde limitationes, quas habet, olim amicus noster, *Dn. Octavian. Roboretus tr. de febri peticulari, cap. 15.* Timidior etiam in febre ardente tantùm est *Tussan. Ducret.com.de febrib.p.23.*

## QUÆSTIO II.

*An morsus Canis rabidi templo Divo Dononi, vel Sacello Divi Bellini sanetur?*

I. AD morbos occultos totius substantiæ morsum canis rabidi quoque referimus: nec immeritò, cum videamus satis exiguam morsiunculam frequenter interitum adferre, subsequentibus admirandis symptomatibus, delirio, metu aquæ, convulsione, anxietate implacabili, alios morsu petendi desiderio, siti, singultu, & aliis hujus generis, quæ satis testantur subesse quandam affectionem occultam, & ad solas qualitates primas minimè pertinentem. Vide *Jacob. Carantam lib.3.Decad.Medico phys.cap.2.* Hanc ob causam *Galen.lib.11.simpl.* præceptorem Pelopem reprehendit, quod hujus affectionis rationem ex causis manifestis ambitiosè reddere conetur. Nec obstat locus *Galeni lib.2.prorrh.com. 2. tex. 17.* quo commoti *Marcellus Capra, Alex.Massar. & Hercules Saxonia* statuunt, virus canino morsu inflictum intemperiem excessu vehementi calidam & siccam introducere, quia textus ille non ex propriâ, sed aliorum assertione producitur à Galeno, quemadmodum ex verbis ejus manifestè colligitur. Quod autem tali intemperie dictus morbus non absolvatur, ex eo probat *Palmarius lib. de morsu Canis rabidi cap.1. Si enim* (inquit ille) *verum est, cæcam & inexplicabilem hydrophobiæ causam, non nisi immodicâ siccitate nobis noxiam, & venenatam esse, quomodo impendens ea siccante cancrorum cinere, aut alexipharmaco nostro* (pulvere scilicet ex foliis Rutæ, Verbenæ, Salviæ min. Plantag. Polypod. Absinth. vulgaris, Menthæ, Artemis. Melissophyll. Betonicæ, Hyperici & Centaur. minoris, partibus aqualibus confecto) *probiberi vel jam genita extingui potest?* Conjunge *And. Chioccum lib. 3.3. Quæst. Med. q.13.*

*Morsus canis rabidi morbus totius substantiæ.*

*Symptomata hydrophobiæ.*

*Alexipharmacum in morsu canis rabidi.*

II. Hujus horrendi mali curationem in præsentia quodammodo inquirimus, quocirca dubitatur, quid sit sentiendum de iis, quæ *Cælius Rhodiginus de Bellini, & Matthiolus de Dononi templo* recitant. *Ille lib.17.lect. antiq.cap.28.* ubi pluribus de morsu canis rabidi agit, inter alia quoque talem medendi rationem præscribit; *Est in Rhodiginis paludibus* (inquit ille) *Divi Bellini templū, miraculorum frequentiâ celeberrimum, & affluxu hominum etiam notissimum. Erectæ ædis causa ferè publica est. Pulsus is Divus Patavio, grassantibus nobilium plerisque, quod severius, sanctiusque, quàm ab illis probari posset Episcopum ageret, insectantibusque inimiciter adversariis, in palustre agri nostri solum, quindecim millibus passuum Rhodigio distans, divertit. Cum manus hominum evasisse videretur, canum rabiem non evasit, à quibus è vestigio convulsus, discerptusque mox in Divorum indigitamenta relatus, templum in illis emeruit locis, in quo & arca marmorea, ferreis occlusa cancellis, latet sanctissimum ejus corpus. Templi verò ex necis genere ea est proprietas cœlestis, si quis clavem sibi quæsierit, quâ ædis valvæ recludantur, ac ea candente, quicquid rabie agitari orsum sit, attigerit, præsentissimum est remedium, & nunquam non verum.* Hic lib. 6. Diosc. cap. 37. in comm. subsequentia refert: *Perpauci nostro tempore habentur à rabido cane demorsi, qui medicos consulant: nam est tanta religionis vis, ut omnes quos rabidi canes momorderint, partim ad Divi Donini templum confugiant, partim verò ad Divi Bellini Sacellum, ubi quibusdam exorcismis, & panibus characteribus obsignatis, à sacerdotibus perquam facilè curantur, ut plurimorum testimonio equidem fateri possum.*

*Historia de templo D. Bellini.*

*Historia altera ex Matthiolo.*

III. Hic ante omnia notandum, quod tale tantum periculum non sine periculo vincatur, ut inquit *Paræus lib.de venenis cap. 15.* quam ob causam sine mora statim eò allaborandum esse censemus in iis, qui morsu canis rabidi læduntur, ut venenum per vulnus, interdum etiam levissimum, inflictum foras evocetur, quocirca illud ipsum, si necessitas hoc urget, amplificandum, in circuitu scarificandum, & sanguis copiosè detrahendus, appositis iis, quæ singulari proprietate, venenatam qualitatem attrahunt, ubi præ cæteris theriaca, vino generoso dissoluta commendatur, durius affricta parti læsæ, & postea cruore deterso, linamentis intinctis applicata, mox superpositis alliis vel cæpis, cum sale & Therebinthina commixtis, & intritis, quemadmodum *Paræus* habet. Interius verò minimè negligantur illa, quæ virus hoc caninum occultâ substantiâ vincunt, ubi *Palmarius* præ cæteris antidotis pulverem alexipharmacum, superius propositum, commendat, de quo singulis diebus drachmam dimidiam hominibus & aliis animalibus demorsis exhibuit, tanto cum successu, ut affirmaret nullum unquam animal hoc usum esse, quod non tam atrocis morbi periculum evitarit.

*Vera curatio morsus canis rabidi.*

*V. Ioh. Matth. in Quæst. Med. p.11.*

*Usus alexipharmaci Palmarii.*

Vide *lib.7.de Venenis cap.2 Santis Ardoyni*, quo in loco tam theoria, quàm curatio hujus affectus, ex diversis Autoribus plenius proponitur; & *Ferd. Ponzettum lib.3.de venenis Cap.16. & seq.* qui rem eandem etiam diligenter pertractat. Protinus enim naturæ succurrendum, inquit *Thom. Brichtus par.2.Therapeuticæ, mihi pag.158.* ante hydrophobiæ invasionem, ubi constiterit rabiosum esse canem, & antequam rapiatur in corpus venenum, aperientibus inductis, & ex alto revocantibus, ut emplastro ex pice, acetoque acerrimo, & opopanace, vel theriaca cum aq. vitæ affricatur, vel cæpe & allia cum sale ac ruta inducantur, & caustica imponantur, & ulcus ad 40. dies apertum teneatur. *Johann. Stockerus*, superiori seculo celebris Reipubl. nostræ Medicus, sicut adhuc Monumentum in Templo S. S. Trinitatis testatur, *lib.1. Empiricæ, à Dorncreilio editæ cap.61.* experimentum proponit in morsu canis ra-

rabidi, vel cujuscunque animalis veneno: ℞. Gentianæ pul. ʒj. cum ʒj. Theriacæ, vel sine ea, tribus diebus, omni mane, jejunet per 5. vel 6. horas, sustineat sudorem, si natura provocat; super locum vero morsus Allium, Ruta & Sal contusa superponantur in forma Emplastri: & addit quod hoc nunquam ipsum deceperit.

*Iudicium de assertione Cœlii Rhodigini.*

III. Assertionem verò *Cœlii Rhodigini de clave templi D. Bellini* quod attinet, illam partim superstitiosam, partim quoque rationali cutationi convenientem judicamus: superstitiosam, propterea quod falsa plebis persuasione virtus quædam sanandi clavibus illius sacelli tribuatur, quod tamen fieri nequit, cum res artificialis, quatenus talis, proprietates quasdam qualitatibus rerum oppositas habere nequeat: licet enim ars naturam imitetur, nunquam tamen ipsa per se sola naturalem producit effectum: partim verò curationi rationali convenientem judicamus illam assertionem, quatenus ejusmodi clave candente morsus inflictus exuritur, quâ ratione venenum elicitur, vulnus apertum conservatur, & illud minus ad internas corporis partes se insinuat: Etenim verum est, quod habet *Dioscor. lib.6.cap.38.* ubi inquit: *Contra virulentos ictus ustio expeditissimum auxilium est, utpote cum ignis cætera viribus præstet, sive quod virus domet, & ferri penitius non patiatur:* sive quod pars ignem experta postea non vulgare fundamentum curationi præbeat, manente diutius exulceratione. Adjuvat naturam in expellendo firma phantasiæ persuasio, quæ vel sola plurimos, gravissimosque morbos, non rarò curat, quemadmodum supra *decad.2. quæst.10.* pluribus monuimus. *Matthiolus* porrò sibi ipsi probabiliter respondet, inquiens: *Cogitanti mihi quonam pacto id tàm facilè eveniat, nonnullæ se obtulerunt rationes, quas liberè dicam. Haud dubiè inprimis divina auxiliatur gratia, quippe cum non parum molestiæ, malique morsu canis rabidi affectis inferre possint Cacodæmones, ut qui in atrabilariis humoribus suam habeant sedem, iique exercismis cedentes abeunt, & afflictorum corpora munda relinquunt, sublato secum veneno. Illud præterea addiderim, quod fortassè sacerdotes ipsi aliquod nobis occultum habent antidotum, quod panibus illis admiscentes ægris devorandum præbent, vel id aliquo in potu bibendum exhibent. His denique accedit magna laborantium fides, quam suscipit Deus Opt. Max. cujus solius munere omnia nostra delentur incommoda, atque omnes auferuntur ægritudines.* Hæc ille: *Conjunge* tom.2.lib.7.obs.22.& 23. p. 332.333.& 334.

*Matthiolus sibi ipsi respondet.*

## QUÆSTIO III.

### *An lue venerea correptis conveniat sanguinis missio?*

*Origo morbi Gallici.*

I. LUem Veneream alii morbum Gallicum, alii Neapolitanum vocant, propterea quod Carolo VIII. Galliarum Rege cum Alphonso Neapolitano bellum gerente, circa 1496. annum, juxta *Benivenium*, originem suam habuisse feratur, licet *Reusnerus Exercit. 1. de Scorb.* ex Indorum historiis confirmet, eundem affectum longè antè fuisse, ita ut & ipsi Hippocrati non ignotus videatur, ubi considerantur illa, quæ *l.3. Epid. sect. 3.* de signis Indici morbi proferuntur.

Hic enim *tex. 22. & 23.* recensentur symptomata cum lue Venerea maximam convenientiam habentia, scilicet abscessus ad suppurationes, carnium, ossium & nervorum denudationes atque elapsus magni, fluxio collecta non puri similis, sed deterior putredo, glabrities totius capitis & menti, cum vel sine febri: sacer ignis cum minimis ulcusculis & inflammatione, brachii & cubiti defluxus, membrorum dolor, circa fauces tubercula, linguæ inflammationes, abscessus circa dentes, voces vitiatæ impeditæ & involutæ, tabes incipiens, ardens febris, sed omnium gravissimum, ubi pubem atque pudenda malum hoc affligit; quâ de causa Pudendagra vocatur quibusdam *Auger. Ferrerius.* Sunt qui insolentem syderum constellationem accusant, & trium superiorum planetarum & Mercurii, in signo libræ, & 8. à hemisphærii domo conventum, binasque Eclipses huic mala contagioso originem præbuisse statuunt. *And. Cæsalpinus lib. 4. Artis Med. cap. 3.* primordium mali deducit à vino Græco, sanguine leprosi infecto, quod Gallis in expeditione illâ Neapolitana in oppido quodam montis Vesuvii ex malitiâ relictum fuerit. *Paracels. Theophr. lib. 2. Chirurg. magn. tract. 1. cap. 7.* derivat morbum ex coitu Galli leprosi cum scorto, bubonibus infecto, in exaltatione veneris, cui tempore congressus menstrua fluere incipiebant, quo prostituto multis, ex bubonibus & lepra, veluti mulus ex equo & asina, malum hoc prognatum fuerit. Quod *Hispani & Lusitani* luem hanc ex Americæ occidentalibus insulis, quibus hic morbus endemius est, cum Indicis mulieribus rem habendo, secum in Europam attulerint, Historicorum fide constat. Notatu dignum est, quod habet *Leonhard. Fioravanta lib. 1. Coronæ Medicinalis cap. 24.* qui asserit, se ex fide dignis habere, quod in expeditione ista bellica Neapolitana, propter summam annonæ penuriam, quotidiè carne humanâ cæsorum milites, inscii quidem, nutriti fuerint, undè postea morbus hic detestabilis & abominandus subsequutus fuerit. Cui relationi fidem dederit, experimento facto, dum primo suem, postea catellum, ac tertio noctuam, suæ speciei carne per tempus aliquod nutrivit, in omnibus pustulis & accidentibus gallicis, cum doloribus subsequentibus. Hinc minimè mirandum esse statuit, quod in India frequens hic morbus sit, cum historiæ testentur, quod humanam carnem in delitiis habeant.

*An lues venerea sit intemperies calida & sicca?*

Ad quod verò genus morborum hic affectus pertineat, controversum est apud autores: quidam eò inclinant, ut luem veneream intemperiem calidam & siccam statuere conentur, quos doctè refutat *Palmarius lib. 1. de lue Venereâ cap. 1.* quia calida sicca intemperies tàm subitò non afficit corpus, ut morbus Gallicus, neque protinus tot diversa producit symptomata: imo quomodo calido sicco alexiterio, nimirum guajacino ligno, malum hoc mitesceret, vel radicitus evelleretur?

*An efetus gradus cujusque intemperiei, constituat hunc affectum?*

II. Has & similes difficultates vide *Mercurialis lib. de morb. Gall. cap. 1.* qui morbum hunc in qualibet intemperie constituit, sed additâ cautione, ut character hujus

hujus morbi sit intemperiei certus quidam gradus & modus nobis incognitus, per quam determinationem additam omnes difficultates solvere conatur. Veruntamen cum modus ille intemperiei unius effectus causa statuatur, necessariò sequitur, eundem peculiarem malignitatem ab omnibus intemperiebus diversam includere, quâ ratione nolens volens Mercurialis concedere cogitur, morbum hunc esse morbum ab intemperiebus diversum.

*An lues venera non sit morbus sed causa morbi?*

III. Ut igitur hanc etiam difficultatem effugerent *Capivaccius lib. 5. Pract. part. 2. cap. 1. Herc. Saxon. lib. de lue Vener. cap. 1. & seq.* ac *Montaldus lib. 2. de hom. Sano cap. 11.* idcircò putarunt, luem veneream non esse morbum, sed causam agentem à totâ substantiâ, producentem morbos diversos in intemperie, in compositione, in solutione continui tot, quot sunt ulcera, gummata, dolores & reliqua, quæ hoc morbo affecti patiuntur. Sed quod hi quoque nodum in scirpo quærant, experientia confirmat, quâ docemur ulcera, tumores atque intemperies venereas malignitatem quandam singularem includere, quod ratio quoque suadet, cum quodlibet agens sibi simile producere conetur.

Conjungatur hic *Aurelius Minadous tract. de virulentia vener.* qui post examinatas opiniones aliorum, nempe *Leoniceni, Montani, Massæ, Capivaccii, Catanei, Suessani, Fernelii, Rondeletii, Ferrerii, Monardi, Tomitani*, & aliorum, concludit, virulentiam Veneram non morbum, *cap. 17.* nec symptoma, *cap. 18.* nec causam propriè, *cap. 19.* sed vaporem vagum esse præter naturam à toto genere, seu à totâ substantia, *cap. 20. 21. & 22.*

*Luem veneream esse morbum totius substantiæ?*

IV. Hanc ob causam recipimus sententiam *Fallopii lib. de morbo Gallico cap. 20. Paræi lib. 18. Chirurg. cap. 1. Palmarii loco citato, Mercati lib. 1. de morb. gall. cap. 1. & 2. Columbæ lib. 1. de peste cap. 24.* & aliorum, qui statuunt morbum Gallicum esse morbum totius substantiæ, quod maximè patet ex contagio, quod omnibus affectibus hîc concurrentibus convenit, tùm etiam quod in manifestis qualitatibus primum nulla vehementior mutatio observetur, propterea quod agens occulto modo patiens suum adæquatum afficiat. Quatenus autem ulcera & tumores in hoc affectu non sunt ejusdem generis cum aliis, eatenus etiam non cedunt medicamentis ratione inventis, sed totus morbus iis curatur, quæ ab occulta substantia agunt: Adde quod causam obtineat à tota substantia corpus humanum afficientem, scilicet peculiare quoddam venenum, quod juxta *Saxoniam* incipiente morbo vaporosam substantiam, in antiquato verò crassos potissimum & pituitosos humores corporis humani præter naturam afficiat.

Notabilis est locus *Nicol. Taurelli l. Method. prædict. Med. pag. 129.* dum inquit: Si occultam & venenatam qualitatem esse dixerimus; hujusce morbi naturam verius expressisse videbimur meritò, quam si vel calidam imperiem esse statuerimus. Nam licet in hoc morbo calorem & frigus admittamus, nequaquam tamen vel calore, vel frigore morbus est definiendus, cum tot, tàmque gravia symptomata proferat, ut aliud quid exquiri debeat, quod vera sit horum causa: fateor quidem imperitorum esse, statim, & subindè ad sacram illam occultæ proprietatis anchoram confugere: sed tamen id etiam temeritatis est & futilis arrogantiæ, si dicas te intelligere, quod minus intelligis, quam qui se nescire fatentur.

*Quanam pars primò afficiatur in morbo Gallico?*

V. De parte laborante variæ sunt opiniones, ubi nobis præ reliquis arridet assertio *Mercati lib. 1. de morbo gallico c. 1. & Fallop. tract. de morb. gall. cap. 13.* quod primò venenum luis venereæ jecur afficiat: quamvis enim & aliæ partes lædantur, ut patet in capite, corde, pulmonibus, faucibus, partibus genitalibus &c. non tamen in illis perpetuus & constans est affectus, sed mutabilis & incertus: at jecoris operationes in omnibus hâc lue pollutis vitiantur, quod patet ex gravitate totius corporis, coloris immitatione, plurimorum excrementorum collectione, & sanguinis à naturali statu declinatione, quam consequenter plures alii effectus, pro diversitate subjectorum, diversi subsequuntur, quam ob causam verisimile est, hoc venenum propter singularem συμπάθειαν & connexionem, quam humores, cui insidet, cum jecore, tanquam officina propria, possident, ipsum jecur afficere, màximè cum infecti jecur συμπάθειαν sortiatur cum jecore inficiendi corporis majorem, quam cum quovis alio membro, secundum Mercatum. Ut enim tabes putrescentium pulmonum in phthisicis contagio pulmones, & dysentericus affectus intestinorum, intestina aliorum, & non alias corporis partes ex singulari proprietate lædit, sic etiam hic eadem videtur esse ratio.

*Paracelsus lib. 2. Paramin. cap. 4.* per sublimationem Mercurii à calore fieri dicit, quâ tantam ad subtilitatem redigatur, ut eidem nihil resistere valeat, adeoque carnes & ossa penetret. Sed obscurum per obscurum: quanquam alibi morbum hunc ex putrefacto sanguine, latâ nimis notatione fieri dicat. Notabilis autem est discursus Hermeticus de hoc morbo, quem habet *Joh. Petr. Faber. in Chirurg. Spagyrica, sect. 3. cap. 13.* In lue venerea est insignis corruptio Balsami naturalis futuri, hoc est sanguinis & cambii, & corruptio naturalium spirituum, beneficio quorum hic morbus fit contagiosus, nam Spiritus seminales, qui naturales sunt, constant ex tenuissimâ sulphuris, Mercurii & præcipuè salis, substantiâ; turget enim Spiritus salis in hoc spiritu seminali, undè est illa ingens titillatio & voluptas, toti corpori communicata. Spiritus (inquam) hi cum egrediantur è corpore, per vias communes, & generationi destinatas, dum homo suo simili jungitur, non ad sui similis productionem & generationem, sed ad voluptatem & delicias, in quibus ob fragilitatem carnis volutatur: ideò repetit actus illos, ut voluptate suâ inebrietur; quibus tandem tam diu repetitis, ob humiditatem partium generationi dicatarum, & calorem sæpe naturalem, corrumpitur semen in suâ substantiâ, & spiritus inficiuntur, & infecti regrediuntur ad fontem, nempe ad hepar, ibique sanguinem & spiritus naturales reliquos inficiunt, & ab hoc fonte totum corpus inficitur. Homo autem sic infectus, aut mulier, si cum altero rem habeat veneream, inficit eum simili infectio-

ctione, per contactum seminis & spirituum naturalium infectorum, qui suos similes illicò aggrediuntur & inficiunt: calor deindè naturalis per facultatem expultricem excitatur ad expurgationem illius infectionis, undè desiccat & calcinat salem Balsami naturalis, desiccatumque ad cutim pellit, ibique ulcuscula rotunda, rubea, crustacea excitat. Tunc aliquando si Materia corrupta maximo abundet sale, & pellatur ad superficiem cutis, decidunt pili, quia sal corrodit & causticat radices pilorum, undè fit eorum casus. Si verò hæc eadem materia, quæ ad cutem amandatur, non tota ad cutem, sed ad centrum corporis, hoc est, ad imum musculorum, nervorum, tendinum & periostiorum amandetur, tunc fiunt dolores ingentes, & crudeliores arthritide, ex corrosione illarum partium ab ipso sale: hoc autem fit, dum tota materia luis venereæ non ad cutim & superficiem corporis cogitur, propter crassitiem suam, & tartaream ejus naturam, quæ non potest à calore naturali corporis sublimari ad partes superiores: itaque crassior redditur & fixior, & proinde acrior & mordacior fit: coquitur enim à calore semper sal, undè dolores illi crudeles & atroces. Hæc deinde materia pedetentim in tophos & nodulos, qui curationem difficiliorem multò reddunt, imò incurabilem medicamentis vulgaribus, coalescit, &c. Hinc ergò rectè dicit *Joh. Pet. Passerus de cap. vuln. cap. 4.* in iis, qui morbo venereo laborant, membra omnia, præsertim naturalia (jecur potissimum) ut plurimùm remanent imbecillia, & ad pravos succos congregandos apta; quam ob causam non semel observavi, quod plures à lue venerea curati tandem hydrope perierint. Conjunge Carmen elegans *Gabrielis Ayalæ in Epigram. Medicis, mihi p.31.* ubi inter cætera canit:

*Non mihi depascens ulcus, scabiesve pudenda,*
*Non dolor articulos, & caput omne premens,*
*Ut neque fœda Gonorrhœa, aut jactura pilorum,*
*Tuberave, aut maculæ, quem cano morbus, erunt.*
*Sed jecoris labefacta caro, cum frigore sicco,*
*Sordido ab amplexu Cypria Virgo tuo.*
*Ni fortè accubitu, aut contactu serpsit in hepar*
*Corpore ab infecto, transitione duce.*
*Scilicet huic monstro est præsens contagio &c.*

*Pro Quæstione primaria rationes negantes.*

VI. Quærimus autem *an lue venereâ correptis vena secanda?* Quidam ex toto negant, propterea quod affectus videatur esse frigidus, cui venæsectio minimè convenire videatur. Adde quod plerumque cum bubone venereo malum invadat: at hic minimè probatur venæsectio, propterea quod naturæ motus, quo noxiam peccantem materiam expellere conatur, impediatur, venenum ad viscera vicissim revocetur, & bubones tardius ad suppurationes perveniant.

*Affirmativa atiunes.*

VII. Aliis affirmativa placet, quibus *Mercatus l. 1. de morbo Gallico* subscribit, his verbis: *Censemus primò mali accessu sanguinem esse mittendum, tùm plenitudinis auferendæ ratione, tùm verò ut purgantibus, quæ vehementiora debent esse, expeditior, liberiorque via subsit: tùm ultimò, ut ex jecore major sanguinis portio educatur, ne in majorem materiæ copiam, aut ad plures corporis partes sese veneni virulentia extendat, ut frequentissimè accidisse comperimus in his, qui ut infamiam fugiant, occultè & religiosè cavent, quò minus aliquis hujus mali principium intelligat, &c.* Idem *Fallop. innuit, tractatu de morbo Gallico cap. 39.* dicens: *Cùm evacuandum corpus, primum secamus venam lenitione alvi præmissâ, vel per Cassiam, vel per serum, vel per Syr. rosat. solut. Secamus autem venam, ut plurimùm temperemus ebullitionem in hepate, secundò, ut imminuamus materiam alterandam medicamentis & evacuandam: tertiò cùm morbus sit per contagium & inficiat hepar, ad quod fit concursus humorum, fiet revulsio à partibus intrinsecis ad extrinsecas.*

Non enim solùm plenitudinis causâ sæpius sanguinem mittendum esse *Gal. innuit l. de cur. rat. per venæs. c.7.* Sed etiam eâdem absente, quod declarat *Joh. Nic. Rogerius in comm. cit. loco,* dum inquit: ubi phlegmone concitatur, aut ob ictum, vel dolorem, aut ob partium imbecillitatem, mittere sanguinem expedit &c.

*Assertio propria.*

VIII. Has ob causas omninò sanguinis missionem convenientem judicamus, ubi sc. non subitò, sed per intervalla detrahitur, ut minus vires labi contingat: imò non rarò reiteratur sanguinis missio, cum ulcera inflammantur, dolores exacerbantur, aut alia accidunt, venæsectionem indicantia, quia *Mercato teste*, audacius in his, quam in sanis, aut alio quovis morbo laborantibus, sanguis mittitur, *præstat enim*, inquit ille, *corporibus pestifera hæc lues nescio quam virium firmitudinem, & roboris integritatem.* Nec obstat, quod quidam hoc remedium improbent, propterea quod frigidus videatur affectus, utpote cum pituitosus sanguis abundans in cadaveribus Gallicosorum incisis non semel inventus sit, quemadmodum classicorum Autorum quidam testatur; non, inquam, hoc obstat, quia tale quid potius ex accidenti fieri videtur, ob usum argenti vivi, quod pituitosorum humorum copiam oppidò colligit. Quod autem bubones attinet, in illorum præsentia dictas ob causas sanguis non detrahitur, quamdiu materia adhuc affluit: at fluxione cessante sanguis aliquando detrahendus, quia deonerata natura facilius in bubonibus pus conficit, quod maximi momenti est in eorum curatione, ut habet *Mercatus.* Plura qui vult videat apud *Fallopium* cit. loc. *Joh. Zecchium. l. de mor. Gal. c. 11. & 13.*

## QUÆSTIO IV.

*An caro viperina conducat Elephantiasi?*

*Carnem viperinam antiqui commendant.*

I. Inter antiquos *Galenus* hoc asserit, præsertim *lib. 11. simpl. §. de carne viperæ*, quinque referens historias de Elephanticis, usu viperarum sanatis, quas copiosè resolvit *Joh. Baptista Sylvaticus histor. 71.* subscribuntque *Gal. Paulus l. 4. de re med. c. 1. Oribasius in 6. Synops. c. 5. & lib. 3. de morb. curat. c. 61. Aetius 4. Tetrab. 1. serm. 123. cap.* qui modum præparandi singularem proponunt.

*Contrarius est Palmarius.*

II. Etsi verò *Julius Palmarius l. de Elephant. c.9.* tam propriâ, quàm Fernelii autoritate, & experientiâ veterum assertionem improbet, dum inquit inter alia:

*Theriacam Elephanticis multis, quâ methodo veteres præcipiunt, præbui, sed nullo prorsus profectu, quæ res effecit, ut viperas ipsas aliter atque aliter apparatas experiri aggressus sim, quas tamen nihilo plus opis afferre comperi*: nihilominus tamen contrariam experientiam inter recentiores etiam adducit *Vidus Vidius part. 2. med. sect. 2. l. 5. c.* 8. dicens: *habet vipera vim totâ substantiâ, per quam efficit, ut extima pars corporis affecta, quasi serpentum senecta, resolvatur & decidat. Pluribus autem modis datur &c. quod non tantùm à Galeno relatum fuit, sed frequentatum quoque Romæ memoria nostra à Gilberto, Medico Germano, qui & se, & alios hoc vitio laborantes, eo remedio curavit, &c.* Idem *Solenander* habet *sect.* 1. *consil.* 25. dicens: *Mihi verò sequenti experimento alius in simili & graviori casu in Italia curatus est. Accipio duas aut tres viperas, vel totidem alios serpentes, conscindo vivos, & adjecto multo hordeo decoquo in aqua, quo ad hordeum tumeat ac crepet: hordeo eo, & ipsa serpentum carne pullos Gallinaceos multos continuo alo, nec aliud alimentum suppedito. Solent pulli, postquam aliquot dies enutriti sunt, implumes evadere, & tandem rursus plumis vestiri. Ubi igitur per multos dies ita aliti sunt, paulatim incipio ægrum horum carne, & carnium eorum jusculis alere. Hoc remedium comprobatum est experientiâ.*

*Contra Palmarium est Vidius & Solenander.*

Idem remedium repetit etiam *Zachar. à Puteo Medicus Venetus in Clavi Medica sect. 2. mihi p.* 177. qui modum quoque monstrat, quo dictum remedium in pastillos redigatur, ut exigente necessitate quovis tempore paratum esse queat, cum aliàs tantùm vere conficiatur. *Vide quoque Joh. Bapt. Port. l. 5. Phytogn. c.* 11.

*Decisio quæstionis.*

III. Nos, licet observatione propriâ casum præsentem decidere nequeamus, verisimiliter tamen potius affirmativam, quàm negativam concludimus, perpendendo, quod, omnibus ferè Medicis consentientibus, trochisci de carne viperina confecti, basin theriacæ constituant, propterea quod maximè venenis resistant, non manifestis qualitatibus, quibus juxta Galen. caro viperæ siccat, vehementer digerit & mediocriter calefacit, sed occultâ quâdam proprietate, quam ulterius post Vidium & Solenandrum, declarare conatur *Querc. l. pharm. dogm. c.* 18. demonstrans, quod antiquiores naturam viperarum expiscari conati sint, eam ob causam, quod viderent, inter alios serpentes viperam solùm, & colubrum, exuvias tempore verno deponere, & quasi juvenescere. Præsumendum hinc igitur atque credendum esse putat, in viperis & colubris non tantùm ad sui conservationem, sed in aliorum quoque usum, concessum esse naturalem quendam instinctum, quo pretiosum naturæ Balsamum, in quo omnia animantur & vegetantur, copiosè attrahunt, atque verno tempore potissimùm (ubi illud ipsum in exaltatione suâ est, ab igne cœlesti potenter elevatum & excitatum) eodem abundè vigent, ita ut non solùm renoventur, & exuvias suas abjiciant, sed insuper etiam universalem Medicinam, ad omnem scabiem, lepram, Elephantiasin, venenumque constituant. Quod ipsum *Horat. Augen.* etiam *innuit l.* 4. *tom.* 2. *cap.* 16. dicens: *neminem esse arbitror, qui nesciat, viperam habere hanc facultatem innovandi spolium, antiquo relicto: imò hoc proprium est omnium ferè serpentum. Indicatio pro sanando Elephante potissima est, removere totam superficiem corporis, tanquam corruptam, dissolutis ex ipsa humoribus malis & venenatis, & horum loco substitutis novis; cum igitur viperæ hanc facultatem habeant efficiendi in seipsis, rationi consonum est, eandem habere in aliis.*

*Cur veteres in viperarum naturam inquisiverint?*

IV. Hinc verisimile quoque redditur, quod habet *Rhodigin. lib.* 18. *lect. antiq. c.* 35. nimirum amare viperas balsami succum in Arabia nascentem, quo aluntur plurimum, ejusque umbram: *nam & in odoriferis sylvis* (pergit idem) *serpentes, sive serpulas, ut veteres loquebantur, reperiri frequentissimas traditum est, & scribit Bibliotheces quarto Diodorus. Ubi verò Arabibus appetit tempus Balsami succulentum excipiendum humorem, Scytalas fert unusquisque duas adversum viperas: quippe, invicem iis allisis, sono illas abigunt. Interfecisse namque cavent cumprimis, Balsamo sacras opinati. Quod si quem fortè mordicus apprehenderint: fit vulnus perindè ac ferro illatum, sed veneni timor nullus: quando cibis pastæ odoratis viperæ virulentiam, lethalem aliàs, mitiore permutant potestate &c.*

*Singularis observatio de viperis.*

V. Patet igitur non propterea viperarum carnes Theriacam ingredi, ut tanquam venenum per similitudinem alexipharmaca ad venenum expellendum quasi manu ducant, quod placuit *Barthol. Maranthæ*, quem *Thomas Jordan. de pestis phænom*: sequitur, vel ut veneno resistant, quatenus nimirùm venenum alteri veneno contrarium esse potest, ut homo liberetur propterea, quod duo venena contraria seipsa corrumpant in corpore nostro, quod placuit *Joberto dec.* 2. *Parod.* 1. *& lib. de pest. in fin. quæstion.* 5. cum hâc ratione non præservationis, sed tantùm curationis gratia Theriaca conveniret, sed quatenus in iis non venenum sed potius alexipharmacum contra venenum latitat. Non enim ex toto vipera venenata est, sed in certis tantum partibus venenum gerit, in capite potissimum respectu dentium & gingivarum, atque vesicula fellea, quemadmodum *Angelus Abbatius de natura viperarum* observavit: in reliquis partibus vis resistendi veneno latet: hinc produnt Naturalium aliqui (inquit *Cælius Rodiginus lib.* 6. *lect. antiq. cap.* 16.) eos, qui aliquando viperæ jecur coctum hauserint, nunquam postea feriri à serpente.

*In viperarum carnibus esse alexipharmacum.*

Nec quotidiana deest experientia, quâ Bezoardicum animale, quod quidam ex vertebris spinæ dorsi, quidam ex corde, epate & lingua, quidam ex vertebris cum dictis partibus in pulverem redactum, contra omnis generis venena miris laudibus extollunt, de quo viris doctis liberum judicium relinquimus.

*Bezoardicum animale.*

Inter alios pulveres bezoarticos serpentinos notabilis est ille, cujus mentionem facit *Angelus Sala*, quem pluribus describit *in Exegesi Chymiatrica. And. Tentzelius pag.* 589. cujus præparatio talis: Recip. Serpentes, aut viperas in Majo, vel Junii principio exclusо veneno exuvias depone. Exime & abjice intestina, & pinguedinem, & caput detruncato: corpus verò reliquum vino albo, cum Myrrha essensificato,

elo-

elotum, ad solem, vel locum quemcumque calidum, ad arescendum suspende. Hinc scinde in minutas particulas, atque super cribrum vel setaceum ad perfumandum ritè colloca, suffimento ita parato: ℞. lign. Aloës el. ℥j. Styracis cal. Gum. Benzoi ana ℥ij. Perfumata jam in pulverem redige, cum coltis simul, & in quamlibet unciam adde ol. cinam. caryophyll. Nucis mosch. ana G. iiij. F. pulvis, cujus dosis à ℈j. ad ℥j. Sed nota ex *Raymundo Lullio l.2. de 5. essent. can.* 3. quod incurabilis sit Lepra, quæ permittitur à DEO, sicut lepra Giezi & Constantini, quæ non nisi divinâ virtute curantur; nec etiam illa curatur, quæ per generationem venit, sed prædicta sunt intelligenda de plaga lepræ, quæ advenit hominibus ex humorum corruptione, & venenorum inficientium naturâ, &c.

## QUÆSTIO V.

*An excretorum diligens ad occultiora loca remotio tempore dysenteriæ pestilentialis sit necessaria?*

*Affirmatur quæstio.*

I. Omninò: videmus enim quod tempore dysenteriæ pestilentialis, quæ cum malignitate quâdam plures in uno loco simul afficit, major sit vis contagii in expirationibus venenatis excretorum, quàm in quotidiana laborantium conversatione, quapropter astantes non admodum inficiuntur ab ægrotantibus, nisi cloacis cum iisdem communibus utantur. Commodissimum igitur erit, ut quicquid ab ægrotantibus dejicitur, mox terra obruatur.

*Cur potius ab exhalationibus excretorum inficiantur alii.*

II. Qui autem fiat, quod potius ab exhalationibus excretorum quàm ipsis laborantibus, alii inficiantur, quærimus, præsertim cum in peste & aliis affectibus malignis, per expirationem occultam à vivente corpore prodeuntem, potissimum vis contagii serpat in alios. Sed notandum in dysenteria malignitatem adesse, non respectu totius, quia morbus hic universalis non est, sed ratione specificæ & malignæ corruptionis illorum humorum, qui intestinorum exulcerationem fœtidam generarunt. Quatenus autem hæc corruptio specifica, singulari cuidam parti, nimirum intestinis, & non simpliciter toti, contraria & inimica est, eatenus facilimè recipitur, & vim suam exerit tunc temporis, ubi quis aliquo modo dispositus ad cloacas ægrotantium accedens, per inferiorem gutturem (ut Plautus loquitur) venenatas expirationes excretorum recipit.

*Respondetur.*

*Cur plurimum valeat imaginatio & timor tempore Dysenteriæ?*

III. Juvat hanc infectionem admodum timor & consternatio, quæ in hoc affectu plura sæpius præstat, quam in ipsa peste, propterea quod hic morbus magis in humorum & spirituum commotione consistat, quæ pro imperio phantasiæ diversimodè fieri potest. Etenim in peste licet adsit timor & consternatio, non tamen infectio fieri potest, nisi vel per contagium, vel ex corruptione contentorum venenum pestiferum accedat: at in dysenteria hoc ipsum necessarium non est, quia fieri potest, ut ex commotione succi acriores ad intestina confluant, exulcerationem ibidem producant, & consequenter fluxum Dysentericum efficiant; quid enim in commovendis humoribus & spiritibus imaginatio possit, alibi monstravimus.

Videatur hæc quæstio plenius à nobis tractata, *Tom. 1. tàm in Disputat. 3. Coronid. 1. Append. de Cons. & cruentat. cadaver.* quàm etiam *in Dissertatione IV. Tomo primo annexa*, cum quibus conjungi potest lectio *cap. 19. sect. 2. de principio effectivo seminis Johan. Hieronym. Bronzerii*, ubi vires Imaginationis ulterius præter communes assertiones extendit. Multa quoque cum judicio tamen legenda, proponit in hâc materia *Cornel. Agrippa lib. 1. de occulta Philosophia cap.6. 3. & sequent. mihi pag.* 83. Adde quoque *Theophrasti Paracels. tractat. 1. de pestilitate & alibi. Idem Rob. Flud. à Fluctibus, in Med. Catholica tom. 1. tractat. 1. sect. 2. pag. 3. lib. 2. cap. 4. Fortun. Licetum de perfecta constitutione hominis in utero, cap. 26.* Unde patet, rectè scripsisse *D. Hilarium tom. 2. in Psal. 127. mihi pag. 293.* quod à timore Domini differat timor opinionis humanæ, qui nihil sit aliud, quàm imbecillitatis humanæ trepidatio, metuentis id perpeti, quod sibi nolit accidere.

## QUÆSTIO VI.

*An in sudore Anglico sal absinthii conveniat?*

*Sudor Anglicus quid sit.*

I. Quanquam *Johan. Anglicus in Praxei sua, quam Rosam Anglicam vocat, pag. 709. & sequentib.* multa de natura sudoris proponat, nihil tamen de hoc morbo scribere potuit; qui horrendus fuit affectus, & anno Salutis 1486. populariter in Anglia grassari cœpit, & postea 1525. inferiorem Germaniam, Galliam, Hollandiam, & finitimas regiones pervagatus est, cum tantâ truculentiâ, ut vix centesimus quisque valetudinem recuperaret, sicut habet *Reusnerus lib. Scorb. exercitat.* 1. Erat autem sudor tam funestus & lethalis, repentè cum gravissimo capitis ardore & ventriculi incendio invadens, ut antequam à Medicis investigando de eo aliquid conjiceretur, ægros anima exueret, ut inquit *Quercetanus lib. diæt. polyhist. sect. 2. cap. 1.* vocatur à *Wiero lib. de morb. incogn.* febris diaria pestilentialis, cum intra viginti quatuor horas, vel ad mortem, vel ad salutem terminetur, cui remedio magis præsenti succurri non potest, quàm provocatione & continuatione sudoris, omni frigoris ambientis qualitate penitus vitata. Hinc citato loco *Quercetanus: Remedium inventum fuit huic malo; ut qui interdiu corripiebantur, mox ita ut induti erant lectum peterent, qui verò noctu aut in stratis deprehensi, sine ullo motu (nullâ vel minimâ jactatione) ad vitandum frigus, quod sudorem sensim & leniter destillaturum impediret, lecto affixi perseverarent, donec sic sudando quiete 24. horis, à cibo & potu omninò abstinendo, pristinæ valetudini restituerentur.* Vide *Jul. Guastavinium l. 2. locor. Med. select. c. 43. & Jul. C. Baricellum l. 3. de sudore c. 3.*

*Remedium sudoris Anglici.*

*Ejus remedia.*

*Affirmatur quæstio.*

II. In hoc affectu, *num sal absinthii conveniat quærimus?* Affirmativam cum Wiero tenemus, propterea, quod hâc ratione naturam adjuvemus in sudore pro-

promovendo, venenoque per habitum corporis expellendo: nam eò summis viribus allaborandum, ut protinus venenum expellatur, & vires corporis adjuventur. Præstat hoc Wierus primò per usum Electuarii, quod recipit spec. liberantis ℥ij. coral. præpar. Marg. Præpar. ana ℨß. cort. citri, Rad. Tormentill. ana ℈ij. flor. sulphuris ℨß. Theriacæ Androm. ℥ijs. Cum syr. acetosit. citri q. s. fiat Electuarium, de quo ℨj. cum aqua Card. bened. vel scabiosæ, statim in principio præbeatur, ut natura citius per sudorem venenum expellat. Hujus loco salem absinthii ℈ß. in aq. appropriatis exhibet, ut & ejus salis oleum, gutt. aliquot propinat, quod citius ab ægris assumitur, & miros effectus in venenis expellendis, & natura confirmanda possidet.

*Experimentum Wieri.*

## QUÆSTIO VII.

*An spasmus pestilentialis eandem cum Scorbuto curationem habeat?*

*Morbus convulsivus Epidemius.*

I. Morbus convulsivus, germ. die Griebelkranckheit/krampffsucht oder ziehende Sucht/ olim familiaris fuit in his regionibus: etenim anno 1596. & 97. Westphaliam, Coloniam Agrippinensem, Witgensteinensem & Waldeccensem Ducatum, Hassiamque nostram populariter invasit, undè facultas Medica Marpurgensis Academiæ tunc temporis de spasmo illo pestilentiali tractatum conscripsit. Est autem definiente *Reusnero de scorbut. exerc.* 1. agitatio convellens, ex pestilentibus ichoribus, & malignis vaporibus, nervos vellicantibus, scaturiens, quod quasi intento digito monstrant affectus, in quos malum desinit, ut sunt morbus Herculeus, resolutio nervorum, veternus, mania, lumbago, paralysis, & convulsiones, artuumque conquassationes, vel ut Marpurgenses definiunt: Spasmus pestilentialis est intemperies contagiosa nervorum & tendinum, ex venenatis mucilaginibus & vaporibus proveniens, quæ pro diversitate naturarum, cum præternaturali tensione & convulsione membrorum, Epilepsiâ, veterno, delirio, cum, vel sine febri, manifestatur.

*Spasmus pestilentialis quid.*

II. Patet hic causa proxima affectus, cui remota, seu fovens interna, subjicitur, nimirum contentorum circa ventriculum, mesenterium, jecur ac lienem, specifica corruptio, à causa externa, cruditate ciborum assumptorum certis temporibus, potissimùm tempore famis, oborta. Cum autem antecedens Scorbuti causa consistat etiam in peccantibus humoribus circa concoctionem viscerum, quemadmodum de *Scorbuto exerc. 1. num. 10.* demonstravimus, idcircò quæritur, *an Scorbuti curatio conveniat etiam in tali pestilentiali spasmo?* præsertim cum experientia testetur, convulsivos motus in Scorbuticis etiam non rarò observari. Vide *Severin. Eugalenum de scorbuto. observ.* 63.

*Antecedens causa spasmi pestilentialis.*

III. Videtur sanè primâ fronte defendenda quæstionis affirmativa, propterea, quod affectus uterque quo ad causam antecedentem conveniat, veruntamen notandum est, quod licet antecedentis causæ respectu adsit similitudo, minimè tamen, quo ad specificam corruptionem, eadem est ratio, quocirca curationis indicatio variatur, quatenus hîc non solùm ad peccantem superfluam materiam antecedentem respiciendum, sed simul quoque medicamentis alexipharmacis cordi, contra venenatam qualitatem, & appropriatis cephalicis capiti, nervosoque generi, succurrendum est. Formantur ergò curationis indicationes, nimirum ut cruda peccans materia, ex qua venenatæ exhalationes prodeunt, per epicrasin evacuetur, membra *αἱμοτώσει* dicata, confortentur, ac nervosum genus roboretur.

*Rationes pro affirmativa.*

*Resolutio quæstionis.*

*Indicationes curativæ in hoc affectu.*

IV. Hanc ob causam prædictis intentionibus triplex remediorum genus à Marpurgensibus præscribitur: 1. Electuarium purgans. 2. Antidotum, nervosum genus corroborans. 3. Pulvis confortans. *Electuarium* tale est. ℞. El. Diaphæn. solut. Unc. iiij. El. de succo Rof. Un. ij. s. Antidoti convulsivi Unc. ij. pul. Hermodactyl. alb. à cort. super. mundat. Turbith. Albi boni, Esulæ mundat. & correct. ana ℥j. diagryd. Castorei, ana ℈ij. costi, Zingib. Caryophyll. ana ℈i. sem. rutæ, Cymini, croci an ℈s. Misce & cum syr. rof. solut. fiat Electuarium, dosis uncia dimidia, plus minus. *Antidotum convulsivum* tale est. ℞. rad. pæon. visci querc. ana unc. ij. Castor. Salviæ ana Unc. 1. baccar. lauri, cranii humani usti, ana drachmas ij. Theriacæ, Mithridat. ana Unc. Xij. Mellis despumati q. s. fiat Electuarium Theriacale. *Pulvis convulsivus* talis est. ℞. pulv. ex radic. vincetox. Elenii, succisæ, Caryophyllatæ, Pæon. an. Unc. j. s. baccar. lauri Unc. s. com. salviæ, serpilli, Flor. anthos, ana ℥ij. spec. diamosc. dul. Pliresarchont. Dianthos ana ℥j. misce, & fiat pulvis.

*Remedia appropriata in hoc affectu.*

V. Hæc remedia frequenti usu confirmata in gratiam lectoris transscribere voluimus, præsertim cum ipsimet, propriâ experientiâ, anno præcedenti 1609. successum eorundem observaverimus. Quamvis enim hoc tempore, Dei gratia, malum omninò sileat, nihilominus anno superiori, puella, Clariss. cujusdam Professoris in hac Academia filia, quæ olim eodem affectu laboravit, recidivam patiebatur, cui morbo cognito, statim aliquot vicibus Elect. Extract. fol. sen. cujus in tractatu de Scorbuto mentionem fecimus, pro evacuandâ materiâ, cum successu exhibuimus, tantâ subsequente materiæ corruptæ dejectione, ut tolerantiam ac vires integras admiraremur: deindè per octiduum pulveris convulsivi Marpurgensium drach. dimidiam, jejuno stomacho, cum haustu brodii cujusdam, præbuimus, quibus peractis, vacuationem reiteravimus, pulveris dicti continuationem per septimanam unam & alteram imperavimus, quibus remediis Dei gratiâ malum convulsivum mox ab usu medicamentorum sensim remisit, & puella in hanc usque diem à truculentâ morbi exacerbatione liberata fuit.

*Observatio propria.*

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

*An Scorpionum ictus respectu similitudinis, inuncto Scorpionum oleo, curetur?*

*Affirmatur quæstio.*

I. Placet quæstionis affirmativa, propterea quod similem operationem respectu similitudinis in quibusdam affectionibus manifestis quoque deprehendamus: etenim nullus est, qui non observaverit partes nostri corporis valdè refrigeratas, aquæ gelidæ immersione, pristinum vigorem recipere, quam ob causam facilimè credimus amico nostro *Guilielmo Fabricio lib. de Gang. cap.* 10. ubi refert usitatissimum esse septentrionalium regionum incolis, manus, pedesque, imò interdum totum corpus, gelu rigidum, in aquam frigidam aut nivem immergere, neque in diversorium ingredi, aut ignem propius accedere, nisi egregiè prius manus, externum nasum, & auriculas, plurimâ nive perfricuerint, atque hinc hydromel cum pulvere cinam. caryophyll. & Macis exhibere, & sudores in lecto provocare, corpusque item calefacere. Quamvis autem *Lemnius lib. 4. de occult. nat. cap.* 20. ad antiperistasin (quam penitus nullam esse contra communem assertionem statuit *Johan. Mousinus Horto Jatrophysico cap.* 7.) hunc effectum reducere conetur, verisimilius tamen esse putamus, cum aliis illud ipsum potius similitudini tribuere, cum videamus ex ovis & pomis congelatis frigus foràs sensibiliter evocari, quando gelidam in aquam aliquandiu merguntur.

*Observatio de membris refrigeratis.*

*Ratio affirmationis pro quæstione principali.*

II. Quod si quo ad qualitates manifestas talis apparet effectus, ut simile à simili alliciatur, cur non multò magis illudipsum quoque statuendum, de quibusdam alexipharmacis, & potissimùm, in præsentia, de Scorpionum oleo, quod ictui leviter inuctum, venenum respectu similitudinis attrahit, adeoque corpus humanum ab eodem liberat? Imò & ipsum Scorpionis corpus contusum & appositum idem præstat, quemadmodum patet ex *Foresto lib.* 13. *Observ.* 67. *& Thad. Duno in miscel. cap.* 9. Quæ enim alexiteria admota juvant, ea aut proprium virus extrahunt, aut quâdam naturæ similitudine venenum ad sese alliciunt, ut inquit *Jobertus dec.* 2. *parad.* 9.

Ita *Petrus de Abano* (*aliàs Conciliator*) *lib. de venenis, cap. de morſ. Scorp.* Scorpionis corpus contritum, & loco superpositum, ipsius morbi Bezoar vocat: & *Haly abbas in Regali dispos.* 4. *Pract. cap. de Scorp. percuss. dicit*: cum aliquem pupugerit scorpius, supra locum percussum ligari oportet fortiter vittis, ne fortè venenum in corpus diffundatur, scorpionemque contere, & loco superpone. Hoc ipsum innuit quoque *Alphonsus Ferrius de sclopet. vul. lib.* 2. Qui vult videat diligentem olei Scorpionum præparationem apud Tim. *Rosellum in l. Italico Secretor. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 21. *Guiliel. de Placentia* 3. *pract. part.* 2. *cap.* 6. tale oleum Scorpionum commendat: ℞. Aristoloch. Gentianæ, Cyperi, cort. cappar. an. ℥j. pistentur grosso modo, & projiciantur in lib. j. ol. amygd. amar. per hebdomadam unam, dein coletur, & adde colaturæ Scorpiones num. X. stent in sole per. 3. septimanas, & administretur ad locum morsum. *Ita Greg. Pictorius in Lerna malorum.*

*Et cum vulnus atrox incussit scorpius, ipse*
*Tundatur, positus vulnera facta juvat.*

Indè verum redditur illud *Ausonii lib.* 4. *Dist. Moral.* 40.

*Vulnera dum sanas dolor est Medicina doloris.*

## QUÆSTIO IX.

*An amuletum ex arsenico præservet ab infectione pestiferâ?*

*Ratio affirmantium.*

I. Occasione præcedentis quæstionis ad hujus declarationem devolvimur, propterea, quod plures inter eos, qui affirmativam tenent, idipsum eâ ratione fieri statuant, quatenus Arsenicum per similitudinem venenatas evaporationes extrahit, ubi regioni cordis & arteriarum manifestarum applicatur, ut patet ex *Anton. Porto l.* 2. *de peste cap.* 48. *Cæsalp. l.* 3. *art. med. cap. de ven. Jordan. tract.* 3. *de pest. Phænom. c.* 9. *Ruland. de feb. Ungar. c.* 8. *quæst.* 71. licet aliam, sed minus probabilem rationem, adducat *Heurnius de peste c.* 8.

Huic assertioni subscribit etiam *Dominicus Tirellus in Antilogia de Vesicantibus cap.* 5. dum contra *Bernardinum Cajum*, vesicantia ex deleteria substantia rectè, & summâ cum ratione componi demonstrat, dum inquit: frustra igitur est dicere, pernitiosas qualitates ab arteriis intrò rapi, ut vesicantium usus contemnatur; hoc enim est contradicere Galeno, qui venena extra apposita ad alia venena evocanda locis citatis proponit: hoc adversatur experientiæ, cum illi sacculi confecti ex rebus apprimè veneficis, & gestati in locis, ubi venarum & arteriarum copia existit, ubi maxima est cum corde affinitas & propinquitas, non noceant, quin potius juvent, atque à peste homines præservent. Ὁμόψηφος est *And. Cæsalpinus lib.* 3. *Speculi Artis Med. cap.* 3. dum inquit: ut autem quis tutò versari inter infectos, & contrectare possit res pestilentes, hodiè compertum est remedium, extrahens evaporationes virulentas, si applicetur ad arterias in carpo, & ad regionem cordis, pulvis auripigmenti, aut sublimati, addito croco, aut caryophyllis, aut cinamomo, aut similibus, inclusis omnibus in sacculum sericum, ne partem exulcerent.

*Asseruntur alia contraria.*

II. Etsi vero τὸ διότι facilimè concedatur, nimirùm ob similitudinem pestiferæ qualitatis tale quid interdum fieri posse: non tamen omninò firmum esse videtur τὸ ὅτι, quod scilicet amuletum ex Arsenico singularem præservando virtutem habeat, quemadmodum satis patet ex iis, *quæ Gerardus Columba lib.* 2. *de pest. cap.* 17. *Hercules Saxon. lib. de Plica cap.* 53. *& Horatius Augenius lib.* 3. *de peste cap.* 27. in partem contrariam adducunt, quibus commotus, in præservatione tempore pestis, nulli unquam amuletum ex Arsenico præscribere volui, sed felicissimo successu potius iis usus sum, quæ singulari balsamica virtute calorem nativum roborant, spiritus-

ritusque confortant, quale est amuletum D. Jacobi Horstii p. m. quod recipit, Benzoi, Storacis cal. ana ℥ß. Ladani Opt. ℥j. ʒijs. cort. citri ʒj. Santal. citrini, Majoranæ, Rosmarini ana ℈j. ol. cinam. gutt. VI. Macis, gutt. VIII. cum tragac. in aq. rosar. solut. f. massa, dentur ʒiij. in syndone pro regione cordis. Liberum tamen & hic cuilibet relinquimus judicium, nec inquirendi discendique studium, pertinaci quâdam opinione præconceptâ, deponimus.

Liberum cuilibet judicium me reliquisse dixi, qui olim in primis annis praxeos meæ, dum Soltquellis veteris Marchiæ tempore pestis Medicinam faciebam, neque ex Arsenico, neque Mercurio, vel similibus amuleta conficiebam, commotus iis rationibus, quibus alii utuntur, ut videre licet apud *Untzerum lib.2. de lue pestifera, cap.9.* Posterioribus autem annis, huc usque, tempore pestis duplicia semper amuleta ordinavi, sicuti videre licet in *Observat.nostris part.2.lib.* 1. tàm ex iis, quæ Balsamicâ & aromaticâ virtute roborant, quàm etiam ex Arsenico, Mercurio & aliis, pro iis potissimùm, qui cum ægris infectis conversari coguntur, præscripsi, ubi ex solo etiam Mercurio, per fusum Saturnum calcinato, experientiam habuimus non contemnendam, ʒij. istius pulveris in sacculis coriaceis circa cordis regionem gestatis, hoc observato, ut in sudore & balneo removeantur. Si enim unguis Alcis, exterius diversimodè gestatus, præservat ab Epilepsia & uteri suffocatione, quod habet *Apollon. Menabenus lib. de Alce. cap.9.& 10.* cur omnis efficacia prædictis negaretur: plura de viribus gestatorum videas collecta penes *Casp. Bartholinum lib. de lap.nephritico, cap.9.& seq.*

## QUÆSTIO X.

*An Carbunculus eandem cum Gangræna curationem habeat?*

I. Anthrax, carbo, carbunculus, *Avicennæ* pruna & ignis Persicus, juxta *Galen.lib.2.de art. cur.cap.* 1. *& lib. de tum.c.4.* fit à sanguine calido, quando nimirum fervens in partem quandam irruit, eam exurit & crustosum ulcus excitat, in cujus circuitu phlegmone fervens, gravemque dolorem excitans, deprehenditur, teste Joberto. Notandum verò, quod præcipua pars carbunculi, quæ morbo dedit denominationem, usta, & in carbones quasi conversa videatur, quam ob causam sensus penitus expers est, & sphaceli modo tractatur, aut medicamentis, aut ferro, siderationem circumscribentibus & limitantibus. Plura de modo generationis carbunculi vide apud *Diomedem Amicum Tract.de peste,cap.28.*

*Negatur quæstio.*

II. Cùm autem Gangræna, juxta *Galen. lib. de art. curat.ad Glauc.cap 9.* fiat, quando pars aliqua dispositionem ad perfectam mortificationem obtinet, vel ut loquitur *Leonh. Bertapaliæ tract.1.cap.1.Chirurg.* quando caro nondum mortua, sed adhuc moriens est, & aliquantulum in se sensus cum nigro colore retinet, idcircò patet aliam hic esse curationem, quam in carbunculo, quia non rarò fit, ut Gangræna corrigatur, & pars in statum naturalem restituatur, evacuatis evacuandis, & admotis iis, quæ partem à putredine vindicant, quod aliâ atque aliâ ratione fieri solet, quatenus ipsius Gangrænæ causa multiplex est, & non solùm ad manifestarum qualitatum excessum refertur, sed multoties quoque venenatis occultis agentibus, aut in corpore nostro genitis, vel exterius acquisitis, producitur, de quo vide *Guiliel.Fabric.tract. de Gang.& Sphacelo.* Et *Leonh. Botallum de vuln. Sclopet. cap.22.* adde *Marc.Anton. Montagnanum tract. de Gangræna, &c.*

Hactenus in centum gravissimos nostri corporis affectus, quoad cognitionem & curationem inquirere voluimus, jam concludentes Deo ter optimo Maximo vero corporis animique Medico, per quem sumus, movemur & operamur, gratias immortales agimus.

*Sequun-*

*Sequuntur nunc Virorum quorundam Clarissimorum Epistolæ & Observationes, ad aliquot Problematum ulteriorem declarationem inservientes.*

# AD DECADOS I.

## *QVÆSTIONEM IV.*

## JOHANNES MICHELIUS, PHIL. ET MED. D. ET P.P. SUPERIORIS AUSTRIÆ ARCHIATER PERITISSIMUS.

### *GREGORIO HORSTIO, D.*

*De natura & viribus cornu cervini.*

S. Problemata tua Medica, Clarissime Horsti, de quibusdam affectibus humani corporis in specie publicata vidi, maximoque cum desiderio legi. Plurimum verò quęstio quarta Decados primæ placuit in qua cornu Cervini naturam inquiris, & eò potissimùm inclinas, ut muliercularum assertionem improbes, quæ maximâ ex parte crudum potius, quam præparatum, cornu cervinum in variolis & morbillis, in morbo ungarico & similibus affectibus approbant. Ego, ut verum fatear, non semel, sed aliquoties rasuram cornu cervini crudi exhibitam, sed absque effectu & mutatione per alvum vicissim excretam, observavi, quod revera propter causam à te in quæstione dicta propositam accidit, quatenus tenaciori materia vis diaphoretica latens in cervino cornu penitus obruitur, & non facilè de potentiâ ad actum traducitur. Veruntamen minimè negandum esse videtur, quod in naturis robustioribus etiam crudi cornu cervini rasura quandam efficaciam habeat, præsertim, ubi optimè lævigatur, quod fefellit plurimos, qui hanc ob causam calcinatum m[illegible]ius efficax judicant. Sed hæc omnia dextrè tuis distinctionibus solvuntur: nec sine ratione & experientia, cum cornu cervinum combustum non solùm in substantia assumptum sit diaphoreticum, sed insuper etiam in decocto usurpatum quotidiano potu plurimum putredini resistat, & morbo Ungarico laborantibus convenientissimum sit, quod ipsemet frequenter observasti cum annis superioribus hìc in Austriâ, in curandis ægris συνδραμών fidelem mihi præstares. Cæterùm quod nuper à me quærebas, de floribus Martis naturalibus, quos nostri Eisenblüt, vocant, propterea quod ex his apparentibus, in fodinis ipsam mineram ferri maturam esse colligant, id breviter determino: nimirum, quod à nostri Vulcani filiis nil aliud expiscari potuerim, præterquam quod his ipsis pulverisatis utantur tùm interius ad diarrhœas, & alvi fluxus, tùm exterius ad vulnera, & alias unitatum solutiones consolidandas, quocirca cum croco Martis maximè convenire videntur. Veruntamen cum singularem gustui acrimoniam repræsentent, ab interno usu abstinere placuit. Dabo tamen operam, ut occasione datâ copiam quandam transmittam, quia non dubito, quin præparatio Spagyrica plurimum etiam in hoc medicamento possit. Interim Vir Clarissime amice & affinis optatiss. Vale, & me ama. Dabam raptim Styræ Superioris Austriæ Calend. Maji. Anno M. DC. VIII.

*Decoctum cornu cervini optime convenit in morbo Vngarico.*

*Flores Martis naturales.*

# AD DECADOS II.

## *QUÆSTIONEM VI.*

### Observatio Autoris de quodam Somnambulone, mirabiliter conservato & curato.

*Ad Virum Celeberrimum*

### DN. GUILELMUM FABRICIUM

*Med. & Chirurg. peritiss. & Reipubl. Paterniacensis Ordinarium.*

S. Ut par pari referam. Peritissime Fabrici, Fautor & amice honorande, placet literis meis responsoriis præsentem casum subjicere, tùm quod per se rarò talia accidant, tùm etiam quod ex illo jucundæ quæstiones oriantur, quas breviter enodatas tibi ulterius perpendendas & cum ratione atque experientia medica conjungendas relinquo. Anno superiori 20. Aprilis, juvenis quidam, consanguineus meus, in eadem domo mecum vivens, vesperi quodammodo inebriatus, ad lectum se confert, optimè dormit, usque ad horam 12, circa quam è lecto surgit, hinc & inde ambulat, & dormiendo tandem ad fenestram ascendit, eamque egre-

*Historia.*

dieur:

ditur: ego tunc in eodem cubiculo dormiens insolito strepitu excitatus, quasi per somnium recolligo, juvenem hunc in infantia sæpius ὑπνοβάτην vel somnambulonem egisse, quam ob causam famulum meum nomine proprio appello, quærendo, num secum dormientem adhuc habeat juvenem, qui excitatus negativè respondet: quapropter statim surgo & fenestram accedo, ut hærentem ibidem retraherem: sed proh dolor! ex ipso momento decidit in plateam, lapidibus obductam, ex contignatione domus tertiâ, ad altitudinem ulnarum 14. tacet primum, & immobilis instar mortui projectus in uno eodemque loco remanet, paulò post tamen, fortassis pluviarum frigiditate, quæ nunc frequentes erant, refocillatus, sonum edit inarticulatum, instar vituli jam sub manibus lanii morientis. Descendi, potius ea intentione, ut confractum hominem colligerem, ac sepulturæ præpararem, quam ut curatione Medicâ vel chirurgica eidem succurrerem. Sed quid fit: hominem invenio, quo ad membra exteriora omni ex parte illæsum, capite excepto, cui vulnus inflictum erat ad os usque bregmatis sinistrum, sine ossis & periostii læsione. Quibus observatis inferius hypocaustum calefactum aperui, & advocato tum verbi ministro, tùm etiam Chirurgo proximo, consternatione quodammodo remotâ, non penitus media adæquata intermittenda esse duxi. Statim ergo, cum suffocationem imminentem viderem, pulvere, nescio quo, ingrato, qui ad manus erat, vomitum provocavi, ut ventriculus ab onere suo liberaretur, utpote quod de præcedenti potatione vespertina supererat in juvene, Bacchi festivitatibus minimè assueto. Quo facto, loqui cæpit, & de doloribus ingentibus variarum partium conquestus est, quod spem quandam restitutionis mihi afferebat, quia mentem nondum affectam videbam: qui enim dolores gravissimos sentiunt, iis mens nondum laborat, ex Hippocratis sententia. Quare de adæquatis aliis remediis convenientibus cogitare cæpi, quam ob causam venæsectionem astantibus suasi, & aliquot horas post clysterem acrem revellentem injiciendum esse putavi. Ne autem tanta remedia in tam gravi casu solus exhiberem, statim *Dn. D. Tobiam Tandlerum*, & affinitate, & singulari amicitiâ mihi conjunctissimum, advocare jussi, cui advenienti casum proposui, qui auditis indicationibus mecum consensit. Quare statim venam medianam sinistri brachii incidimus, & uncias tres sanguinis extraximus, tùm ut motum sanguinis ad viscera principalia corrigeremus, tùm etiam, ut dolorem circa Jecoris regionem vehementem leniremus. Post venæsectionem benè quievit, & imminens suffocatio unà cum dolore dextri hypochondrii remisit. Tribus horis à venæsectione, circa matutinum tempus enema exhibui, quod recipiebat *Malvæ, Bismalvæ, Mercurialis, Violar. ana Mß. Beton. Tussil. ana Mj. fl. Chamomil. Mjs. F. Decoct. ad Unc. X.* In colatura dissolve *El. Hieræ. s. Diaphænic. ana ℨiis. de succo rosar. ℨjs. ol. chamomil. violar. Anethi ana ℨvj. salis parum f. Enema.* Hoc usurpato, sexies cum facilitate alvum deposuit, & maximam sensit alleviationem. Hic tandem ex me & astantibus quæsivit, unde eidem

*Venæsectio cur instituta?*

tanta contigerit imbecillitas, (non semel enim animi deliquium patiebatur) ignarus omninò fui lapsus periculosissimi: cui, ne fortè propter imaginationem periculi, gravius quid accideret, respondimus omnes unanimiter, eundem tantum ex lecto fortè fortuna devolutum esse, quod etiam credidit, sibique persuasit, se antea per aliquot septimanas imbecillitatem quandam percepisse, quæ fortè jam ab hac causâ προκαταρκτικῆν ad actum traducta sit. Hisce remediis primo die contentus fui, nisi quod exterius vulnus capitis more solito deligatum fuerit, digestivo imposito, totoque capite oleo rosaceo inuncto, sequente die 22. Aprilis, ut & nocte præcedenti de siti & anxietate conquerebatur, ita ut febris unà conjuncta videretur, quod etiam urina testabatur, quæ rubicunda, sed ob sanguinis conturbationem, partiumque debilitatem crassa apparebat. *Ad duo igitur respiciendum esse videbatur, tùm ad sanguinem in corpore p. n. collectum*, undè anxietas, pectorisque punctiones, ac dolores gravativi: *tùm etiam ad febrim. Quoad sanguinem collectum dissolvendum & expectorandum, exterius* adhibui decoctum lactis cum Meliloto, flor. Chamomill. ana Miij. Marrub. Anethi ana Mj. quod compræhensum aliquot vesicis bubulis per vices calidum, Epithematis loco, partibus dolentibus applicare jussi: *Interius* primo diebus aliquot matutino tempore pinguedinem humanam (quam tùm temporis à recenti corporis humani sectione copiosam in promptu habui) in jusculo cerevisiæ ad unc. semis ebibendam dedi, quo remedio dolores & punctiones internæ leniebantur, & sanguis concretus ad exitum præparabatur, ita ut consequenter per tussim & screatum concreti sanguinis frusta copiosè, & satis cum facilitate rejicerentur. *Quo ad febrim*, alvum lenientibus medicamentis apertam retinui, & præterea medicamenta & alimenta convenientia contraria præscripsi. Pro potu igitur concessi *Aq. hord. lib. js. cum syr. Violar. acetosit. citri, de liquiritia ana ℥j. conservæ Rosar. ℥ß. M. & F.* Julapium, ut febrilem calorem corrigerem & pectus quoq; lenirem: exterius cum aceto vini & aqua rosacea spiritus frequenter recreare conatus sum, ne natura in tàm gravi affectu fortè succumberet, quo fine Citrū cum saccharo præparatum sæpius etiam exhibui. Quamvis autem febrilia symptomata remitterent, nihilominus 24. April. *sopor quidam præter naturam, & vigilandi quædam impotentia* successit, quod postquā vidi, statim eò allaborandum esse duxi, ut quo ad fieri posset, materia à capite revelleretur, & somnus p.n. impediretur, quam ob causam primo præscripsi clysterem, qui *℞. Violariæ, Chamomill. Lactucæ ana Mß. Salviæ, Beton. ana Mj. Centaur. min. Mij. Parietar. Mj. sem. lini ℨ.js. Coq. in suf. q. aq. ad ℥ x. post coletur. adde Cass. extract. pro clyster. ℥.ß. Mass. pil. aurear. ℨj. ol. Anethin. Violar. ana ℥j. salis ℨj. M. & F.* Enema, quo injecto aliquoties alvum dejecit, sed operatione medicamenti absolutâ, sopor ille rediit, quapropter frictiones & ligaturas pedum instituo, quibus continuatis per noctem subsequentem, à periculoso hoc symptomate juvenem hunc Dei gratia liberavi: quid enim ex ejusmodi sopore fuisset expectandum, quilibet facillimè colligit.

*Febris accedens, cur urina fuerit rubicunda & crassa.*

In-

*Contusiones quomodo fuerint tractatæ.*

Interim dùm hæc peragebantur, circa sinistrum humerum, ibidemque circa articulationem brachii cum scapula, ut etiam circa spurias costas & femoris superiorem partem ejusdem lateris, contusionem quandam factam fuisse deprændo, tùm ex tumore dictorum locorum p. n. tùm etiam ex dolore, partiumque impotentia. Etsi verò quasdam inunctiones hic suaderet Chirurgus, qui vulnus capitis tractabat, mihi tamen convenientius videbatur emplastrum ex exsiccantibus & absumentibus, ac tendones ac nervosas partes confortantibus adhibere, quod Germani nostri Dürrband vocant, ex farin. fabarum, molendin. bolo arm. symphyto majori & similibus, quo continuato, partes dictæ confortatæ fuerunt, ita ut aliis remediis opus non esset, quemadmodum eodem remedio in dextra manu, contusa quodammodo respectu pollicis, commodè quoque utebamur. Post octiduum febri curata, symptomatisque gravibus correctis, suspicio erat adhuc de sanguine concreto, quam ob causam aliquoties pulverem ex iis, quæ sanguinis grumos dissolvunt, ut sunt, oculi cancr. præp. rub. tinct. sperm. Ceti & similia exhibui, & sudorem provocavi, simul eò respiciendo, ut convenienti diæta vires admodum collapsæ reficerentur. Quâ ratione præter spem multorum, intra 14. dies, juvenis hic perfectè convaluit, DEI singulari providentia, cui laus & honor in æternum. Ex hoc casu singulari sua sponte pullulant problemata quædam notatu digna, quæ tuo judicio, vir Clarissime, subjicio: quid mihi videatur breviter subscribam, prout illud jam pennæ succurrit, dùm hic Lipsiæ (absens à meâ Bibliotheculâ) operam medicam ægrotanti cuidam fæminæ primariæ præstando, tanquam hospes vivo.

*Problema I.*

Ergò primò quæritur, *cur juvenis hic citius inebriatus ὑπνοβάτην vel somnambulonem egerit, quam alio tempore, quod multis accidit?* An quia spirituum perturbatio, propter pravas exhalationes ascendentes, facultatem dijudicandi fefellit, ita ut phantasia bono quodam apparente commota, neglectis aliis circumstantiis, citius partes motui destinatas ad motum incitaret, adjuvante spirituum agilitate, per copiam exhalationum introducta? Ut enim ebrii, vigilantes adhuc, sæpius contra rationis præscriptum ea peragunt, quæ phantasia imperat, quæ tamen sobrii non aggrederentur, ita multò magis iisdem dormientibus hoc accidere posse verisimile est, tùm quod per somnum cerebrum magis repleatur, & spiritus magis conturbentur, tùm etiam, quod intelligendi facultas, veraque dijudicandi potestas tunc temporis magis quiescat. Hinc etiam tot actiones per somnia nobis recurrere videntur, præsertim benè potis, nisi omninò copiâ vaporum cerebrum quasi sepultum sit.

*Problema II.*

II. Quæritur, *cur tanta celeritate juvenis hic, dormiendo ambulans, fenestram altiorem ascenderit?* An quia somnambulones omnia intrepidè audent, & loca periculosa sæpius ascendunt, propterea quod vis discernendi vaporum caligine consopita quasi jaceat, undè incogitantia præbet audaciam, quam spirituum constantia adjuvat? Nam quemadmodum phrenetici in suis actionibus sunt vehementissimi: quicquid enim apprehendunt, firmiter sibi retinent, propterea quod operatione intellectiva destituti, solâ utantur phantasiâ, quæ hoc unicum peragendum esse censet, undè maxima spirituum copiâ ad partes apprehensioni inservientes à phantasiâ mittitur: sic etiam somnambulones frequenter ob æstimativam quiescentem periculosa loca ascendunt, periculi magnitudinem non perpendentes, idque præstant firmiter, quia phantasia huic unicæ operationi tantùm intenta est. Hinc etiam fit: ut nomine proprio vocati, cadant, utpote quod ipsis admodum familiare phantasiam aliò revocat, undè consequenter à somno excitantur, & excitati magnitudinem periculi cognoscentes, formidare incipiunt, ac dissipatis spiritibus, atque aliò revocatis, facultatibus debilitatis, cadunt, & periclitantur.

*Problema III.*

III. Quæritur, *cur dormiendo delapsus juvenis minus fuerit læsus?* An quia periculum tantùm non fuit animadversum: Etsi enim jacula prævisa minus noceant, non tamen illudipsum hîc procedit, quia vigilantibus ita prolabentibus, ex consternatione & timore vehementissimo spiritus omnes intro ad principium suum recurrunt, undè partes externæ magis debilitantur, & citius impressiones alienas p. n. sentiunt: talis autem consternatio & timor non adfuit dormienti. Quid si dicerem, resistendi conatum non fuisse in dormiente, quam ob causam decidens primo pedibus terram attigit (quod læsio plantarum superficialis testabatur) consequenter autem reliquis articulis non intensis & resistentibus, sed laxatis, statim in sinistrum latus decubuit. Quod si vigilans fuisset, intensis articulationibus, eo fine, ut violentiæ resisterent, vehementior fuisset impressio: prout enim resistentia major est, ita etiam actio redditur vehementior.

*Problema IV.*

IV. *Si è vehementi imaginatione per somnium fit νυχόβασις, quæritur, cur actorum hic noctambulo fuerit oblitus?* An quia diversæ sunt operationes phantasiæ & memoriæ, ut citius fiat specierum compositio à phantasiâ, quam earundem tali modo compositarum à memoria conservatio? Imò cum tota anima non admodum sit intenta his actionibus, obliviscuntur plerumque eorum, quæ acta sunt, quemadmodum vigilantes interdum obliviscimur earum actionum, quas sine insigni intentione peragimus. Etsi verò præsens juvenis suæ actionis nullam haberet recordationem primis diebus: restitutus tamen confitebatur, se eâ nocte (in qua lapsus accidebat) somnium habuisse, quod ad abitum omnia præpararit, & currum celeriter ascenderit, ubi phantasia fefellit dormientem, ut ad fenestram ascendendo, currum se ascendere putârit. Hæserunt enim species illæ firmiter in imaginatione, quia in mandatis eidem datum erat, ut summo manè surgeret, & necessaria ad iter præpararet.

*Problema V.*

V. Quæritur, *undè post lapsum impotentia vigilandi, & per consequens Lethargus incipiens fuerit?* An à pitui-

à pituitosis humoribus in cerebri regione putrescentibus, per contusionem ibidem fortè collectis, quod sanguis primis diebus ex aure sinistra profluens testabatur? Hinc igitur cerebri imbecillitas, undè pituitosæ exhalationes principium nervorum continuò affecerunt, ita ut facultates ad sensum ineptæ redditæ fuerint.

Problema VI.

VI. Quæritur, *quomodo dictus æger à tot gravibus affectibus complicatis, febri videlicet, sopore p. n. lipothymiis, frequentibus, summaque totius imbecillitate, tam cito vires recuperare potuerit?* An quia hæc symptomata omnia non ex causis morbificis, longâ serie propter partium imbecillitatem, & concoctionum depravationem, quod frequenter accidit, generabantur, sed subitò, propter lapsum insperatò accidebant? Ergò cum vires, & respectu juvenilis ætatis fortiores, nec præcedentibus morbosis dispositionibus absumptæ essent, fieri potuit, ut citò sanitas pristina recolligeretur.

Problema VII.

VII. Quæritur, *cur in articulorum contusionibus & luxationibus potius cataplasmata, quam inunctiones approbaverimus, præsertim in principio?* An quia inunctiones faciunt ad pororum obturationem, nec eam exiccandi potentiam obtinent, quam alia medicamina? ne igitur impeditâ transpiratione materia potius colligatur, quam dissipetur, ideò ab inunctionibus abstinendum putamus, potissimùm in principio, cum copia major affluit. Adde quod illa cataplasmata ex exiccantibus & discutientibus, id quod influxum est absumant, quod verò affluit, impediant. Hæc sunt, quæ raptim de hoc casu Tuæ dign. referre volui: boni consule, & me, quod facis, ama. Dabam Lipsiæ τάχιστα Calend. Maji, Anno 1608.

## RESPONSUM

De somnambulonibus, & nonnullis aliis, qui ab alto ceciderunt, absque magna læsione.

Ad Autorem

GREGORIUM HORSTIUM, Philosof. & Med.

Cui

GUILH. FABRICIUS HILDANUS S. P. D.

Responsum tuum doctissimum ad observationem meam de Gangræna tibi inscriptam vir undiquaque clarissime, & amice plurimum honorande accepi. Placuit omninò, illudque observationi annexi. Accepi quoque observationem tuam de somnambulone, (eleganter sic à te, non autem, ut ab aliis, Noctambulone vocato) raram profectò, & annotatione dignam. Quod T. Excell. ipsam mihi inscribere dignata sit, ex eo summa erga me humanitas ac benevolentia elucescit. Faxit DEUS OPT. MAX. ut aliquando officiis, beneficiisque respondere possim. Problemata & nodos, quos ex præscripto casu proponis, tu ipsemet tàm doctè ac perspicuè solvis, ut mihi opus non sit noctuas Athenas ferre. Ne tamen omninò nudam ad te mittam Epistolam, addam exemplum unum aut alterum de somnambulonibus, & iis qui ex alto absque læsione insigni ceciderunt, convaluerunt-que.

Historia de quibusdam somnambulonibus.

I. Quidam in agro Neocomensi ad fontem Andreæ, Pierre Galantier nomine, vir probus ac robustus, & optimo corporis habitu præditus, quadragesimum annum ætatis agens, cum Anno 1605. Neapolin ad lacum Neodunensem amicos invisendi, & nuptias celebrandi causa profectus esset, & quâdam die in convivio præter voluntatem ad compotationes compelleretur, urgereturque, effugit & se in cubiculum quoddam secundæ contignationis domus, quo compotationes superfluas effugere posset, abscondidit. Circa mediam noctem, cum gravi ac profundo somno correptus esset, ac se ex convivio effugere, & viridarium ingredi velle somniaret, è lecto surgens, fenestram ascendens, indèque in terram cadit. Mox à somno expergefactus, ejulat, & clamoribus suis domesticos excitat, qui accurrentes ipsum semimortuum in hypocaustum transferunt. Vocato ejus loci Chirurgo, nulla deprehensa fuit læsio, præter quàm quod cutis circa talos ad murum ex parte abrasa fuerat. Hic itaque emplastris applicatis, inunctis item lumbis, & venâ in cubito sectâ, intra paucos dies sanitati restitutus fuit, & ad hunc usque diem sanus & incolumis vivit. Non enim adeò pridem, quùm in agrum Neocomensem ad nobilem virum *Dominum Isaiam Horicæum* vocatus essem, prædictum Petrum Galantier ipsemet vidi, & illa, quæ acciderant, ab ipso, præsente nobili viro, excepi atque annotavi. Ab eo tamen tempore nunquam simile quid sibi accidisse, affirmavit.

II. Idem nobilis vir HORICÆUS mihi retulit, se ante annos 20. in ditione Episcopatus Basiliensis, paganam somnambulonem cognovisse, illamque noctu surrexisse, & dormiendo rem familiarem administrasse, imò & aliquandò in campos ad operarios exspatiatam fuisse. Idque se suis oculis vidisse mihi affirmavit.

III. Lustriaci propè Lausannam ad locum Lemanum, civis quidam 28. annorum ætatis à juventute somnambulonem egit. Qui cum puer adhuc esset, frequenter noctu dormiendo è lecto surgebat, & per ædes ac plateas obambulabat, vociferabatur, ac distinctè loquebatur. Id quod à multis visum & observatum est. Qui hujusmodi adhuc perageret, nisi uxor ejus illum coërceret, noctuque retineret. Hic tamen mentis nunquam usque adeò compos fuit.

IV. Ante annos 24. cum apud præstantissimum Dn. COSMAM SLOTANUM praxin Cheirurgicam exercerem, vocati fuimus ad puellam, trium circiter annorum ætatis, quæ ex suprema domus altioris contignatione, in pavimentum lapideum decidit, cujus cerebrum aliquo modo commotum, concussùmque fuerat, undè statim vomitus cibi indigesti subsequutus. *Slotanus* accersitus, abrasis crinibus totum caput ad tertium usque diem oleo

rosac.

rosac. inunxit, pulverem rosar. & Myrtillor. inspersit, & Enemata exhibuit. Tandem etiam capite per dies aliquot inuncto oleo suo è floribus, ægra convaluit.

V. Eodem anno vir quidam pius & magni nominis Medicus, nec non amicus meus singularis, divinitus servatus fuit. Cum enim obscura, tenebricosissimaque nocte, montem quendam, in quo fodinæ carbonum fossilium erant plurimæ, eques transiret, ac parùm à via recta deflecteret, unà cum equo suo in fodinam viginti cubitos, (si rectè memini) altam, decidit. Sed quia fodina ista adeò angusta fuerat, ut homo solus tantùm descendere posset, equus in medio tantummodo fixus ac hærens remansit. Famulus, cum Dominum suum adhuc viventem intellexisset, protinus iterum equum suum conscendit, & summâ, quâ potuit, festinatione, rusticos è proximo accersit pago, qui secum restibus, omnibusque necessariis allatis, vivum istum planè illæsum è fodina extraxerunt, equo tamen mortuo. Hisce vale, Vir Amplissime, & diu feliciter vive. Paterniaci Aventic. 14. Julii, Anno 1609.

# AD DECADOS III.

## QUÆSTIONEM VIII.

HOrrendus interdū affectus est faucium in febribus ardentibus, quam ob causam in præsentia pro complemento, ad quæstionem de linguæ inflammatione, miraculosam historiam subsequentem annotare lubet, quam anno Millesimo quingentesimo septimo, in publicis prælectionibus, ex ore dictantis Præceptoris & patrui nostri honorandi *Dn. D. Jacobi Horstii*, Profess. in Academia *JULIA* primarii p. m. excepimus, *in comm. lib. Hippoc. περὶ παθῶν, cap. de partium sub linguæ inflam.*

### OBSERVATIO.

Lingua per putrefactionem ad radicem usque corrumpitur, & semestri vicissim sufficientem integritatem nanciscitur?

FIlius Secretarii Illustrissimi Ducis Brunsuicensis laborabat unà cum fratre variolis, Pater Chirurgi operâ utitur, præsertim cum puer de dolore faucium conquereretur. Chirurgus ratus variolas nimis copiosè putrescere in lingua, gargarismo utitur, & subindè magna frusta ex ore aufert. Puer tandem obmutescit, nec cibos nisi liquidos, deglutire potest, quam ob causam parens sollicitus ad me venit, & filii variolis periculosè decumbentis, iisque putrescentibus in faucibus, ut prorsus mutus puer sit redditus, curationem petit. Absens in medium consulo (quia propter Illustriss. Juniores principes accedere non licuit) & admoneo tùm ipsum Patrem, tùm etiam Chirurgum, quem secum adduxerat, ut uvulæ rationem haberet, ne putredine absumpta loquelam adimeret. Secunda die ad me redeunt uterque, & uvulam jam periisse referunt: ego perterritus patri suasi, ut alium quoque Chirurgum adhiberet, & tùm gargarismis, tùm etiam linimentis ex Rob. nucum & melle rosato mixtis, cum aq. prunellæ, partes exulceratas sanarent.

Tertia die Pater & novus Chirurgus redeunt, linguamque putredine totaliter absumptam pronunciant, atque tunc, veniâ dimissionis mihi datâ, accedo, puerum septem circiter annorum prorsus mutum, & jusculum aliquod sorbentem invenio: paulò pòst, os apertum intueor, linguam planè absumptam usque ad radicem video, atque in radice magnam putrefactionem sanie conspersam depræhendo. Gargarismos, quibus satis commode Chirurgi utebantur, continuare jussi, & suasi, ut unicum remedium adderent, scilicet linimentum nostrum, quod recipit *pul. flor. Malvæ arbores. Unc. dimid. Balaust. drach. ij. Aluminis drach. dimid. Cum melle despumato q. s. Misce. f. linimentum molle.* Planè enim mihi persuadebam hoc exulcerationem exiccari, & carnem aliquo modo à natura in puerili corpore restitui posse. Semestri post in aulam reversus, & sollicitus de hoc puero, patris ædes accessi, & quæ tunc aderat, matrem interrogavi de statu filii, quæ de Schola domestica eundem advocat, iterum satis expeditè loquentem ore aperto linguam integram, quæ de novo creverat, sed paulò minorem invenio, quæ hodiè annis circiter tribus ad justam magnitudinem pervenisse dicitur.

# AD DECADOS IV.

## QUÆSTIONEM I.

### OBSERVATIO.

De ligamenti sub lingua periculosa sectione.

GUILIELMI FABRICII, Medici & Chirurgi experientiss. & Reipubl. Paterniacensis Ordinarii.

*Ad Autorem.*

G. H. D.

S. Nulla Chirurgo committitur operatio, Amplissime atque amantissime *D. Horsti*, quam vulgus magis floccifacit, atque sectio ligamenti sub linguâ: Ita etiam ut obstetricibus ut plurimùm committatur, quæ ligamentum hoc digito abrumpere solent, quod mihi tamen non probatur. Sæpissimè enim vicinas partes simul lacerant, atque disrumpunt, hinc dolor & inflammatio, ita ut pueri lac sugere non possint, fiantque morosi, extenuentur atque debilitentur. Prudenter itaque hâc in operatione agendum est, neque spernenda, etiamsi minima omnium videatur. Inprimis autem explorandum convenit, num ancyloglossus operatione hac indigeat, nec ne. Multoties enim pueri aliam ob causam, quàm propter vinculum sub lingua, vocem articulatam exprimere nequeunt: nulloque ligamento lingua annexa est. In his sectionem periculosam esse, sequens exemplum demonstrat. Rustici cujusdam

*Observatio & historia singularis.*

hîc in vicinia à Corselles, Pet. Jieux nomine filius, duorum annorum ætatis, superiori mense Majo, 1608. ad ædes meas adductus fuit: idque ad eum finem, ut ipsi ligamentum sub lingua solverem. Quandoquidem abscisso ligamento linguam officio suo fungi, infantemque brevi sermonem proferre posse, planè sibi persuasum habebant parentes. Porrò aperto ore, & elevatâ linguâ, quæ crassa valdè erat, nullum inventum est nervosum vinculum. Quamobrem parentes cum infante remisimus, manumque adhibere recusavimus. Post mensem venit Empiricus, seu circumforaneus, cui adductus fuit infans. Is linguam mediante ligamento nerveo, durissimoque annexam esse, parentibus persuadebat; Et dummodò pecuniam solvere vellent, ut infans brevi sermonem ederet, facilimè se efficere posse, audacter ipsis affirmare ausus est. Numeratur pecunia: in sinum cujusdam matronæ collocatur infans: Tùm impostor linguam ex utraque & anteriori parte altè (ut mihi ab astantibus relatum fuit) separavit. Sed quid fit? puer iste, qui prius erectè incedere poterat, in ipso momento, maximis & horrendissimis prius sublatis clamoribus, contrahitur, ita ut genua versus inguina, & brachia versus pectus retraherentur. Cæterùm quia dolores continui, & medicamenta adhibita non essent, valdè extenuatus atque debilitatus fuit infans: nunc tamen aliquo modo melius habet. Heri enim 28. hujus mensis Julii, ipsum unà cum doctissimo viro *Dn. Emanuele Urstisio* artium liberalium Magistro convictore meo, aliisque ex meis domesticis adivi, & ea, quæ jam recensere duxi, ex parentum, astantiumque relatu excepi. Huc usque, ut & antehac, ne verbum quidem proferre potest. Crura brachiaque adhuc contracta sunt: quæ ubi vi extenduntur, protinus iterum contrahuntur; sed non adeò ut antehac, nulloque modo incedit. De dolore tamen non usque adeò conqueritur, & appetitus rediit, ita ut paulatim vires reficiantur. Lingua crassa, caput verò totaque constitutio corporis Phlegmatica est. Ego, quia pauperes, opem meam ipsis obtuli: si accesserint, faciam quicquid in me erit: & lubenti animo exitum præstolabor. Rarus enim est casus, cui similem mihi nunquam observare contigit. Ideoque eò magis T. Ex. illum communicare mihi visum fuit, quod hujusmodi rebus summopere eam oblectari sciam.

*Observatio singularis alia.*

Denique de ancyloglossis inter cætera exemplum quoddam peculiare referre possum, quod hic adscribere T. Exc. forsan non ingratum erit. Est mihi frater uterinus, qui in sua infantia admodum valetudinarius fuit. Inter cæteros autem morbos, quibus obnoxius erat, ad quartum usque annum ætatis, ne verbum quidem edere potuit. Ego cum apud Chirurgum quendam Practicum versarer, & singulis ferè diebus sectionem hujus ligamenti feliciter administrare viderem, cum die quâdam paternos lares visitassem, linguam ejus inspicere placuit. Tùm mediante ligamento crasso spissoque linguam adeò annexam reperi, ut vix ipsa dentes anteriores attingere posset. Ego ea, quâ potui, diligentia ligamentum hoc abscidi, posteaque singulis diebus ter quaterque locum affectum melle rosaceo inunxi. Duobus mensibus à prima abscissione, ligamentum aliquo modo iterum annexum inveni: quapropter eodem modo, ut prius processi. Res, Dei beneficio, ita feliciter cessit, ut brevi loqui inciperet, tandemque & hucusque, laus Deo, vocem optimè proferre, & articulare posset. Vacat autem omni periculo hæc operatio: dummodò rectè administretur: præcipuè autem prospiciendum convenit, ne nimis profundè incidatur: Ego elevatâ linguâ, apice forficum ligamentum, ut plurimum in duobus, nonnunquam etiam in tribus locis incido, sic enim difficilius coalescit denuò, quàm si uno tantummodò loco incisio facta esset. Incido autem saltem quicquid nerveum est, ita ut carnem vix attingam. Quod si primâ vice non satis abscissum, aut iterum annexum fuerit, poterit postea eadem operatio denuò administrari. Inciso ligamento, jubeo, ut nutrix sæpissimè digito, melle rosaceo (aut communi) madefacto, linguam blandè elevet: Sic enim agglutinatio atque consolidatio impeditur. Hæc ad Te scribendi, vir amplissime atque amantissime, problemata tua medica undiquaque doctissima, quæque maximâ cum voluptate legi, ansam mihi dederunt. Vale ex Museolo nostro Machaonico 29. Julii, 1608.

*Modus sectionis.*

# AD DECADOS V.

## *QUÆSTIONEM I.*

Idem

GUILELMUS FABRICIUS.

*Ad Autorem.*

PRoblemata tua doctissima, amplissime atque clarissime *Dn. D. Horsti*, gratissima mihi fuere, multumque eorum lectio me oblectavit. Perge, quæso, sic scriptis familiam ornare, & facies rem multis gratissimam, atque utilissimam. Quod in iis honorificam mei mentionem feceris, immortales ago gratias: indè humanitatem, & in me benevolentiam tuam agnosco. Ad nonnulla horum problematum libenter exempla tibi communicarem, sed occupationes nunc longas scribendi epistolas, non concedunt: dabitur forsan posthac ocium atque occasio: addam tamen unum aut alterum. Quæstione prima decados quintæ, non absque gravissimis causis in syncope acetum cum distinctione admovendum, rectè scribis: Et tecum consentio, sed mirum forsan tibi videbitur, quod nunc subnectam. Matronam piam atque honestam cognosco Lausannæ, viduam *Dn. Joachimi Rohaut.* olim pharmacopæi, quæ acetum adeò aversatur, ut ex solo ejus odore in Lipothymiam & syncopen incidat. Ideòque ex ipsius culinâ planè proscriptum est. In Lipothymia, cum ex resolutione spirituum, tùm eorundem oppressione, Sal præstantissimum esse remedium, si labra eo fricentur, aut æger id masticaverit, ausus sum affirmare: millies enim in his, quibus vena incidenda,

*Observatio de quadam muliere, quæ ab aceto abhorruit.*

*Sal optimum remedium in syncope.*

da, aut incisa fuerat, cum fructu observavi: neque ullum hactenus remedium inveni, quod citius effectus suos edat. Cæterum admiratione non vacat, quod sæpissimè hi, qui adstant, cum alicui vena inciditur, Lipothymia & Syncope corripiantur. Imò & nonnullos vidi homines, qui ex sola imiginatione atque cogitatione alicujus horrendi facinoris, Lipothymiâ correpti sint. Exemplum unum non vulgare annectam. Anno 1588. Genevâ in Sabaudiam ad nobilem quendam vocatus, quum in viâ famulus ipsius nobilis, qui me ducebat eques, ad latus mihi esset, ac ego de miserrimo ac deplorando statu militum Germanorum, quorum mentio fit in tractatu de gangræna & Sphacelo, narrarem, & eorum vulnera, & ulcera describerem, ex solâ narratione historiæ ipsemet famulus lipothymia correptus fuit, adeò ut parum abfuerit, quin ex equo in terram prosterneretur. Ego una manu apprehenso freno ductoris mei semimortui, altera frenum equi mei, equos ambos retinui: & anxius animo, cum nullum mihi ad manus esset aliud remedium, urinam propriam manu excepi, eamque in faciem ejus immisi, quin etiam labia eâ fricui. Hinc paulatim recollegit vires, & mecum ad nobilem perrexit, ubi, cum quid in via nobis acciderat, narrassem, mirum in modum ipsum deriserunt domestici. Plura non licet. Clarissimum *Dn. Doct. Lentulum* tuo nomine salutavi, qui te vicissim ex animo salvere cupit, & omnia humanitatis officia tibi offert. Appollonia Schrejera, quæ per multos annos inediam passa, cujus tu mentionem facis Decade quinta, adhuc in eodem statu, ut tu illam vidisti, vivit, nec ulla intervenit mutatio. Vale Vir amplissime, & feliciter vive, diu, meque ut facis, ama. Paterniaci Aventicorum 20. Julii. Anno 1608.

*Observatio de syncope per imaginationem oborta.*

*Vrina remedium syncopes obsalsam substantiam.*

## AD DECADOS VI.

### *QUÆSTIONEM X.*

CASPARUS BAUHINUS D. ANATOM. & Botan. Profess. Basileensis, & Illustrissimi Duc. Wirtembergici Medicus celeberr.

*GREGORIO HORSTIO, MED. D. & Professori in Academiâ Giessenâ.*

S. Tuis elapso Septembri Giessæ datis, Vir Clarissime, utrum responderim revera ignoro: utut sit, tibi de Professione gratulor, & omnia felicissima precor. Quod concernit casum, de quo scribis, dubitandum minimè est, quin omentum fuerit, in quo tumor & sanies collecta fuit; hoc docere potest ipsius primum connexio cum fundo ventriculi, cui ala vel membrana superior adnascitur, vel potius indè producitur, quemadmodum ala inferior à coli membrana: docet hoc etiam ipsius forma Marsupio aucupario similis: item ipsius substantia partim membranosa, partim glandulosa. Quæ causa fuerit quæris? Cum plurima vasa per omentum ferantur, ex vasis reseratis sensim materia inter has tunicas effundi & colligi potuit, quæ nisi membranæ crassiores fuissent, in abdominis capacitatem fluxisset, & quia pinguedo, quæ ei adnascitur, cænosa & putrescibilis est, non mirum, saniem fœtidam adfuisse. Hæc sunt, Vir Clarissime, quæ ad tuas respondere debui: his vale & salve. Basileæ ocyus XIX. Decemb. 1609.

*Causa generationis in omento.*

GUILIELMUS FABRICIUS *Medicus & Chirurgus Paterniacensis experientissimus ad eundem.*

S. Tuæ, Vir Amplissime 12. Septembr. Giessæ, datæ, 19. Octobr. ad me perlatæ fuêre, quæ gaudio maximo me affecerunt, præcipuè illam ab causam, quod Deus opt. max. nos propius conjunxerit, & T. Excell. in florentissimam Academiam constituerit. Faxit Deus clementissimus, ut vocatio illa tua ad ipsius gloriam, ædificationem proximi, inprimis familiæ Medicæ utilitatem, tuique salutem plurimùm conducat. Cæterùm quod casum de monstroso omento communicatum attinet, is multùm mihi placuit: est enim profectò rarus, nec unquam mihi similem videre contigit. Superiori tamen anno, Bernæ, matronam quinquagenariam, robustam, sanam, obesam & pinguem valdè invisi. Illa ante multos annos in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex qua rupto peritonæo, & relaxato abdomine paulatim hernia planè monstrosa facta fuerat, quandoquidem magnitudinem uteri, qui fœtum maturum gestat, tumor iste superabat: venter nihilominus suam servabat proportionem: Porrò tumorem huncce ex omento prolapso, & sensim in istam magnitudinem aucto prognatum fuisse, verisimile mihi videtur: absque dolore enim, tactuque mollis, & undique æqualis erat: colore à naturali non discrepabat: murmur nullum persentiebatur, ut in hernia fit intestinali: in ventrem retrocedebat nunquam, etiamsi alvum exoneraret, vel in dorsum ægra decumberet, sed semper in eodem permanebat statu. Ex quibus apparet, fuisse omentum, idque in illam molem & magnitudinem auctum. Sed hæc obiter, quæ si non probabilia, verisimilia tamen esse videntur. De generatione verò tumoris omenti, cujus mentionem facis, nescio quam aliam adferre debeam causam, præterquàm illam ipsam, quam tu quoque statuisti. Ludit enim aliquando natura, ut plus nutrimenti ad partem aliquam, quam pro sua nutritione opus, amandet. Hinc excrescentiæ præternaturales & aliquando monstrosæ fiunt. Ante annos enim quatuordecim DN. GRIFFONIUS, Chirurgus præstantissimus, olim Præceptor meus fidelissimus, Lausannæ cuidam viro robusto, & optimo corporis habitu prædito, excrescentiam ad homoplatam dextram viginti sex librarum pondere, præsente Domino Claudio Auberio, apud Lausannenses Doctore Medico celeberrimo, multisque aliis, excidit. Convaluit homo iste, & forsan huc

*Observatio de tumore omenti.*

*Causa generationis tumoris omenti.*

*Observatio de excrescentia ad homoplatam.*

usque vivit. Tota autem excrescentia ista præter membranas nonnullas ad ignem in pinguedinem optimam & ad usum idoneam resoluta est. Causam materialem hujus tumoris putasne esse sanguineum aëreum, ibique per venas copiosè exudatum, & à debili istius partis calore ad ipsum conversum? Sed finem facio, Deumque suppliciter oro, ut tuam Excell. ad Reipubl. utilitatem diu conservare dignetur. Catalogum virorum doctorum Academiæ vestræ accepi, quos omnes, ut ille, qui fons est omnium scientiarum, Spiritu suo magis magisque illustrare, & in multos annos incolumes servare velit, oro & efflagito: quæso, ut illos omnes meo nomine demissè salutare non graveris. Vale vir Amplissime, &, me, ut facis, amare perge. Paterniaci Aventicorum 21. Octobr. Anno 1608.

## AD DECADOS VII. QUÆSTIONEM VI.

CUm præsens quæstio quodammodo de Scorbuto tractet, non inconveniens nobis videtur, ea quæ sequuntur, annectere, cum non parum lucis huic doctrinæ adferant.

### GEORGIUS FABER PHIL. ET Med. D. & Illustriss. Ducum Saxon. Archiater experientissimus.

### GREGORIO HORSTIO, PHIL. & Med. D.

S. Miraberis fortassis, Clarissime & Excellentissime Dn. Doctor, miraberis inquam, quid causæ sit, quod ignotus ego, ad te facie quidem mihi pariter ignotum, scriptis verò, eruditisque lucubrationibus undique notissimum, scribere sim aggressus. Verum enim verò, mirari paulisper desine. Duplicem habeo causam, unam publicam, alteram privatam. Illa est, quod ab ineunte ferè ætate mihi semper magna fuerit cupiditas, tàm in exteris, quam nostris regionibus cognoscendi & compellandi viros doctos, & inter eos, te nunc vel maximè, præstantissime Horsti, quem recondita quædam eruditio, inclytique ac famigerati nominis celebritas conspicuum mihi fecit: hæc verò, privata scilicet, casum concernit medicum, cujus arbitrum te mihi exopto atque deligo, &c. Res verò, ut ad rem ipsam deveniam, sic se habet: Matrona quædam honesta anno supra Millesimum sexcentesimum sexto, circa veris initium, de nimia pectoris angustia, de dolore & inflatione sinistri hypochondrii, interdum etiam de intensis crurum, pedumque lancinationibus & convulsionibus, adeò cœpit conqueri, ut præ doloris magnitudine, maximè sub noctem, quò se verteret, nesciret: inter eundum & movendum quoque difficulter respirabat, urina erat valdè crassa, rubra, turbulenta, cum pingui superficie, & sedimento furfuraceo vel sabuloso. pulsus verò semper debilis & inæqualis existebat. Verum inter hæc incommoda gravida illa fœtum gestabat utero. Quo animadverso, de medicamentis tutò exhibendis diu, multumque cogitabam, atque etiam subdubitabam, sperans fore, si propitia Lucina finito gestationis tempore convenienti modo fœtum excluderet, omnia tunc commodiori via posse institui ac perfici. Et, ut verum fatear, de Scorbuto, morbo hactenus apud nos insolito & incognito, mihi nihil unquam tunc venerat in mentem. Interea legitimum pariendi tempus accedit, filiolumque vivum & valentem in lucem feliciter edit. A partu verò symptomata illa, quibus antehac tàm graviter erat conflictata, remittebant, seseque meliusculè aliquandiu habebat, ita ut de integrè recuperatâ sanitate spem conciperemus haud exiguam. Paulò pòst, cum Illustrissimo nostro Principe mihi Coburgum proficiscendum, ibique propter venationem æstivalem integrum bimestre subsistendum est. Dum ita absum, en literas accipio, quæ recidivam omnium istorum symptomatum, quæ supra recitata sunt, mihi denunciant: quibus accesserant adhuc alia, maculæ seu lituræ nimirum in cruribus, pulicum morsibus haud dissimiles, gingivarum absumptio & putrefactio, cum intolerabili dentium dolore, & gravi fœtore oris. Iis ego nunc cognitis facili negotio de certo morbi genere confirmatus fui. Quare, nullâ interpositâ morâ, medicamenta ipsi præscribo ex herbis & radicibus incidentibus, attenuantibus, & morbo huic appropriatis, non neglecta etiam convenienti evacuatione, sanguinisque missione. Quibus omnibus ita in mea absentia diligenter usam esse pro certo comperi. Brevi dehinc rediens, ostendo illam nihil aliud post usum istorum medicamentorum conquerentem, quàm de vehementissimis faucium doloribus & exulcerationibus, quas usu acrium gargarismatum & linimentorum ita exacerbatas fuisse seriò testabatur. Cum autem valdè sollicitus essem hac de re, senex quidam Barbitonsor aliorum suasu accersitur, cui rem omnem expono, rogitans, ut si quid auxilii longo rerum usu atque experientiâ ad propulsandum hoc malum didicisset, curationi manum admoveat. Annuit primò, sed statim subjungit, se quidem velle hunc morbum curare, si modo curationi adsentirem: sciscitanti autem de modo & processu respondit: per usum suffumigii ex Cinnabari, auripigmento, aliisque venenatis, seseque multos ab ejusmodi malis hoc unico medio liberasse, & pristinæ restituisse sanitati, satis superciliosè jactitans. Ego hoc remedii genere deterritus, hominem dimitto, prætendens, me non posse convenire cum ipso de hoc morbo, multò minus cum ejus curatione, propterea quod neque originem, neque causam, neque signa hujus morbi satis cognita atque perspecta æquè habuerit, ut ego. Quocirca discedente ipso cum gratia, casum hunc refero Clariss. Dn. DD. Medicis Cassellanis Aulicis, Dn. D. Hermanno Wolfio & Dn. D. Mosano, fautoribus & amicis meis honorandis, ipsorumque judicia & consilia super hoc obnixè efflagito, qui sese faciles præbuerunt, mihique omnia humanitatis & benevolentiæ officia liberaliter præstiterunt, ex quibus tandem honesta illa matrona brevi temporis spacio (singulari Dei beneficio) penitus convaluit, & in hunc usque diem nihil mali aut incom-

*Proponitur casus Medicus.*

*Signa Scorbuti.*

*Curatio Scorbuti.*

commodi omninò sentit, nisi quod ipsi vox quodammodo imminuta, pauloque lenior reddita sit: verum nihil obstat, distinctè atque concinnè loquitur, cibum potumve absque ulla difficultate & impedimento assumit, &c. Pro quibus beneficiis DEO optimo maximo sit gratia & gloria in sempiternum. His ita peractis, quid controversiæ inter me & veteranum illum tonsorem ex prædicto casu non ita pridem obortum sit, intellige. Inciderat in eundem morbum hic Aulicus quidam non infimæ sortis, verum longè vehementioribus, & gravioribus epatis, & vesicæ fellis, obstructionibus corripiebatur. Ad hujus ego curationem vocatus & rogatus, ut quicquid ad valetudinem recuperandam pertinere putarem, nihil eorum missum facerem. Respondi: me quidem ex officio id debere, sed nihil certi de curatione & felici ejus successu posse ac velle, promittere, eò quod scirem, servandis diætæ præceptis ingenium suum minimè natum esse, adeoque longo tempore antè, quam decumbere ceperit, de morbo à me diligenter præmonitus obtemperare noluerit, malum in principio fuisse neglectum, jam verò totum inveteratum: laboraverat enim jam diu fœdâ oris graveolentiâ, dentium nigredine, atque gingivarum luxuriante quâdam putredine, quæ omnia hujus φαινόμενα sunt non contemnenda. Usus autem fuerat aliquot hebdomadis operâ manuariâ istius Barbitonsoris, cujus supra mentio facta, sed irrito planè conatu & successu. Cum mnltis igitur precibus non tantùm ægrotus ipse, sed & astantes quidam amici apud me instarent, humanitatis & pietatis officium esse duxi non minimum, vel in desperatis casibus opem non denegare, tùm ne ægri deserti, spem omnem & animum abjiciant, ac miserrimo eventu extinguantur, tùm quia interdum deplorata cadaverosa corpora ad sanitatem redire videmus, omnem ipsi operam & studium ex Christianâ quâdam commiserationis pollicitus sum, modo ipsemet etiam suum officium facere, meisque monitis posthac obsequentior esse vellet, quod & se facturum datâ dextrâ mihi seriò promisit. Consideratis itaque hujus morbi symptomatibus, omnibusque excussis, curationem in nomine Dei aggredior, eique medicamenta secundum curationis methodum adorno, quæ nimirum crudos humores concoquant & incidant, concoctos expurgent, semper admiscendo etiam illa, quæ huic morbo à proprietate convenire mihi videbantur. Horum usu per dies aliquot continuato, ipsemet æger sese allevari ac melius habere palàm confitebatur, pedum tumor, qui jam invaserat, totus evanescebat, oris verò ulcuscula, & gingivarum putrefactio efflorescebant adhuc, & quasi incrudescebant. Idcircò à Barbitonsore suo persuasus, si nimirum quicquam medicamenti intra corpus assumeret, malum istud oris & faucium sanari nunquam posse, à medicamentis & præscriptâ cura sese omninò abstinuit. Quo facto miser ille suo, suique tonsoris genio & ingenio indulgens, in hydropem delapsus intra paucos dies misere diem suum obiit. Verùm non semel sub vitæ finem coram uxore & amicis multis querelis & lachrymis contestatus est, sibi eventum hunc à me statim in principio fuisse prædictum, & se malè fecisse, quod barbitonsori plus, quam Medico fiderit, atque obtemperârit. Ob hujus tonsoris iniquitatem Magistratus sui officii admonetur, ne videlicet ejusmodi impostoribus fenestra ad nequitiam aperiatur, multò minus hoc tàm grande facinus tonsoris (& morte piandum) impunè relinquatur. Hinc mihi summa Barbitonsoris illius invidia & acerbissima injuria, dum non solùm famam meam variis contumeliis & convitiis proscindere, sed & matronam illam honestam, quam Scorbuto laborantem curavi, quod morbo Gallico fuerit infecta, falsò traducere audet. Mendacium suum hâc ratione defendere conatur: fauces, tonsillas atque ipsam uvulam nullo alio modo lædi posse, quam à lue Gallica, & per consequens illam matronam tali morbo fuisse contaminatam. Quam absurdum & falsum hoc sit, vel doctioribus, & in arte nostra peritioribus, excutiendum relinquo. Annon ex confirmata quadam putrefactione, & corruptione gingivarum in Scorbuto, finitimæ quoque partes serpendo inficiuntur, & ad ossa usque consumuntur? ut habet *thes. 4. Exerc. tuæ 2.* quasi verò non ex quavis acri & maligna fluxione possit palatum quoque ulcere affici, & ejus os erodi, ita ut concidat, quemadmodum Doctiss. ille Italus *Baptista Codronchius in l. 2. de vitiis vocis cap. 6.* luculenter docet. Cum autem in hoc tàm arduo & difficili negotio nullius insuper judicium atque consilium magis exoptem atque expetam, quam tuum, quippe qui non ita pridem de eadem materia tractatum absolutissimum, mihique instar totius alicujus commentarii certè gratissimum, cum magno rei literariæ emolumento, tuaque pereximiâ laude in publicum edidisti, majorem in modum abs te peto, vir Clarissime, ut si à gravioribus negociis & studiis tantùm respirare liceat, quid facto opus censeas haud invitus rescribas: in te meam observantiam à gratissimo, tibique deditissimo animo meo certus expectabis. Dabam ocyus inter turbas aulicas Isenaci Calend. Augusti, M. DC. IX.

*Alia historia Scorbutici cujusdam,*

*Confirmati Scorbuti signa.*

*Clarissimo & Excellentissimo Viro,*

Dn. GEORGIO FABRO PHIL. ET Med. D. & Illustriss. Ducis Sax. Ernesti, ac Reipubl. Isenacensis Medico meritissimo, amico suo observando.

GEORGIUS HORSTIUS, D.

Etsi vir Clarissime & Excellentissime fautor & amice plurimum colende, minime talem me judico, qui opinioni, quam Tua Excell. de me concepit κατὰ δύναμιν respondeat, utpote qui mihi benè conscius, vulgi pars ultima nostri, pars ultima turbæ Romanæ: gratissimæ tamen Excell. tuæ literæ fuerunt, tàm quod viri celebritate nominis, licet non facie tenus, mihi notissimi, familiaritatem ac benevolentiam offerrent, quàm quod monstrarent, quibus mediis eandem oblatam penitus mihi conciliare possem. Utinam à me quic-

quicquam Excel. tuæ lectione dignum provenire posset, ne dicam quod conceptam opinionem de me confirmaret: Scio enim quid mihi in re medica quotidiè dubitandum, & addiscendum occurrat. Verùm tuâ fretus benevolentiâ, candide breviterque subjiciam, quid ad utramque literarum partem respondendum mihi videatur: tua Excel. boni consulat, & festinanti calamo ignoscat. Primum, quod attinet affectum, quo matrona illa honesta superioribus annis afflicta fuit, is scorbutico malo tàm affinis videtur, ut ovum ovo similius vix reperiatur. Cum enim enumerata symptomata considero, vera διαγνωστικὰ signa reperio; quæ præsentiam incipientis Scorbuti innuunt: inter cætera verò maximè testatur hoc pulsus debilis & inæqualis, cum reliquis, angustia scilicet pectoris, dolore & inflatione sinistri hypochondrii, crurum pedumque lancinationibus, potissimum sub noctem ingentibus, difficili tempore motus respiratione, & urinâ turbulentâ, cum innatante pinguedine frequenter permistâ, conjunctus. Etenim talis pulsus, cum reliquis, *Eugaleno experientissimo lib. de Scorb.* verum & pathognomonicum hujus affectus signum constituit, ut patet ex *ejusdem observ.* 30. quâ ferè casus idem proponitur.

*Scorbuti descriptio.*

Nec obstat rubram apparuisse urinam, quam aliàs in morbi principio frequentius albam observavimus: id enim ex accidenti factum, propterea quod ægra fuerit, in quibus lotium, alias ob causas non ignotas, tingitur. Ut autem in scorbuticis paroxysmis (ubi malum in principio, nec admodum inveteratum est) morbus sponte sua cessat, insigni quadam evacuatione & mutatione totius superveniente; ita etiam mirum non est, post partum symptomata quasi sopita fuisse, propterea quod succedente puerperii purgatione plurimùm fortassis de peccante turgenteque materia fuit evacuatum, eâdem ratione, quâ viris ejusmodi morbus exacerbatus per hæmorrhoides apertas lenitur. Veruntamen quia fomes mali remansit, facilimè ratio recidivæ redditur, tunc temporis scilicet, ubi lactentem fortè puellum aluit, nova menstruarum evacuationum intermissione succedente, scorbuticaque materiâ in massâ sanguineâ, propter nobiliorem partem à mammis attractam, & in lactis substantiam conversam, admodum auctâ & exacerbatâ, quæ posteà non solùm prædicta symptomata reduxit, sed insuper confirmati Scorbuti signa, maculas scilicet in cruribus, propter ἐκχύμωσιν sanguinis infecti, gravemque gingivarum absumptionem, fauciumque putredinem, seu potius putrefactionem, tàm propter singularem peccantis materiæ proprietatem, quam propter humiliorem fortè constitutionem ægrotantis matronæ honestissimæ, respectu fluxionum capitalium, quod Excellentiss. Dn. D. Hermannus Wolfius ex T. Excell. sententiâ, quam in literis ipsius video, prudenter statuit: non enim video, cur non ejusmodi symptomaticus affectus, in certâ quadam parte genitus, ab alia causa superveniente augeri & foveri possit, quapropter lubens subscribo, causam foventem illius oris exulcerationis, præter opinionem brevi temporis spatio suborta (quod in Scorbutico malo non admodum citò aliàs fieri solet) in defluxionibus continuis extitisse. Quid enim tales pituitosæ fluxiones in oris affectibus præstent, satis patet in causo veterum, seu febre Ungarica recentiorum, ubi deterrima redditur oris & faucium inflammatio, subjecti laborantis cerebro temperie humida, fluxionibusque obnoxiâ prædito; in pueris item humidioribus variolis laborantibus, quibus integra sæpius lingua putrefactione consumitur. Sed quorsum hæc pluribus enumerantur, cum exitus curationis per appropriata & convenientia remedia, methodicè instituta, feliciter acta probarit, ut meritò Deo Opt. Max. Archiatro verò T. Excellent. gratias immortales habeat? His igitur missis, ad alteram Epistolæ partem me converto, nec de Aulici illius affectu quicquam repeto, licet alia quædam symptomata graviora passus fuerit: quot enim formas hic morbus induat, & qua ratione sæpius doctissimis etiam imponat, Eugalenus ille testatur pulcherrimè, tùm in tractatu, tùm etiam in observationibus. Undè non tàm ignorantiam (quid enim aliud in ejusmodi hominibus expectabimus) quam audacem superbiam in veterano illo barbitonsore miror, qui maledicendi animo eò usque progressus est, ut deterior mihi videatur, quam totum crudele Chirurgorum vulgus, omnium literarum ignarum, ac prorsus ἀναλφάβητον, cujus mentionem facit *Langius lib.* I. *Epistolarum*, propterea quod illud ipsum tàm absurdè non concludat, fauces & circumjacentes partes alio modo lædi non posse, quàm affectione Gallicâ, cum ab eodem in febris ardentis curatione non quo ad cognitionem inflammationis faucium, sed maximè quo ad curam, quod causam nimirum febrim negligant, jure meritoque reprehendatur. Cæterùm licet meridiana luce res ipsa clarior videatur, lubet tamen sacrosanctæ veritatis causa subjicere, morbum Gallicum (etiamsi symptomata quædam cum aliis affectibus communia possidere videatur) non solùm à causâ totâ substantiâ agente produci, juxta *Capivaccium, Saxoniam & Montaltum*, sed revera quoque morbum esse specificâ quâdam corruptione occultum, seu totius substantiæ, secundum *Fallopium, Paræum, Palmarium, Mercatum, Columbum, Macbellum & alios.* Hoc præsupposito patet, verum hujus morbi characterismum à Scorbuto longè alium esse, quemadmodum ex symptomatibus eorum, qui lue venereâ laborant, ob singularis veneni proprietatem, ab aliorum morborum longè diversis colligitur. Hoc inter cætera patet etiam in ulceribus Gallicis, de quibus rectè *Mercatus lib.* I. *de morbo Gallico*: Ulcera dùm Gallicam naturam sortiuntur, id proculdubio haud obscurè monstrant: nam admiratione dignum videtur, pedum ulcuscula, quæ minima sunt, licet appareant purgata, cum hoc tamen neque coalescere, neque cicatricem admittere, nisi cum maximâ difficultate videntur. Nam remanet in eodem ulcere callosa quædam eminentia seu cicatrix, soboles & præludium majoris mali, cum cicatrix in omnibus

*Cur post partum exacerbatio symptomatum intermiserit.*

*Morbus Gallicus est morbus totius substantiæ.*

mnibus aliis ulceribus certissimum sit salutis indicium. Consimilem naturam habent oris ac narium ulcera, ne dicam de reliquis, quæ licet minima sint, absconditum habent & latitans vitium ossis, vel membranarum corruptionem, vel tanta putredine pollent, ut vix ea ad sanitatem perducere queas, quod si aliquando consequaris, non communibus ulcerum auxiliis, sed eorum ope, quæ longè videntur peregrina. Hactenus *Mercatus*, ex quo colligere licet, στομακάκην Scorbuticam & Gallicam plurimum differre, præsertim ubi simul annotamus, oris illas affectiones præter naturam in hac Gallica quotidianas non esse, sed ut plurimum tunc temporis accidere, ubi qualitas Hydrargyri noxia, singulari quâdam proprietate faucibus inimica, teste Langio, venenatum serosum humorem per salivationem expurgare conatur. Hinc *Paræus* & *Capivaccius* monstrant, quomodo in hoc casu lue gallicâ laborantes ab oris ulceribus præservandi, & curandi veniant, alio profectò curationis modo ab illo, quem in στομακάκη Scorbutica observamus. Quæ cum ita sint, vir Excellentissime & Clarissime, satis superque patet, quam enormiter Barbitonsor ille, quo ad cognitionem & curationem dicti morbi hallucinatus, & quam iniquè & malitiosè T. Excel. eruditionem allatrare, matronamque honestam affectu quodam suspecto quasi laborantem, infamare conatus fuerit. Nil video, quod T. Excel. incumbat, quam revocationem ab imperito homine urgere, & reliqua Magistratui committere. Hisce vale, & me, quod facis, amare perge, chartasque transmissas boni consule. Dabam raptim Giessæ, 20. Aug. M.DC.IX.

*στομακάκη Scorbutica & Gallica differunt.*

# AD DECADOS VIII.

## QUÆSTIONEM IV.

§. 4.

Diuretica non temerè esse adhibenda.

### OBSERVATIO

Ex prælectionibus JACOBI HORSTII p. m. Præceptoris ac Patrui nostri honorandi.

GEnerosa matrona in Saxonia dolores ingentes circa lumbos sentit per dies aliquot, ut impatiens anxietate magnâ hinc & indè moveatur. Huic laboranti alius Doctor Medicus adest, qui rectè statuit, eandem calculo renum laborare, quam ob causam purgantia & calculum moventia præscribit: verùm nihil proficit: imò magis dolores augentur, nec quicquam calculi excernitur. Ego vocatus accedo, cumque calculi obstructionem protinus non aperiri posse videam, ad dolorem fixum leniendum me converto, & herbas decoctas in aqua cum sacculis lumbis applico ℞. *Herbæ parietar. veræ, Artemis. Agrimon. an. Mj. ß. Bismalvæ Mj. Petroselini, fol. lauri an. Mj. flor. Chamomil. fiant sacculi, decoq. in s. q. aq.* Posteaquam bis terve applicaverant; lumbos inungo unguento, *quod Recipit olei violar. Unc. ß. ol. alb. amygd. amar. sesamni ana drach. ij. Scorp. drach. sex, Unguenti dialtheæ, ping. gallinæ an. drach. ij. ceræ q. s. & fiat* Unguentum. Jussi ut ea nocte reiteretur quinquies vel etiam septies. Summo manè sollicitus de ægra, ne propter ingentes dolores expiraret, lectum accessi, Baronissam Generosam dormientem inveni, sed parumper expergefacta me certiorem reddit, dolorem, licet non prorsus cessaverit, multò mitiorem esse. Discedens igitur ad somnum ulteriorem illam adhortor. Secunda die dolores prorsus cessabant. Quinque diebus post, cum vires refecisset, & urina magis cocta esset, calculos movimus, quos permultos ferè sine dolore excernebat, & convalescebat.



# AD DECADOS IX.

## QUÆSTIONEM V.

FRequentissimus est morbus, quem vocant virgineum, in his locis, ita ut ex propiis observationibus plures historiæ adduci possent: sed placet potius aliorum in arte peritiorum exempla subjicere, quam ob causam ejusdem D. D. Jacobi Horstii prælectionibus subsequentem observationem annectimus.

### OBSERVATIO DE MORbo virgineo.

NObilis virgo in Saxonia, dedita otio, & mærore sæpius afflicta, naturâ complexionis calidæ siccæ, magis tamen ad sanguinem vergentis, sensim incipit albescere, palpitare corde &c. ac per biennium ab omnibus medicamentis abstinet. Interea consilio rudium domesticorum sanguinem è Basilica mittere conatur, non consulto Medico, sed sanguinis nihil, veruntamen serosus & pituitosus humor è venis effluxit. Quid multa? adhuc pejus se habet, nec tantum albescit, totâ tum facie, tum oris labiis; tum genis, sed etiam parumper intumescit, appetitus dejicitur, capite multum dolet, sed per intervalla, palpitatio cordis magis magisque crescit. Tertio a. anno consilium meum petit, Leucophlegmatiam seu febrem albam esse intelligo, eamque valdè confirmatam. Itaque eam curandam suscipio, sed cum prædictione, spem scil. curationis adesse, modo diuturnitate temporis non deterreatur: morbus n.[enim] & per se diuturnus, & tanto tempore confirmatus, prolixiorem curativam per intervalla temporis repetitam postulat. Ægra & ejus astantes obtemperant. Prima igitur die utitur Electuario purgante, quod R. Elect. lenitivi, Indi ana drach. iij. Elescoph. drach. jß. cum facch. q. s. fiat bolus. Secunda die lambit syrupum de duabus radicibus bis, manè surgens & vesperi itura cubitum, duobus vel tribus cochlearibus, ac triduo continuat. Quinta die utitur potione purgante.

℞. *Rad. cichor. drach. iij.*
*fœniculi, sassafras ana drach. ij.*
*Polypod. unc. ß.*
*Sem. anisi. drach. jß.*
*Melonum drach. j.*

R Her.

*Her. Betonicæ, Majoranæ, fumi terræ;*
*ana Mj.*
*Capill. veneris Mß.*
*Fl. Anthos.*
*Borrag.*
*Rosarum rub. ana Pj.*
*Stæchad. Arab. drach. ij.*
*Fol. Senæ select. Unc. j.*
*Turbith. drach. ij.*
*Passul. mun. Unc. j.*
*Coq. in s. q. aq. & vini, ad 2. post colentur Unc. X I. & in Colatura per noctem infundantur:*
*Agarici, troch. drach. iß.*
*Rad. Mechoacan. drach. j.*
*Cinamomi ℈j.*
*Macis*
*Galangæ ana ℈ß.*
*Stent in infusione per noctem, manè colentur.*
*℞. Colaturæ hujus Unc. iiij.*
*Mannæ Unc. j.*
*Syr. de 2. rad.*
*rosat. solut. ana Unc. ß.*
*Misce & fiat potio.*

Sexta & septima die utitur Rotulis aromatici rosati, quotidiè bis duabus horis ante cibum. Octava die iterum purgatur altera medietate potionis purgantis antedictæ. Nono die iterum purgatur pilulis, quæ tales:

*Pil. Aleophang.*
*de hiera simpl.*
*de Rhabar. ana ℈j.*
*Cochiar. ℈ß.*
*Cum aq. betonicæ q. s. fiant pilulæ.*
*num. XV.*

Decima die usque ad vicesimum utitur pulvere tali:

*℞. Specier. arom. Caryophyl.*
*Diacinnam.*
*Dianthos ana drach. ß.*
*Diamarg. frigid.*
*Diagalangæ ana ℈ß.*
*El. resumptivi ℈j.*
*Sacch. ad pondus omnium.*
*Misce & fiat pulvis.*

Hujus usus quotidiè fuit duabus horis ante cibum, cum similagine & vino Malvatico.

His peractis cum nondum habitus bonus rediret, jussa est à me, ut per mensem integrum à medicamentis quiescat, viresque recolligat, ut natura sensim, diæta non neglecta, crudos ac superfluos humores concoqueret.

Tertio mense, vel ferè in fine secundi, redii: rursum curativam institui, ubi tantum purgans potio antedicta primâ die assumitur. Quatuor subsequentibus diebus utitur condito, quod sequitur:

*℞. Cons. Betonicæ.*
*Anthos ana Unc. j*
*Rosarum Unc. j. ß.*
*Nuc. Mosch. cond. drach. j.*
*Diacori drach. ij.*
*Spec. arom. caryophyl. ℈ß.*
*Cum syr. de beton. q. s.*
*fiat Conditum.*

Modo alternis diebus Rotulæ aromatici caryophyllati usurpabantur. Sexta die iterum usa est purgantis potionis haustu: Septimo die pillulis antedictis. Postea rursus & conditum & rotulas septem diebus continuavit. Denique naturæ iterum omnia permissa sunt, diæta diligenter observata. Sed cum duabus septimanis quievisset à medicamentis, postremam curativam aggressi sumus, in qua prima die sumit Electuarium.

*℞. El. lenitivi.*
*Diacathol. ana drach. iij.*
*Indi drach. j. ß.*
*Cum sacch. q. s. bolus.*

Secunda die reiterat potionem purgantem antedictam: tertia, quarta, quinta & sexta die pulverem superiorem continuat. Septima die rursus alteram potionis purgantis partem exhibui, & subsequentibus octavo & nono die rotulas Aromatici rosati præscripsi. Demùm decima die Sudoriferum exhibui.

*℞. Theriacæ antiq.*
*Mithridat. ana ℈ij.*
*Vini Malvatici Unc. iiij.*
*Aq. Veronicæ Unc. ij.*
*M. & f. potio sudoriferæ.*

Hanc matutino tempore ebibit, & per horas duas in lecto sudavit. Reliquum tempus dierum corroborationi tum per diætam, tum per reiterationem conditi antedicti, & Rotul. Arom. Caryophyll. tribuimus, sensim melius se habuit, & ferè finitâ hyeme, ac vere incipiente, convaluit rursus, adeò ut nihil illa salubrius, nihil pulchrius. Hactenus D. Jacobus Horstius in prælect. in lib. Hipp. περὶ παίδων.

## AD DECADOS ult.

### QUÆSTIONEM final.

*Quod Gangræna sæpius causam occultam habeat.*

### OBSERVATIO.

Gangræna ex contusione totum crus, scrotum & inguen spacio 24. horarum mirâ cum celeritate invadit, atque ægrum è medio tollit.

GUILIELMUS FABRICIUS,
Medicus & Chirurg. Reipubl. Paterniacensis celeberr.

*GREGORIO HORSTIO, D. Med. & Professori.*

S. Mente atque amicitiâ te à nobis sejunctum minimè esse, etsi altissimæ rupes nos disjungant, Vir amplissime atque humanissime, literæ tuæ 14. Martii Wittebergæ datæ, ante dies verò octo modò mihi redditæ,

ditæ, testantur, munera item, quæ simul mittis, plenius fidem faciunt. Utinam ego T. Excel. pro dignitate sua, & uti decuisset, eo tempore, quo hic nos inviserat, excipere potuissem, vel etiamnum officium aliquod præstare valerem. Proxima tamen occasione oblata, qua D. D. Doring. ad me pervenerit, intelliget tuam commendationem sibi non parum profuisse. Tractatus tuus de casu quodam admirando, liber planè Philosophicus, doctus & elegans, mirum in modum gratissimus mihi fuit, quem eò majori cum voluptate perlegi, quod eo ipso tempore, quo mihi redditus, circa casum non vulgarem occupatus eram, in quo, quia nonnulla rara, & Excell. T. speculationibus non indigna occurrunt, eum communicare ac ordine recensere minimè gravabor. Superiore mense Julii 21. die, Tivan Toppin, civis Staffiacensis, oppidi hîc in vicinia ad lacum Neocomensem siti, quinquagenarius, robustus, & optimo corporis habitu præditus, cum in maximis messis occupationibus, plaustrum vacuum ipsemet ducere tentasset, ac currendo in terram corruisset, totam internam partem suræ sinistri cruris dilaceravit, cum tibiæ ossis, à periostio suo ad longitudinem spithamæ denudatione: neutrum tamen os fractum aut fissum erat, ita ut pedes domum, à qua iter dimidiæ horæ abfuit, se conferret. Ego eâdem die vocatus, illicò totum crus, coxamque oleo rosarum inunxi. Vulneri prius vino rubello, & aqua tepidâ à sordibus & arenâ purgato, digestivum sequens imposui. ℞. *terebinth. lotæ Unc. j. Ceræ Unc. sem. Gum. Elemi drach. 2. ole. rosar. Unc. sem. de vitellis ovor. Unc. 1. Dissolvantur omnia igne lentissimo, postea admisce Croci scr. sem. Vitellos ovorum N. ij.* Ut autem affluxum humorum impedirem, fascia poscâ imbutâ, totum crus involvi, victum tenuem ac optimum præscripsi, & pro potu ordinario, decoctum agrimoniæ & veronicæ ordinavi. Hinc dolor multùm remisit, eam tamen noctem utcunque inquietam transegit. Circa scapulam quoque & humerum, licet nullum manifestum indicium contusionis apparuerit, quia tamen eò loci de dolore conquerebatur, eodem oleo rosarum inibi bis in die illum inunxi, adeò ut dolor scapulæ intra biduum cessaverit. Die 22. Julii sequens medicamentum sumpsit. ℞. *Syr. rosati solut. compos. cum. rhab. Agarico & senna Unc. sem. pulveris sennæ præpar. scrup. ij. cum decocto agrimoniæ, & veronicæ fiat potiuncula;* quâ corpus leniter purgatum fuit. Paulò post deligato vulnere, optima futuræ digestionis signa apparuerunt. Denuò itaque præscriptum Digestivum imposui, totumque crus oleo rosar. inunxi, & fascia poscâ imbuta omnia colligavi. Circa vesperam deinde eadem repetit, eâ nocte optimè quievit. Die 23. Julii summo manè basilicam dextram (sinistram enim propter cicatricem ad cubitum nullo modo invenire potui) incidi, sanguinisque ad Unc. vj. extraxi. Deligato dein vulnere; partem illam suræ dilaceratæ, & à subjecta carne disjunctæ, quia livescebat, ac in gangrænam tendebat, abscindere visum fuit. Abscissa præsente Dn. Johan. du Mullin, ejus

*Tractatus de Conservatione & Cruentatione cadaverum.*

loci presbytero, parteque aceto & sale mundata, Ægyptiacum nostrum ad radicem, putredinis, reliquæ vero parti vulneris digestivum imposui, postea sequens Cataplasma, quod putredini resistit, applicui. ℞. *farinæ fabarum Unc. iiij. Salis marini unc. sem. pulverem summitatum absinth. vulg. Scordii utriusque, rutæ ana unc. j. Coquantur in oxymell. simplici, fiatque cataplasma, addendo sub finem myrrhæ, Aloes ana unc. sem. misc. fiat Cataplasma.* Circa vesperam rursus eadem methodo processi, sed quia subsequens nox illi non adeò quieta futura videbatur, grana aliquot Laudani ei exhibui. Nullos itaque eâ nocte persensit dolores, sed quietè dormivit. Die 24. Julii manè vulnere deligato, putredinem inhibitam, neque gangrænam amplius proserpere certis signis nobis conspicere licuit: ad majorem tamen securitatem unguentum Ægyptiacum, ut antea filamentis complicatis ad radicem putredinis, totamque partem lævam supradicto cataplasmare cooperui. Intemperies nulla, neque inflatio, aut dolor aderat. Domum itaque me confero. Circa tertiam horam pomeridianam illicò, & quidem me absente; in altera tibiæ, nimirum exteriore suræ parte, dolore acutissimo corripitur. Ego circa nonam noctis horam ad illum veniens, maximis quidem doloribus ipsum detineri, facilè conjicere potui, absque ullâ tamen intemperie manifesta, aut inflatione conspicua. Undè Hippocratis sententiam animo volvens, videlicet contusam carnem necesse esse putrefieri, & in pus converti, ab inceptis desistere nolui, verum digestivum denuò imposui, tibiamque oleo rosarum inunxi, ac rursus somni tempore aliquantum Laudani exhibui. Verùm tantum abfuit, ut somnum capessere potuerit, quin potius circa tertiam me ad se vocare jusserit, si forsan dolorem aliquo modo lenire possem. Deligata itaque tibia, partem externam suræ, & ipsum quidem locum dolentem lividum invenio. At quia dolor magnus, nihilque aliud mihi in promptu erat, illicò Cataplasma ex mica panis, lacte cocta, additis vitellis ovorum, parumque butyri recentis, calidè applicui. Hinc dolor aliquo modo sedatus fuit, parumque quievit æger. Die 25. Julii circa septimam horam matutinam, deligatâ tibiâ, partem externam suræ, palmæ latitudine, nigram & sphacelatam inveni. Subitò ergò me Paterniacum recepi, ut ea quæ pro morbi magnitudine necessaria videbantur, præpararem. Circa meridiem instructus omnibus necessariis, & ad ægrum rediens, statim sic exclamantem audivi. O utinam serram attulisses, est enim abscindenda tibia hæc, quo possim hoc dolore & cruciatu levari. Deligata itaque tibia, totam externam partem suræ & ipsum pedem sphacelatum, & vesicis nigris, & maximis, nec non aqua loturæ carnis simili repletis inveni. Interim tamen nonnullis in locis dolores & maximi & continui aderant. Efflagitantibus itaque amicis tum inprimis ipso ægroto, ut tibiam amputarem, denuò me domum recepi, & instrumenta, omniaque necessaria mecum attuli,

 atque

atque circa horam secundam pomeridianam, ad ægrotum redii, tumque totam tibiam, præter illam partem vulneris, cui præcedentibus diebus Ægyptiacum applicueram, sideratam, & amplius in loco sano abscindi non posse comperi. Supra genu quoque ad externam partem in loco quodam novacula crines abradens, sonum, quasi vacuum aliquod subfuisset, percipere potui. Inde malum inibi subesse conjiciens, adstantibus & amicis significare cepi, amputationem planè infructuosam & inutilem futuram, & ut alios Medicos & Chirurgos in consilium advocarent, suasi. Post horas duas iterum deligata tibia, locus iste, in quo antè sonitum animadverteram, planè sphacelatus repertus est. Circa decimam horam noctis, in inguine ad scrotum vesica ovi magnitudine, nigra, & aquâ loturæ carnis simili repleta illicò exorta est, quâ adapertâ, subjecta caro nigra & sphacelata conspiciebatur. Intra duas horas scrotum in magnitudinem capitis intumuit, & sideratum fuit. Tum æger sudoribus primò calidis, postmodum frigidis correptus, circa tertiam post mediam noctem horam, quæ quarta dies sui morbi, cum undecim horis erat, ab incepta verò gangræna hora vigesima quarta, placidè & loquendo veluti expiravit. Post mortem totum latus & caput paulatim ita intumuêre, ut altera die, cum cadaver inhumare vellent, capulum ampliare necesse esset. Sub Hypochondrio sinistro vesica magnitudinem capitis adæquans, nigra & aquâ sanguinolenta plena exorta est. Ex ore quoque & naribus aqua ista sanguinolenta tam copiosè emanavit, ut per cubiculum rivuli instar difflueret. Ex cadavere item talis fœtor exhalavit, ut adstantes in fugam verteret. Ab initio morbi usque ad finem vitæ vix febris in illo cognosci potuit, nullumque symptoma febrile, veluti dolor capitis, & sitis, siccitas & ariditas linguæ, aut pulsus à naturali statu recessus apparuerunt. Urinæ tamen statim ab initio morbi, ad finem usque vitæ, sanguinolentæ erant. In ista autum recitata historia, nonnullæ occurrunt difficultates, quarum aliquæ, quamvis ex doctissimo tuo tractatu facilè discuti possint, cupio tamen hac de re Tuæ Excellentiæ judicium atque sententiam, quando ei per ocium licuerit, intelligere. *Primò* quidem, an Gangræna hæc tam furiosa, tamque dira ac immanis, ut vix similis unquam conspecta, ex contusione sola, vel ex causa aliquâ interna & occulta orta sit? Ego ex sola illa contusione tibiæ tàm horrendum malum oriri non potuisse planè sentio. Primò enim contusio in tibiâ, etsi magna, pro magnitudine tamen Gangrænæ non respondebat; Erat enim cutis tantummodò cum carnea membrana, à subjecto musculo separata, ita quidem ne ramus ille insignis, qui per musculum suræ partem internam constituentem (qui crus moventium in ordine primus) superficiè tenus descendit, dilaceratus quidem aut disruptus fuerit, denudatus tamen & integer conspiciebatur. Hanc quoque ob causam pars illa cutis dilacerata, & à subjectis partibus separata, nutrimento suo destituta, necessariò gangræna & sphacelo correpta fuerat. Illa verò abscissa, protinus gangræna inhibita, quemadmodum anteà dixi, neque postea indicium ullum gangrænæ apparuit, usque dum totum crus invascrat. *Secundò*, si Gangræna ex internâ parte suræ, ad externam serpendo penetrasset, vulnus labe ista prius infectum fuisset, quàm vicinas partes invadere potuisset, tàm certum est, ut nihil certius. At penetratio illa quomodo sine dolore, inflammatione & inflatione maximâ fieri potuisset, nondum video. Post primam autem noctem usque ad 24. mensis diem, quæ fuit tertia morbi dies, nullum pro magnitudine vulneris dolorem, nullamque præterea inflammationem adfuisse, sed optima signa digestionis apparuisse testabuntur adstantes (quorum ex numero erant Reverendus D. Joh. du Mollin ejus loci præsbyter, & Dn. Emanuel Urstisius Philosophiæ Magister, ac Medicinæ Candidatus, convictor meus suavissimus.) Adde quoque quod in externâ parte suræ, nullum unquam contusionis indicium apparuerit. *Tertiò* non potuit gangræna hæc ab externa parte suræ ad coxam, nisi serpendo, ac in transitu partes unam post alteram inficiendo, pervenire, ac in hoc casu, quemadmodum ex præcedenti historia elicere licet, cum tibiam, tum etiam femur, inguen & scrotum, quasi uno eodemque momento, interim tamen hinc inde partes nonnullas illæsas relictas, invadere. Potuit itaque contusio hæc in crure, meo quidem judicio esse causa adjuvans, præcipuam autem materiam aliquam venenatam ex corpore eò propulsam fuisse, planè sentio. Quamvis enim anteà homo iste morbis non admodum obnoxius, quia tamen rota totum latus transgressa fuerat (id quod dolor circa scapulam indicat) potuit facilimè sanguis aliquo in loco concretus, ac putrefactus, in pestiferum hocce venenum conversus, posteà verò à naturâ expulsus, crudele illud malum generare: gravissima enim quandoque ex sanguine coagulato, *Fernelio de abditis rerum causis lib. 2. cap. 15.* teste, oriuntur symptomata. Testatur idem *Fernelius*, se aliquando partem sphacelari vidisse, sine causa externa, sine tumore, aut rubore conspicuo, oborto primùm dolore immanissimo, tandemque ægrum extinctum fuisse sine febri, sine Symptomatis gravibus, id quod in hoc ægro maximè observare licuit. Ex istis autem quæ dicta sunt, secundum oritur dubium: nempe quomodo natura hancce pestiferam materiam sine conspicuis symptomatis, puto febre, syncope, deliriis & similibus tamdiu retinere, multò magis ad extimas corporis partes propellere potuerit. *Tertiò* quomodo factum fuerit, quod caput & totum cadaver, excepta tibia dextra, post obitum in monstrosam hancce magnitudinem intumuerit, cum animæ facultates, animali extincto, omnes abolitæ sint ac cessent. Prolixè & ordine hancce historiam recensere placuit, propter varias & ineptas, quas hâc de re vulgus profert opiniones. Tu verò, vir amplissime omnia benè consule. Vale & me ut facis ama. Paterniaci Aventicor. 9. Augusti Anno 1607.

*Quæstio I.*

*Quæstio II.*

*Quæst. III.*

R E-

## RESPONSUM AUTORIS.

Viro Clarissimo & Experientissimo

GUILIELMO FABRICIO, MEDICO

*& Chirurgo Reipub. Paterniacensis Ordinario.*

DOleo, vir Clariss. & experientiss. Amice & fautor plurimum honorande, responsum meum ad casum singularem de Gangræna quâdam admirandâ superiori annno conscriptum, & Francofurtum transmissum, ad manus tuas nunquam pervenisse: talis est plerumque mercatorum incuria, qui dum lucro totis viribus inhiant, brevi promissorum obliviscuntur. Actum igitur ut agam, pro transmissa, mihique inscripta observatione gratias, quas animo concipere possum, habeo maximas, tibique vicissim officia mea promptissima lubens polliceor & offero. Quod autem casum illum attinet, ut expectationi tuæ satisfaciam, brevibus, si non verbis, tamen fundamentis cum priori responsione convenientibus, opinionem meam aperiam, eamque candido judicio tuo subjiciam. Sed ne longiori tuarum literarum repetitione tædium tibi satis aliàs occupato creem, ad quæstiones tuas mihi propositas rectà progredior: inter quas primus locus illi tribuitur, qua quæris, an gangræna illa furiosa, eaque dira & immanis, ut vix similis unquam conspecta, ex contusione solâ, vel ex causa aliqua interna & occulta orta fuerit? Negativa tua displicere nequit, ubi perpendo rationes in medium adductas, ex ipsius Hygieiæ penetralibus depromptas, & experientiâ tuâ singulari confirmatas, præsertim cum tantùm illam contusionem consideres, quæ fuit in crure, concedendo nihilominus, præter hanc, aliam quoque totius corporis contusionem adfuisse, quatenus rota totum latus transgressa fuit, quod non solùm tecum ex dolore circa scapulam colligo, sed insuper etiam urina sanguinolenta, per totum morbi tempus ab initio statim ad finem usque vitæ, satis firmiter illud ipsum indicat; propterea quod hæc in ejusmodi corporis constitutione non aliundè, quàm ex contusione, non cruris, sed aliarum partium deducenda videatur. At verò, si tanta fuit contusio corporis reliqui, mirum non est, sanguinem circa partes abdominis externas alicubi concretum ac putrefactum, in pestiferum quasi venenum conversum fuisse, quod rectè colligis, ita ut non videam, quid responsioni primæ quæstionis ulterius addendum censeam. Verùm altera quæstio fortassis majorem dilucidationem requirit, quomodo videlicet natura pestiferam illam materiam sine conspicuis symptomatis, puta febre, syncope, deliriis & similibus tam diu retinere multò magis ad extimas corporis partes propellere potuerit? Concidit hîc controversia recentiorum, qua quæritur, num in corpore nostro, absque insigni humorum putredine, venenum generari queat, in quâ partem affirmativam defendit *Hercules Saxonia lib. 2. de Phœnigm. cap. 8. & sequentibus*, propterea quod de essentia veneni non sit per putredinem fieri, potissimùm, cum quotidiana experientia testetur, sæpius pestiferos affectus absque omni putredine disseminari, quod Galenus etiam innuere videtur, dum inquit: Ut ab exiguo initio sputi videlicet (canis rabidi) qualitate aucta quædam in corpore dispositio, quando ad magnitudinem notatu dignam pervenit, discerni potest, idque post sex menses, cum nonnunquam ante id tempus nulla nota deprehendatur: Sic eodem modo vitioso humore in animalis corpore genito, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua consentit, à qua deinde, universum corpus celeriter alteratur. Contrà præsentis quæstionis negativam acriter confirmare nititur *Columba, lib. 1. de febr. pestilent. cap. 41.* non solùm autoritate Galeni, qui passim venenatos & malignos humores in corpore nostro non aliter, quàm per summam corruptionem, fieri posse statuit: sed etiam rationibus, quatenus ea, quæ secundum naturam sunt, ad qualitates immediate substantiæ nostræ, seu principio vitali contrarias, absque insigni & vehementissima corruptione, mutare nequeunt, non tàm quantitatem, quàm modum putredinis respiciendo. Veruntamen cum Saxonia tantùm contra simplicem putredinem disputet, Columba verò corruptionem quandam formalem insignem, à communi putredine diversissimam, intelligat, non inconveniens videtur, utramque sententiam conciliare, nimirum ut venenum in corpore nostro producatur, non ex simplici quadam putredine humorum, juxta priorem, sed ex specifica quâdam corruptione vehementissima & malignissima, juxta posteriorem opinionem. His præmissis respondendum, quomodo maligna corruptio sine conspicuis symptomatis, puta febre, syncope, deliriis & similibus produci potuerit, ubi solutionem nobis subministrat *Hippocrates lib. 3. Epidem. sect. 3. Aphoris. 52.* ubi inquit: *quorum caput horum quid tentaret* (loquitur de maligna putredine) *his caput totum glabrescebat, & mentum, ossaque denudabantur, decidebantque, multaque extiterunt fluxiones. His adjuncta aliquando non erat febris. Erant autem hæc formidabiliora, quam deteriora. Quibus enim ad suppurationes species hæc devenit, plurimi superstites horum erant. At verò quos inflammatio reliquit, & sacer ignis, nec valdè abscessum effecit ullum, hi frequentes perierunt: & si usquam Loci alterius in corpore oberraret, evenerunt hæc. Etenim multis brachium vel totus cubitus decidit: Quibusdam hæc anteriora latera afficiebant, vel posteriora. Nonnullis totum femur vel tibiæ denudabantur, pesque totus.* Galenus in comment: id quod ad præsens institutum pertinet ulterius declarat dicens: *Quibusdam, quibus in superficie erat ejusmodi putredo, partes etiam citra febres marcescebant, &c.* Hinc ergò constat in corpore nostro talem humoris peccantis corruptionem fieri posse, quæ veneno respondeat, partiumque sphacelum introducat, absque vaporibus putridis ad cor transmissis, propterea quod venenum multo majoris

*Ad quæstionem propositam primam.*

*Ad quæstionem secundam.*

sit activitatis, quam putredo; præsertim tunc temporis, ubi talis corruptio partibus à corde remotioribus, minusque principalibus, accidit. Quocirca patet, cur tantam malignitatem sanguis, ex contusione circa femur & abdomen collectus, absque insignibus symptomatis contraxerit: Fuit enim in partibus à corde & aliis membris principalibus remotis, & ad faciliorem corruptionem admodum dispositis: juxta *aphorism.26. Hippocratis loco citato*, ubi dicit: Omnium gravissimam fuisse putrefactionem circa pubem & pudenda, propterea quod illa loca, dicente Galeno in comment. levissimè putrescant, & per consequens citius etiam corrumpantur. Adde quod aliàs, quo ad constitutionem naturalem, vitalis facultas in hoc ægro valida satis fuerit, quam ob causam cor vitæ fons per consensum difficulter affici potuit, prioribus scilicet diebus, ubi malignitas in partibus remotioribus ex corruptione humorum producta fuit. Ut enim naturæ præstantissimæ, quibus τὸ θερμὸν ἔμφυτον robustissimum inest, rarissimè, sed tandem ubi accidit, periculosè laborant; propterea quod virtus valida caussis morbificis validè resistat, & non nisi magnâ quâdam violentia deprimatur, ita præsentis ægri natura, symptomatis vel effectibus hujus materiæ corruptæ tamdiu restitit, donec tandem subitò, sine præcedentibus diuturnis alterationibus, opprimeretur. Porrò quod tertiam quæstionem attinet, qua quæritur, cur Caput & totum cadaver, exceptâ tibiâ dextra, in monstrosam magnitudinem post obitum intumuerit, non video quid aliud responderi possit, quàm quod materia peccans, antea caloris nativi robustioris compedibus quasi catenata, jam post mortem magis commota & exacerbata fuerit, adeoque suæ malignitatis fructum hunc ediderit, eâdem ratione, quâ videmus interdum in Scorbuticis, ut & peste laborantibus, post mortem tandem maculas variegatas efflorescere. Nec mirùm quod tibia dextra fuerit à tali Symptomate immunis, præsertim cum ipsa contusio tantùm sinistram partem, quantum ex historia colligitur, affecerit. Hæc sunt, peritissime Fabrici, quæ de præsenti casu mihi probabilia videntur, tu vale, & Horstium te amantem redama. Dabantur Giessæ Cattorum 21. Julii 608.

---

Σὺν Θεῷ

GREGORII HORSTII

τοῦ μακαρίτου

EXERCITATIONUM DE FEBRIBUS

PRIMA

## DE FEBRIBUS IN GENERE.

*THESIS I.*

*Febris nomen.*

Febris, seu à *feritate*, quod communiter multos afficiat, seu à *fervore* juxta *Servium*, quo modo juxta quosdam ab antiquo *februo*, quod idem est ac *ferveo*, dicatur, Græcis ὁ πυρετὸς & sæpius ab ardente calore igneo, πῦρ apud *Hipp.* nominatur,

*Febris definitio.*

estque *calor cordis præter naturam, spiritibus* atque sanguine *mediantibus in totum corpus distributus, & operationibus naturalibus noxam inferens. Avicen. l. 4. fin. 1. tr. 1. cap. 1.*

2. Dico, *quod sit calor*, non quidem quatenus simplex qualitas intelligitur, sed potius intemperies calida, quando scilicet adeò immodicè auctus est calor, ut hominem offendat & actionem lædat. *Gal. l. 8. Meth. cap. 1.*

3. Dico *calor cordis*, ubi primum febris subjectum determinatur.

4. Dico *præter naturam*, quatenus febris calor nativus in igneum mutatus dicitur *Gal. 1. Aph. 14. & 1. acut. 18.*

5. Dico *spiritibus &c.* ubi secundarium & universale quoque subjectum, *totum corpus*, denominatur, cum cordis intemperies febris non dicatur, nisi totum afficiat. *Hipp. l. 1. de morb.*

6. Dico *operationibus naturalibus noxam inferens*, quatenus functiones omnes naturæ labefactantur, tàm naturales propriæ dictæ, quàm etiam vitales & animales.

*Febris causæ naturales.*

7. Oritur autem febris generaliter à causis *naturalibus, non naturalibus & præter naturam: naturales* sunt, quibus corpora quorundam naturâ promptitudinem habent ad febrim, quemadmodum patet, quod propter diversitatem temperamentorum alii aliis febribus citius apprehendantur:

*Non naturales. Præter naturam.*

*non naturales*, quatenus ea, quæ assumuntur, excernuntur, aguntur & admoventur, incommodè adhibita, febrium generationi serviunt: *præter naturam*, quæ prædictis duobus exceptis ulterius calorem nativum accendere possunt.

*Causæ hæ ad quinque modos referuntur.*

8. Omnes hæ causæ, quatenus actu febrim producunt, meritò referuntur ad quinque modos, nimirum quatenus agunt *motu, putrefactione, adhæsu alterius caloris, detentione calidi effluxus, vel admistione calidæ substantiæ. Galenus lib. 1. de febr. diff. cap. 3.*

*Ad febris productionem requiritur patientis aptitudo.*

9. Hæc omnia suos effectus non imprimunt absque patientis aptitudine, ubi opportunissima ad febres absolutè consideratas *temperies calida sicca*, propinqua huic *calida humida*, tertiò *calida*, quartò *sicca*, tandemque *temperata* statuitur. *Gal. l. 8 Meth. cap. 8.*

*Febris differentia ratione formalis dispositionis.*

10. Est autem ejusmodi febris ratione formalis dispositionis 1. aut morbus aut veluti symptoma (*Gal. lib. 1. artis curat. c. 3.*) 2. aut *sicca*, aut *humida*, aut *vaporosa, Gal. lib. 1. de diff. febr.*) 3. aut *magna*, aut *parva* (*Gal. ibid.*) aut *mordax*, aut *mitis*, aut *increscens*, aut *mitescens*, quorum illud qualitatem, hoc motum caloris innuit. *Hip. 6. Epid.*

*Febris differentia ratione materiæ.*

11. Ratione materiæ, quæ proximæ causæ febrilis subjectum statuitur, febris omnis aut in spirituosa substantia accenditur, ut sunt *diariæ*, aut in solidis partibus, ut sunt *hecticæ*, aut in humoribus putrescentibus, ut sunt *putridæ, Gal. l. 1. de diff. febr.*

*Deinde febris alia σχετικὴ alia ἑκτική.*

12. Hæ febres omnes quatenus facilè solvuntur, in σχέσει *in dispositione*; quatenus ægrè solvuntur, in ἕξει *in habitu*, consistere: quatenus etiam causa creans adhuc adest, *in fieri*, & quatenus abest eadem, *in facto esse*, dicun-

*Ea in facto.* dicuntur. *Galenus lib. 8. Meth. cap. 1.*

*Febrium symptomata* 13. Porrò quemadmodum in aliis morbis varia symptomata sese offerunt, sic etiam febribus communiter accidit *functio læsa*, quod respirationem, & pulsum, quæ in magnitudinem, velocitatem & frequentiam augentur, propter usum auctum, *vigilia* itidem & *sitis*, propter siccitatem concurrentem, *inappetentia*, propter concoctionis læsionem, *habitus corporis caliditas*, p. n. ob febrim in totum corpus expansam, *color naturalis mutatus, dejectiones, urinæ, sudores*, qualitate, quantitate & modo excretionis peccantes.

*Curativa indicatio undè desumatur.* 14. Cum ergò febris in genere sit intemperies calida & sicca, curationis indicatio generalis erit, *refrigerandum & humectandum* esse; sed quousque progrediendum sit, ipsa febris *magnitudo, Symptomata propria, & recessus naturalis* indicabunt: quantum enim à naturali habitu recedit intemperies, tantum quoque remedio procedendum est. *Gal. 8. Meth. c. 1.*

*Præservativa undè.* 15. Altera indicatio sumitur è causa febris, quæ præsens sui ablationem indicat, ubi febris *genita* sæpius affectui, *gignenda* verò causæ succurrendum esse suadet. *Gal. ibid.*

*Symptomata non negligenda.* 16. Symptoma, quâ symptoma curationis rationem non indicat, ut innuit *Gal. l. 12. Meth. c. 1.* non tamen negligendum, ubi ex accidenti curandi rationem mutat, dum causæ locum habet, quod fit, ubi nimiis vigiliis, doloribus, immodicâ evacuatione, animi deliquiis, &c. Vires debilitantur, ita ut tunc temporis symptomatis correctione virium roboratio ad affectus curationem conducat. *Gal. 9. Meth. 7.*

*Febrium tempora consideranda.* 17. Variat autem febris curatio non parùm respectu motus ipsius, quem tempore mensuramus, unde febrium tempora quoque consideranda veniunt, eaque sicut & reliquarum ægritudinum sunt *principium, augmentum, status & declinatio. Galenus lib. de gen. temp. morb. c. 1. l. 1. de crisibus, cap. 2.*

*Tempora universalia undè capienda?* 18. Sunt verò quandoque *universalia*, quandoque *particularia*: illa capiuntur ab actione totius febris, ubi *principium* est, quando febris agere incipit sine reactione naturę, *augmentum* est, quando febris magis lædit, ita ut virtus reagere incipiat, *status* est, quando summa actio est inter febrim & naturam, *declinatio*, dum imminuitur actio febris, ita ut natura superet. *Vide Avic. cit. l. c. 3. & Gal. de cris.*

*Particularia undè.* 19. Hæc non ad totam febrim, sed ad periodos, vel paroxysmos quorundam pertinent, in quibus, ut & in tota febri, principium, augmentum, status & declinatio quoque ponuntur. *Gal. 1. de cris. c. 2.*

*Tempor um universalium diversitas quomodo cognoscatur.* 20. Porrò quoad diversitatem cognoscuntur universalia tempora febrium, ubi consideramus morbi speciem, motum, figuram seu formam ægrotantis, virtutem, tempus anni & ætatis, pulsum, rigorem, horam accessionis, vehementiam symptomatum, durationem accessionum, dispositionem evacuationis, & evacuationem atque cruditatem. *Avic. cit. l. c. 4.*

21. Sic peracutus morbus quartò vel septimò, acutus 14. vel 20. terminatur. *Gal. l. 3. de cris.* Sic anticipatio, plusquam proportio exigat, augmenti indicium est, ubi fit cum accessionis longitudine, magnitudine, & more molesto; at postpositio cum contrariis declinationem notat. *Galen. 1. de cris.*

22. Sed velox corporis extenuatio, facies tabida, & hypochondria collapsa, morbum acutum, adeoque brevissima tempora indicant: *Galen. 1. prog. 7.* Virtutis subitaneus lapsus febrim acutissimam. 3. *prog. 6.* hyemale tempus, & ætas senilis morbos chronicos, (quia in temporibus & ætatibus frigidis tardatur status ægritudinum, juxta *Avicen. cit. l.*) pulsus itidem, & reliquæ temporum diversitates, diversimodè indicant, quemadmodum apud *Avic.* ulterius *videre* licet.

*Particularia tempora quomodo cognoscantur.* 23. *Particularia tempora* febrium suis etiam indiciis cognoscuntur: nam *principium* accessionis nominatur, quum materia succenditur instar humentium lignorum, undè extremorum frigus, pulsus arctior, color plumbeus, &c. Circa *augmentum* pulsus incipit apparere, & mollificari, & velox fieri, calore per totum corpus secundum æqualitatem sparso; circa *statum* caliditas ejusmodi manet, pulsu superveniente majori quam unquam, non sine vehementia, velocitate & frequentia, quę omnia in *declinatione* diminuuntur, pulsu temperato & æquato, *Avic. l. cit.*

## QUÆSTIO I.

*An febris natura consistat in calore?*

*Negativa Probabilis.* Videtur, quod non: 1. quia febris frequenter per sensum frigiditatis innotescit. Unde Germ. das Kalte vocatur.

2. Quia calor est simplex qualitas, quæ morbum non constituit.

3. Quia febris interdum dependet à causa frigida.

4. Quia expiratio frigida interdum febricitantibus convenit. Nihil addo ex sententia eorum, qui febrim substantiam dixerunt, quos meritò ex doctrina prædicamentorum refutat *Ch. à Vega in com. ad caput 1. l. 1. de diff. febr.*

*Affirmativa confirmatur.* *Contrà communiter febris per calorem definitur*, ubi nota, quod calor hoc loco non significet qualitatem solitariam tertiæ speciei, sed *intemperiem calidam*, ut innuit *Gal. l. 1. de diff. febr. c. 3.* quatenus febris cum aliis morbis hoc commune habet, ut non transiens & fugax sit affectus, sed stabilis & permanens, ex actione caloris p. n. introductus, undè momentaneæ corporis excalfactiones ex ira & similibus excludantur, *Avic. l. 4. fen. 1. tractat. 1. cap. 1.*

*Ad argumenta negantia respondetur, ad 1.* Ad 1. non obstat, quod sensu frigiditatis per horrorem, rigorem & infrigidationem inæqualem, febres frequenter innotescant, quia id ipsum ex accidenti fieri solet, cum non necesse sit, ut cunctæ corporis partes in calorem abripiantur, quo febris nomen mereatur is calor: sufficit enim cor adeò incendio incanduisse, ut illud toto corpore pandi possit, nisi obstaculum invenerit, *Heurn. l. 1. de febr. c. 1. Nicol. Massa Epist. Med. 7.*

*ad 2.* Ad 2. patet responsio ex *Rondeletio*, propterea, quod per caloris vocabulum hîc intelligatur intemperies calida, sicuti contra *Bentium & Arculanum* obtinet *Faventinus.* Undè non videtur subscribendum *Hor. Aug. l. 1. de*

*l.1. de febr. c.* 10. statuenti, quod loco generis ponatur calor, quatenus est proxima causa febris.

ad 3. Ad 3. distinguendum inter causam proximam atque remotam, quarum hæc frigida potest esse, non verò sub ratione causæ febrilis.

ad 4. Ad 4. Frigida expiratio *Hipp. lib. 1. prog. tex.* 24. perniciem minatur in febribus, non tàm quod febris essentiam in calore sitam neget, quàm quod innuat innati caloris extinctionem, & per consequens cordis, vicinarumque partium lethalem refrigerationem. Sic in febrib. syncopalibus pulsus rari & tardi, non ratione febris, sed propter syncopen conjunctam. *Capivaccius lib. 6. pract. cap. 2. Piso lib. de febr. cap. 1. Giscaferius lib. 1. de febr. nat. c. 6.*

## QUÆSTIO II.

*An febris sit intemperies calida simul & sicca?*

*Assertio Galeni & Hippocratis.* SOla Caliditate febrim definit *Galen. l. 1. de diff. Febr. c. 1. & 3. l. 8. Meth. c. 8. l. 6. Aph. com.* 5. Soli *siccitati* potius quàm caliditati febrim adscribere videtur *Hipp. l. 1. Aph.* 16. quatenus febricitantibus victum imperat humidum. Porrò quod *calida & sicca* simul sit febris, idem *Galen.* innuit *in com. prædicti aphorismi*, quod etiam expressè *l. 8. & 9. Methodi* sæpius inculcatur, inprimisque febris hecticæ natura plurimùm illud confirmat. Si enim talem naturam habet, qualis igni convenit, inquit *Horat. Aug. l. 1. febr. c.* 7. calida sicca febris naturâ erit, quod etiam placet *Herc. Saxon. l. 8. Panth. cap. 1. Oddo de Oddis com. artis par. c.* 89.

*Notandum pro quæstionum decisione.* Sed nota, quod febris primariò sit *intemperies calida*, secundariò verò, consequenter scilicet & effectivè *sicca* quoque, quemadmodum habet *Cardan. l. 2. contrad. tr. 5. contr.* 25. Hinc *Argenterius l. de Febr. c.* 1. suapte natura febris quidem associat sibi siccitatem, sed propterea non siccitas semper morbosa adest, sicuti calor. Ita *Heurn. cit. loco*: esto, calor exsiccet corpus, non tamen febri corpus caret, antequam eò deventum sit. Ergò *sola caliditate* febris definitur primariò, quod *Merc. l. 1. de feb. ess. contra Hor. Aug. l. 1. c.* 10. pluribus demonstrat: *solam siccitatem* in citato Aphor. respicit Hipp. propterea quòd siccitas, quæ facilè morbosa fieri, caloremque intendere potest, præcavenda sit: tandem *calida sicca* dicitur febris, quatenus ex rei natura siccitas cum calore facillimè copulatur, non obstante, quod corpora pituitoso superfluo humore scateant, etiam in febri, quia hoc fit non febris, sed materiæ ratione, adeoque ex accidenti. *V. Argent. cit. l. Mercat. de febr. essent. l. 1. Mercur. l. 5. de feb. c. 1. Capiv. l. 6. pract. c. 2. Forest. l. 1. de febr. obs. 1. Trincav. in l. 1. de diff. febr. c. 3. Peredam l. 2. de febr. c. 1.*

## QUÆSTIO III.

*An duplex calor in febricitantibus?*

*Affirmativa tenetur.* AFfirmatur ab *Horat. Aug. l. de febr. c. 8. idem sentit Trusianus c. 3. artis par. com.* 38. *Jacob. Fontanus l. 3. Med. pract. c. 1. Jul. Alex. l. 21. salubrium; c. 2. Sylvius in comm. de febr. in princ. Alex. Aphrod. de febr. c. 2.*

1. Quia nativi caloris est concoquere, naturamque juvare, quod non præstat calor febrilis.

2. Quia beneficio caloris nativi sanitas restituitur, at non per calorem febrilem. Nihil enim inquit *Ludov. Duret. l. 2. in Coac. prænot. c. 19. text.* 1. æquè calorem nativum extinguit, atque febrilis calor, quem elementarem à nativo distinctum vocat, *Joh. Bapt. Donatius de matur. mat. morb. lib. 1. cap. 1.*

3. Quia calor febrilis est de febris essentia, sed non nativus, cujus beneficio subjectum vivit.

4. Quia calor nativus & adventitius inter se pugnant.

5. Quia in febribus calor extraneus extinguendus, & nativus corroborandus est.

6. Si ascititius calor in æstate plurimus, nativus verò exiguus est, juxta *Gal.* utique nativus multò magis ab eo, qui p. n. est distinguetur.

7. Imò mixtum calorem idem *Gal. c. 2. aph.* 47. concedit. *Hinc Alfaravius tr. 32. pract. f.* 1. febrim definit per duplicem calorem, dum inquit: *febris est calor extraneus, naturam transgrediens, adhærens primò cordi & arteriis, dilatans se à corde cum calore naturali subitò per totum corpus, offendens naturales operationes offensione prima.*

*Contra negativa probatur 1.* *Contra negatur quæstio*: 1. Quia calor nativus, & calor febrilis essentia conveniunt; tantum secundum magis & minus differunt, quæ variatio non calorem novum, sed modum alium tantùm monstrat. *Cardan l. 2. contrad. Med. tr. 5. contr.* 18.

2. Quia febricitantium vitales operationes non abolentur per calorem adventitium, sed solùm alterantur.

3. Quia tàm nativus, quàm adventitius frigori contrarius est.

4. Quia uterque subjecto convenit, cum unus numero calor in partibus ægrotantis exploranti sese offerat.

*Quæstionis declaratio.* *Nota pro decisione*, quod aliud sit calidum nativum, aliud calor nativus, quorum illud vivificum partium principium ex humido primogenio, spiritu insito, & calore nativo constat, ita ut calor sit ipsa qualitas in calido nativo, tanquam in suo subjecto, ut habet *Argent. l. de febr. c.* 1. Deinde calor ejusmodi tripliciter consideratur, quatenus est *innatus*: 2. quatenus est *influens*, refectionis ergò communicatus à corde: & tertiò, quatenus calor nativus dicitur *actuatus*, qui ex insito & influente constat, estque calor temperiei conveniens vitæ totius, ut patet ex *Mercato l. 1. de febr. ess.* Hic *calor actuatus* naturalis censetur, quando suam tem-

temperiem, moderationem & naturam servat, qui lapsus à proportione convenienti, præternaturalis, distemperatusque redditur. Unde licet subjecto formaque conveniant calor nativus & febrilis, maximè tamen dissident, ubi cujusque peculiares operationes perpendimus. Ergò *unus erit calor*, in febricitante respectu subjecti, qui tamen proprietatibus nativi caloris alias exercebit operationes, quàm respectu febrilis excessus. *Unde Aver. l.* 3. *col. c.* 3 *concil. diff.* 87. ex utroque non ineptè compositus dicitur. Adde *Car. à petra alba in l. Med. formæ c.* 8. *Pisonem l. de febr. c.* 1. *Card. l.* 2. *contr. tr.* 5. *contrad.* 18. *Giscaferium l.* 1. *de febr. nat. cap.* 3.

*Ad argumenta affirmantia respondetur ad 1.* Ad argumenta affirmantia respondet Argenterius. Ad 1. non propterea calor nativus à febrili omninò est alius, sed tantum intensior factus minus ritè concoquit ut prius.

ad 2. Ad 2. Sanatio, quatenus à natura præter medicamentorum operationem fieri dicitur, eatenus à calore quoque suum habet adjumentum, non quatenus excedit, sed prout aliquo modo adhuc sub limitibus naturæ continetur.

ad 3. Ad 3. Calor est de essentia febris, quatenus excedit, est vitæ autor, quatenus naturæ adhuc convenit.

ad 4. Ad 4. pugnant per accidens, quatenus intensus calor vitæ functiones, quæ moderato calore fiebant, impedit.

ad 5. Ad 5. Moderati gradus caloris conservandi, sed excedentes per contraria corrigendi veniunt; undè mirum non est, quod corroborantia & refrigerantia, contra unum eundemque calorem, diversa ratione præscribantur.

ad 6. Ad 6. distingue inter calidum nativum, & calorem.

ad 7. Ad 7. hoc fit, quatenus unus idemque color vires mixtas habet, nimirum aliquid secundum naturam, & aliquid p. n. efficiendi, quod in puris generatione patet. *Conjunge tom.* 1. *Disp.* 3. *Coron.* 1. *Exerc.* 2. *quæst.* 2. & *Coron.* 2. *Exerc.* 4. *quæst.* 3.

## QUÆSTIO IV.

*An calor febrilis totus præternaturalis dici debeat?*

*Affirmativa tenetur.* ITa videtur *Hor. Aug. l.* 1. *de febr. c.* 6. & 10. *Argenter. cit. l.* 1. quia in calore præternaturali seu excedente mutatione caloris nativi in igneum, febris natura consistit, ergò etiam à termino ad quem fit denominatio. 2. quia in febriente calore naturali præternaturalis semper major est, juxta *Nicolaum*, cui astipulatur *Montuus*, *l.* 1. *Holos. febr. cap.* 1.

*Decisio quæstionis.* Sed nota pro decisione quæstionis, quod voluit *Jacobus Forliviensis*, & *Hugo Senensis apud Herculanum*, nimirum calorem præternaturalem totum dici febrilem *formaliter*, in consideratione intemperiei febrilis introductæ, non autem *materialiter*, quatenus servantur adhuc aliqui caloris naturalis gradus, ut loquitur *Heurn. de febr. c.* 1. Hinc præsente febri nihilominus mors necessariò non sequitur statim, sed vi caloris, prout adhuc naturalis est, vitales operationes conservantur, eodem licet adhuc imperfectè agente, quia vires suâ sponte recolligit, adventitiis gradibus febri expugnatâ cedentibus eo modo, quo aqua calefacta nativam frigiditatem, cedente calore, suâ sponte recipit.

Concedimus ergò, secundum ultimam denominationem, calorem præternaturalem totum esse febrilem, quanquam numero non differat à naturali superstite, eumque naturali majorem dicimus, prout idem, qui antè actionum naturalium opifex & autor erat, iam immutatus easdem edit titubantes & vitiosè, ut habet *Heurnius*.

## QUÆSTIO V.

*An cor vel totum corpus sit subjectum febris?*

*Totum corpus subjectum esse probatur 1.* TOtum corpus febris subjectum esse probatur: 1. quia febris est affectio totius, *Averr. lib.* 3. *coll. c.* 3.

2. Quia *Avicenna* febrim distinguit ab effectibus particularibus, eamque annumerat affectibus non appropriatis, qui scilicet non certam aliquam partem lædunt.

3. Quia febris lædit functiones totius corporis.

Hinc *Hipp.* & *Gal.* frequentissimè febris totius affectus dicitur.

5. Imo si proximum & immediatum subjectum febris est calidum innatum, respectu totius, uti placet *Antonio ab Altomari pag.* 1. *de med. febr. c.* 2. utique febris etiam affectus totius erit.

*Contrà Cor febris subjectum rectius statuitur.* *Contrà quod* cor febris subjectum rectius statuatur sequentia convincunt. 1. quia impossibile est, ut reliquæ functiones omnes sine cordis læsione lædantur.

2. Quia pulsus mutatio, quæ cordis est, in febri primò sese offert.

3. Quia per accidens calore partium reliquarum mutato, quod in paroxysmis intermittentium, & lipyriis, ac malignis febribus apparet, cor nihilominus excandescit.

4. Quia *Gal.* 10. *Meth. c.* 8. & *alibi*, in febribus curandis maximè cordis refrigerium respiciendum esse putat.

*Quæstionis declaratio.* *Nota pro conciliatione*, quod habet *Mercatus l.* 1. *de feb. ess.* febrilem calorem inesse cordi & reliquis etiam partibus, verùm illi tanquam subjecto principali, toti verò tanquam secundario subjecto, quia respectu cordis febris inesse, respectu reliquarum à corde extendi calor dicitur. Sic *Turisan. par.* 3. *art. par. com.* 38. *nisi calor extraneus accendatur in corde, non potest in totum prodire, quare nec febris esse: hoc autem ideò, quia nullius alterius membri accensio potest facere corpus unum secum in passione, &c. hoc autem propter nobilitatem principalitatis, cordis & ejus summam & maximam influentiam super toto.* Hinc etiam *Saxon. l.* 8. *Panth. c.* 1. ex *Avicenna, Herculano*, & inprimis etiam diversis *Galeni* locis, duplex ponit subjectum principale & adæquatum, quorum *prius* est Cor, *posterius* totum corpus, utpotè cum hoc febricitare non dicatur, nisi primùm cor affectum sit, quod pluribus *Hor. Aug. lib.* 2. *de febr. cap.* 3. & 4. *Mercur. l.* 5. *pract. c.* 1. innuunt.

*Assertionis primæ fundamenta.* Ergò conceditur ad assertionem primam. 1. *febrim totius affectum* esse, quatenus intemperies calida non cor solùm, sed dependenter totum etiam afficit, unde 2. meritò ab Avicenna febris ratio distinguitur ab iis morbis, quorum est unicam tantùm partem afficere. Imò 3. totius etiam functiones lædere manifestum, adeoque 4. meritò totius morbus à Classicis autoribus dicitur. Nec 5. incongruè *calidum innatum* febris subjectum ponitur ab *Altimaro*, quanquam pueriliter ipsum errasse statuat *Hor. Aug.* quatenus primò cor, & deinceps totum, respectu calidi innati, p. n. afficitur.

*Assertionis secundæ fundamenta.* *Sic & altera assertio* suis nititur fundamentis: quomodo enim 1. reliquæ functiones omnes, quas in febri videmus affectas, sine cordis læsione, quæ instar solis reliqua omnia vivificat, adeoque animam radicaliter possidere dicitur (eo modo quo demonstravimus *tom. 1. Disp. 3. Coron. 2. Exerc. 1. quæst. 12. & alibi*) aliquid communis læsionis simul patientur?

*Num etiam ab epate, aliaque parte inflammata, febris generari possit.* Nec obstat, quod *Gentilis, Thomas de Garbo, Hugo Senensis*, & alii plurimùm laborent in decidenda illa controversia, num etiam ab hepate, aliaque parte inflammata, febris generari possit: hîc enim eò respiciendum, quod quemadmodum calor secundum naturam beneficio cordis constat in toto corpore, sic etiam p.n. totum corpus incalescit ex eodem fonte communicatione facta: *Hor. Aug. l. 2. c. 3.* quanquam enim jecur etiam quodammodo sit fons caloris, talis tamen est, qui cordis calore adhuc egeat. *Argent. de febr. c. 1.* Hinc ergò 2. rectè dicitur, quod pulsus mutatio, febribus omnibus propria, non aliter quàm corde affecto fieri possit, quod sanè penitùs impossibile, si fervor ad febrim sufficiens toti etiam aliunde, quàm à corde, communicari queat. Imo 3. cordis fervor in febri semper adest, licet per impedimentum aliquod in reliquo corpore mutatio respectu sensus fieri possibile sit. Tandem 4. usus auctus in pulsu & respiratione, cor principaliter in febribus affectum satis innuunt, quicquid etiam hac in parte contradicant, *Capiv. l. de febr. c. 2. & Montald. l. 2. de hom. sano, c. 7.* quibus cor potius causæ febrilis intemperies non ad solidam cordis substantiam, sed calorem nativum pertinere videatur, cùm aliàs omnis febris hectica futura sit. At ponamus ad colorem nativum pertinere febrim: an non sequetur, si innatus calor afficitur, ipsum cor etiam affici, quo calefacto solidam etiam substantiam calefactam esse necessarium est? an non etiam cor ipsum intemperiem fervoris acquiret, etiamsi calor influens tantùm eò usque inflammetur, ut recens partes afficere possit? an propterea febris omnis erit hectica? minimè timendum hoc, siquidem calor ejusmodi vel *æqualiter* καθ' ἕξιν, vel *inæqualiter* κατὰ σχέσιν inesse potest, quod sicut in reliquis partibus procedit, ita de corde negari nequit.

*Decisio ex Avicenna.* Remanet igitur, quod *Avicenna* posuit in definitione febris, febrilem calorem in corde tanquam primario subjecto accensum esse, non etiam obstante, quod fomes intermittentium febrium alibi consistere possit, ut pluribus à *Jouberto Dec. 2. parad. 4.* demonstratur, quanquam *Fernelius l. de febr. cap. 1.* hoc ipso movetur, ut intermittentes & symptomaticas febres ab illa particula definitionis excipiat, cum aliud sit calorem febrilem à corde toti, & aliud calorem p. n. ex minera peccantis materiæ cordi communicari.

## QUÆSTIO VI.

*An corpora calida sicca, vel calida humida, sint magis febribus obnoxia?*

*Prius affirmat Galenus.* Prius affirmat *Gal. 8. Met. 8.* quod confirmatur: 1. Quia corpora calida sicca iisdem qualitatibus prædita sunt, quibus ipsa febris, ut symbola citius à symbolis mutantur.

2. Quia talia magis sunt ustibilia, quod propter siccitatem, & meatuum patentium rationem ad igneum calorem recipiendum maximè sint prompta. *Arist. 4. Meteor. 9.*

3. Quia propter calidam siccam temperiem *Archelaus* inter veteres, capras perpetuò febrire statuit.

4. Quia cervos non tantùm febri carere, sed etiam carnes eorum febrim præservare scribit *Plinius l. 8. N. H. c. 32.* propter temperamentum dissimile.

*Posterius asserit Avicenna.* *Posterius* asserit *Avicennas, l. 4. cit. c. 2.* ubi dicit, quod corpora vehementius præparata ad febres sint corpora calida & humida, &c. confirmari potest assertio 1. Quia puerorum corpora frequenter febrib. obnoxia fiunt, quæ talia sunt.

2. Quia causa febrilis humiditate maximè fovetur.

3. Quia putredini, quæ sæpissimè febres excitat, hoc temperamentum maximè accommodatum.

*Quæstionis resolutio.* *Pro resolutione* quæstionis addit *Hor. Aug. lib. 2. de febr. c. 6.* quod inquirentibus quodnam corpus magis sit præparatum ad febres, non possimus respondere simpliciter, hoc vel illud temperamentum, nisi primum distinctio fiat, de quibus febribus sermo futurus sit, siquidem nullum hominem invadat febris in universali, sed vel ephemera, vel hectica, vel putrida. Conciliat etiam prædictos autores classicos, quatenus pro diversitate febris, quod *Avicenna* innuit, pari facilitate corpus calidum humidum, & calidum siccum afficitur. *Mercurial. etiam l. 5. pract. c. 3.* Galeni assertionem de præparatione in universali videtur intelligere, speciatim verò pro diversitate febrium aliter pronunciat.

*Limitatio notanda.* *Notandum* E. quod sit distinguendum inter febrim, quà febris est, quæ citius calidam siccam, quam alias temperaturas afficit, quod vult *Galenus*, & ea quæ pro defensione ejus adducta sunt, & inter febrim, quatenus à causa antecedente fovetur, quà ratione corpora calida humida febribus ex putredine maximè obnoxia sunt, quod vult *Avicennas*: undè *Arist. 4. sect. prob. 39.* hominem præ cæteris brutis etiam febribus maximè obnoxium statuit: sic corpora calida sicca diariis, ex inflammatione spirituum, promptè afficiuntur, ut & hecticis.

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

*An omnes actiones in febribus lædantur?*

*Aëtius vitalem actionem in feb. maximè lædi statuit.*

VIdetur dissentire *Aëtius l. 5. c. 3.* qui *vitalem* actionem maximè lædi statuit. 1. quia cor, quod primarium subjectum febris, vitalibus actionibus tantùm præest. 2. quia pulsus, vitalis facultatis operatio, in omni febri afficitur. 3. quia vitale principium, spiritus & arterialis sanguis hic primùm alterantur. *Capiv. cit. l. c. 1. Merc. c. l. c. 1. de hom. san.* & alii per læsas actiones naturales intelligunt *actiones caloris nativi* toti corpori communes, quæ scilicet dependent à temperamentis, ut sunt concoctio, ejusque inservientes, quia talium operatio fit beneficio temperiei secundum naturam constitutæ. Non autem negandum, quod *Argent. l. c. & Trusian. par. 3. art. por. com.* 38. habet, quod actiones omnes naturæ per febrim labefactentur, ita ut per naturales operationes in definitione Avicennæ, cujusque *partis animæ functiones* intelligantur, quantum etiam à natura insunt, quatenus sentire, movere, sicut & vegetari sine calore proprio non fit, unde ad caloris extranei superventum omnes animæ operationes, principalius tamen, & magis naturales in specie dictæ (quemadmodum in definitione febris *Alsaravius* innuit) læduntur.

*Quæstionis declaratio.*

Quatenus verò cor ipsum primum subjectum febris demonstratum fuit, eatenus minimè negamus, *originaliter* vitalem operationem præ reliquis in febribus affici, quod *Aëtius* innuere voluit. Sed videtur obstare, quod actiones quædam febri juvari videantur: nam hectica laborantes pollent ingenio: ferè in omnib. viget auditus: in phrenesi movens facultas est robustissima: ita paralysis, spasmus, colicus dolor superveniente febri curantur. *Hor. Aug. l. 2. de febr. c. 7.* hic respondet generatim, omnes actiones per febrim affici, non autem singulares quasque: *Hucherus l. 1. de febr.* non per se, sed ex accidenti hoc fieri putat. Ita siccitas ingenium acuit in hecticis: calor absumens auditum juvat: ex accidenti propter vehementiorem impressionem phrenetici firmiter movent; & sublatis frigidis humoribus, vi caloris exiccantis, paralysis, spasmus & colica curantur. Non enim negari potest, sicut habet *Desid. Jacotius lib. 4. Coac. præn. sect. 2. comm.* 33. quod calor febrilis, quamvis extraneus sit, nervos calefaciat & exiccet, humorem attenuando evaporet, & frigidam atque humidam intemperiem, quæ pituitosi humoris effectus est & causa, ad calidiorem permutet, quæ utilitas geminari dicitur, concussione rigoris accedente: quo sensu *Hipp. cit. tex.* inquit, convulsionis remedium febrim acutam, vel supervenientem, vel increscentem esse. Sic etiam *Hieron. Thriver. ad aphor. 51 l. 6.* febrim partem leviter refrigeratam calefacere, modicam materiam exolvere, & flatum spirituum dissipare statuit.

## QUÆSTIO VIII.

*An causæ febriles rectè reducantur à Galeno ad quinque modos?*

*Causa febriles ad 5. modos reducuntur; quorum 1. Motus.*

IN §. 8. quinque modos posuimus, ad quos omnes causæ febriles reducuntur, ubi primò sese offert *Motus*, qui in viventibus calorem excitat, quatenus affluentem spiritum & sanguinem rarefacit & attenuat, unde primò lassitudo, postea verò, si discussio fieri nequeat, calor immodicus in totum spargitur, qui ad cor perveniens febrim inducere potest. Non autem corporis exercitium inconveniens tantùm, sed animi commotiones excedentes hic etiam intelligendæ veniunt, ut sunt curæ immensæ, iræ excedentes, tristitiæ, mærores, verecundiæ, timores, &c. Secundo loco posuimus *putrefactionem*, quæ calefacit p. n. aucto calore nativo à mixto alieno & putrido: tertium locum obtinet *propinquitas alterius caloris*, ut solis, medicamentorum, ignis, aëris ambientis: quartò ponitur *detentio calidi effluxus*, quando astringuntur externi corporis meatus, per quos tertiæ concoctionis fuliginosa excrementa quotidiè expelluntur: ultimò sunt *admistiones calidæ substantiæ*, quando spiritibus & humoribus calida materia alimentorum, medicamentorumque miscetur.

*2. Putrefactio. 3. Propinquitas alterius caloris. 4. Detentio calidi effluxus. 5. Admistio calida substantia.*

*Dubitatio 1.*

De hac ipsa causarum enumeratione dubitari potest. 1. *Arg. l. de feb. c. 4.* hos modos omnes causas comprehendere negat, quia inedia febrim generans ad eos reduci nequeat: imò neque etiam vigilia; hinc addit sextum modum, nimirum qui ex humorum defectu calorem intendit.

2. *Avicenna in defin. febr.* excipit illum calorem, qui provenit ab ira & labore, undè consequens motum corporis & animi, respectu laboris & iræ, non esse causam febris. 2.

3. Mæror etiam & tristitia, *Gal. 4. de caus. puls. c. 3.* pulsum tardum efficere dicuntur, propterea, quod conspicuè nos refrigerent. 3.

4. Quia detentio calidi effluxus, juxta *Galen.* tantum in impuris corporibus ad febris generationem facit, cum in puris tantum plenitudinis originem producere soleat. 4.

5. Quia febres ex inflammatione cujusdam partis ad præcedentes referri nequeunt. 5.

6. Quia medicamentum pituitam purgans corpus etiam calefacere potest. 6.

*Affirmativa defenditur.*

Hîc nota ex *Merc. l. 3. de feb.* quod, præter morbidum apparatum corporis ad febrim dispositi, causæ calorem febrilem inducere valentes rectè quinque modis ponantur: quia quod calefit, vel intenditur ex accessu alieni, vel sponte suâ, eò quod aliquid internum, ut propriè partes calidæ agunt in frigidas, ut in prohibito effluxu contingit, vel calor extraneus propter impotentiam calidi innati occupat aliquod contentum in corpore, ut in putredine contingit; vel calor augetur per adventum copiosioris caloris ab intrinseco ad partes, ut in motu accidere conspicimus:

vel calefit corpus quia augetur substantia calidi innati, ut ex assumpto alimento contingit.

*Respondetur ad dubitationem 1.* *Ad dubit. primam Argent.* respondemus cum eodem *Mercato*, quod fames & vigilia calefaciant propter mixtionem bilis cum sanguine. Nam vigilia & fames augent bilem, præterquam quod inedia calefacit etiam per actionem caloris interni in membra, sicut vigilia per modum spirituum. Vide *Gal. 1. Meth. 2.*

ad 2. Ad 2. *Avicennæ* mens est, levem corporis incalescentiam ex motu corporis & animi diversam monstrare febris respectu, cujus natura in calore excedente, totiusque actiones impediente consistit. Hinc motus laboris & iræ febrim introducere non potest, nisi eo usque intendatur, ut genita intemperie calida cor & totum corpus afficiatur.

ad 3. Ad 3. Quod omnes animi affectus non rarò febres introducere queant, *Gal. l. 1. de tuenda sanit. c. 22.* asserit, quamvis aliquibus ex accidenti hoc conveniat, quâ ratione mœror & tristitia, per conculcationem & immobilitatem spirituum, febris causæ fiunt, quæ responsio *Mercati* probabilior videtur assertione *Mercurialis*, qui prædictis affectibus generationem febris tribuit, quatenus citò suborti cor calefacere queunt.

ad 4. Ad 4. Concedimus causas externas absque dispositione subjecti non esse sufficientes.

ad 5. Ad 5. Respondet *Horat. Aug. l. 2. de feb. c. 5.* quod aliquando ad putrefactionem, aliquando ad viciniam seu adhæsionem rei calidæ referantur, quod in aliquibus putridis ac diariis apparet.

ad 6. Ad 6. Respondet *Mercatus*, quod medicamentum purgans pituitam etiam calefaciat, quia reducitur ad admistionem rei calidæ, siquidem aliquid alio fieri calidius contingit, vel adhæsu calidi, vel privatione frigidi.

## QUÆSTIO. IX.

### *Quomodo calor febrilis à corde toti communicetur?*

*Hoc fit mediantibus spiritibus & sanguine.* EX *Avicennæ* definitione patet, quod illud ipsum fiat mediantibus spiritibus & sanguine, adeoque per arterias & venas: primum enim inquit *Heurn. de feb. c. 1.* calor acquisititius incenditur in corde, & calorem nativum fluentem afficit, ac sanguis dein incalescit, postea venæ & arteriæ, dum pars post partem accendatur. *Hor. Aug. l. 2. de feb. c. 7.* vias, ponit arterias, venas ac cæcos meatus, ductusque insensibiles, (quod etiam *Piso cit. loc.* innuit, ubi monstrat, quomodo partes, arteriis & venis destitutæ, incalescant à cordis calore) per arterias tamen potissimum communicationem fieri statuit, unde *Alexand. & Aëtium* solarum arteriarum meminisse dicit. Quod a. per venas etiam calor toti communicetur, inde colligit, quod quælibet arteria venam suppositam habeat, quam per viciniam & contactum calor febrilis mox etiam afficiat: imò cum totum sit perspirabile, per cæcos etiam meatus hoc fieri posse colligit.

*Dubitatio Argenterii.* Quanquam verò communis sit hæc assertio, de eadem tamen dubitare videtur *Argent. de feb. c. 4.* quomodo n. unquam hectica poterit incipere? si n. necesse est, partes solidas calorem concipere à spiritibus & sanguine, necesse erit ipsos spiritus antea semper esse excalfactos, unde diaria semper præcedet. *Addit*, quod absurdum sit, solidas partes cordis citius spirituosis inflammari, cùm promptius patiatur tenuius, quàm quod crassius & durius, ut ita hectica nunquam incipere possit, juxta *Gal. 2. de cris.*

*Quæstio resolvitur.* Sed pro resolutione dubitationis nota ex *Merc. lib. 1. de feb. ess.* quod quâ ratione innnatus calor partium omnium, perpetua & generali quâdam dimanatione ac dependentiâ, à corde prodit, eadem prorsus calor præter naturam febrilis (qui nihil est aliud, quàm idemmet ad igneum versus, & partem, ut naturalis & habitualis informans) ab eodem proficisci tenetur, eâdem generali dimanatione: argumento evidentissimo sunt extrema frigida in his, qui epiala, syncopali aut internarum inflammationum laborant febri, vel in his, qui causonide exhausti morti proximi sunt, quippe ob defectum hujus generalis dimanationis à corde non solùum privantur calore naturali, verum etiam præternaturali, adeò ut omninò refrigerentur, &c. ubi notat, quod illa dependentia aliter sese habeat in hecticis, aliter in putridis, in quibus calor indies increscit & exacerbatur, quod causa ejus in fieri sit, quod non fit in illis, ubi calor omninò factus est.

*Ad Argenterii dubium respondetur.* Hinc ex eodem *l. 5. de feb.* ad dubitationem *Argenterii* responderi potest, quod scil. possibile sit, ut humoribus & spiritibus secundum naturam constitutis, cordis substantia siccior & paratior sit ad inflammationem, quod pluribus suo loco de febribus hecticis patebit, *vide Concil. diff. 93.*

## QUÆSTIO X.

### *An divisio febrium Hippocratica sit bona?*

*Divisio Febrium juxta Hipp.* HIpp. 6. *Epid. s. 1. text. 29.* hæc habet, febres quidem aliæ mordaces sunt manui, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem, sed post insurgentes, aliæ verò acutæ, sed à manu victæ, aliæ statim valdè ardentes, aliæ in totum debiles, aridæ, aliæ salsuginosæ, aliæ pemphigodes, aspectu terribiles, aliæ tactui humectæ, aliæ valdè rubræ, aliæ valdè pallidæ, aliæ lividæ & id genus alia. *Hactenus Hipp.* ubi respectu essentiæ caloris p. n. aliæ febres mordaces manui dicuntur, in comparatione earum, quarum calor est mitior tangenti; quæ rursus differunt, quatenus tales permanent, ut sunt ephemeræ: vel quatenus diutius immoranti manui mordaces & acres evadunt. Quo ad modum motus caloris febrilis alias dicit acutas, quæ celeriter sua tempora percurrunt; sed à manu victas, quod plurimùm iis accidit, quas bilis flava concitat, easque vel statim valdè ardentes ponit, vel debiles, à magnitudine & paucitate caloris desumpta differentia; quarum hæ dicuntur aridæ, cum cutis tangentibus aspera & exiccata sese offert, quod in deurentibus accidit; post humectæ tactui, ut sunt amphimerinæ, opponuntur. Salsuginosas ponit eas quæ tangentibus pruritum instar muriæ exhibent, & pemphigodes aspectuque terribiles, vel flatuosas, vel pestilentes innuens, ut placet

*Cum Hippocrate consentit Galenus.*

*Galeno.* Quod verò tandem alias valdè rubras, pallidas, &c. nominat, ad accidentales differentias, respectu peccantium humorum, colores ejusmodi corpori febricitantis introducentium, respicere voluit.

Hanc Hipp. enumerationem *Gal. l. 1. de feb. diff. c. 1.* approbat: apertissimè enim inquit in hoc loco ab ipsius rei substantia simul, atque à dignotione in proprias differentias fecit sectionem: siquidem febris substantia in genere caloris, qui est p. n. consistit: caloris autem differentiæ & ex eo quod magis & minus, & ex materia in qua hic calor accenditur, & ex modo motus caloris ejusdem acciguntur, quas omnes una cum dignotionis modo annotavit. Pluribus prædictas differentias *Gal. in com. super 6. Epid.* declarat.

*Contra Galenum disputat Hor. Augenius.*

At contra Gal. disputat *Hor. Aug. l. 3. de febr. c. 3.* primò quod non sit optima divisio Hipp. propterea, quod non constet ex propriis & essentialibus differentiis, quia febres pemphigodes aspectu terribiles, rubras, pallidas, &c. statuit: imò omittit essentiales & necessarias differentias, nec omnes etiam quibus calor p. n. in subjecto suo variat, undè concludit Hipp. scopum hic non fuisse febrium differentias methodo divisiva proponere, cum sparsim tantùm quasdam febris variationes enumeret.

*Hippocratem vellicat Argenterius.*

*Argent. etiam contra Hipp. insurgit l. de febr. c. 3.* his rationibus: 1. Quia nullum ponitur principium divisionis.

2. Quia constat plures esse differentias, ut tertianæ, quartanæ, &c.

3. Quia à subjecta materia caloris darentur etiam febres aliæ in mollioribus, aliæ in durioribus corporibus.

4. Cur non etiam differentiæ ponuntur ab efficientibus, à fine, à causis sine quibus non?

5. Cur non à temporibus febris, & eventu differentiæ ponuntur?

6. Cur omittuntur differentiæ ab effectibus febrium, ut sunt gravia accidentia?

7. Addit quod multæ differentiæ Hipp. sint impropriæ, ut quod inflatæ, aspectu graves, rubræ, &c. dicantur.

*Divisio febrium juxta Argenterium.*

His positis *Argent.* omnes febrium differentias vel ab essentia morbi, vel à causis, vel ab effectibus deducendas esse statuit.

*Mercati mens de præd. cta Hipp. divisione.*

*Mercatus*, quo suam mentem de prædicta divisione Hipp. aperiat, *l. 2. de febr.* hæc fundamenta præmittit. 1. Omnis differentia vel sumitur à rei substantia, vel à propriis accidentibus, vel à communibus accidentibus (quod etiam repetit *Trincavellius l. 1. de diff. feb. c. 1.*) Unde respectu primi modi differentiæ essentiales, respectu secundi & tertii accidentales oriuntur. Secundò calor in corpore potest usurpari pro calore p. n. & pro calore febrili, qui morbosus est. 3. Cujusque accidentis differentiæ essentiales sumuntur à subjecto seu materia, cui accidens inhæret.

*Calor p. n. tripliciter considerandus.*

His positis, ut exquisita differentiarum omnium febris propria ratio constet, calorem p. n. tribus modis considerandum esse statuit: 1. ut est substantia innati calidi, versa ad ipsam naturam, in quo sita est omnis febrilis morbi ratio.

2. Ut inhæret materiæ, nimirum spiritibus, humoribus & partibus solidis, in quo quidem sita est omnium causarum proximarum febris ratio, diversitas & natura.

3. Solùm consideratur, ut calor p. n. in qua differentia penes modum ipsius, motum & accidentia contemplari oportet, quæ hæc omnia nata sunt ipsum reddere p. n.

*Calidi innati triplex substantia.*

Hinc febrium differentiæ ducuntur, ubi primò sese offert rei dividendæ substantia, scilicet innatum calidum ad ignerm versum: cujus triplex est natura, spirituosa, humida & solida; quâ ratione triplex oritur febris, ephemera, putrida & hectica, quæ juxta diversitatem modi, prout calor innato calido inhæret, factæ vel fientes, dicuntur: fiuntque citius vel in spirituosa, vel in humida, vel in solida substantia calidi innati, cordis ac totius respectu, tales inflammationes; quatenus cum causa febris proxima, calore p. n. in spiritibus, humoribus, vel solidis partibus quælibet pars innati calidi magis convenit. Hæc differentia ab essentia, veroque subjecto febris sumpta, variè subdividitur; cum unà etiam calor p. n. causæ rationem habens in spiritibus, humoribus, & solidis partibus perpenditur, hinc ephemerarum, putridarum, hecticarumque variæ subdivisiones. Tandem accidit ultima divisio pro modo caloris, ejusque conditionibus oborta, quod ex differentiis quamplurimis ab *Hippocrate* positis apparet.

*Horat. Augenii assertio approbatur.*

Quibus hoc modo constitutis, patet probabilem esse *Horat. Augen.* assertionem, quod *Hippocr. citato loco*, non ex professo completam febrium divisionem proponere voluerit, quanquam *Galenus* eò allaboret, ut differentias maxima ex parte defendat: non enim negari potest, illas instantias, quas *Horat. Augen.* & *Argent.* adducunt, locum suum habere contra eos, qui ab *Hipp. cit. tex.* febres sufficientes in differentias deductas esse statuunt.

*Nota.*

Nota tamen ex *Capivacc. l. de febr. cap. 5.* quod non tantùm ad naturam febrium, sed etiam ad dignotionis modum respicere voluerit, quâ ratione differentiæ dictæ pluribus *Vallesio in com. epid. ad tex.* declarantur. Vide etiam *Chr. à Vega in comm. l. 1. de diff. febr. cap. 1.*

## QUÆSTIO XI.

### *An spiritus & humores etiam subjectum febris esse possint?*

*Affirmativa quæstio.*

Affirmat *Altimar. de Med. febr. part. 1. cap. 12. Cæsalpinus quæst. Med. l. 1. quæst. 6. Hucher. l. 1. de febr. cap. 2. & alii*, qui nituntur authoritate *Galeni lib. 1. de diff. febr. cap. 1.* ubi calorem febrilem tanquam subjectum, vel solidam cordis substantiam, vel humores in ventriculis, vel spiritus occupare dicit. Addunt etiam rationes ab eo desumptas, quod cor tanquam organon vitale non tantùm respectu solidarum partium, sed quatenus contentos humores & spiritus continet, suas operationes perficiat, quod etiam habet *Oddus de Oddis in com. ad cap. 89. art. par.* Undè necessarium judicant, vitium humorum atq; spirituum ex nu-

mero morborum excludi non posse, quod pluribus apud *Cæsalp.* videre licet. Conjunge quoque *Arnold. de Villanova in l. Gal. de mala complex. cap.* 5. qui huic etiam sententiæ subscribere videtur.

*Negativa defenditur.* *Sed negativa communiter* defenditur, quod patet ex plerisque classicis autoribus: quomodo enim morborum subjectum constituet illud, quod in numero propriè dictarum partium non est? quod partium aliarum nutrimentum est? quod in perpetua generatione & corruptione consistit? cùm ergò functiones secundùm naturam per humores & spiritus primò non perficiantur, utique functiones læsæ primò quoque partes potius, quæ sunt actionum instrumenta adæquata, quàm contenta, & impetum facientia pro subjectis habebunt.

*Solvuntur Argumenta contraria.* Hinc patet frustrà laborare *Cæsalp.* dum demonstrare conatur, morbum etiam iis convenire, quæ corpori nostro quendam usum præstant, etiamsi organa actionum non sint. Omnia enim facilius solvuntur, ubi morbum à causa sua distinguimus. Quoad auctoritatem *Galeni*, dicit *Horat. Augen. lib.* 2. *cap.* 4. quod nunquam in Galeno observetur febris subjectum esse humores & spiritus, sed tantùm caloris p. n. ut ita Galenus potius divisionem instituat respectu subjecti, in quo proxima febris causa latet, quàm respectu ipsius febris. Ad alterum addit, quod non necessum sit totum aggregatum pro subjecto febris agnoscere, sed omnem febrim in substantia solida, distincta scilicet à contentis & spiritibus cordis consistere, eamq; vel hecticam esse, quatenus æqualem temperiem in facto constituit, vel putridam, quatenus inæqualis est temperies, quæ licet adhuc in fieri statuatur, morbum tamen revera ponit, respectu illarum partium, quæ actu sunt.

*Conclusio & limitatio quæstionis.* Quòd si nobiscum *Altimar. & Cæsalpinus* spirituosam & humidam substantiam innati calidi solùm intelligant, cum *Mercato* meritò concedendum, ea ratione proximi subjecti differentis respectu febres in ephemeras, hecticas & putridas distingui, non autem prout humores & spiritus extra partium compositionem causas febriles fovere queant, ut pluribus patet ex quæstione præcedenti. Conjunge *Trincav. l.* 1. *de diff. feb. in com. cap.* 1. *ibidemque Chr. à Vega.*

## QUÆSTIO XII.

*An respectu causæ proximæ duo tantùm febrium genera?*

*Affirmativam tenet Argenterius* ITa sentit *Argenterius*, nimirum unum febrium genus in humoribus, alterum in partibus solidis oriri: 1. quia non datur in corpore ejusmodi spiritus, in quo febris diversa ab aliis accendi debeat.

2. Quia diariæ, synochi, putridæ omnes in humoribus ponuntur, quatenus massa humorum levius vel vehementius est calefacta.

3. Quia *Galeno* 9. *Meth.* diariæ & synochi ejusdem naturæ sunt: at hæ sunt ex sanguine, *l.* 2. *de diff. cap.* 12.

4. Imò diarias etiam ex sanguine fieri ibidem *Galenus* innuit, non scilicet ob putrescentem, sed duntaxat excalfactum.

*Argenterio subscribit Cæsalpinus.* Huc etiam inclinare videtur *Cæsalp. l.* 1. *quæst. Med.* 7. ubi ephemeram in sanguine calefactio, non putrefacto, consistere statuit, quatenus in hac febri halituosa pars sanguinis tantùm comburitur, quod non fit in putredine, ubi humores etiam absumuntur.

*Quæstionis declaratio.* Sed nota ex *Galeno l. de inæquali intemp.* quod præter alias febris differentias ephemera generetur, quando intemperies caloris spirituosam duntaxat partem invadit: hæc autem sanguinis optimi exhalatio dicitur, *l.* 6. *de usu part.* quæ respectu cordis incalescens calorem p. n. toti communicat.

*Ad Argenterii argumenta respondetur.* Quod *Argenterium* attinet, respondemus ad 1. spirituosam substantiam, ex sanguine tenuiori & aëre attracto in cordis officina confectam, sat promptam ad accensionem ejusmodi statui posse.

*ad* 1. *ad* 2. Ad 2. Non per se, sed per accidens massa sanguinea quoque in ephemeris incalescit; undè pro diversitate naturarum diariæ promptè in putridas mutantur.

*ad* 3. Ad 3. non respectu causæ, sed quoad caloris naturam.

*ad* 4. Ad 4. concedo, quatenus synochus non putris ad ephemeras reducitur.

## QUÆSTIO XIII.

*Quomodo febris sit morbus vel symptoma?*

*Opiniones variæ.* SUnt, qui dividunt febrim, in febrim, quæ sit accidens, quod refert *Avicenna loco citato.* Contra febrem omnem accidens esse quondam *Diocles & Erasistratus* statuisse dicuntur: hodiè cùm *Avicenna* nullam febrim accidens dici debere *Capivac. Altimar. Giscaferius & alii* confirmant.

Qui febrim aliam morbum, aliam accidens statuunt, *Galeni* ratione nituntur, quod sicuti habetur *l.* 1. *art. curat.* 3. & 4. & *l.* 4. *aph.* 60. 73. febris non semper sit primarius affectus, sed aliquas febres esse accidentia, quatenus alios morbos sequuntur. Vide *Montuum in Halos. febr. l.* 1. *cap.* 2.

Qui omnem febrem accidens statuunt illo argumento falluntur, quod omnes febres aliquam inflammationem sequantur, ut habet *Mercur. l. de febr. cap.* 2.

Qui nullam febrim accidens dici volunt eò respiciunt, quod omnis febris sit intemperies, & propterea morbus & non symptoma; utpote cum ad nullum symptomatum genus febris reduci queat.

*Declaratio quæstionis.* Hic nota ex *Mercato l.* 2. *de diff. febr.* quod quamvis ex mente *Galeni* febres, quæ rationem accidentis habent, apertissimè distinguantur à febrium differentiis, propterea quod longè distent à febris ratione, cum hoc tamen si ejus divisionis consideratio in veram medendi methodum dirigatur, non solùm utilis, sed necessaria futura sit distinctio, cum certissimum sit hujusmodi febres solùm diligentia morbo adhibita curari. Ita *Chr. à Vega lib.* 1. *de diff. febr. cap.* 1. *in comm.* dicit, febrim accidens à *Galeno* non morbum, sed morbi causam appellari, quæ morbum alicujus particulæ sequatur, ita ut morbo illo curato facilè curetur. Verùm addit, non aliter symptomata febres illas putat *Galenus*, nisi quoniam morbos alios sequantur, non quod ipsi morbi non sint.

Hâc

*Febres aliâ primariæ, aliæ secundariæ.*

Hâc ratione febres alias primarias, alias secundarias communiter dicimus, undè nota ex *Heurnio l. de febr. cap.4.* quod symptomatica febris ita sit consectaria aliis, ut ab iis morbis dependeat, quales morbi sunt phlegmones partium nobilium & cordi vicinarum, ut evenit in peripneumonia, phrenitide, &c. imò propter vasorum communionem pars remotior inflammata febrim producere etiam potest symptomaticam, ut & interdum à vitio obscuro visceris alicujus fieri solet.

*In quo febris symptomaticæ ratio consistat.*

Nota igitur ex eodem in eo febris symptomaticæ rationem consistere, quod phlegmonem aliarum partium sequatur; undè manifestum est, inflammationem aliquam febri subnasci posse, quæ propterea non statim symptomatica dicitur. Ita cum succorum putredine phlegmone concurrens non statim febrim symptomaticam reddit, quod in lipyria & aliis apparet, cum hîc potius putredo succorum, quàm inflammatio, causæ rationem habeat. Conjunge *Bapt. Sylvat. in contr. Med.24.*

*Febris variolarum an sit febris principalis vel symptomatica.*

Appendicis loco quæri posset in hac controversia, an febris variolarum sit principalis vel symptomatica? de quâ quæstione vide *Æmil. Campalong. l. de variol. cap. 35.*

## QUÆSTIO XIV.

### *An in febri salubri semper reperiantur omnia quatuor tempora?*

*Negativa probabilis.*

ARgenterius *l. de morb. tempor. cap. 6.* negat 1. quia morbi, qui ante incrementum solvuntur, augmento & statu mutilantur.

2. Quia increscente morbo crisis contingens tria tantùm tempora constituet, ad statum febri nunquam perveniente.

*Affirmativa certa limitatione confirmatur.*

Non autem negari potest, tùm temporis, ubi per coctionem paulatim febris salutaris solvitur, quin omnia tempora percurrat. Huic subscribit *Horat. Augen.lib.2.cap.3. de febr.* defendens nihilominus à contradictione *Argenterii* Galenum.*Capivac.in eadem quæst.* morbos omnes salutares 4. habere tempora statuit, nisi præsidio, vel naturæ, vel artis tollantur; subjiciens *Galeni* dictum, *l.3.crisi.cap.9.* morbos quosdam declinatione carere, propter crises repentinas. *Mercur. l. de febr. cap.4.* addit: in morbis lethalibus certissimum est, non inveniri hæc omnia tempora, quandoquidem omnes vel in principio, vel in augmento, vel in statu moriuntur. In salutaribus secus est, quia interdum aliqua tempora desiderantur, scilicet ob prædictas causas, plerunque omnia inveniuntur, licet interdum insensibilia ferè sint. Vide *Galen.in l.de optima secta*, ubi hoc ipsum exemplis patet.

## QUÆSTIO XV.

### *An tempora morborum coincidant ratione essentiæ, ratione materiæ; & ratione symptomatum in febribus?*

*Affirmativa.*

DUbitationem hanc solvit *Capivac.de febr.cap.9.* quod affirmativa procedat, quando febris essentia cum materia, quæ fuit in causa febris, & cum symptomatibus pathognomonicis confertur, ubi idem principium adest, ratione essentiæ, ratione materiæ, & ratione symptomatum: etenim à materiâ dependet febris essentia, & symptomata pathognomonica febris essentiam, ut umbra corpus, sequuntur.

At ubi febris confertur cum materia nova, & symptomatibus non pathognomonicis, tempora non coincidunt, quâ ratione tempora particularia quoque non respectu trium prædictorum conveniunt.

Nec obstat, quod in Synocho decrescente ratione materiæ non adsit declinatio cum febri, quia non adest materiæ paritas: Sicut etiam in statu sæpius symptomata vehementia sunt, juxta *Galen.1.aphor.29.* cum morbo, respectu essentiæ, quanquam ratione facultatis regentis initia videri queant?

## QUÆSTIO XVI.

### *An in febrium declinatione mori contingat?*

*Quæstionis determinatio ex Galeno.*

GAlenus quæstionem hanc determinat, *lib.de crisi.c.9.* quod respectu declinationis universalis nunquam contingat ægrotantem interire, propterea quod declinatio victoriam facultatis respectu morbi significet; at in particulari declinatione mortem accidere posse non negat; quam determinationem approbant plerique classicorum.

*Mors in declinatione febrium sex modis contingit.*

Ubi tamen nota ex *Horat. Augen. citato loco cap. 11.* quod interdum in declinationibus apparentibus ægrum interire contingat, idque 6. modis. Quando 1. propter caloris naturalis resolutionem extraneus etiam fit minor, ut morbus declinare videatur, quod innuit *Avicenna 9.4.cap.4.& multoties accidit apud mortem dispositio; quæ est sicut declinatio, & est sicut æger cum evaserit, sed oportet, ut non occuperis in hoc,&c.*

2. Quando peccans materia difformis est, ut resoluta materia tenuiori, declinare videatur morbus, cum tamen propter residuum de novo corruptum malignitas major subsit.

3. Quando materia peccans partem minus principem relinquit, & interim magis principem occupat.

4. Quando propter minorationem materiæ morbus redditur minor, sed virtute secundum proportionem deficiente.

5. Quando propter ultimum conatum virtutis gravia symptomata remissa videntur.

6. Quando morbus morbo supervenit, ubi signis coctionis apparentibus mors contingit, respectu morbi maligni succedentis.

Con-

*Decisio quæstionis ex Conciliatore.*

Conjungatur *Conciliator diff.* 107. qui quæstionem decidit, quod per se mors in declinatione universali non contingat, quia nec naturæ debilis, nec morbi acumen locum habet in declinatione: per accidens verò tripliciter contingere posse statuit, scilicet propter ægritudinem aliam supervenientem, propter peccatum ab infirmo commissum, propter errorem curationis, quibus à quibusdam expulsivæ debilitas addi solet, ubi materia digesta non expellitur.

*Instantia.*

Sed obstat, cur non in particulari quoque declinatione sit immunis æger, cum etiam hic sit victoria facultatis respectu morbi, respondet *Horatius*, quamvis virtus dominetur supra illum humorem, qui actu accessionem facit, nihilominus non dominatur illi, qui est antecedens causa, cujus ratione mori quis potest in particulari declinatione.

*Resp. ad Instant.*

## QUÆSTIO XVII.

### *An Paracelsus febrim rectè dicat morbum nitri sulphuris incensi?*

*Febris Paracelso quid?*

PAracelsus, ejusque sectatores, non calorem vel intemperiem calidam febris essentiam constituere putant, cum fervor tantùm signum morbi illius, ut habet *Paracelsus*, non materia, non causa, quapropter *l.* 1. *Paramir. de orig. morb.* febrim vocat, morbum nitri sulphuris incensi.

Repetit hoc ipsum *Petrus Severinus in Idea Med. phil. cap.* 12. Subjiciens hanc rationem, quod febres sint morbi nitro-sulphurei, cum habeant radices, in quibus sulphuri impuro, fœtido & resoluto, mucilagines ac spiritus salis nitrosi permiscentur.

Sic *Scheuneman. Paracelsiæ scriptor libr. de malo sulphureo Cagast. c.* 1 *sect.* 4. rectè *Paracelsum*, statuisse docuit, quod febris sit morbus nitri sulphuris accensi: dum enim à potentia salis, inquit, sulphur in sanguine, recrementis, vel solidis accenditur partibus, flamma ac ardor excitatur: sciendum enim salem petræ seu nitrum, tàm in magno, quàm in minore mundo, nihil aliud esse quicquam, quàm essentiam spiritualem & excrementum omnium salium, adeoque naturam hermaphroditicam habere, ita ut nec omninò sulphur existat; hinc sulphuri arctè jungitur, & incensus quoque ardet.

*Quanquam* verò non difficulter assertionis nostræ confirmatio, quòd febris natura consistat in calore, per ipsum *Paracelsum* quoque demonstrari possit, cum *l.* 2. *de tartaro tract.* 2. *cap.* 7 febrem epatis definiat, quod sit calor ex oppilatione, generata ex putrefactione tartari, in regionibus hepatis, *lib.* 6. *paragr.* 1. febrim dicat calorem, putrefactum cum tremoribus ex sua oppilatione, à materia insequestrata, in clausis poris ex vi stiptica, *l. de phlebot. tract.* 5. febrem nihil aliud esse pronunciet, quam putridam accensionem: nihilominùs cum sibi non semper constet, & aliter ab aliis intelligatur, ideò priorem famosam ejus assertionem tantùm examinabimus, *quam pro declaratione veritatis, & refutatione superioris assertionis*, insufficientem esse judicamus.

*Paracelsi refutatio insufficiens judicatur.*

1. Quia concesso, quod sulphur accensum producat febrim, tantùm à causa efficiente deducta videbitur definitio, quod Logicis non sufficiet.

2. Quia non repugnat naturæ febris per calorem subsistere, ejusque operatione innotescere, cum calor aliam habeat rationem; ut intemperiem corporis laborantis constituit, & prout excessu suo p. n. sensum afficit.

3. Quia majori perspicuitate febrilia symptomata ab humorum & spirituum calefactione, effervescentia & putredine deducuntur, quam ab analogico sulphure nitroso: frustra enim hic *Scheunemannus Hipp.* assertionem de innato calido, *Ferneliique* sententiam de humido oleagineo, partibus insito, dogmati *Paracelsico* accommodare conatur, cum illa omnia plurimum à ficto sulphure accenso differant. Quod autem flamma actualis ad ardorem in corpore nostro minimè necessario sit statuenda, patet etiam ex paracelsicorum assertione, cum vehemens æstus à spiritibus subitò commotis, vel contrariarum qualitatum occursu repentino flagrantibus oriri possit, ut in compositione tartari vitriolati, ex spiritu vitrioli & oleo tartari per deliquium facto, satis apparet, ipso attestante *Crollio in Basil. Chym.* & aliis. Ut enim thermarum calor, *quod Tom.* 1. *Dissertatione* 3. *de Natura thermarum deducimus*, ab actuali quodam igne macrocosmi minimè suam originem obtinet; sed nativum potius ac insitum terræ calorem agnoscit, qui pro circumstantiarum diversitate, thermarum generationem diversam producit; sic etiam insitus calor noster, superius actuatus dictus, impræsentiarum nobis sufficit. An autem ardor, absque flamma febrim constituens, juxta *Scheunemannum* necessariò sit à sulphure deducendus, nondum demonstratum est, nisi quis vocabulorum ambiguitatibus, quod Paracelso familiare est, ludere satagat, ita ut omnis affectus calidus sulphuri cuidam adscribatur, licet experientiâ & sensu teste, jam propter liberiorem sanguinis & spirituum motum impeditum in plethora, jam propter putridas exhalationes calidas in putredine, jam propter denegatas calidas exhalationes in pororum cutis obturatione, jam propter aëris ambientis caliditatem, aliasque ob causas fervor aliquis p. n. oboriatur. Quod si quis calorem corporis nostri partibus insitum, & influentem, per prædictas causas p. n. intensum, impropriè sulphur nominare voluerit, nobis perindè quidem erit; non tamen re ipsa, sed nomine tantùm aliud affirmabit, cum nos etiam solitariam qualitatem non intelligamus, quemadmodum ex superioribus patet.

## QUÆSTIO XVIII.

### *An, sicuti reliquorum morborum, sit etiam febris principium quintuplex à Paracelsicis rectè ponatur?*

*Morborum quinque entia juxta Paracelsum.*

PAracelsus *l. param. de* 5. *entib. morborum ponit* 5. *entia* tanquam origines morborum omnium, & ipsarum quoque febrium, scilicet *Ens astrale*, *Ens veneni*, *Ens naturale*, *Ens spiritale*, & *Ens Dei*. Idem ex *Paracelso* repe-

repetit *Crollius in Basil.* idque ad febres accommodat *Scheunemannus in lib. cit.* quod febres interdum oriantur *ex ente astrali*, pro diversitate constellationum in macrocosmo, de quo pluribus idem *Paracels.* agit *tract. de ente astrorum*: quod etiam originem suam debeant *veneno*, quod *Parac.* impropriè latissimeque sumit *tract. de ente venen.* sicut meritò *Scheuneman.* illam acceptionem, prout unâ cum alimenti partibus excrementitiis confunditur, ad ens naturale reducat, aliamque febrium accidentalium generationem ex propriè dictis venenis substituat, *cap.* 6. *s.* 1. quod fiant ex abundantia sanguinis, fuliginibus retentis, aliisque causis naturalibus, quæ omnes ad *ens naturale* reducuntur, ut patet ex eodem *cap.* 7. quod ex vehementia multorum affectuum spiritali modo per iram, timorem, invidiam, amorem vesanum, &c. febres producantur, ut habet *Scheuneman. cap.* 5. quod tandem ex *ente Dei* seu sola Dei voluntate febres immittantur, prout Deus ens liberrimum, cui tota natura cogitur obedire, quatenus homo cum omnibus creaturis in hoc modo Deo subjectus est, *Paracels. tract.* 5. *param. de ente Dei.*

*Paracelsi assertio non ex toto rejicitur.*

Quanquam verò prædictam assertionem ex toto non rejiciamus; eandem tamen, eo modo, quo placet Paracelsicis, recipiendam esse minimè censemus, quod ut magis appareat ordine procedendum erit. Non autem *Paracelso* bilem movebimus, cum vocabulorum abusiva significatione; cùm *entis* vox, quatenus ab essentia dicitur, impropriè modo generationis morborum attribuatur, sed ad rem ipsam accedemus, & 1. quod ens astrale attinet, seu ut magis propriè loquamur, quod attinet efficaciam astrorum in macrocosmo respectu generationis morborum, eandem minimè negamus, propterea quod sydera non parùm ad morborum generationem inservire queant, quemadmodum *Tom.* 1. *Disp.* 6. *Coron.* 1. *quæst.* 8. *pag.* 258. satis demonstravimus: hinc frustra *Galenici* reprehenduntur, quasi modum hunc generationis morborum neglexerint; imò potius ob eam causam commendatur, quod absque causarum confusione syderum efficaciam ad externas causas reducant, cujus beneficio morbus non immediatè, sed causis internis mediantibus, producitur; undè videmus morbos etiam malignos, tempore malignarum constellationum obortos, non per syderum mutationem, sed naturâ, medicamentorumque vi curari: quis enim nescit tempore morborum epidemiorum innumerabiles natura & medicamentorum ope curari; quamvis causa communis, quâ plures cottidiè de novo corripiuntur, nondum sublata sit? nec obstat quod morborum quorundam mutationes pro magnarum mutationum diversitate respectu cœli fiant, propterea quod hoc ipsum non immediatè, sed causis proximioribus in corpore nostro mediantibus accidat, quemadmodum in Chronicis affectibus manifestum est.

*1. Ens astrale.*

*2. Ens Veneni.*

2. Ponitur *ens veneni*, in quo describendo *Paracelsus* ea, quæ ad ens naturale pertinent, confundit, quemadmodum rectè subinnuit *Scheuneman.* qui hanc ob causam venena propriè dicta considerat, ex iisque febrium generationem deducit. At cum affectus causæ suæ naturam redoleat, meritò statuendum, venenum, quatenus tale, febrim non producere, nisi considerentur illa simul, quæ cum venenositate conjuncta talem vim obtinent, ut ad modum quendam superius positum in enumeratione causarum febrilium reduci queant, undè venenositatis affectus febres instar symptomatum interdum sequuntur. Alias in genere non negamus, præter morbos manifestarum qualitatum, occultos etiam dari, quorum causas, si quis ex Ente veneni producere cupiat, non repugnabimus, cum eapropter totius substantiæ morbi vocentur, ut patet, *Tom.* 1. *Disp.* 5. *Coron.* 1. *quæst.* 15. *pag.* 240. & *l. probl. therap. decad.* 10.

*3. Ens naturale.*

3. *Ens* ponitur *naturale*, quatenus ab internis causis à constitutione naturali, quæ sanitati debetur, recedentibus, morbus oritur, quem generationis modum solùm à Galenicis observari Paracelsus asserit.

*4 Ens spiritale.*

4. *Ens* ponitur *spiritale*, quod eâ ratione, prout à Paracelso spiritus unius, per imaginationem firmam productus, in corporis alterius spiritum agere, morbumque producere posse statuitur, non parum illicitæ magiæ, Cacodæmonis auxilio excogitatæ, figmentis innititur, eamque ob causam à Christianis Medicis angue pejus fugiendum est: quanquam enim *Petrus Pomponat. l. de incant. cap.* 4. spiritualem quendam curandi, imò & nocendi modum quibusdam hominibus attribuere videatur præ cæteris, non tamen ex toto rei difficultati satisfacit, quemadmodum hâc de re pulchrè quoque *Roderic. à Castro in Med. Pol. lib.* 4. *cap.* 1. 2. & 3. disserit.

Quod autem imaginationis efficaciam in subjecto proprio spectat, non negamus eandem potentissimam esse, sicut hac de plura videre licet *in Tom.* 2. *lib.* 11. *Obs.* & *Hist. mir. Marc. Donati l.* 2. *c.* 1. id quod pluribus *Tom.* 1. *in. dissert. nostra de caus. simil.* & *dissim. in fœtu* deduximus. At quicquid agit, mediantibus humoribus & spiritibus agit, quâ ratione timor, ira, consternatio, vesanus amor, invidia, similesque spirituales animæ commotiones subitæ, morbos & febres producere posse non negamus. Sed quomodo? Non immediatè: alias affectibus iis sedatis sponte cessaret morbus, quod fasum testatur experientia. Sicut ergò spiritales ejusmodi commotiones non negamus, sed earundem moderamen in statu sanitatis & morborum maximè necessarium judicamus, quemadmodum *Hipp. Galen.* & alii principes, pro conservatione & restitutione sanitatis, illud diligenter inculcant; ita per easdem morbos generari posse, non quidem immediatè, sed internis causis intervenientibus, lubenter concedimus, ut patet *Tom.* 1. *Disp.* 6. *Coron.* 1. *quæst.* 14. de quo productionis modo plura videantur apud *Fern. lib.* 1. *Pathol. cap.* 18. & *Mercat. l.* 2. *de sanit. quæst.* 198.

*5. Ens Dei.*

Ultimo ponitur *Ens Dei*, quatenus tanquam flagella divina, morbi nobis infliguntur, quos frustrà curat Medicus, cum causam habeant altiorem. Hunc modum non tantũ Christianus Medicus attestante scriptura, sed etiam Ethnicus concedere cogitur, cum penes omnes con-

conveniat, Deum esse, per quem sumus, movemur, & operamur, adeò ut absque benedictione divina in curandis morbis frustra laboremus; quemadmodum enim quotidiè votis ardentibus, ut alimenta clementer à Deo pro conservatione sanitatis nobis concessa proficua sint, oramus, ita morbis affecti meritò primò juxta Syracidem à Deo, facta pœnitentia, restitutionem, & pòst admisso Medico medicamentorum benedictam operationem precamur.

*Instantia.* Quod si modos omnes ferè concedere cogimur, cur ergò *Gall. Hipp.* aliique in morborum causis enumerandis juxta prædicta 5. entia non procedunt, sed maximè tantùm in causis naturalibus remanent? in promptu est responsio, *Responsio.* quia modi prædicti partim præsupponuntur, partim ad ens naturale reducuntur. Ita Dei directionem in morbis immittendis & curandis nullus excludit, sed eandem præsupponit, quia verò medicam indicationem non generat, Deusque media curationis alia ordinavit, idcircò meritò Medicus intra limites suæ disciplinæ remanet, & in causas naturales proximiores inquirit. Idem de reliquis dicitur, quæ causarum externarum rationem obtinent, ut sunt maxima ex parte, quæ de Ente astrali & Ente spiritali proponuntur.

Quod autem Ens veneni attinet, illud ad morbos occultos totiusque substantiæ reducimus. Manifestum est igitur Galenicos frustra culpari, propterea, quod omnia eò dirigant, ut utiles indicationes in cura præbeant, quam ob causam principaliter ea proponuntur, quæ immediatè ad effectuum productionem concurrunt.

## QUÆSTIO XIX.

*An febris indicatio curativa generalis in refrigerando & humectando consistat?*

*Dubitatur.* Videtur assertio dubia; propterea quod quædam mala per similia curari soleant; quâ ratione *Hipp. lib. 5. Aph. 21.* rigori nervorum per aquam frigidam medetur. Sic vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris. Nec illud negligendum, quod juxta eundem *naturæ morbis medeantur*: at natura per similia conservatur, per contraria corrumpitur.

Unde concludendum, non tàm in refrigeratione & humectatione febris curationem quærendam esse, quàm in corroboratione balsami vitalis, cujus ratione sanitas præsens conservatur, & absens restituitur.

*Affirmativa defenditur.* Verùm enim verò, cum Medicina vel in adjectione, vel detractione consistat, *Hipp. lib. de stat.* imò cum plenitudo inanitione, & inanitio plenitudine curetur, *Hipp. lib. 2. Aph. 22.* cum imperiti etiam omnes à molesto ad contrarium declinent; quod & beluæ hyeme solem, æstate umbram quærentes, innuunt, adeoque sensus etiam præter naturam affecti contrarias qualitates expetant, propterea quod quodlibet à contrario suo expellatur: meritò primam indicationem curativam in contrario consistere, adeoque febrim etiam, quatenus febris est, refrigerationem atque humectationem indicare statuimus.

*Respond. ad aph. 21. lib. 5. Hipp.* Nec obstat *aph. 21. lib. 5.* ubi ipsemet *Hipp.* aquæ frigidæ calefactionem ex accidenti tribuit. Sic dolor dolori succurrit, quatenus remedium, dolorem introducens, causam prioris corrigit. Sit etiam, naturam morborum medicatricem esse: non tamen sequitur, idem esse Naturæ conservationem, & ejus adjumentum, propter alienas affectiones tollendas Medicus naturæ minister adhibet, cum aliter necessariò agat natura in statu naturali, non impedita, aliter tunc temporis, ubi propter corporis constitutionem præter naturam non nisi depravatè agere cogitur, ubi medendi Methodus locum suum obtinet, ut impedimenta naturæ removeantur. Hinc frustrà laborant, qui præter naturæ corroborationem in medendi methodo nihil desiderant, cum aliud sit naturam in statu suo conservare, quod præcepta sanitatis tuendæ monstrant, aliud etiam naturam adjuvare, quò morbos eorumque causas & gravia acccidentia expugnare queat. Videatur *vid. Vidius lib. 12. de cur. gen. cap. 4. Vallef. lib. 8. controv. c. 4. Concil. diff. 153.*

---

GREGORII HORSTII

τοῦ μακαρίτου

*EXERCITATIONUM DE FEBRIBUS SECUNDA,*

De

# FEBRE EPHEMERA.

*THESIS I.*

*Ephemeræ cur primus locus tribuatur.* Inter alias febrium differentias *Ephemera vel Diaria* meritò primo loco ponitur, tàm respectu simplicitatis suæ, quâ facilius innotescit, quàm respectu curationis facilioris.

*Ephemera Definitio.* 2. Est autem *intemperies* calida febrilis, mitior, ab accensione & æstu spirituosæ substantiæ cordis proveniens; vel *exquisita*, spiritibus cordis tantùm præter naturam excalfactis, vel *non exquisita*, propter vapores calidos sanguinis uberioris oborta, quam *Synochum vocant non putridam*, *Synochus non putrida.* cujus duratio priori longior esse solet.

*Signa febris Ephemeræ.* 3. Cognoscitur autem hæc febris *calore suavi*, propter spirituosam & vaporosam substantiam tantùm præter naturam incalescentem, in respectu febrium putridarum, quibus calor acris & vaporosus, atque hecticarum, ubi mordax & squallidus est: *dein*, quod ab externa manifesta causa sumpserit initium, *idque subitò*, quod fieri non potest in putridis, ab interna causa subortis, vel in hecticis, ubi causa externa non nisi efficacior, diuturnaque mora quicquam præstat: *tertiò, quod unâ accessione finiatur*, ob tenuitatem subjectæ materiæ: *quartò*, quod illas naturas prehendat, quibus propter caliditatem, cum humiditate & siccitate junctam, adest promptitudo: *quintò* quod respirationis & pulsus minor læsio, quam in putridis & hecticis, quatenus suavis calor usum non ita auget: *sextò*, quod urinæ & alvi excrementa maximè secundum naturam se-

se

se habeant; cum sanguis & humores parum hîc alterentur: *septimò*, tandem, quod accessionis declinatio cum aliquo sudore, rore vel vapore suavi fieri soleat, propter spirituosam substantiam æstuantem, cujus exhalatio cutim attingens ibidem tripliciter dicto modo secedit.

*Febris Ephemeræ Causæ.*

4. Talis spirituosæ substantiæ fervor generatur per causas procatarcticas, quâ ratione febres Ephemeras antecedente causâ interna, quâ serventur, carere dicit *Galen. lib.* 8. *Method. cap.* 9. Suntque vel animi, vel corporis: istuc pertinet mœror, metus, lætitia, spes, ira, verecundia; huc verò somnus, vigilia, inedia, sitis, satietas, crapula, labor, æstus, frigus & bubo.

5. Harum causarum ratione variant intentiones Medici; quapropter necessarium est, ut etiam signa non negligantur, ubi respectu perturbationum animi maximè *pulsus* indicia exhibet: nam quemadmodum per magnum & celerem arteriarum motum *ira* cognoscitur, sic *tristitia & mœror* parvo, languido, tardoque, *timor recens* celeri inordinatoque pulsu colligitur: accedit, quod ex ira febricitantes calorem quidem copiosum, sed blandum tactui exhibeant, quod non in contrariis perturbationibus accidit, propter vaporem copiosum ab effervescente sanguine cuti communicatum, urinasque magis rubentes, propter bilem admixtam excernant.

6. Sic *somnum* pulsus magnus, excrementa cocta, cutisque mollior, *vigiliam* contraria; *satietatem* pulsus plenus, urina cruda, cum ructibus acidis & nidorosis in crapula & cruditate, *medium* contraria; *laborem & fatigationem* pulsus parvus facultate debilitatâ, habitusque siccus perseverans significat, maximè si *ustio* materiam sudoris digerens, aut *frigus* eruptionem ejus prohibens, conjungatur.

7. Quod si præter dictas causas ad generationem febris Ephemeræ interveniat *cutis adstrictio*, primò corporis habitus hanc innuit, utpote qui propter copiosas fuligines ad hanc dispositus est, ipsaque cutis ex frigore vel aquis aluminosis durior & compactior reddita, concurrente pulsu debili & parvo, propter vitalem facultatem oppressam à fuliginibus retentis: *si obstructio incipiens* nondum putredinem accedens in causa sit, pulsus creber & velox, calor acris absque sudore, urinaque colorata sese exhibet: *Bubonem* tandem, præter totius temperiem calidam humidam, propria accidentia demonstrant.

*Prognostica.*

8. *Quo ad prognosin* Ephemeræ suâ naturâ breves sunt, periculoque vacant, modo nullus committatur error, quod fit in constitutione corporis calida sicca, per inediam vel purgationem; in temperamento calido humido per purgationis & venæsectionis omissionem; per cibi copiosi concessionem, per ambientis frigidum occursum. Dein citius illæ, quas animi perturbationes produxere, curantur iis, quæ vel cruditatibus, cutis densitati, vel obstructioni suam originem debent; eapropter, quod hæ causæ non simplicem intemperiem tantùm producant, sed materias peccantes etiam cumulent, undè putridarum prompta generatio succedit. Porrò, si *Diaria exquisita* ultra diem naturalem extendatur, vel in *synochum non putridam*, in corpore juvenili plethorico, vel in *putridam*, in corpore cacochymico, vel in *hecticam*, in corpore calido sicco, mutatio metuenda est.

*Curatio.*

9. *Quoad curationem*, febris Ephemera consideratur, *vel prout simplex* est, ademptis scilicet causis, quibus accendi contingit, vel *prout adhuc* cum causis foventibus cohæret. Illa quatenus morbus, sui contrarium indicat, refrigerationem scilicet & humectationem, ubi natura laborantis, aër ambiens, & consuetudo limites agendi præscribunt.

*Diæta.*

10. Perficiuntur hæc *diæta & pharmacia*, quanquam hac rarius; quoad prius, *aër* frigidus humidus sit pro inspiratione, corpore nihilominus non nudato, *cibus* sit euchymus, paucus, frigidus & humidus, ut ptisana, panatella, pisces saxatiles, aquæ potus in assuetis, aut vinum benè dilutum, & in his regionibus cerevisia tenuis benè cocta, depurataque, quæ omnia administrentur circa remissionem, ni debilitas ex prægresso labore, vigiliis, &c. aut in biliosis hecticæ metus aliud suadeant: *alvi obstructio* Clystere solvatur, *motus* vehementior fugiatur, *animi* tranquillitas imperetur, & sudor tandem quiete, lecto, vel in assuetis balneo more veterum promoveatur.

*Causa foventes Ephemeram auferendæ & corrigendæ.*

11. Causæ foventes cum Ephemeris adhuc cohærentes præter febrim, sui ablationem, & correctionem innuunt; sic ambientis calor febrim producens sui mutationem; sic labor immodicus quietem, & cibum euchymum pro reparatione; sic vigilia somnum; sic animi affectus moderationem indicant, qui quidem in dictis absque difficultate fiunt. Ubi verò cutis densitas, vel obstructio, vel cruditas, vel bubo in causa est, major diligentia requiritur.

*Cutis densitas laxanda.*

12. Cum autem cutis in duobus fieri possit densa, vel à frigore & re aliqua adstringente, vel à rebus valdè siccantibus: idcircò necessum est, ut cutis ex priori causâ densata vicissim mollibus frictionibus, & sudore provocato, quod veteres maximè balneo perficiebant, laxetur: ubi verò nimia exiccatio in causa est, victus ratio refrigerans & humectans sit, & corpus exterius oleis temperatis & humectantibus, leni frictione adhibitis, foveatur.

*Obstructio incipiens removenda.*

13. *Obstructionem incipientem* quod attinet, cum promptè febrim putridam minetur, mox ad morbosum apparatum respiciendum esse indicat, sanguine imminuto, quo solvatur citò, vel liberior fit eventilatio, donec aperientibus naturæ succurramus.

14. Protinus ergò sanguine misso nutrimentum vel Pharmacum ex iis convenit, quæ detergent, ut sunt inter alimenta ptisana & mulsa, inter medicamenta Oxymel præ cæteris.

*Cruditas ciborum corrigenda.*

15. Ubi *cruditatibus ciborum* febris supervenit, vel cruditas nidorulenta est, quæ fit à calore p. n. corrumpente, vel est acida, quæ fit à calore diminuto, quarum illa pejor, sed minus noxia, dum alvus lubrica est.

16. *Nidorulenta cruditas* coctioni studendum esse indicat, per ea, quæ refrigerandi vi pollent, quibus non sufficientibus vomitu cibus corruptus rejiciatur, vel per alvum lenientibus ducatur, non neglectis, quæ abster-

abstersione & corroboratione ventri succurrunt, ut sunt interius Absinthium, Conf. Diarrhodon Abb. exterius ol. rosaceum, Masticbinum additâ parte absinthii, &c.

17. In *acida cruditate*, si levis adhuc est, naturæ quoque per ea, quæ coctionem juvant, succurrendum, quo cibus semicoctus concoquatur: si verò major atque cum nausea, vomitus imperetur, & ventriculus exterius oleo absynthii, menthæ & similibus foveatur, pane vino generoso humectato, Zingibere condito aliisque stomachicis corroboretur.

*Bubo non negligendus.* 18. Tandem ubi *Bubo* febrim Ephemeram producit, nisi quid aliud præter naturam concurrat, ulceri & buboni prospiciendum, cura totius in præservatione, propter intemperiem calidam humidam, non neglectâ.

## QUÆSTIO I.

*An proprium & inseparabile in Diariis quod fiant à causis evidentibus?*

*Affirmativa quæstionis,* VIdentur illud affirmare *Avicennas & Galenus lib. 1. c. 7. de diff. febr.* ubi inquit, Proprium Ephemerarum esse, non fieri à causâ antecedente, sed primitiva.

*Negativa.* Contrariam verò sententiam statuit *Horatius Augen. lib. 3. cap. 10.* dum inquit, Ephemeras etsi à manifestis causis sæpissimè fiant, hoc tamen non semper accidere.

*Limitatio.* Hic notat *Capivacc. lib. 6. pract. cap. 10.* quod Ephemera vel re & nomine talis sit, vel re tantùm: *re & nomine*, quando diem non transcendit, calorque in spiritibus est accensus; hæc rursus duplici modo consideratur, vel est exactè exquisita, vel non. Exactè exquisita, juxta *Galen. lib. 5. Meth. cap. 8. & lib. 8. Meth. cap. ult.* non est in fieri, sed in facto, ut Hectica. Non exactè exquisita, fit ab obstructione tàm exigua, ut diem naturalem non pertranseat, & hanc ab antecedente causa fieri posse concedimus. Ephemera re tantùm est Synochus sine putredine, quæ ad plures dies protrahitur.

*Quæstionis Decisio.* Manifestum hinc est, quod signum hoc inseparabile sit tantùm respectu febrium exactè exquisitarum, juxta *Capivaccium*.

*Nota.* Sed nota quod etiam *Dn. Sennertus repetit lib. de feb. cap. 5.* Omnem febrim Ephemeram à causa procatarctica provenire, aliam quidem immediatè, aliam verò mediatè; sed absque putredine, quod ex *Galeno lib. 4. Aph. in com. 55.* colligitur.

*Quomodo animi παθήματα febrim generent?* Obiter hic patet, quomodo animi παθήματα febrim generent, nimirum non immediatè, sed spiritibus & humoribus mediantibus, quod *Valescus de Taranta monet lib. 7. Philon. cap. 2.*

## QUÆSTIO II.

*An continentem habeant?*

QUæritur, num *Ephemeræ causam habeant continenentem?* Plerique Medicorum Ephemeris causam solùm primitivam, tanquam propriam, Hecticis antecedentem, putridis verò primitivam, antecedentem & conjunctam tribuunt. Nonnulli etiam Ephemeræ continentem adscripserunt, in quorum numero est, post *Salicetum*, *Montuus lib. 9. Halos. Febr. cap. 3.* quam censent esse subtilitatem substantiæ, caliditatem & coadunationem spirituum. *Mercatus* prædicto loco quæstionem determinat, nimirum quod Ephemeræ spuriæ causam habeant antecedentem & continentem, ut sunt succensio crudorum humorum, ulcus, inflammatio externa, vel cutis densitas, aut sanguinis excalfactio, quorum omnium durationem sequitur etiam spirituum vitalium succensio, quæ Ephemeram plurium dierum appellatam, procreat, ejusque continentem constituit. *Quæstionem determinat Mercatus.*

## QUÆSTIO III.

*An sit Ephemera ex putredine?*

CUm diutius perdurantis caloris febrilis frequentes causæ sint putredo & inhibita transpiratio, quæritur *an & quomodo Ephemeræ ex putredine dentur?* Affirmativa statuitur ex eo, quod ex bubonibus, ex corruptione ciborum in ventriculo, ex alvi retentorum putredine, & similibus febres interdum oriantur. *Affirmativa statuitur.*

Quod autem non statim putridæ sint, indè manifestum est, quia substantia putrida non potest ad cor usque pervenire, sed tantùm calor extraneus. Aliud autem est, quando calor ex putredine illius excrementi tantùm elevatur, ut in Ephemeris, & quando ex illis vaporibus humores inficiuntur, ut in putridis. *Confirmatur.*

Cur verò vapores illi ad cor non perveniant, causa est quadruplex: I. Respectu loci qui 1. vel nimium distat à corde, 2. vel admodum ignobilis, vel 3. non habet arterias & venas propinquas. II. ex parte affectus, qui est exilis. III. ex parte materiæ, & IV. ex ipsius putredinis parte, ut in lacte putrescente in mamillis videre est, quæ omnia pluribus vide apud *Herc. Sax. de febr. cap. 3. lib. 8. Panthei.* *Causa cur vapores ad cor non pervenire queant.*

## QUÆSTIO IV.

*An Ephemera possit habere peridos?*

AFfirmatio hujus quæstionis causas periodi perconctanti patet, causa enim proxima reditus est, ut habet *Saxonia citato loco*: collectio excrementi illius, quod priorem fecit febrem. Fit collectio hæc, vel noxia excrementi retentione, ubi adest imbecillitas retinentis, vel expulsione, vel attractione, vel generatione. Patet illud in Ephemera tertiana, cujus meminit *Galen. in juvene lib. 8. Meth. cap. 4.* Deindè in iis, qui liberi, postea sentiunt nihilominus eodem die, quo quartana vexabantur, calorem p. n. ad tempus, quod nihil alud est, quàm Ephemera quartana. Conjunge *Sylvat. controv. 24. pag. mihi 125.* Quanquam verò *Mercatus* circuitus Ephemerarum neget, illud ipsum tamen eo modo intelligendum esse putamus, quatenus prædicta periodicatio alia omninò est ab ea, quæ cæteris intermittentibus convenit. *Affirmativa tenetur.*

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

*An detur Ephemera ex putredine spirituum?*

*Affirmativa probabilis.* AFfirmat *Heurnius libr. de febr. cap.* 1. & *Valles. lib.* 2. *controvers. cap.* 19. quatenus *Aristotele teste* 4. *Meteor.* omnia præter ignem putrescunt; ubi non obstare videtur *Vallesio*, quod spiritus igneam naturam habere dicantur, cum ex inspirante aere fiant, *teste Galen. lib. de util. respirat.* & *alibi*; at aërem putredini obnoxium nemo negat. *Mercurialis etiam lib. de febr. cap.* 5. putredinem spirituum concedit, quo refert sudorem Anglicum, de quo suo loco.

*Dubitatio.* Etsi verò quidam dubitent de hac assertione, cum spirituum putredo difficilis sit, aut pestilentem febrim producere videatur, quod prædicto loco *Mercurialis* innuit; *Resolutio Dubitationis* non tamen admodum hîc laborandum esse judicamus, cum spiritus putrescentes aut citò effluant, aut putredinem in humores mox effundant (quod posterius in constitutione calida humida manifestum est) adeoque novas indicationes, quam in cæteris Ephemeris, nobis non gignant.

## QUÆSTIO VI.

*An spiritus insitus vel influens principaliter patiatur in Ephemera?*

*Triplex spirituum genus.* COmmuniter triplex spirituum genus in corpore humano statui, Animalis, Vitalis, & Naturalis, inter quos vitalem potius quàm reliquos, hic respiciendum patet ex omnibus. Cum autem insitus sit, & influens, quæritur, *quinam potissimum hic patiatur? Mercurialis de febr. cap.* 5. *Mercurialis spiritus influentes intelligit.* solos spiritus influentes intelligendos esse statuit, qui accensi febribus diariis occasionem præbeant? fieri enim non potest, judicante *Fernelio lib. de febr. cap.* 3. ut in diaria spiritus implantati accendantur, siquidem cum sint partes calidi nativi, magna ruina toti corpori accideret ex his febribus, cujus oppositum experientia confirmat. Quomodo verò spiritus influentes occasionem præbeant in generatione febris hujus, *Mercurialis* ulterius declarat, nimirum quatenus causæ febris hujus vel per se vel per accidens spiritus calefaciunt, quorum accensio postea mediante corde toti communicatur.

*Instantia Argenterii & Cæsalpini refutatur.* Non autem moramur hic instantias *Argenterii* & *Cæsalpini*, qui nullam febrim in spiritibus accendi posse statuunt, quorum assertionem, *in disp. de febr. in genere quæst.* 11. refutavimus: nec adhuc *Carol. Piso* nobis abundè satisfacit, qui sat eruditè inter cætera febrim Ephemeram omnem ex seroso humore effervescente, vel putrescente, deducere conatur: *in observat. suis singularibus*.

## QUÆSTIO VII.

*Cum in Diaria spiritus afficiantur, undè sudor?*

SUnt qui ejusmodi assertionem produnt: quod spiritus festinet ut digeratur, qui dein densiori superficiei occurrens sese sistat, sicque in aquæ naturam convertatur, de qua porrò sudores. Assertio autem hæc ab *Horat. Augen. lib.* 3. *de febr. cap.* 11. non admittitur, quia 1. non spiritibus, sed vaporibus symptomata ejusmodi conveniunt. 2. licet concedatur, spiritum in aquam converti posse, ubi tamen conversus fuerit, quomodo excernetur? cum meatus ita sint densati, ut nec spiritibus, multò minùs humoribus exitum præbeant. *Horat. Augenii Assertio probabilis.* Hinc veriorem assertionem hanc judicat: spiritum scilicet, qui jam calefactus est, dum excernitur, succum aliquem circa superficiem inveniendo, eum attenuare atque in sudores resolvere, & secum excernere.

Adde quod in corpore sano excrementum serosum tertiæ concoctionis ut plurimum insensibiliter transpiret: ubi verò cutis est obstructa in vaporem seu sudorem vertitur, ut in Ephemera, &c. videatur *Carolus Piso, de morbis ex serosa hum. genitis p.* 427. qui omnes diarias ex sero effervescente producit, cui facilis responsio, cur sudore finiantur.

## QUÆSTIO VIII.

*An Synochus sit Diaria?*

*Affirmatur.* REspondemus affirmando, quia 1. eandem habet cum Diariâ causam, *Ferniel. lib.* 4. *cap.* 4. Synochus siquidem est spirituum simul & sanguinis effervescentia, nihilque differunt, nisi secundum majus & minus.

2. Quia non est putrida nec pestilens. Quartum ideoque novum genus non datur, sed inter Diarias reponenda. *Vide Sylvat. controv.* 24. *mihi pag.* 124.

*Instantia & solvitur.* *Instet* aliquis, quod hoc modo non consistant febrium differentiæ à subjecta materia desumptæ, quod calor obsideat humores, ergò non diaria sed humoralis febris nuncupanda. *Respondetur*, calorem igneum non planè obsedisse humores cordis, ut in putridis febribus; sed in ipso calefieri & fervescere consistunt.

*Limitatio pro quæstionis declaratione.* Notandum tamen, quod Ephemera dupliciter consideretur, vel re & nomine talis, vel re tantum. Re & nomine talis est, quando calor in spiritibus est accensus, sed ultra diei spacium non transcendit. Ephemera re tantùm est synochus sine putredine, quia diem transit, & non in solis spiritibus acquiescit, sed & humores invadit, manet autem nihilominus Ephemera; contra Argenterium, quia communem naturam habet cum reliquis, prout putrescens humor non subest, & corpus febrilem calorem, ut habitum, non suscepit. *Horat. Augen. loc. cit. cap.* 13.

## QUÆSTIO IX.

*Quæ plenitudo subsit in febri Synocho?*

*Galenus Plenitudinem ad vasa statuit.* QUod plenitudo ad vasa tantùm febrem hujusmodi efficiat, ipse *Gal. lib.* 9. *Meth. c.* 9. innuit. Idem probari potest: 1. Quia illa ad vires non tantùm venarum obstruit ora, ut refrigerationem prohibeat, & carnis vel cutis transpirationem remoretur. 2. Quia symptomata illa hic non conspiciuntur, quæ alias Synocharum sunt propria, ut, obstructio, distensio, tumor & rubor faciei.

*Negatur eadem altera plenitudo ad vires.* Quod verò ab altera etiam plenitudine, quæ nimirum vires gravat, febris eadem fieri possit, facilè est monstrare; quia

quia nimir: adsunt causæ, quæ proximè hanc efficiunt: fit enim in tali corpore vehemens astrictio, & meatuum obstructio, quarum causâ, illud quod transpirare consuevit, retinetur, undè fit febris Synochus.

*Quæstionis determinatio.* Ergò pro determinatione quæstionis concedimus quidem, quod frequentius fiat Synochus ex plenitudine ad vasa: ita tamen, ut non negandum interim, quod etiam ab ea, quæ virtutem respicit, fiat.

## QUÆSTIO X.

*An detur Synochus Biliosa?*

*Affirmatur.* Affirmatur cum Galeno, qui etiam non admittit febrem sanguineam fieri à putrido sanguine; sed illam dici biliosam interdum, eò quod sanguis antequam ad putredinem fertur, jam incendio flagrans, (quæ febrium author) transeat.

Et quanquam *Galenus lib. 2. Cris. 9.* ait, nullum humorem, præter unum sanguinem, posse sine putredine febrem accendere, quod non negamus, illud tamen in bilioso quoque sanguine sæpius evenire, ipsemet Gal. Historia quadam in juvene calidæ siccæ constitutionis *lib. 10. meth. c. 3. testatus est.*

Quid multa? potest, quemadmodum habet *Horat. Aug. cit. loc. lib. 3. cap. 14.* sanguis, omnium humorum suavissimus, propter astrictionem etiam in maximis venis effervescere; cur non & sanguis tenuissimus seu biliosus, & cujus copia in iisdem venis consistit, effervescere & ita Synochum facere poterit?

*An bilis deusta sit causa febris inter Ephemeram & putridam media.* Sed quid statuendum de sententia *Averrhois lib. 3. coll. cap. 13.* quem etiam *Vallesius lib. 5. controvers. cap. 19.* sequitur, quod bilis deusta sit causa febris inter Ephemeram & putridam mediæ? *Hercules Saxon. lib. 8. Panth. cap. 4.* concludit, rectè prædictos Autores inter propriè dictas Ephemeras & putridas, medias febres posuisse; idque ex sententia Galeni ulterius confirmat, easque ad propriè dictas nihilominus reducit. Conjungantur quæ *Fernel. habet l. 4. pathol. c. 4.* de diaria ex bilis calidorumque humorum agitatione nimia, quod ex eodem pluribus repetit *Forestus lib. 1. observ. 10.* Exactius verò idipsum determinat *Dn. Sennertus lib. 1. de Febr. cap. 7.* dum inquit, sanguinem tenuiorem bilem interdum nominari ab Autoribus, ita ut rectè statuatur febrem Synochum biliosam dari sine putredine, non ex bile excrementitia, quæ periodicæ febris causa est, effervescente sanguinis tenuiori & biliosa parte, quando nullis in pulsu & urina præsentibus signis putredinis, nihilominus os amarescit, appetentia dejicitur, sitis molesta est, capitisque dolor & vigiliæ infestant; ita tamen, ut sublatâ causâ manifesta diariarum, instar febris, vicissim sponte evanescat.

## QUÆSTIO XI.

*An cibus benè nutriens, difficilioris quidem concoctionis conveniat in Ephemera?*

*Affirmat Galenus.* Colligitur hoc ex *Galeno lib. 10. meth. cap. 3.* ubi in Ephemera probat alicam integram ex aqua calida, cum granis mali punici.

*Contrarium defendit Avicennas.* Contra *Avicennas* potius cibum facilis concoctionis, ut panem cum vino præscribit.

*Conciliatio horum Authorum.* Sed notat hic *Capivacc. lib. 6. cap. 11.* quod *Galenus* hic respectum habeat ad imminentem Syncopen in stomacho bilioso, ratione singularis subjecti calidi sicci, de quo dicto loco tractat: at *Avicennas* cibo facilis digestionis refectionem citissimam totius respicit.

## QUÆSTIO XII.

*An usus balnei conveniat in Ephemeris?*

*Balnei usus apud veteres.* Balnei usus apud veteres & in tuenda, & in restituenda sanitate, frequens erat, non sine insigni apparatu & diligentiâ, quemadmodum pluribus post veteres videre licet apud *Langium lib. 1. Epist. Medicinal. 50.* *Penes Ægyptios.* sicut adhuc hodiè penes Ægyptios illud ipsum etiam observatur, ut habet *Prosper Alpinus lib. 3. de Medicina Ægyptior. cap. 10.* dum inquit: Balneis ex aqua dulci paratis non secus, quam antiqui, utebantur Ægyptii nostri temporis ad varios tollendos morbos, uti solent, nam iis interim humorum imminentes plenitudinem corpora à multis morbis ex plenitudine ortis sublevant; interim cutis meatus astrictos, atque ex calore vel frigore, vel siccitate conniventes, aperientes, multas febres exindè genitas sanant. Multis etiam morbis ex sola sicca & calida temperie, vel ex sanguine, vel ex bili acutiori, vel ab exusto humore obortis, opem præstant: multasque tùm internas, tùm externas inflammationes persolvunt: etenim balnea illa, ubi volunt, vacuant humorum exuperantiam, cutis meatus laxant, aperiuntque; & inflammatas partes aliquando refrigerant, ac siccatas humectant, carnemque non minus à cibo viventibus generant, atque ob id gracilioribus utiles existunt, &c. In specie verò Galenus non olim tantum, præter cæteros morbos, in febribus Ephemeris Balnea commendavit; sed etiam prædictus Autor hodiè balneorum usum ad febres easdem omnes ex caliditate, frigoreve, nec minus ex siccitate obortas, apud Ægyptios esse frequentissimum affirmat.

*Diversa balnei partes diversis Ephemeris quomodo succurrant.* Cum autem Ephemerarum causæ sint variæ ac diversæ, quæstionis hujus decisionem in problematibus nostris therapeuticis ex diversitate quatuor balnei partium, juxta *Gal. 10. M. M. 10.* deduximus; nimirum, quod aër balnei calidus, cujus vi sudor evocatur iis diariis conveniat, quæ ex cutis densitate, meatuum obstructione, vel glandularum tumoribus fiunt; noxius verò sit iis, quæ fiunt ex animi commotionibus, ex lassitudine, ex fervore solis & similibus: quod aquæ calidæ solium tuto magis adhibeatur in omnia diaria: quod solium frigidæ non sine cautela sit concedendum: quod tandem sudoris detersio nulli non convenire queat.

*Limitatio de Balneis usurpandis in febribus.* Sed limitationem addidimus ex *Foresto lib. 1. observ. 6.* quod illa omnia procedant de Ephemera quatenus talis est: ubi enim obstructiones, internæ cruditates, nauseæ, catarrhi, alvi fluxus, &c. concurrunt, à balneis abstinendum. Atque hoc est, quod movit ex practicis modernis quosdam, cum hodiè Balneorum tàm diligens apparatus non sit, ut apud veteres, nec nostri homi-

homines frequenti balneorum usu gaudeant, ut loco balnei remediis aliis utantur, inprimis cum maxima pars hominum errores in victu committat, ut plerumque, propter crudorum humorum copiam, corpora ad balneorum usum minus disposita sint.

## QUÆSTIO XIII.

*An oxymel conveniat in synocho non putri?*

*Affirmativa probabilis.* QUanquam Galenus affirmativam teneat *lib. 8. M. M. cap.4.* propterea quod oxymel febres non accendat, strenuè detergat; sic ut ea, quæ glutinosa sunt, dissolvat, & meatus obstructos liberet.

*Dubitatio.* Dubitari tamen potest, an medicamentum hoc conveniens sit, propterea quod mellis caliditas febricitantibus inconveniens videatur, utpote cum facilimè in bilem transeat?

*Resolutio quæstionis.* Sed nota, quod in oxymelle non unum tantùm, sed omnia ingredientia sint consideranda; quam ob causam non tantùm mellis caliditas perpendenda est, sed simul quoque vitriolata qualitas aceti non negligenda, quæ unà cum aquea humiditate mellis naturam ita corrigit, ut vis detergendi & aperiendi, sine insigni calefaciendi potentia, vim suam exercere possit, de quo plura vide in *Cent.probl.Med.Dec.1.quæst.2.*

## QUÆSTIO XIV.

*An diatrion pipereon in ephemerâ ex cruditatibus ortâ præscribendum?*

*Affirmat Galenus.* COncedit hoc ipsum *Galenus lib.8.M.M.cap.5.* ubi alvo constipata, si superius alimentum crudum hæreat, diatrion pipereon simplex, prout *lib. 4. de tuenda San.* præscribitur ab eodem, exhibetur, etiam in ipsâ corruptione nidorulenta.

*Negat Trallianus.* Verùm reprehenditur ab *Alexandro Tralliano lib. 12. cap.14.* quod calidum hoc medicamentum nec ratione febris, utpote, quæ intemperies calida, nec respectu causæ febrilis, quæ corruptio est ab excedente calore, convenire possit.

*Limitat Herculanus.* *Johan. Herculanus in comm.in Avicen.* primò medicamentum hoc convenire dicit in eâ febre, quæ fit à corruptione acida, cujus causa frigida.

*Declaratur quæstio.* Quanquam verò lubenter hoc ipsum concedamus, cum & alia medicamenta calida in hoc casu præscribantur; non tamen negamus Galeni mentem citato loco potius eò inclinare, quod etiam secundo loco innuit *Herculanus*, medicamentum hoc eam ob causam esse concedendum, ut acrimoniâ ipsius facultas expultrix irritetur, quò corruptum medicamentum superius hærens eò citius ad alvum præcipitetur, & id quod superest ulterius digeratur & concoquatur.

GREGORII HORSTII
τοῦ μιχαελίτου
*EXERCITATIONUM DE FEBRIBUS*
TERTIA,
De

# FEBRIUM PUTRIDARUM COGNITIONE GENERATIM.

*THESIS I.*

FEbres, quas vocat Humorales, duorum sunt generum: Unum, quod essentiam suam habet in sanguine tantùm concalefacto, & ad diariarum classem reducitur, synochus non putrida: alterum quod ex putrilagine humorum succenditur. De Synocho simplici cùm in proximâ disputatione sit actum, consequens est lege methodi, ut de illâ febre, quæ humorem putrescentem consequitur, & putrida communiter dicitur, discursum instituamus. *Febres humorales duorum sunt generum.*

2. Hujus consideratio inter alias causas ob eam potissimùm Medicis futuris est necessaria & utilis, quia morborum acutorum plurimi, si non omnes, teste *Galen.lib.3.de diff.Febr. cap. 8.* vel sunt febres putridæ, vel cum febribus putridis copulati: imò veterum Medicorum eodem *Galen.* consentiente *l. 1. de diff.feb. cap. 3.* communis sententia fuit, omnes febres, exceptis diariis, putridas esse. *Hipp.n.l.de vet.med.* inquit, homines febricitare non calido simplici, sed vel salso, vel amaro, vel aliquo alio simili; subindicans, semper febrem produci ob calorem alicui humori putrescenti colligatum. *Febrium putridarum cognitio necessaria.*

3. Est autem febris putrida intemperies caloris nativi ex putrefactis humoribus in corde primùm accensa, & ab hoc per spiritus & sanguinem, in arteriis & venis consistentem, in totam corporis œconomiam derivata, atque propagata. *Febris putrida definitio.*

4. Cùm ergò febrium putridarum continens causa sit putredo, nativum calorem in ἀσύμμετρον & igneum convertens, & febres putridæ non nisi per putredinem rectè intelligi, atque à cæteris febribus distingui possint; non citra institutum erit, si primùm quid putredo sit, & quotuplex, prælibemus: deindè quomodo succi, in humano corpore contenti, putrescant, & putrescentes febrem putridam accendant, consideremus. *Febris putridæ causa continens.*

5. *Putredinem definit Arist. l. 4. meteor. cap. 1.* proprii & nativi caloris in unoquoque humido sustentati corruptionem. *Galen.l.11.M.M.cap.8.* totius putrescentis corporis substantiæ à calido extraneo ad corruptelam mutationem. Uterque bene! Nam peregrinus calor ambientis, si primùm corpus mistum calefaciat, tùm calefaciendo corpus mistum apertis insensibilibus foraminibus relaxat, quo facto calor mixti genuinus à simili tractus, & ceu de carcere missus, egreditur, in mixto- *Putredo quid?*

mixtoque secundum suam quantitatem elanguescit. Egrediente autem calore proprio mixtum resolvitur, fœtidumque odorem de se spargit; simulque effluit, quod secundùm naturam est humidum. Proprio autem calore à proprio subjecto emigrante, sensim nativa frigiditas augeri, supraque calorem proprium restibilem pro viribus naturalibus dominari incipit, qui subindè humidum cum sicco amplius determinare, & continere nequit. Humidum autem similiter à sicco separatur, ad quam separationem mixta ἐξίτηλα, sive evanida, prorsus redduntur, ita, ut tandem ad sensum præter fimum & cinerem nihil relinquatur.

*Putredo duplex.*

6. Communiter pro putrescentium aliâ atque aliâ ideâ, duplex statuitur putredo, perfecta alia, alia Imperfecta.

*Putredo perfecta.*

7. *Perfecta* seu *totalis* est, quâ mixtum, unione & vinculo suo destitutum, adeò corruptum redditur, ut in Elementa, ex quibus olim coagmentabatur, resolvatur, & post resolutionem cæteris elementis omnibus dehiscentibus, atque invicem à sese discedentibus, nihil remaneat præter siccam & terrestrem quandam substantiam. Hoc pacto putrescunt omnia mista, quæ de terrestri portione plusculum participant. Superato enim calore nativo & superante peregrino, humidum, quod partibus inhæret, foràs emanat, ubi tandem regimine & dominio caloris nativi privatum fatiscit, ut solùm cinis & terrea materia supersit.

*Putredo imperfecta.*

8. *Imperfecta* seu *putredo* κατὰ μέρος est, quâ etsi mixti putrescentis calor internus ab externo obtundatur, & cum eo naturalis humiditas educatur, mixtum tamen non in extremam, ut in priori, & absolutam putredinem redigitur. Experiuntur hanc omnia fluida, & quæ multa humiditate scatent, sicut vinum in acetum degenerans & similia. Cùm enim hæc plurimo circumfluant humore, cum calore id solum, quod est volatilius, subtilius, ac magis aëreum in auras expirat; reliquum verò totum à sicco separari nequit, ut æquè ac in priore mixtum in terram convertatur.

*Putredo imperfecta iterum duplex.*

9. Hæc suas adhuc patitur differentias. Aliquando enim tàm exigua est, ut mixtam duntaxat alterationem subeat secundùm accidentia, residuâ substantiali forma: Aliquando verò major, ut ipsa quidem substantialis forma pereat, & aliqualis διάκρισις fiat; hæc tamen novam σύγκρισιν conjunctam habeat, quâ separatio putrescentium, & unio coalescentium in aliam mixti formam determinetur. Qualem putrefactionem in apostematibus & ulceribus reperire licet, in quibus non modò pus, sed etiam succi prorsus pravæ naturæ, nîl concoctionis habentes, nonnunquam vermes quoque generantur. Similiter in febribus putridis, cum sanguinis putrescentis aut adusti pars subtilior in bilem flavam, & pars crassior in melancholiam transit.

*Modus quo humores in corpore putrescant.*

10. Patet ergò, quomodo humores in humano corpore putrescant, nempe, non totaliter sed partialiter. Rarò enim evenire videmus, ut portio insignis humorum in venis secundùm totum exactè putrescat, nunquam ut omnes, ita, ut nihil præter terram relinquatur; sed potius aliquo modo secundùm partem, non quod à naturali temperie tantùm recedant, & ad eam vicissim redire queant; sed quod secundùm substantiam in alios succos p. n. transformentur, magis minusque corruptos, prout calor nativus magis minusve validus est.

*Humoribus etiam accidit combustio sive assatio.*

11. Accidit etiam humoribus in animalibus, quæ plurimo circumfluunt calido, combustio quædam, sive assatio; veluti in causone, febribus malignis ac synochis, ubi sanguis adustus in bilem flavam, & hæc in atram transmutatur: Et licet hæc ustio putredo propriè non sit, intercurrente tamen putredine in febribus fieri solet, & ad putredinem reducitur. Nam per febres multi humores in ustionem abripiuntur, dum putridus calor longiore tempore durans, absumptâ humiditatis parte, cæteras torret. Fit quidem ustio humorum sæpè ab excandescentia absque putredine, sed quæ cum vel à putredine fit; quia acriores, eosque plures vapores suscitat magis, quàm ustio sine putredine inflammat, quod in maniacis videre licet, ubi flava bilis in atram exusta febrem rarò producit. *Dunc. l. 2. de febr. cap. 2.*

*Putredo humorum partim fit, partim facta est.*

12. Ipsa putredo humorum febrem accendens, non est absoluta, aut ex toto facta, sed partim fit, partim facta est. Si fit putredo, & à calore alieno corrumpitur calor internus, tùm excitatur febris, & augmentum capit: sicut cùm pus conficitur dolores & febres magis accenduntur, quàm eo confecto, *Hipp. l. 2. aph. 46.*

*Causa efficiens febris putridæ.*

13. *Efficiens* ergò *causa* putridarum febrium est ambientis calor: ut aëris, aquæ. Aër enim calidus, humidus, aut vitiatus ἀθρόως in corpora nostra sese insinuans, succos inflammat, ita ut omnium primus *Hippoc. dixerit l. de flat.* aërem in corpore nostro omnis putredinis autorem esse. Sed aër ingreditur aut per respirationem, aut transpirationem, aut cum cibo & potu. Hîc si intùs diutius p. n. immoretur, calorem nativum in æstum abripit, qui consequenter humores putredine corrumpit.

*Per calorem ambientem quid hic intelligatur.*

14. Non solùm autem hîc per calorem ambientem intelligimus externum & adventitium, ut aëris ambientis, & eorum qui foris nos contingunt: sed etiam calorem nativum & vivificum, non per se propriè consideratum, sed quatenus in igneum conversus λόγον mixti pervertit. Convertitur autem in igneum prohibitâ transpiratione & ventilatione, vel propter angustiam meatuum cutis, vel obstructionem vasorum continentium. *Ob angustiam meatuum* cutis, quando fuliginosi vapores intus retinentur, qui si valdè fuerint copiosi, calor nativus planè suffocatur, si non ita copiosi, inflammatur & accenditur. *Ob vasorum obstructionem*, si in parte aliquâ humores copiosiores, vel per plethoram, vel cacochymiam collecti aut infarcti, non eventilentur, nec à natura gubernentur, inde putrescentes calorem nativum in igneum convertant.

*Causa materialis febris putridæ. Humidum multiplex.*

15. *Causa* putridarum febrium *materialis* est humiditas, & quicquid in totâ corporis œconomiâ humoribus respondet. *Humidum* autem *multiplex* est, Elementale, nutritum, & excrementitium, & id quod solidis partibus inhæret. Elementale, ut aëreum & aqueum.

Si

Si ergò aëreum putrilagine inquinatum sit, spiritibus internecina calamitas impendet, ut olim usu venit in sudore Anglico. Si nutritium, ut chylus & intestinorum succi, nascuntur modò febres, modò vermes, modò diarrhææ. Quod si ichorem sanguinis invaserit putredo, synochus putrida corpus affliget. Cùm excrementitium succcum occupaverit, ut pituitam, nascetur cottidiana, idem de reliquis succis dictum puta. Si *carnibus* aut *pinguedini* bellum indixerit, erit hectica pestilens. Si putredo *lacti* aut *semini* sese insinuaverit, abreptis in contagionem humoribus, cor eandem sortem experietur. *Heurn. de Febr. cap. 9.*

*Causæ corpora ad putredinem disponentes sunt variæ.*

16. *Causæ ad putredinem corpora disponentes* sunt variæ: 1. *Locus calidus humidus* sive internus, ubi cohibentur humores ob impeditam transpirationem, sive externus, ut aër ambiens, in quo vivimus. 2. Alimenta, aut suâ naturâ vitiosa, aut p. n. corrupta: prioris generis sunt, quæ facilè in succum pravum degenerant, ut brassica, fructus ὡραῖοι, vel horarii, anguillæ, &c. item cibi acres, ut cæpe, allium, porrum, aut immodicè frigidi, ut fructus cucumeris, citrulli. Posterioris sunt ea alimenta, quæ licet suâ naturâ non vitiosa, tamen corrupta in pessimos, & maximè putridos humores transeunt, ut fruges, lac, &c. 3. Ingluvies, crapula, intempestivus ciborum usus, & generaliter omnia ex sex rebus non naturalibus dictis præter naturam sese habentia, ad vitiosos in corpore humores gignendos faciunt.

*Febris putridæ differentiæ essentiales desumuntur*

17. Porrò *essentiales febrium putridarum differentiæ* desumuntur *vel ab humoribus peccantibus:* & accenditur quidem febris sanguinea, si sanguis sincerus putrescens ichorosam partem acquirat, modò nondum pars ipsius tenuior in bilem usta fuerit: biliosa, si sanguis putrescens in bilem flavam abeat, aut flava bilis putrescat: Melancholica, si atra bilis; & pituitosa, si phlegma. *Vel secundò, à modo & qualitate putredinis.* Sic alia febris est simplex, simplici efficaciâ aut virtute prædita: alia maligna, venenata, aut contagiosa, ex qua febres propriè malignæ, pestilentes, contagiosæ oriuntur. *Vel tertiò à loco & foco putredinis:* Hinc rursus alia febris est continua, si succi intra vasa majora, qualia inter alas & inguina, nempè venam cavam, arteriam magnam, earumque propagines putrescant. Alia intermittens, si in minoribus venulis, & remotioribus locis, fomes febrilis consideat. Alia symptomatica, si intra substantiam aut porositatem visceris alicujus humor putrescens concludatur, ita ut ad cor putridum vaporem transmittat, sicut in Peripneumonia, Pleuritide, Hepapatitide, &c.

*Continuæ differentia.*

18. *Continua* communiter accepta vicissim dividitur in synochum, seu continentem putridam vocatam, & continuam simpliciter sic dictam, quæ Græcis propriissimè συνεχὴς: *Illa* fit ex sanguinis aut humorum putredine, vel in vasis omnibus, vel in maximis cordi vicinis; & continenter perenni quodam allapsu, sine omni certo excandescentiæ & remissionis circuitu & typo, affligit; donec humor aut absumatur, aut concoquatur, aut utrumque patiatur. *Hæc* verò si humor putrescat in vasis à corde remotioribus, ex quibus putrida fuligo non continentr eodem tempore in cor evaporat, sed aliquantulum suam vehementiam remittit, non tamen intermittit, nec prius ad ἀπυρεξίαν & manifestam integritatem terminatur, quàm ex toto fuerit soluta.

*Intermittentium differentia.*

19. *Intermittentium* quoque sunt plures *differentiæ*: Aliæ sunt tertianæ, quæ tertio quolibet die interpolantur: aliæ quotidianæ, quæ singulis: aliæ quartanæ, quæ quarto quoque: Quibus annumerantur quintanæ, sextanæ, &c. quæ secundum nonnullos sub quartana notha comprehenduntur. Simplices vocantur, quia simplicem naturam, aut uniformem constitutionem temporum morbi servant, quarum una typo caret, reliquæ typum habent.

*Febres putrida composita undè.*

20. Ex his exurgunt *febres putridæ compositæ*, quæ compositum typum habent, dissimiles intensiones & remissiones. Componuntur autem febres putridæ vel cum Hecticâ, vel inter se invicem: quòd vel ejusdem naturæ humores diversis temporibus in dissitis locis coacerventur, qui propterea horis differentibus naturam ad exclusionem irritent: vel quòd interdum non ejusdem naturæ succi in eisdem, vel non eisdem regionibus, statis vel incertis temporibus congerantur: qui eodem coacervationis loco putrescant, vel aliò effundantur ut putrescant. *Heurn. cit. l.*

*Typus quid. Periodus quid.*

21. Ascribuntur autem potissimùm febribus intermittentibus *periodi* & *paroxysmi*, qui typos habent. Est autem *typus* ordo & forma periodi. *Periodus* verò excandescentiæ aut remissionis. *Excandescentiæ tempus* in febribus nihil est aliud, quam paroxysmus sive accessi. *Accessio* verò est nova febris invasio, ex calore in materiâ recenti putrescente accenso, qui tantisper perseverat, dum ea ab eodem calore attenuata vel insensibiliter digeratur, vel evidenter sudore, diarrhæa, vomitione, urinis &c. evacuetur. *Huch. l. 3. de febr. c. 18.*

*Accessio quid.*

*Periodorum causa.*

22. *Periodorum verissimam causam* assignavit *Gal. 2. de diff. ult. & penult.* qui geminas ponit causas, nim. sanguinis nutritii varietatem, & partis nutriendæ naturam & temperiem. Humor qui congeritur, vel alius, qui interdum ad partem effunditur, aptitudinem habet ad hanc rem; patet id exindè, quod cùm flava bilis in atram uritur, fit ex tertiana, quartana: Et modis diversis humor à συμμετρίᾳ, substantiæ modo & temperie flecti, ejusque copia vel diminui vel augeri, motusque ejus variari potest. Pars ipsa seu focus febrilis modò hoc, modò illo modo dispositus est, ut indè polydædalæ periodorum ideæ & tractus fiant. *Vide Heurn. de febr. c. 11.*

*Signa diagnostica sumuntur partim ab effectis.*

23. Signa febrium putridarum alia sunt Diagnostica, alia prognostica. Sumuntur *diagnostica*, partim à febris ipsius effectis, partim à causis.

*1. A qualitate caloris.*

24. *Ab effectis.* 1. *A qualitate caloris*, nam in putridis febribus nihil suavè & moderatum est, ob acrium & fuliginosorum humorum copiam, mordaxque calor tangentem ferit, non aliter ac fumus oculos aut nares, præcipuè in augmento & vigore. 2. *A pulsuum motu:*

*2. A pulsuum motu.* *motu*: In incremento enim accessionum pulsus est parvus, velox, & inæqualis; quia tunc temporis calor non est magnus, nondum enim computruit materia, & tunc pulsus retractio & quasi coarctatio adest, submersio & profunditas, deinde systole velocior est, quàm diastole: At cùm ad vigorem ventum est, pulsus sunt magni, celeres, crebri, inæquales, nec systole multùm distat à diastole, quod æqualis tàm expulsionis fuliginum, quàm refrigerationis necessitas in statu urgeat. *3. Ab urinis,* 3. *Ab urinis*: Urinæ enim in febribus putridis initio aut crudæ sunt, aut certè obscuras coctionis notas exhibent, multumque colore, consistentia & contentis ipsæmet inter se variant, pro febris specie, aut temporibus accessionum, quæ omnia in Eph. & hecticis non usuveniunt. *4. A accidentibus febrem consequentibus,* 4. *Ab accidentibus febrem consequentibus*: Nam febres putridæ exceptâ solâ febri synocho solent ἐπιπαροξύνεσθαι, aliquos insultus sustinere. In paroxysmo quolibet antecedit quædam inæqualitas pulsus & caloris, quo facto, calor augetur, in statu viget, post declinationem minuitur aut cessat. Specialiter autem in continuis augmentum & status difficilis est, non sine gravibus symptomatis: In interpolatis fit initium accessionis semper cum rigore, horrore, frigore aut anomalia. *5. Ex symptomatibus supervenientibus.* 5. *Ex symptomatibus supervenientibus*, quæ non contingunt in diaria, aut hectica, ut rigore, horrore, cacochymiâ, nauseâ, vomitu, singultu, morsu oris ventriculi, hypochond. tensione, anxiâ respiratione, dolore capitis, delirio, vertigine, urinæ vel alvi copiosâ vel suppressâ excretione, causis externis in impurum corpus incurrentibus, ut Sileno evenit apud *Hipp. 1. Epid. 3.*

*Partim à causis.* 25. *A causis*: Febris enim putrida, non à causa procatarcticâ & evidenti immediatè, aut citra corporis dispositionem, originem suam habet, sed semper causam continentem, actuque foventem scil. humorum putredinem requirit.

*Signa prognostica,* 26. *Signa prognostica* in genere aliundè meliùs non peti possunt, quàm ab ipso Hippocrate. Alia itaque sunt, quæ diuturnitatem febris significant. Alia, quæ salutem: Alia, quæ perniciem.

Quæ diuturnitatem præsagiunt pete ex *lib. 2. aphor. 28. l. 4. aph. 37. 56. l. 7. aphor. 31.* Quæ salutem *ex l. 4. aph. 36. 44. l. 6. aphor. 46.* Quæ perniciem *ex l. 1. aph. 14. l. 2. aphor. 26. lib. 4. aphor. 30. 75. 52. 53. 62. 65.* quorum locorum accommodationem vide apud *Heurnium de febr. c. 13.*

## QUÆSTIO I.

### *An ex humorum putredine febres oriantur?*

*Negatur quæstio 1.* APud veteres olim, referente *Alexandr. Trall. l. 12. cap. 2.* quidam inventi sunt, & inter recentiores *Henn. Scheunemannus paracelsiæ scriptor de morbo sulph. cagastrico cap. 2. sect. 4.* qui in universùm humores in humano corpore contentos οὐ σήπεσθαι, ἀλλ' ἐκκαίεσθαι, non putrescere, sed aduri pronunciârunt, nec ullam in venis pullulare putredinem, sed solâ ex phlogosi oriri febres, non aliter ac si charta vel pix accenduntur, nec tamen putrescunt, crediderunt. Argumento ajunt est nullus lumbricorum proventus: Si enim hoc esset, cur non vermes in venis, aliæque species, quemadmodum in ventre, generantur? quarum nulla per urinas excerni visa est.

2. Addunt 2. alii, in quorum censu est *Joubertus decad. 2. parad. 2. & Simon Simonius in synopsi febr. humoral. cap. 1.* à veritate esse maximè alienum humores in vasis putrescere, amplo scilicet spacio, eoque naturali inclusos. Si enim ex venis profluant, necessariò corrumpi: Si autem intra limites maneant, incorruptos servari, non quidem ex loci suavi caliditate, ut *Aristoteles* affirmat, cùm etiam reliquum totum corpus tali perfusum sit, sed ex ingenitâ quâdam vi & familiaritate.

3. Si tota massa sanguinea in vasis non concrescit, nec putret, multò certè minus seorsim humor quisque ex illâ id unquam patietur: nam quod concretionem attinet, omnium humorum (excepto sanguine specialiter dicto) proprium est, autore *Gal. l. de atrâ bile* non gelascere, etsi è venis sinceri effluant: quantò minus in vasis eos putrere rationi consonum est.

4. Nec minus idipsum in febribus salubribus evincit fætoris absentia, non enim quicquid corrumpitur, σήπεσθαι, id est putrere dicitur, sed quibus id cum fœtore accidit: nam fœtor, ut ex *Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 12.* liquet, putredinem q. individuus comes sequi solet.

*Affirmativa defenditur.* Ab antiquorum tamen, ut *Græcorum, Gal. & Avic.* sententiâ, qui febres ab humorum putredine fieri statuunt, non recedendum esse putamus. Non enim ab humorum naturâ alienum est putrescere posse, cùm omni misto conveniat, quemadmodum generari, ita quoque per putredinem corrumpi posse.

*Causa putrefacientes,* Præterea causæ ad hoc sufficientes sæpius superque præstò sunt: & I. quidem putrefacientes qualis inprimis putridæ rei occursus, qui sese corpus nostrum insinuans putredinem efficit, vel 1. per aëris putridi inspirationem: vel 2. cibi assumpti corruptionem: vel 3. vaporum putridorum ab abscessu alicujus partis profectorum cum sanguine mixtionem: vel 4. calidi effluvii prohibitam transpirationem; ortam nunc propter vasorum obstructiones factas ab humoribus viscriditate, crassitie, copiâ peccantibus: nunc meatuum obturationem à refrigerantibus vel astringentibus &c. *Calorem destruentes.* II. Calorem nativum destruentes: ut sunt 1. tàm esculentorum quàm potulentorum non solius qualitatis aut quantitatis, sed & ordinis & temporis respectu, intempestivus & illegitimus usus: 2. Vehementes, immodici, sibique interdum ἀντιστρέφοντες corporis animique motus. 3. Febris ephemera, aut Synochus non putrida, quas sæpius in putridas degenerare compertum est. 4. Medicamentorum σηπτικῶν vel acrium, vel calidorum humidorum *teste Galeno 5. simpl. 14.* frequentior assumptio. Adde, quod in febribus ea, quæ vel artis beneficio, vel naturæ operâ sunt rejecta, putredinis tàm in substantiâ, quàm in aliis qualitatibus multa, eaque luculenta satis indicia subministrent; sæpè enim sanguis per venæsectionem eductus adeò computruisse cernitur, ut fibris absum-

sumptis & corruptis vix cohæreat. *Fernel. de febr. c. 5. Augen. lib. 4. de febr. cap. 14.*

*Natura conatus, opera & curandi methodus hoc demonstrat.* Denique hoc ipsum etiam naturæ conatus & opera, curandique methodus demonstrat. Quid enim opus esset tot tantisque evacuationibus? quæ partim medicamentorum, partim naturæ ipsius rectè agentis & coquentis virtute modis variis utiliter perficiuntur, si citra putredinem febres accenderentur? omnes profectò solis alterantibus curari possent. Nihil jam dicam de fœtore illo, qui vel ab urinæ, sudoris, vel alvi excretis interdum erumpens adeò detestabilis esse solet, ut citra læsionem vix atque ne vix quidem tolerari queat.

*Notandum.* Sed observandus est hac in quæstione diligenter ille *Galen. locus lib. 2. aph. comment. 17.* quod in massa sanguinis putrescente idem quodammodo, quod in vinis acescentibus usu veniat. Ut enim hæc, si ad acetum vergant, nondumque verò plenè planèque acida facta fuerint, non rarò ad pristinum vigorem revocari possunt: Ita quoque sanguis putrescens, nondum verò exactè putrefactus, evacuato illo putrido, quod p. n. est, priori integritatis genio restitui potest. Semper enim, dum vita manet, sanguinis nutritii nunc major nunc minor laudabilis portio superstes est: vel 1. alio in loco putridis ab ichoribus segregata: vel 2. iisdem intermista, quæ etsi forsan & ipsa incendium passa sit, nondum tamen computruit.

*Resp. ad argumenta negantia.* Respondemus ergò breviter ad primam illorum instantiam ex *Heurnio cap. 9. de febr.* licet vermes aliæque species ex putredine quidem generentur, generari tamen illas, non ex levi aliqua, sed alta & gravi, certoque ejus ambitu opus esse, qui nobis compertus non sit.

ad 1.

ad 2. Ad 2. patet responsio ex *Dn. Sennerto libr. 2. cap. 1. de febr.* Si locus ille naturalis, ut & sanguis in eo contentus, proprietates ad sui conservationem necessarias feliciter obtineat, pro rato habemus, eum non putrescere; sed si eæ proprietates desint, & aliæ causæ, nimirum humorum copia non debita, vel qualitas, vel aliud quippiam præsto sit, (non enim semper vasorum vis ad coercendam putredinem sufficit) nihil obstat, quo minus sanguis ipse putredinis fomitem concipiat.

ad 3. In tertio argumento præsupponit *Joubertus*, quod nondum concessum est, sanguinem scilicet in venis non putrescere. Et quamvis hic ipse in venis concrescere nequeat, indè tamen non sequitur, eum quoque non putrescere posse: siquidem putredo est affectio, quæ omnibus mistis, aut vel maximè humidis; congelatio verò non omnibus, sed iis tantùm, quæ substantiâ crassa cum parte terrestri prædita sunt, competit: Ac sanguis propter fibras concrescit, quibus cùm reliqui humores careant, fit, ut minus concrescere possint. Adjicit *Mercatus libr. 6. de febr.* quòd sinceri quidem humores difficilem reddant suppurationem, interim tamen non impossibilem, quia rarò separatur & absolvitur quivis humorum, dum extra venas pellitur, ab alterius humoris consortio, aut alia aliqua humiditate, quæ putredinem suscipere apta nata sit.

*ad 4.* Ad 4. respondetur, non semper de essentia cujusvis putredinis esse, fœtorem comitem habere, sed prout magis minusve naturæ vigor calidus gliscit, eò majorem minoremve emitti. Non concesso tamen, quod in omnibus febribus putridis absit, sed proculdubio sæpè in venis humores fætidi sunt, id quod ex urinis & sudoribus venamur. *Dn. Senn. cit. loc.*

## QUÆSTIO II.

*An febrium putridarum natura in malignitate consistat, aut ab eâdem per se dependeat?*

*Affirmativa probabilis.* Affirmativa placet *Altimaro libr. de febr. Jouberto decade 2. parad. 2. Simonio in Synopsi febr. humor cap. 1. & Sal. Salviano variar. lect. med. libr. 1. cap. 1.* qui licet febres putridas in universum non exterminarint; omnes tamen quotquot occurrent, pestiferas esse prodiderunt.

Quia 1. *Galenus ipse lib. 1. de differentiis febrium cap. 4. lib. 3. epid. comment. 3. text. 12. 23. & 6. epidem. 1. 28.* non alias febres, quàm pestiferas propriè putridas appellavit, easque ex humoribus ad putrescendum paratis surgere statuit.

Quia 2. deterius nihil, nihilque magis animantium vitæ insidiosum est, quàm putredo, utpotè, quæ in cordis sinubus tanquam foco, aut in ipsis ejusdem humiditatibus stabuletur.

Quia 3. putrefacti aëris inspiratione talis putredo accenditur, quâ terrifica symptomata, æstus nempè, sudor frigidus, leipothymia, syncope, inquietudo, mors ipsa quoque, pro modo & motu venenorum, sæpius inducantur.

Quia 4. annonæ & alimentorum, præsertim brassicarum & carduorum per putredinem corruptorum vitiis, putridi in corpore humores, & per hos cacochymia prava & deleteria nonnunquam generatur.

Quia 5. verus pestilentiæ character in putredine subsistit, quam *Fracastor.* profundam & sordidam: *Antonius Portus* largam, squallidam & conclusam; *Horat. Augen.* maximam & excellentem; *Thom. Minadous* omnis coctionis expertem; *Alexan.* tandem *Massaria* talem, cujus terminus & gradus forsan satis explicari non possit, appellat.

*Negativa defenditur.* Verior est negantium sententia, in qua confirmanda omnes quoque rectè sentientes sunt ὁμόψηφοι. Si enim primo rerum pestilentium & contagiosarum agendi vehementia & κακοήθεια consideretur, facilè tam sine putredine malignitatem ejusmodi generari, quàm sine eadem actionem suam absolvere posse manifestum evadet. Idque 1. Ostendet aëris cum caliditate vel frigiditate constitutio siccissima, quæ pestilentes multos affectus sine febre & putredine profert, quales erysipelatosi illi apud Hippocrat. Ostendet 2. subitus ob aëris inspirationem, aut aliud aliquod contagii commercium, insultus, tam subitò enim vim suam in corpora inprimit, ut si quis tactu

peste sudantem paulisper saltem contigerit, mox inficiatur. 3. Maxima in exigua corporis mole agendi excellentia: quemadmodum teste *Galeno libr. de sem. cap.* 16. minima portiuncula lethalium venenorum ubi animalis corpus ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, similique sibi affectione alterat. 4. Pernix in alium contagionis transfusio: etenim pestis, ut *Galenus de theriaca ad Pison. c.*16. docet, ceu fera quædam venenata non paucos aliquos miserè perdit, sed totas urbes depopulatur. 5. præceps internecio: tàm brevi enim tempore hominem illa jugulat, ut *Anton.* Portus *libr.* 3. *de peste cap.* 8. narret Anno 260. Romæ uno tantùm die 5000. hominum peste interiisse. 6. Cæca corporis constitutio, veluti salubria quoque corpora, quæ à plethoræ, cacochymiæ & obstructionum vitiis alias immunia videbantur, veneno suo pervadit, eademque corrumpit.

Si verò deinde putredinis actio, mos & essentia perpendatur, illam per se consideratam nequaquam ad pestem constituendam sufficere apparebit. Quòd 1. putredo sit accidentaria, qualitatum & temperiei tantùm alteratio, & via ad corruptionem, cujus comes individuus calor sit exuperans, fætorque & sæpissimè febris. Quod 2. sensim, seriusque humores putrefaciat, repugnantibus diutius passivarum divortio activis qualitatibus. Quod 3. humores non confestim ab efficacissimis etiam causis, citra tamen venenum intellectis, possint putrescere, salubres potissimùm naturæque muniti præsidio, sicuti neque ligna duriora crassioraque ex flagranti etiam igne illicò comburuntur. Quod 4. putredinis antecedens unica ferè causa sit obstructio, quæ contagium respectu suæ qualitatis manifestæ efficere non possit: obstructionem enim de subjecto in subjectum migrare absurdum est.

*Conclusio quæstionis.* Quibus ergò positis concludimus, putredinem, quemadmodum à malignitate operationes essentialiter differentes, ita quoque formam essentialiter diversam habere, neque semper ex humorum putredine febres pestilentes repullulare, neque vicissim omnis pestilentiæ naturam in putredine per se consistere.

*Respondetur ad argumenta contraria.* Respondemus igitur ad 1. quòd Galenus, putridas ubi ait pestiferas, de fœdâ, & cum aliquâ venenatâ qualitate permistâ putredine loquatur; non tamen negat putridas ex minore putredine surgere: Quemadmodum enim datur debilis coctio, ita datur debilis corruptio, *Galen. lib.* 1. *de diff. f.* 7.

ad 1.

ad 2. Ad 2. quod in putredine, quocunque etiam modo circumscripta nihil, nisi quod manifestarum qualitatum actioni respondeat, prodeat, nullique alii morbi ex eâdem inducantur, nisi qui in qualitatum primarum excessu resideant, ac inprimis calore excedente, dum nativum in igneum abducit, putredo lædat.

ad 3. In tertio negamus quòd aër putridus, quâ talis, vitali principio insidietur, sed quatenus ipsi contagiosum aliquod μίασμα commixtum sit. In omni enim tali malignitate, auctore *Raimundo Minderero l. de pestil.* veneni seminium est, id quod ex effectibus, sævitia, celeritate, invadendi modo, ac lethalium symptomatum multitudine, imò ipsius κρίσεως difficultate & infidelitate colligi potest.

ad 4. Ad 4. responsio sumitur ex *Huchero l.* 4. *de febr. c.* 3. quod in sporadicis & pestilentibus febribus, cacochymiam ex annonæ vitio consequentibus, corruptionis humorum signa, pluribus ante putredinem aut febres diebus, in sanguine per phlebotomiam educto manifestissimè eluceant.

ad 5. Ad 5. denique respondemus, plurimas esse res & febres putridissimas, quæ ingenti putredine squalleant, & in quibus humores ita corrupti sint ut neque alterari, teste *Gal.* 2. *aph.* 17. & 11. *M. M. cap.* 8. neque concoqui, neque ullo modo evinci, ne dum ad pristinam sanitatem reduci queant, nec tamen aliquid pestilitatis obtinere. Exemplo sunt phthisici, in quibus certè non levis putredo est, quâ pulmones interdum ultra dimidium absumuntur, ubi procul dubio vapores putridi ad Cor transmittuntur: multos tamen annos vivunt, neque peste extinguuntur, sed paulatim, sensimque irrepente morte intereunt. Imò observatum est, non solùm pericardium computruisse, sed vel in ipsâ cordis substantia ulcera & apostemata inventa fuisse, cujus rei fidem facit *Schenckius l.* 2. *obs.* 202. & *seqq.* quæ tamen nihil pestilens corpori impresserunt, sed potius diuturnorum morborum causa fuerunt.

## QUÆSTIO III.

### *An sola transpiratio & eventilatio humorum & fuliginum propter obstructionem impedita semper sit causa putredinis?*

*Affirmativa tenetur.* Affirmantium sententiæ subscribunt ii, qui in omni febre putrida obstructionibus aperiendis convenientia præscribunt medicamenta, persuasi tàm *Galeni* autoritate, quàm rationibus. 1. Quia 11. *M. M. cap.* 4. illa tantùm corpora putrescere dicit, quæ cum calidæ humidæque naturæ sint, in calido humido loco inclusa, neque perflantur neque refrigerantur: sanitatem verò, quanquam in corpore cacochymo dubiam ac momentaneam, *l.* 1. *de diff. cap.* 3. animali promittit, si nulla obstructio aliquod ex visceribus obsideat, corpusque liberè per cutim diffletur ac ventiletur.

1.

2. 2. Quia *l.* 11. *M. M. cap.* 10. dum febrem à putredine, putredinem ab impedita transpiratione, hanc ab obstructione, obstructionem à multitudine, crassitie & lentore humorum deducit, ab obstructione tanquam causarum prima, Curandi initium facere præcipit.

3. 3. Quia minera putredinis ustilaginibus calidis per insensiles meatus non-obstructos evaporantibus, & quantum opus, discussis, febrem non excitare potest.

4. 4. Quia calor fortior & intensior, qui in mixto putrescente caloris nativi τόνον pervertit atque imminuit, non generatur nisi per prohibitam transpirationem.

5. Quia

5. Quia ægri in febrium principiis ſudare non poſſunt, ſed quàmprimùm per ſudorem exeuntem eorum pori relaxantur, paroxyſmus deſinit, & ſanationis ſpes affulget, quemadmodum contra recidivæ penè omnes ex ſolâ ferè tranſpiratione prohibita recrudeſcunt.

6. Quia aliquandiu putridi humores in corpore deliteſcunt, antequàm æger febrem incurrat, apparentibus in urinis tùm antè, tùm poſt febres, imò in ipſius ἀπυρεξίας tempore, putredinis evidentibus notis & veſtigiis.

*Negativa defenditur.* Alii negativam tuentur, & putredinem quoque citra obſtructionem fieri poſſe non ſine ratione contendunt. *Galenus n. l. de cauſ. morb. cap.* 8. tres diverſas putredinis cauſas recenſet, obſtructionem, medicamenta σηπτικὰ, genitasque in corpore ſuperfluitates. Deinde rurſus *lib. de inæq. temp.* 2. apertiſſimis verbis confirmat, non ſolùm ea, quæ inculcata ſunt & perſpiratu prohibita, ſed & alia, quæ ſint putredini opportuna, putreſcere. Præterea in ventriculo, in inteſtinis teſte *Augenio lib.* 4. *de febr. cap.* 7. quæ regiones humani corporis patentes exiſtunt, humores quandoque putrefiunt, ex quibus interdum vermes naſcuntur, nulla obſtructione præcedente. His addere licet plenitudinem, quoad vires, quæ integra manere non poteſt, ſed putredini obnoxia fit, ut *Galenus lib.* 9. *M. M.* 3. & 5. & 2. *aph.* 17. ait, non propter obſtructionem, non multitudinem, quoad vaſa obſtruentem, non viſciditatem humorum, nec eorundem craſſitiem; ſed quod illa ab imbecillis viribus, ut *l. de rat. cur. p. ſang. miſſ. cap.* 5. & 2. *aph.* 1. habet, neque evinci neque concoqui poſſit. Cùm enim tantam humorum copiam naturalis calor ferre non poſſit, facilis eſt adventus putredinis.

*Confirmatur.* Confirmatur tandem propoſitum negotium experientia, qua conſtat, aquam, ut alia extra corpus humanum plurima, ſine prohibita tranſpiratione putreſcere. Cur ergò non idem etiam in corporibus humanis accidere poſſit?

*Quæſtionis reſolutio.* Pro fundamento reſolutionis ex *Dn. Sennerto lib.* 2. *de febr. cap.* 1. notandum, quod ſit diſtinguendum inter cauſas putredinis, & inter cauſam febrium putridarum proximam. Alia enim eſt ratio in his, utpote quarum cauſa proxima & immediata eſt ἀδιαπνευστία, ſine qua licet fuligines ex putredinis foco ſatis exaltentur: febris tamen non accenditur, ea propter, quod ſufficienter per poros rurſus diſcutiantur, ut videre licet in fimo & animalium ſtercoribus, quæ ſi ab aëre, in quo jaceant, liberè perflentur, ſine calore notabili putreſcunt: Sin verò propter materiæ copiam ab eodem non ventilentur, non ſolum uſtilaginibus intus retentis & concluſis vehementer excandeſcunt, ſed & interdum, ut apud *Galenum de morb. cauſ. cap.* 2. columbarum ſtercora in flammam abeunt. Alia eſt deinde ratio in cauſis putredinis ubi negari non poteſt, quod interdum citra obſtructionem putredo fieri poſſit, ſicut argumenta pro altera parte adducta concludunt: jamdudumque exagitavit, *Aug. Ferr. in caſt. pract. med. cap.* 14. illos Medicos, qui in febribus continuis nil niſi venarum & viſcerum obſtructiones ab impedita tranſpiratione ortas crepant: imò ſi quando urinas turbatas, craſſiſſimas & impuriſſimas, & per longum quidem tempus, excerni videant, obſtructionem aperiri, & materiam peccantem evacuari proclamant.

## QUÆSTIO VI.

### *An febris ex putredine ſanguinis genita ſpecie conveniat cum bilioſa?*

Sanguinem putreſcere, & ex eodem febrem accendi poſſe, non ſolùm ſuadet autoritas Galeni, qui eam multoties expreſſit, in proprias differentias ſecuit, ejusque curationem inſtituit, ut 8. *M. M. cap.* 3. 2. *de diff. febr. cap.* 2. & 11. *ac* 3. *de criſ. cap.* 4. Sed etiam Hippocr. qui harum febrium recordatus, quasdam valdè rubentes eſſe 6. *popul.* ſtatuit. Quæritur autem hîc, *num febris ex putreſcente ſanguine genita rectè poſſit appellari ſanguinea? an verò ſpecie cum bilioſa conveniat?*

*Prius affirmatur.* Prius cum plerisque claſſicorum affirmamus, ea propter, quod nihil obſtet, quin ſanguis ſub propria forma, antequam in humorem alium faceſſat, putreſcere poſſit, *Gal. c.* 5. *de Cur. per venæſect.* neque opus ſit, ut prius bilis naturam induat, quàm putreſcat: quia juxta *Valleſ. l.* 5. *contr. cap.* 19. quemadmodum omnium rerum ex elementis coagmentatarum, ita quoque ſanguinis communis interitus eſt putredo; id quod monſtrant bubones, aliæque inflammationes, in quibus ſanguis niſi anticipet digeſtionem omninò putreſcit, atque ita fiunt ex inflammationibus carbunculi, aliive ſimiles tumores; aut mitiori putredinis ſpecie in pus abit, non prius in bilem mutatus. Si autem hoc ſanguini ſub propria forma accidit, jure febris inde nata dicenda erit ſanguinea non bilioſa, denominatione nim. inſtituta ab eo, quod jam actu eſt, non ab eo, quod non eſt. Adde quod repugnantia importare videatur, ſanguineam cum illa convenire, à quâ aliàs juxta *Vid. lib.* 5. *de febr. cap.* 1. longis intervallis diſſidet:

*Confirmatur* 1. Et confirmatur, 1. à caloris qualitate, quæ in ſanguinea, teſte *Galeno l.* 2. *de diff. febr. c.* 9. vaporoſa, minusque moleſta, in bilioſa mordax & acris exiſtit.

2. Cauſis, illa mediocrem, hac intenſiorem calorem requirente.

3. Symptomatibus in bilioſa multò vehementioribus, quàm ſanguinea, deliriis, linguæ nigredine & aſperitate, membrorum jactatione, ſyncope, ſitique immenſa fereque indelebili.

4. Confirmatur 4. Curationis modo ubi in ſanguinea venæſectio ad deliquium usque inſtituta, *l.* 9. *M. M. c.* 4. præſentiſſimum eſt remedium, in bilioſa maximo ſæpè damno eſt, quod 1. cum humore noxio ſanguis genuinus ſimul detrahatur. 2. natura pabuli jampridem indiga magis depauperetur. 3. bilis, dempto freno, liberius ferociat. 4. virtus, morbi violentia obruta, largiore ſanguinis miſſione magis ſaltem labefactetur, ſi non planè exhauriatur.

*Instantia 1. resolvitur.* Nec obstat 1. quod *Gal.l.2.de feb.diff.c.2.11.* sanguineam febrem omiserit, recensendo tantum biliosas, pituitosas & melancholicas. Ibidem enim non febrium putridarum, sed periodorum numerum respicit, cumque res tantùm earum sint differentiæ, sanguinea non propriam periodum habente, *c.9. l. 2. de cris.* tres quoque tantùm putridarum proponit species. *Capivacc. c. 19. de febr.*

*Instantia 2. solvitur.* Nil obstat 2. quod sanguineam febrim passim dicat biliosam: finem namque & terminum hujus considerat, ad quem jam jam tendit, quemadmodum unumquodque à proprio termino denominari solet secundum *Arist.l.2.de anima c.49.l.2. phys.c.14.*

*Instantia 3. solvitur.* Nil 3. quod *l.2.de cris. c. 12.* in sanguine putrescente tenuiorem ac pinguiorem portionem in flavam, crassiorem & fæculentiorem in atram bilem transire scribat: quia ibidem non de vera & propriè dicta sanguinis putredine loquitur, ut *l.9.M M.c.4.* sed de impropria: illa enim totalem designat corruptionem; hæc simplicem tantum humorum effervescentiam à calore p. n. excitatam: illa ex sanguine nil, nisi quod puri quadantenus analogum est, si modò natura superior sit, produci solet; hac verò bilis tàm atra, quàm flava, seu potius ichores biliosi & melancholici, inprimis si sanguis vehementius assetur. *l.2.de diff. febr. c.9.* quemadmodum in naturis calidioribus mel, & reliqua dulcia, bilis amaræ genium & naturam induere per experientiam manifestum est, *l.2.de nat.fac.c.8.* Quo sensu quoque admitti potest *Argenterii* placitum, dum *l. de febr. c.9.* inquit: sanguine putrescente ab initio febrem fieri synocham per dies aliquot talem perdurantem; tandem verò id, quod in ipso tenuius est, manente calore converti in bilem, quæ postea non minus putrescens febres tertianarum invasiones & typos referentes excitet.

QUÆSTIO V.

*An pituita putrescens febres pariat quotidianas intermittentes?*

*Negat Platerus.* NEgativam sequitur, *Plater. l. de dolor. cap. 2.* quod pituitæ difficulter putredinis conditiones accidant, cùm sit humor frigidus, qui ex putredine tantum calorem assequi non possit, ut putridas fuligines tàm acres, easque calidas ad cor emittat, quales in febribus gignendis alias requiruntur: deindè quoque si fiat, ut in visceribus conclusa diutius teneatur, mucositatem tamen potius, quàm putredinem calore partis alicujus accedente sortiatur; undè quotidianas *cit. c.* è febrium intermittentium classe prorsus excludit.

*Affirmativa defenditur.* Quanquam verò apud Medicos in confesso sit, pituitam per se consideratam non facilè, ob sui ad putrescendum inhabilitatem, eum sibi calorem asciscere, à quo plenum febris incendium expectari possit: nihilominus tamen manifestum est, hanc ipsam, si semel accensa fuerit, & subjectum ardori concipiendo aptum, (quod prius aquosarum partium illuvie, simplice nim. ardore non sufficiente, quasi sepultum erat,) altius emerserit, calorem putridum ad cor elevare, febrem consequenter excitare, suasque accessiones diutissimè protrahere: Exemplo sit fimus, qui dum putrescit, non solùm ipse incalescit, sed simul ea, quæ ipsi miscentur, secum in putredinem abducit: hinc Chymicis fimus rebus putrefaciendis satis idoneus æstimatur.

*Respondetur ad argumenta contraria.* Præterea concesso, quòd pituita non facilè putrescat; ab hac tamen ad pituitosos morbos nulla est consequentia: quia aliud est, ut rectè monuimus *tom. 1. disp.5.Coron.2.q.21.p.250.* pituitosum, aliud pituitam, ab alterius commercio liberam esse. Undè, quia vix reperitur aliquod corpus, quod diversorum humorum misturæ penitus expers sit, (modò enim pituitæ bilis aliquid, modò bili pituitæ nonnihil admistum est,) fit, ut febris putrida semper ex humoris prædominantis natura suam denominationem sortiatur, quemadmodum rectè *post Fernel. Horat. Aug. l.4. de feb. cap.8. innuit.*

Nec obstat, quod pituita diutius in visceribus conclusa mucositatem induat, cum hoc ipso putredinis aptitudo non excludatur, inprimis cum talis mucositas vix demonstrari possit in visceribus, qualis oritur tunc temporis, ubi in meatibus excretionis, partibus tenuioribus absumptis, pituita viscida & mucosa conspicitur.

QUÆSTIO VI.

*An febres ex omnibus humoribus, puta bile, pituita, melancholia accendantur?*

*Alii solam pituitam putrescere statuunt.* PHlegma tantum putrescens febrium causam esse, suadetur indè, quia ad subeundam putredinem, obturandosque meatus est peridoneum, cùm temperamento humido, viscidaque substantia præditum sit: deinde quia hoc ipsum pituitæ vocabulum scil. φλέγμα innuit, quod deducitur ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id est inflammare.

*Alii solam bilem.* Diversum sentiunt ii, quibus sola bilis p. n. sese habens febres parere potest, eò quòd febris cùm sit affectio calida sicca bilis ad eiusmodi morbos gignendos sit accommodatissima. Cui sententiæ favere videtur, *Hipp. l. de nat.hum.* ubi ait οἱ πλεῖστοι τῶν πυρετῶν γίνονται ἀπὸ τῆς χολῆς: & *Anaxagoras apud Aristot. 4. de part. animal.* bilem seu bilis receptaculum plerunque morborum acutorum causam esse prodidit.

*Alii bilem & pituitam non vero melancholiam.* Alii licet ab utroque humore illas fieri concedant, negant tamen melancholiam putredini obnoxiam esse, quod frigidæ siccæque sit naturæ, nihilque humidi aut calidi obtineat, quibus putredo constat.

Verùm enimverò nulla harum sententiarum veritati satisfacit: ecquis enim vel sola ex bile, vel pituita putrescente, febres duci tales existimet? aut melancholiam ex humorum putrescentium ordine rejiciat? cùm omnia, quæ per febres manant, excrementa, variæque aliorum symptomatum ideæ satis id redarguant: & quanquam melancholia, cum cæteris collata, squallere & algere videatur, actuali tamen humiditate, proprioque calore non est destituta. Similiter quoque phlegma, quod Lat. incendium denotat, non per se, sed per antiphrasin *autore Aureliano*, ita appellatur, quemadmodum fel Græcis dulce dicitur ut inquit *Plinius, & apud Gal.* optabilis, dulcis formosæ voces pro rebus contrariis accipiuntur. Qua-

*Affirmatur quæstio 1.* Quapropter meritò aſſentimur illis, qui ex omnibus humoribus febres oriri contendunt, quorum ſententiam tria potiſſimùm, contra quoſdam Gal. adverſarios, & Paracelſi ſectatores fundamenta ſtabiliunt. 1. Corporum natura & diſpoſitio ubi bilioſa corpora, juvenes καθεστηκότες, bilioſas: pituitoſi, pueri, ſenes, pituitoſas: melancholici natura vel declinantis ætatis homines, quartanas facilimè incurrunt.

2. 2. Cauſarum procatarcticarum diſcrepantia, ſic bilis generationem adjuvant tempus æſtivum, regio calida ſicca, ſollicitudo, vita, labor, dolor, vigilia, inedia, caliditas, ſiccitas, taliumque medicamentorum frequentior uſus, *Gal.2.de temp.* Pituitam contrariæ cauſæ producunt, utpotè tempus hybernum, regio frigida humida, vita otioſa, crapula, longiorque ſomnus, cibique pituitoſi. Melancholiam cumulant auctumnus, 2.*de nat. fac.* cibus, victuſque in totum frigidus ſiccus.

3. 3. Symptomatum diſſimilitudo, ita rigor in bilioſis aliter ſeſe habet, quàm in melancholicis, ibi pungentis, hîc refrigerantis ſenſum præ ſe ferens, vomitus, ſudores, urinæ, à vi excreta, quæ aliter in bilioſorum, aliter in aliorum corporibus affecta eſſe ſolent, calor quoque in omnibus idem non eſt, *Gal. 2. de diff. febr. cap. 1.*

## QUÆSTIO VII.

*An bilis etiam putreſcendo febrem inducat?*

*Negat Valleſius 1.* Videtur id negare *Valleſius l.5.contr.cap.19.*

1. Quia cùm ſint duo corruptionum motus ab extraneo calore proficiſcentes, Uſtio nim. & putredo, quædam indè ad hanc, quædam ad illam parατiora exiſtunt: nempè quæ calidiſſima ſunt natura, adjunctâ potiſſimùm ſiccitate, partiumque tenuitate aduſtionem, 3. *de temp.& de med.ſimpl.facult.* ſint paratiſſima; quæ verò humore abundant, nec multùm habent caloris, citius putreſcunt: at cùm ex priorum genere ſit bilis, uſta citra putredinem febrium humoralium cauſa eſſe poteſt.

2. 2. Quia *Gal.* ipſe talem febrem in bilioſo juvene 10. *M. M. c.5.* proponi, propter ſiccitatem & mordentem acrimoniam humoribus excalfactis, & ſole, inediâ, laboribuſque attenuatis, cibum humidum mirificum diatriton contemnens, exhibuit, qui aliàs in febribus ob copiam, phlegmonem, vel in genere ob humoris alicujus putredinem coortis maximo damno eſt.

3. 3. Quia ægris bilioſa febre laborantibus frequenter vomitus tenues, fluidi, minimè fætentes, contra putredinis naturam accidunt.

*Affirmativa defenditur.* Contra verò quòd bilis non ſolùm exardeſcendo febres pariat, confirmatur indè, quia quoque è mixtorum eſt familia, quorum naturæ planiſſimè repugnat, nunquam putredine tentari poſſe; deinde licet in cæterorum reſpectu calida ſicca videatur, actuali tamen humiditate non caret, cujus gratia putreſcere apta nata eſt, inprimis ſi nativus ejus calor valido ab æſtu aliò flectitur, quo labefactata, gubernacula ſua deponit & putreſcit: præterea rarò ſincera eſt, ſed de reliquis humoribus ſemper aliquid participat, qui ad putredinem facilius recipiendam probè faciunt.

*Dubium ſolvitur.* Nec obſtat, quod bilis interdum vomitu rejiciatur, quæ non fæteat, quia illa non ſemper cauſæ continentis, ſed antecedentis rationem habet.

Quod verò obſervationem illam Gal. de juvene bilioſo attinet, ex *D. Sennerto l.2.de febr.cap.* 1. reſpondetur, in morborum curatione non ſolùm morborum morbique cauſam reſpiciendam eſſe, ſed etiam vires, & ingruentia ſymptomata, ſæpeque aliquid eſſe neceſſariò agendum, quo inſtans virium lapſus, ſi non totalis occubitus, præcaveatur, aut aliud grave malum, ut febris ardens, hectica, ſyncope, convulſio avertatur.

*Quæſtionis declaratio.* Interim tamen pro majore quæſtionis intellectione non negamus, plurimas ex ſola bilis incenſione generari febres, quemadmodum rectè *poſt Gal.10.M.M.c.* 3. *& ſeqq.l.2.de cauſ.procatarct. c.Heurn.de febr.c.* 3. *Merc. de febr.6.Saxon. de febr.c.4.& alii* docent, quippe ut calidiſſima eſt & ſicciſſima, ita ad motum promptiſſima, deinde præſentibus cauſis facilius excandeſcit, quàm putreſcit, inprimis ſi unctuoſa q. ſit & pinguis *juxta Hipp. l. 4.de morb.t.32.* Quibus ſi varietas ſymptomatum ab ardore nimio provenientium, & ea, quæ bilis generationem promovent, adjungantur, certiùs bilis in corpore peccantis nuda citra putredinem excandeſcentia ſeſe prodet.

## QUÆSTIO VIII.

*An humor aliquis ſolus putreſcat illæſis cæteris atque omni ex parte ſalvis?*

*Affirmatur quæſtio 1.* Affirmatur quæſtio ſequentibus: 1. Quia humores non ſunt unius, ſed diverſæ naturæ, qui inter ſeſe non tàm arctè ſunt connexi, ſed aliquo modo diſſiti & ſegregati, ut in ſanguine detracto frigoreque concreto videre licet.

2. 2. Quia nulla febris aliàs eſſet ſimplex, ſed quælibet complicata.

3. 3. Quia in ſimplici febre ab uno tantùm, qui peccat humore, curativa indicatio deſumitur, quam ſententiam quoque tuetur *Steghius 2.Med.Pract.c.5.*

*Negativa defenditur. 1.* Sed contraria quæſtionis pars meritò defenditur propterea, quia 1. Purus atque ab alterius conſortis diſtinctus humor vix in corpore datur, ſed ſemper aliquid de tribus illis ſuccis, quos partes ſanguinis nuncupamus, participat, ut *poſt Gal.lib.de multitud. rectè Horat.Aug.l. 4.de febr.cap.10.* innuit.

2. Quia 2. putredo, facile illud quod tangit, aliquatenus contagio, ſimilique putredinis labe afficit. *Valleſ. l.5.controv.q.22.*

3. Quia 3. in ſanguine per venæſectionem educto undiquaque ferè veſtigia, notæque luculentæ in febribus putridis eluceſcunt.

4 Quia 4. pus abſceſſu tempore legitimo diſrupto promanans, & à natura ſuperante confectum, æquale eſſe ſolet.

*Reſpondetur ad argumenta contraria ad 1.* Hinc concludimus, quod argumenta pro altera quæſtionis parte adducta nullius ſint importantiæ; quippe 1.fal-

1. falsumest, sanguineam massam ut extra vasa, ita quoq; in vasis partibus distinctis separatisque constare: siquidem illa, quandiu in venis continetur, succis penitùs invicem confusis, conflatur, nullaque, vel minima sanguinis portio, quæ non ex partibus illis constet, existit *Plater. tr. de dolor. c. 2.*

ad 2. Nec 2. statim indè febrium complicatio sequitur, nam quemadmodum inflammationem à sanguine, erysipelas à sanguine bilioso, œdema à pituita, scirrhum à melancholia denominant Medici, & hos tumores simplices vocant: ita quoque febres putridæ ab eo potissimum, qui peccat nominis humore, suam impositionem sortiuntur; quamvis unaquæque putridarum de reliquis humoribus non parùm sæpè obtineat. *Rodelet. de feb. sub. tit. diff.* à motu caloris.

ad 3. Sumitur 3. curativa indicatio ab uno tantùm humore, propterea, quia in simplici febre omnes humores æquali putredine non sunt contaminati, quibus principali prius evacuato, materiæque putri dissipatæ, ad pristinam puritatem facilis datur regressus. *Plat. cit. l.*

## QUÆSTIO IX.

*An ichores intactis sui succi partibus putrescere possint? quidnam sint? quomodo fiant? & in quibus appareant affectibus?*

*Ichores intactis sui succi partibus putrescere possunt.*

UT rem statim ipsam determinemus, affirmamus ex *Heurnio de febre c. 10.* posse ichores intactis sui succi partibus putrescere, febrem fovere, imò prima pestis contagia accipere rationibus seqq. 1. quia plurimis febrium generibus per sudores solutio supervenit.

2. Quia non alio modo felicius pestis superatur.

3. Quia nihil in hac ipsius sanguinis detractione sæpius est calamitosius, propterea quod æquè non sit infectus & fædatus; qui si abducatur, aut pestifera vis in ipso stabuletur, fractis viribus & exhaustis spiritibus, interceptoque nutrimento, ægris internecina calamitas impendet.

*Ichores quid.*

Sed cum ichoris vox in ore Medicorum frequenter satis versetur, pauci tamen sint qui ichores rectè noverint, libet hîc penitius eorum naturam investigare, præeunte *Clariss. D. Casp. Hoffman. in l. de ichor.* Ichoris ergò vocabulum à Græco ἴσχειν vel ἴχειν, quod est attenuare, deductum, tàm latè patet apud Med. quàm humidum seu humiditas ipsa. Aliquando enim tribuitur humori cuidam naturali, qui in articulis reperitur: ossium enim articulatorum ut *apud Hipp. lib. de cord. t. 10.* nullum est, quod non benè sit humidum, habeatque cavitates, testatur id ichor, qui sauciis illis effluit copiosè & cum dolore. Aliquando animalib. exanguib. inde *Aëtius tetrabibl. 2. serm. 4. c. 10.* crudum illum & mucosum humorem, quem cochleæ terrestres evomunt, ichorem appellat. Aliquando dicitur de solo sanguine: ita *Hipp. l. de nat. pueri. t. 4.* cùm de psaltria narrat: In eo, inquit, quod ejecit, apparuisse fibras albas & crassas, ichorem crassum & rubrum continentes: ita *Clar. Diocles apud Paul. lib. 1. cap. ult.* dulces ichores sanguinis sub æquinoctium vernum augeri confirmat. Aliquando de humore p. n. quicquid enim non coaluit, *Hipp. l. de artic. t. 17.* sive cute tegatur sive carne, cavum est. Plenum autem est in sanitate quidem Spiritu, in morbo ichore. Nonnunquam ichor in sanguineis animalibus, propter ἀναλογίαν temperamenti, dicitur sanguis crudus & imperfectus; sed qui perfectionem suam consequi potest, sic ex ichoribus concoctis fieri sanguinem scribit *Arist. 3. hist. 19.* Nonnunquam propter similitudinem substantiæ vocatur tenuior pars massæ sanguineæ, corruptæ & colliquatæ. Uterque posteriorum, quia quadantenus æmulatur substantiam seri, quod est vehiculum alimenti, *Hipp. l. de alim. t. ult.* accipitur pro sero, ut apud *Arist. 3. hist. 20.* omne lac habet ichorem quendam aqueum qui dicitur serum. Strictius ergò & proprius loquendo, ichor semper est p. n. teste *Capivac. l. 6. de febr. c. 18.* qui duplex apud Philosoph: est, *mitis & acris.*

*Ichor mitis quomodo generetur.*

Generatur autem 1. *Mitis* quando natura frustratur voto vel ratione materiæ, vel ratione efficientis. Ratione materiæ, quando copiosior adest pituita (talis, quæ in hepate & venis fieri dicitur, & alimentaria est ubi reliquum perfectionis accesserit. 2. *Acut. 44.* non illa, quæ in ventriculo & intestinis ex sola materiæ necessitate generatur. 1. *nat. hum. 39. 5. usu part. 4.* quotidièque per alvum evacuatur. 2. *facult. nat. ult.* & aqua, quæ à natura concoqui & vinci non potuit, 4. *Met. 7.* Ratione efficientis, quando in venis, appensisque visceribus calor tàm exiguus est, ut ad percoquendum sufficiens non sit, ubi postea sanguis ob incoctionem dilutior evadit. 3. *part. 5.* Generatur 2. *Acris*, dum calor sanguinem colliquat & resolvit: resolvit autem in partem tenuem & crassam per colliquationem.

*Ichor acris quomodo generetur? In quibus affectibus ichor mitis appareat.*

Apparet autem Ichor *mitis* in variis morbis: 1. *in hepatico affectu*, dum hepar 5. *loc. affect. 7.* laborat intemperie frigida & humida, ubi deindè sanguis non solùm, qui in hepatis substantia stagnat, sed & ille, qui per vasa mesaraica fluit, p. n. afficitur, ac prior crassus, locoque difficulter mobilis; posterior verò crudus, aquosus, & semicoctus redditur, primòque q. delineatur. Apparet 2. *in hydropicis.* Scribit enim *Hipp. 6. epid. 1. t. 6.* eas mulieres dici ὑδατωινέτας, quæ sanguinem habent aquosum, quo non rectè purgato intumescunt. Apparet 3. *in dejectionibus cruentis, dysenteriis nothis*, dum tales *Galen. c. l. de loc. affect.* vocat ichores tenues, aquosos loturæ carnium & recens mactatarum non absimiles. 4. *In urinis*: Hermocrates enim 3. *epid.* cùm febricitaret hepate leviter & æqualiter obstructo, mingebat urinas crassas, rubras, de sanguine nondum perfectè cocto, sed seroso adhuc, humidoque, qui longiore indigebat tempore ad coquendum. 2. *progn. 27.* 5. *In Nephriticis affectibus* modò in vasis tantùm emulgentibus, cùm ipsa sunt patentiora, undè sanguinea exit urina à sanguine liquido, neque multo, neq; lento seu fibroso *Gal. 1. in 6. Epid. 6.* modò in renibus si ipsis aliquod accidat analogum, quod hepati debili solet accidere: tunc n. urinæ conspiciuntur prærubræ sanguineæ, crassiore tamen sanguine, quàm in hepaticis, existentes, cùm sanguis laudabilis, qui in renum

num malo exit; non possit non efficere ichorem crassiorem. 6. *In hæmorrhagiis & hæmorrhoidibus.* 3. *hist.* 19. 7. tandem apparet *in sudoribus sanguineis*, quos ab hoc sanguine proficisci docet *Phil. l. c.* & 3. *part.* 5. Mitis hic ichor propter similitudinem, quam habet ad alios humores, dicitur quoque de aliis: sic sanguis cervorum, damarum, &c. difficulter ob fibrarum inopiam concrescens. 4. *Meteor.* 7. respectu ad aliorum sanguinem habito dicitur Ichorosus: sic sanguis juvenum, sanguini senum collatus. 3. *hist.* 19. vocatur ita. Sic & sanguis melancholicorum, quia si tàm in statu sanitatis, quàm ægritudinis abundant excrementis tenuibus multis, quorum ratione sanguis dicitur ichorosus tenuis, & aquosus 9. *probl.* 5. quanquam crassa multa habeant excrementa, quorum præsentia tàm rebelles sunt morbi melancholicorum. Pertinent huc τὰ λοχεῖα in quibus ab initio eunt aquę, quæ vocantur 7. *hist.* 7. humiditates aquosæ ichorosæ, sanguineæ. Pertinet huc sanguis ille, cæteroquin laudabilis, qui ab eventu talis fit. Quemadmodum videmus in continentibus pluviis quibusdam accidere hęmorrhagias, humectata & fluidiore reddita sanguinea massa: quibusdam destillationes esse molestas secreta illa parte aquea. Pertinet huc quoque excrementum illud tenue ulcerum simplicium, ob partis ulceratæ debilitatem genitum, qui ichor distinguit etiam tempora dictorum ulcerum, dum primùm effluit ex illis ichor aqueus, crudus, tenuis, deinde paucior, sed crassior, postea jam pus tenue *ex l. de. tot. morb. temp.* 3.

*Ichor Acris contingit vel toti corpori,*

Porrò Acris ichor seu colliquatio contingit vel toti corpori, vel parti alicui soli. Si toti corpori tunc illa colliquatio nunc quidem solius corporis est, nunc humorum in venis & arteriis contentorum. Colliquatur corpus seu genus carnosum vel sensibiliter, ut in febribus ardentibus & pestilentibus, cùm pinguedo & caro recens coacta diffluit, vel insensibiliter, ut in hecticis & in marasmode, cùm ob calorem ægro fatiscit corpus: atque crassum si quod adest, abit ad ventrem, eâque via excernitur, tenue per sudores vacuatur. *Galen. lib. de sympt. caus.* Colliquatur in vasis sanguis non tantùm speciatim sic dictus, sed tota massa sanguinea, *comm.* 2. *in* 6. *epid.* 88. Horum autem humorum ichores revera sunt aquei, facultate tamen aliqua maligna acri & erodente, qualem ærugo habet, præditi. Deponitur autem in colliquatione humorum à natura id quod crassum est ad ventrem *l. de sympt. caus.* Crassum hoc constituit aliquando prava biliosa, mera, non diluta ichoribus quibusdam, qualia plerunque in febribus colliquativis, non tantùm in ardentibus, sed & in malignis, quæque calorem non habent adeò intensum, secedunt per dejectiones symptomaticas, quæ extremas intemperies & magnas naturæ corruptiones significant, non criticas, quemadmodum juxta Hipp. dejectio sincera febri acutæ superveniens cum sudore, solvit febrem. Quod verò tenue est deponitur modò per urinas, & per hoc, si non trahant renes subitò vel abdomen solùm, vel totum corpus solet intumescere hydropicum in modum, fitque hydrops ad matulam: modò sensibiliter per sudores, ut apud *Schekium lib. de sang. inst.* vinitor quidam ex colliquatione perpetuò diffluebat sudore: modò insensibiliter per habitum corporis ex *Gal.* 1. *artic.* 30. modò quoque per ventrem. Aliquando tamen hoc tenue colliquamentum secedit ad articulos, facitque Arthritidem, ut *teste Scherbio* continuæ quædam febres ex mala crisi in omnium articulorum dolores desierunt, qui postea non redierunt.

*Vel parti alicui soli.*

Si partem aliquam occupat colliquatio, facit illud vel cum materia, vel sine ea. Si sine materia dicitur intemperies calida, vel inflammatio sicca, in quâ primùm colliquantur humores partis illius, postea caro propriè dicta. Si cum materia generaliter vocatur abscessus cum decubitu; specialiter inflammatio, subintellectis hoc nomine omnibus tumoribus calidis. Estque interna vel externa, modò cum, modò sine ulcere. De illa, quæ sine ulcere est, loquitur *Hipp.* 2. *progn.* 50. dum ait, si in foraminibus narium, in oculis, ore, fiat inflammatio, defluere solent humores tenues ichoribus ulcerum non absimiles, & *lib. de tot. morb. tem.* de ophthalmia scribens principiò si defluit multum & tenue, idque valde crudum, postea minus crassiusque cum signis coctionis, successu temporis decrescente copia, & increscente crassitie, coctio in tantùm augetur, ut dormientibus ægris palpebræ à grama conglutinentur. De illa quæ est cum ulcere seu de ulceribus inflammatis loquitur *Galen. in lib. de tumor. p. n.* Aliquando enim tàm graves accidunt inflammationes cum ulceribus, appareteque tùm ichor, qui effluit, aqueus, tenuis, toto circum circa loco sanguineo sese offerente. Item *Hipp.* 3. *fract.* 3. ex ulceribus lacrymosis vel inflammatis fluit tenuis crudusque ichor, Chirurgis aqua articularis dictus Germ. Gliedwasser Quo non vacuato ossa corrumpi, corrupta discedere, quæ discessura non erant, experientia testis est. *Lang.* 1. *Ep.* & 3. *ep. in sympt. Med.*

*Ad acrem Ichorem referuntur alii quidam humores.*

Ad *acrem* ichorem referuntur & alii quidam propter similitudinem humores: & 1. quidem *bilis naturalis*, quæ urinam tingit, vocaturque *Gal.* 1. *cris.* 12. paucus & tenuis ichor ex flava bile 2. *bilis p. n.* quæ causum efficit & ab *Hipp.* 4. *acut.* 1. dicitur acer & biliosus ichor. 3. *pituita salsa*, quæ causum nothum facere consuevit 6. *tuend. sanit.* 10. 4. humor ille sive calidus sive frigidus, qui in intimo genitus, & ad superficiem delatus, cutim vitiatam & impetiginosam reddit. 5. *fœtus* qui in utero putrefactus in pravos ichores degeneravit. 3. *facult. nat.* 16. 6. *Aures* ex ulcere *fluidæ*, & fistulæ dicuntur ichorosæ perpetuoque madentes. *Hipp. in Coac. com.* 1. *s.* 3. *aph.* 20. Atque hæc incidenter de ichoribus inserere libuit.

## QUÆSTIO X.

*An è seroso humore putrescente febres quædam generentur?*

*Affirmativa probabilis* 1.

AFfirmativam ex *Argenterio l. de febr. c.* 7. ut & aliorum probabilem judicamus, propterea quia 1. serosa in sanguine pars licet à natura frigidissima sit, ea tamen cùm perpetuò in corpore tepescat ob Spiri-

tus vitalis commercium, fervorem brevi admittit, admissum diu retinet, retentumque sanguini communicat, deindè eam vel per se putrescere, vel certè occasionem dare putredini reliqui sanguinis, perspici potest ex analogia aquæ elementaris, quæ ob tenuem substantiæ modum facilè calorem alienum recipit, fervescitque ac putret. *Piso in l. de febr. à serosa colluve.*

2. Quia 2. serum, si in abdominis thoracisque capacitatem copiosius sit effusum, vel sub cute collectum, ibidemque diutiùs retentum, non solùm sæpius corrumpi, fœtoremque & acrimoniam acquirere, (quale in hydropicis subviride & fœtidum sectione nonnunquam deprehenditur) sed & febriculas aliquas, etsi lentas, præsertim ubi in cordis regione vicina superabundat, tùm mediante ipsius calore & tenuitate, tùm accedente ferè partium corruptione, producere observamus.

3. Quia 3. sanguinem non raro planè aquosum & serosum per phlebotomiam emitti videmus.

4. Quia 4. serosi humoris excretiones modò per urinas, modò sudores, modò alvi dejectiones tàm à natura, quàm arte tales institui experimur, quibus febris solutio supervenire solet.

5. His adde symptomata convalescentes post talium febrium solutionem comitantia, nempè pruritum & scabiem, quæ non nisi à peccante sero proficisci possunt.

*Huc etiam refertur febris alba virginum.* Atque hanc in classem si quæ talia, pertinet illa febris, quam in Leucophlegmaticis virginibus, & cachecticis enasci posse docet post *Fernel. Plater. cap. 2. tractat. de dolor.* Interim si quis has ipsas febres, è sero superfluo natas, ad pituitosarum, inprimis verò è pituita salsa provenientium ordinem, redigere maluerit, penès illum liberum esto arbitrium.

## QUÆSTIO XI.

*An è putrescente vel lacte vel semine febres quædam fiant? & cujusnam sint generis?*

*Quæstio affirmatur.* Breviter quæstionem affirmando respondemus, si in his sit exigua putredo, nasci inde diarias, quemadmodum alias ex bubonibus: si verò sit insignis & alta, necessariò simul aliquem humorem in putredinem abduci, qui postea putrescens denominationem quoque febri impertiat. *Mercurial. l. de de febr. c. 8.*

## QUÆSTIO XII.

*An inæqualitas pulsus febrium putridarum sit proprium signum?*

*Negat Galenus.* Negare id videtur *Gal. 1. ad Glauc. 5.* ubi inquit, in omnibus febribus esse quandam pulsus inæqualitatem.

*Notanda limitatio ex Mercuriali.* Sed hîc notandum ex *Mercuriali cit. loco*, duplicem esse inæqualitatem, alteram, quæ observetur in unica pulsatione, alteram, quæ in pluribus. Priorem in omni febre reperiri, quod & proponit *Gal. l. 6. ad Glauc. c. 1.* si in unius, inquiens, pulsus consideretur principium, medium & finis, in omni febre reperitur inæqualitas. Posteriorem verò solùm in febribus putridis, quia in his systole est valentior, quæ propter majorem fuliginum expurgandarum necessitatem magis urgetur.

## QUÆSTIO XIII.

*An nigredo linguæ sit proprium signum putridarum?*

*Dubitat Galenus.* Dubium facit *Galenus lib. 6. epid. com. 5. tr. 14.* qui linguæ nigredinem fieri asserit ob solum melancholicum succum, regurgitantem è ventriculo ad linguam: testatur *Mercur. libro citato* eam non raro sine febre putrida observari.

*Quæstionis declaratio.* Sciendum tamen, linguam in febribus jure spectandam esse propterea, quia juxta *Philos. 34. sect. probl. 3.* lingua corpus est spongiosum, facilimè recipiens has qualitates peregrinas: deinde quia pulmonibus superposita est, in quibus si exiliat febris, facilè ustilagines ad fauces elevatæ à lingua recipiuntur, unde nigredo.

## QUÆSTIO XIV.

*An urinæ crudæ sint putridarum signum inseparabile?*

Videtur, quod non, quia in quibusdam febribus urinæ statim apparent coctæ: sed breviter respondetur 1. hoc ex illorum numero esse, quæ rarissimè contingunt, quod autem ut plurimùm accidit, apud Medicos pro universali poni solet, vel 2. eam urinam concoctam nihil significare supra febrem putridam, sed illud sedimentum effluxisse à crudiori alimenti parte, non, ab humore febrem faciente. *Horat. Aug. l. 4. de febr. cap. 10.* vel 3. eam coctionem non esse materiæ morbificæ, sed esse residuum quoddam illius materiæ coctæ, quæ tempore sanitatis erat aut in fervore, aut in remissione. *Mercur. l. de febr. c. 8.* Et tantum hac vice de febribus putridis in genere dixisse tùm libuit, tum licuit. De continuarum vero & intermittentium foco, sede, itemque de periodorum ratione in sequentibus disputat. Deo dante sufficienter transigetur.

---

GREGORII HORSTII

τȣ̃ μακαρίτȣ

*EXERCITATIONUM DE FEBRIBUS QUARTA,*

De

# FEBRIUM PUTRIDARUM CURATIONE.

*THESIS I.*

*Putridarum curatio quomodo instituenda.* FEBRIUM *putridarum curandi rationem* instituturi, necesse est, ut ante omnia humorum qui peccant, locorumque in quibus illi computrescunt, internotionem habeamus. Et quoniam talis curandi ratio làtissimè patet, certâ Methodo, quâ sine artis

artis scientiam nancisci non licet, agamus. Ea autem curandi Methodus per indicationes, à quibus perpetuò auspicari oportet, procedit, quæ ipsa auxilia, legitimumque auxiliorum usum insinuant. *Galen. lib.* 3. & 4. *Meth. Med.*

*Indicationes in febribus undè desumenda.*

2. Tales indicationes omnes in febribus putridis autore *Galeno* 10. *M. M. c.* 1. & 2. primo loco ab ipsa febre; secundo ejus causa Effectrice: tertio ægrotantis viribus oriuntur, quorum priora duo ablatione, posterius sui custodiâ gaudet.

*Indicatio curatoria & præservatoria undè desumantur?*

3. *A febre* sumitur indicatio & curatoria & præservatoria. *Curatoria* quidem, ut portio febris in facto curetur: *Præservatoria* verò, ut portio in fieri prohibeatur. *Illa*, quoniam indicatio quam exhibet morbus est, contrarietur, & quâ intemperies calida sicca est per refrigerantia, perque materiam omninò putrefactam eradicantia perficitur. *Hæc* vel agens vel patiens respicit. Agens vel mediatum est, vel immediatum; mediatum est quod caloris transpirationem impedit. Patiens est humor putrescens.

*Temperamentum corporis undè cognoscatur.*

4. Cumprimis autem Naturam seu Temperamentum corporis habitu, sexu, consuetudine vitæ victusque ratione &c. probe scire oportet, cùm non sufficiat affectui calido refrigerantia adhiberi, nisi in debita mensura & modo.

5. Naturâ itaque calidiores, ut juvenes, in quibus minor à statu naturali recessus, refrigerantia mitiora; contra, senes sive naturâ frigidiores validiora fortioraque; naturâ humidi, ut pueri, quique humidis assueti, humectantia magis expetunt.

6. Adjungenda his ex rebus non naturalibus aëris ambientis constitutio, ex tempore anni, regione, cœlique statu, quatenus pro coindicantibus; vel contraindicantibus morbo 1. causâ vel juvante, vel nocente haberi queunt. Aëris ambientis siquidem constitutio frigida, & quod contraindicat morbo refrigerantia leviora, calida verò, quia coindicat, validiora refrigerantia postulat.

*Causa efficiens febris continens. Putredinis causa.*

7. *Effectrix febris causa continens & immediata* est humorum putredo, nativum calorem in ἀσύμμετρον & igneum convertens. *Putredinis causa* præcipuè est ἀδιαπνευσία denegata caloris transpiratio (interdum aër est corruptus ut in peste) & est vel densitas, undè indicatio rarefaciendi, vel constrictio, undè indicatio fundendi: vel vasorum obstructio, quæ vel facta est, & quod sit ex usu nihil indicat: materia autem actu obstruens, utile indicat; quæ si copiâ peccat minuenda, si crassitie & lentore, attenuenda & incidenda, si visciditate, detergenda: vel in fieri, atque ita indicans quidem in corpore existit, verum extra locum obstructum, in quem tamen confluere potest: undè hujus causâ obstruentium succorum affluxum compescere opus. *Videatur Capivacc. l. de febr. cap.* 22. 8.

*Transpiratio & eventilatio humorum ac fuliginum obstructio impedita non semper est putredinis causa.*

Non igitur sola transpiratio & eventilatio humorum, ac fuliginum obstructio impedita semper est putredinis causa, licet febris à putredine, putredo ab impedita transpiratione, hæc ab obstructione deducatur, & sic ab obstructione, tanquam causarum primâ, curandi initium facere, *Galen. l.*11. *M. M. c.*10. præcipiat. Præter alia enim experientiâ rerum magistrâ vinum & aquam, absque prohibitâ transpiratione, putrescere, constat. Distinguendum igitur inter causas putredinis, & inter causam febrium putridarum proximam. *Clariss. Dn. D. Sennertus lib.* 2. *de febrib. c.*1. *Vallesi. contr. Med. & Philos. l.* 5. *c. ult. Auger. Ferrerius in castigat. pract. Med. c.*14. *Mercat. l.*6. *de febr. putr. nat. & curat.*

*Distinguendum inter causam putredinis & causam febrium putridarum.*

*Putredo in vivis orta duobus curatur.*

9. Ut autem putredinem in corporibus, quæ non vivunt & putrescunt evacuamus, ita & in vivis ortam duobus curamus: id nimirum, quod corruptum est omni ratione eximendo, quod reliquum, moderatis motibus refrigeranteque perspiratu demptâ ἀσυμμετρίᾳ (*ut th.* 7.) ad exactam συμμετρίαν reducendo.

*Quomodo corruptum eximatur.*

10. Eximimus id quod corruptum est, sensibiliter per dejectiones, urinas, sudores, & vomitus: insensibiliter adhibitis frictionibus, moderatis motibus, medicamentis resolventibus, aëris bonâ temperie, aliquando quoque balneis.

*Putridinis causæ quandoque adsunt vel absunt.*

11. *Putredinem gignentes causæ* quandoque adsunt actuque fovent, vel absunt: ipsaque putredo vel æqualiter diffusa est per totum corpus, sive in omnibus vasis continetur, aut maximè principalibus inter alas & inguina, vel in unâ particulâ, quæ aut phlegmonem in se comprehendit, aut citra phlegmonem febris initium in se continet.

*Si absunt.*

12. Causæ putredinem gignentes *si absint*, nihil requirunt, satisque est indicatio à sola causâ continente, putredine, puta, quâ sublatâ febris facillimè tollitur: *si verò adsint*, pro suâ naturâ contraria indicant, licet contraria illa interdum nominibus propriis *Galeno teste* 12. *M. M. cap.* 13. careant.

*Si absunt.*

*Vires quid indicent.*

13. Vires sui custodiam & roborantia indicant, ut putredinem superent, succosque concoquant. Perficitur hæc similibus, quia verò virium substantia ex spiritu, substantiâ cornosâ & solidâ completur, unicuique custodiam similibus moliri convenit: spiritui libera & expeditâ transpiratione, respiratione, & qui à sanguine attollitur, vapore: solidis ex solido alimento, carnosis per ea, quæ in medio humidorum & solidorum positâ sunt, succurrendum; Hæcque singula habitâ ratione ætatis, consuetudinis, naturæ, &c. ad ægrum accommodanda sunt.

14. Insuper etiam vires conservantur non solùm ex eo, quod de ipsorum substantia inanitum est: sed & alteratum corrigendo, deindè quæ ipsorum substantiam evacuant & alterant prohibendo.

*Febris tempora 4.*

15. In genere quoque 4. *Febris tempora* observanda sunt, *principium* scil. quando manifesta alteratio & læsio functionum sentitur: *augmentum*, cùm symptomata invalescunt: *status* cùm in extremo malitiæ gradu sunt: & *declinatio*, cum imminuuntur & mitigantur. His adde singulorum *paroxysmorum tempora* æqualia: *principium*, dùm calor adhuc in corpore conclusus glíscit: *augmentum*, cùm à centro ad circumferentiam corporis prorumpit: *status* cùm calor ex æquo totum corpus occupat: *declinatio* cùm paulatim remittit ac evanescit.

*Paroxysmorum tempora.*

16. *Signa putridarum communia Diagnostica* sunt: pulsus & respiratio inæqualis, calor acris, & mor-

*Signa putridarum Diagnostica communia.* dax expiratio, sudor & excrementa graveolentia, urina fœtida, & cruda, turbida & rubra, acris & mordax, præcedens constitutio neutra & cacochymia. *Prognostica diuturnitatem præsagientia* sunt: tubercula vel dolores in articulis. *Hipp. s.* 4. *aphor* 44. quando corpus in mole, calore & charactere nihil concidit. *s.* 2. *aph.* 28. sudores frigidi cum febre mitiore, *s.* 4. *aph.* 37. vel non deficiente, *s.* 4. *aph.* 56. *Salutem indicantia:* sudores diebus criticis oborti, *s.* 4. *aph.* 36. *Perniciem prædicentia* sunt convulsio febri superveniens. *s.* 2. *aph.* 26. Dfficultas spirandi & delirium in non intermittente, *s.* 4. *aph.* 50. morbus regius ante 7. diem per febrem superveniens. *s.* 4. *aph.* 62 Circa ventriculum vehemens æstus & cordis morsus, *s.* 4. *aph.* 65.

*Prognostica diuturnitatem præsagientia. Salutem indicantia. Perniciem prædicentia.*

*Indicationes omnes invicem conferenda.* 17. Atque hæ indicationes in Methodica omnium febrium putridarum curatione generatim observandæ sunt. Quò verò curatio ritè peragatur eædem invicem conferendæ sunt, quæ si consentiunt, quæ febrem extinguunt, ejusque causam oppugnant, (ut in biliosis potissimum) & vires facilè ferunt, sive procrastinatione seu cunctatione agendum erit, incipiendo ab eo semper quod causæ rationem habet: sin verò dissentiant & vel febrem oppugnantes, causam ejus augeant, inque deterius moveant, vel vires ea ferre nequeant, diligens adhibenda consideratio, utra indicatio potior urgeat: si indicatio à febre, ei, neglectâ minus causâ, primùm occurrendum: si à causa, ab ea, cùm aliàs periculum in mora sit, directè inchoandum.

18. Ubi igitur de viribus ad ferenda remedia res plana, primò causa, deindè ipsa febris abigenda erit, si non, ante omnia virtus corroboranda est, ut præsidia sustineri queant: virium quippe maxima semper dignitas est, & quidem tanta, ut quicquid indicationi, quam vires præstant, adversatur, id vel non administrandum, vel paulatim: aut quo tempore vires debilitatæ, tantùm reficiendum, nihilque adhibendum, quod substantiam eorum aut evacuat, aut vehementius alterat, ut phleboromiæ & purgationes.

*A quibus causis putredinis curatio incipienda.* 19. Non autem à quibuslibet putredinis causis incipiendum, sed ab iis, quæ in analysi ultimum sibi locum vendicant, redundantia humorum primum, si Plethora, per sanguinis missionem: si cacochymia, magis per purgationem.

*In evacuatione humorum quid observandum.* 20. Ut verò humores evacuandi eò facilius & melius educantur, crassorum & lentorum attenuatione, viscidorum incisione, obstructionum reseratione, mediantibus aperientibus, detergentibus & expurgantibus opus est, *Mercat. de putr. febr. nat & curat. l.* 6.

*Naturali virtuti semper prospiciendum.* 21. Naturali virtuti interim, ut vitiosos de pravatosque humores concoquat, perpetua roboratione succurrendum, transpiratio per poros cutis rarefacientibus, relaxantibus libera procuranda, & si ulla sit malignitas, ea alexipharmacis corrigenda.

*Quid faciendum si vehemens quoddam symptoma vires debilitet.* 22. Et quoniam virium prima & maxima dignitas (*ut th.* 18.) si quando in ista curatione vehemens quoddam symptoma vires debilitans, ut syncope, delirium, vigiliæ, &c. immisceatur, ei præ reliquis occurrendum.

*Quid faciendum si putredo unam tantum partem occupaverit.* 23. Si causa putredinis unam tantùm partem occupaverit, ut jecur, lienem &c. ex obstructione vasorum: præter indicationes universales febris à putredine, obstructione, &c. adjungendæ sunt indicationes à partis illius temperamento, actione, formâ, situ & sensu sumptæ.

*Si febris à phlegmone partis quid agendum.* 24. Sin febris sit à Phlegmone partis, ut in pleuritide, phrenitide &c. ubi febris putrida morbo supervenit, in curatione cum his omnibus indicationibus, etiam observandæ sunt illæ, quæ ab ipsa inflammatione sumuntur. Dùm enim inflammatio incipit, influens tumor à parte affecta revellendus, ipsique parti repellentia adhibenda. In incremento ubi fluxio perdurat, repellentia mixta digerentibus, ubi cessavit, digerentia tantùm. *Dunc. Liddel. l.* 2. *de febr. c.* 6.

*Materia auxiliorum triplex est. Diæta.* 25. Porrò materiam seu instrumenta auxiliorum, per quæ operationes istæ perficiuntur, quod attinet, eorum tria sunt, Diæta, Chirurgia, & Pharmacia. *Diæta* utpotè, quâ eâdem non uti debent ægri atque sani, *Hipp. lib. de vet. Medicina.* Siquidem Diæta sanorum ægris nocentissima, *eod. lib.* meritò in curatione magni ponderis habetur, primoque loco ponitur: Hæc numerum sex rerum non naturalium sub se continet, ut sunt: Aër, Alimenta, Motus & Quies, Somnus & Vigilia, Redundantia, & Evacuatio, ac tandem Animi παθήματα seu accidentia.

*Aër ambiens.* 26. *Aër* rectissimè ab *autore lib. de flat.* mortalis vitæ Autor & Dominus dicitur, tanta enim ejus extat necessitas, ut eo privatum animans momento vitâ excedere oporteat: cùm à spiritu ducendo, hoc est, aëris per inspirationem attractu, nulla unquam quies mortalibus ut censent aërem attrahere, ac rursum exhalare dari possint. Ob id *Arabs Avicennas* aërem nostrorum corporum ac spirituum elementum, hoc est, materiam & veluti pabulum esse appositissimè dixit. *Fen.* 2. *pri. doc.* 2. *cap.* 2. Equidem cùm corporum nostrorum, ac vitæ subsistentia, spirituum in nobis & copia, & commoderatione, constet, illorumque vigore nitatur (quæ concors est cùm Philosophorum, tùm Medicorum omnium sententia) spiritus autem ipsi, alimentum ab aëre, per inspirationem attracto, capiant, ut *libr. de utilit. respir.* testatur *Galen.* consequens profecto est, ut aëris magna sit mortalibus cunctis seu sanis seu ægris ratio habenda.

*Aer rationem habet vel alimenti, vel medicamenti.* 27. In febre putrida sumitur ut materia juvans: & habet rationem vel alimenti vel remedii. Ut Alimenti materia, à virtute & robore indicatur: undè *Galenus cap.* 3. *lib.* 11. *ait*: virtutis substantiam spirituosam respiratione & transpiratione custodiri, quod *idem cap.* 5. *libr.* 12. *M. M.* confirmat. Ut materia Remedii, indicatur à re p. n. *cap.* 14. *libr.* 9. *Meth.* Cognoscendum igitur qualis in febribus putridis aër sit usurpandus.

*Qualis aër in febricitantibus eligendus.* 28. In febricitantibus non solùm vires reficit, sed si rectè administretur, ad ipsam quoque febrem curandam usum præstat, cum assiduâ respiratione ad cor feratur, ubi residet Febris. Aër itaque purus, nitidusque, non putridus, nec infectus esse debet, *Galen. cap.* 5. *lib.* 12. *M. M.* ne malum malo addatur, qualitate

evidenti frigidus (non tamen ſummè) & ſiccus, loquendo de aëre qui reſpiratione in corpus ingreditur: qui verò extra adminiſtratur temperatus eſſe debet: calidior enim febrem auget, frigidus meatus cuticulares denſat, & tranſpirationem impedit. *Heurn. de febr. c.* 14.

*Aër quomodo corrigendus.*

29. Cùm igitur aër in putridis debeat eſſe purus, frigidus, temperatus, non adſtringens, non denſans, frigidus & humidus, præſertim æſtivo tempore: ſi aër præſens talis ſit, ſervandus: ſin minus, arte, irrigationibus, herbis refrigerantibus, flagellationibus &c. parandus eſt, *Galen. c.* 8. *libr.* 10. *Meth.* Purus redditur beneficio roſarum, aquæ roſaceæ, aquæ violaceæ, ſucci citri, aurantii, &c. Non inſpiratus, ſed extra ambiens aër erit temperatus: undè febricitans corpus ſuum nudum aëri non exponat, brachia & pedes non detegat. Hic aër liber ab hominum ſocietate & frequenti conſortio ſit: ſiquidem ubi complures ſimul cum ægroto febre laborante verſantur, neceſſè eſt ut aër ille incaleſcat, qui deindè attractus à febriente tantùm abeſt, ut recreet illum, ut potius vehementer offendat.

*Qualis aër febricitantibus conveniat?*

30. Decet quidem febricitantem in aperto, libero, nitido & frigidiori loco cubare, ut aër frigidus inſpiretur; verùm ſtragulis levibus mollibuſque opertum, quo calor, ne pori cutis ab externo frigore conſtringantur, ad exteriora trahi, & fuliginoſa excrementa melius tranſpirare poſſint.

*Alimenta.*

31. *Alimenta* in id ſumimus, ut eorum præſidio incolumiter vitam tranſigere valeamus. Itaque ciborum delectus curam vel præcipuam habere debemus, quod pro variâ ciborum naturâ nòn ſolùm corpora, ſed & animi meliores deterioresvè fiant, & ampliſſimè *Plato* cùm 2. tùm præcipuè 5. *de leg.* & *Galen. libr. quod animi mores temperamentum corporis ſequantur* docent.

*Alimenti materia duplex.*

32. Alimenti autem materia prima eſt cibus, altera potus. Circa cibos autem eò magis delectus eſt neceſſarius, quod ut dicit *Avicen. ſecund. quart. doct.* 2. *c.* 7. cibus eſt quidem corporis noſtri amicus, ſed eſt etiam amicus inimico ipſius virtutis, id eſt, ipſi morbo. Id quod etiam docuit *Hippocr.* quando *ſ.* 7. *aph.* 62. inquit: *ἢν τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι, ἰσχὺς τῷ δὲ κάμνοντι νόσος.*

*Cibus indicatum præſervatorium.*

33. *Cibus* igitur materiam morbificam reſpiciens eſt indicatum præſervatorium. In putridis autem materia morbifica eſt putrida, vel non putrida: ſi putrida; requiruntur cibi refrigerantes & ſiccantes: ut ſuccus aurantii maturi, endivia, acetoſa, acetum, acetoſitas citri. Acetum tamen quod attinet, quia junctam habet aliquam caliditatem & ſiccitatem, ideò ſi refrigerare & humectare volumus, aquâ miſcendum eſt eâ copia, ut bibi poſſit. Dum autem exſiccare lubet, acetum non cum frigidâ, ſed potius cum acido citri exhibendum erit. *Vide problem. Medic. Decad.* 5. *q.* 1.

*In aceti exhibitione quid obſervandum.*

*Cibus qualis febricitantibus præſcribendus.*

34. Si materia non ſit putrida, vitium hujus & vitii effectum, id eſt febris perpendenda eſt; vitium materiæ multiplex eſſe poteſt, prout multiplex eſt materia in febribus v. gr. ſi *materia ſit biliosa*, cibus refrigerans & humectans, in genere autem cum putrida ab obſtructione ortum habeat, cibus attenuans, detergens, ut ptiſana hordeacea, &c. probatur. Vitari autem debent caro agnina, anates, anguillæ, &c. ſi conſideratur materia, ut efficit febrem, magis vel minus acutam, opus etiam eſt cibo magis vel minus minuente, & ſemper ea victus ratio eſt conſtituenda, quâ vires ægri ad ſummum febris ſtatum perdurare queant.

35. *Fructus*, quoad ejus fieri poteſt, corruptioni facile obnoxii omninò vitandi ſunt, eligendi inſuper facilis coctionis, boni ſucci, pauci excrementi cibi. Amygdalæ dulces, quia attenuant & detergunt, in febribus non improbantur, *Galen. c.* 29. *l.* 2. *alim.* nec deſpiciendæ paſſulæ dulces, quæ ſtomachum contemperant, mediocriter abſtergunt, & exiguam oris ventriculi mordicationem obtundunt. *c.* 10. *l.* 2. *alim.*

36. *Panis* hic probatur lotus in fruſtra diviſus, inque frigidam ſæpè immerſus, qui minus alit, & non obſtruit. *c.* 5. *l.* 1. *alim.* eſtque in medio calefacientium & refrigerantium. *c.* 9. *l.* 1. *alim.* Panes *ζειτοὺς* ſive ſpeltaceos Speltzen-Brod, per elotionem præparatos, ut & hordeaceos commendat *Joach. Strupp. in Σιτογοπαμαγεχνίᾳ ſua, ſeu* neuen Speißkammer und Speißkeller/ *fol.* 32.

37. Carnes & cibi ſolidiores morbis longis, ubi vires firmæ ſunt, debentur: ſi ita debiles, ut ſolidiores cibos digerere nequeant, jura reſtaurantia debentur: ſi prorſus disjectæ, aquæ deſtillatæ Caponis, &c. carnes elixæ potius, quam aſſatæ commendantur, niſi febris longior ſit, aut alvus laxior.

*In delectu ciborum conſuetudo ægri obſervetur.*

38. Plurimùm verò ad delectum ciborum facit intelligere conſuetudinem ægri, & quo cibo maximè delectetur. Is namque tametſi paulò deterior fuerit, permittendus erit, *ſect.* 2. *aph.* 28. multumque conſuetudini tribuendum in iis, qui craſſiori diætæ aſſueti ſunt, tempore locoque frigido, nec minus & ſexus diſcrimen obſervandum. Molliores enim & humidiores carnes habent fœminæ quàm viri, ideoque & tenuioribus cibis, iiſque qui ipſorum delicatis mollibuſque corporibus minus adverſentur, quàm diligentiſſimè cibandæ ſunt.

*ut & ſexus diſcrimen.*

39. Ex *herbis* in febribus ex materia calida probatur lactuca, acetoſa, endivia; ex materia frigida apium, petroſelinum, fœniculum, hyſſopus, bugloſſa, &c.

*Quo tempore febrientes cibandi.*

40. Quo tempore febrientibus cibi porrigendi ſint, ex eorum viribus & morbi impedimento colligere eſt; impedit morbus quando graviſſimè affligit, tempuſvè paroxyſmi inſtat: permittit cùm æger moderatiſſimè ſe habet, præcipuè circa coctionis membra.

41. Interim febrium diverſa natura non negligenda, ſi enim uniformis ſit, ut ſynochus juxta ſanitatis conſuetudinem; ſi febris continua periodos habens, tempore remiſſionis: ſin ex intermittentium genere, poſt declinationem & quidem ea horâ, quæ à paroxyſmi prioris ſtatu, & ſequentis initio abeſt, cibus dandus eſt: ſi tempus illud breve ſit, ut in quotidianis, plerunque in fine declinationis (in aliis poſt declinationem longè ante ſequentis paroxyſmi initium) cibum præbere cogimur, ut ante futuræ acceſſionis initium concoqui & digeri queat.

42. Aliâs de particulari tempore in cibandis febricitan-

citantibus verum manet, quod *Galenus* dicebat: Difficilè esse in universum hujus modi tempus definire, quoniam varia febrium genera, varia cibandi tempora requirunt. *lib. de opt. sect. ad Thras.* 37. ordine hæc pete ex *Mercuriali in tract. de febr. lib.* 5. *cap.* 8.

*Quinam cibandi.*

43. Hic verò sciendum in quibus hujusmodi cibos administrare debeamus. Corpora quippe calida & sicca magis alenda sunt, quàm frigida & humida. Imò verò *Galen.* 11. *Meth.* 3. & 5. Medicos (dicebat) interdum etiam in accessionis principio hujusmodi corpora nutrire cogi. Ita quibus sunt corpora dura & densa, minus in febribus cibandi, quàm illi, quibus carnes sunt laxæ & flaccidæ.

*In cibatione quoque vitæ genus perpendendum.*

44. Haud secus vitæ studium magnam vim in febricitantium cibatione definienda sortitur, eò quod illi, qui otiosam & sedentariam vitam vivunt, minus, quam qui laborisam, alendi sunt.

*Modus nutriendi.*

45. Modus nutriendi talis esto: quibus in febribus virtus robusta est, cum humorum integritate, raro parumque cibi exhibendum: quibus virtus valida cum humorum defectu aut corruptione, his sæpè magna cibi copia offeratur: Et quibus ea debilis, cum defectu aut corruptione humorum; sæpè parumque concedatur, habito tamen semper Naturæ, Consuetudinis, Regionis, Anni temporis, &c. respectu.

*Febricitantibus quinam cibi conveniant.*

46. Febricitantibus omnium maximè cibi sorbiles conveniunt, quia masticare est laboriosum. Undè ni ægri optimè mandunt coctio frustratur, & malum propterea augetur. Hanc nostram sententiam præter *Hippocr.* etiam *Aristoteles* calculo suo approbat, in omnibus morbis (dicens) ægri sorbitionibus initio nutriendi sunt, quia sunt leviores, felicius distribuuntur, & consequenter citiùs atque aptiùs nutriunt. 1. *sect. problem.* 52. opera igitur danda est, ut febricitantes potius sorbeant quam mandant. Notandum tamen sorbilia esse eligenda, dum volumus, ut alvus fluat, & ventriculus non est nauseabundus. Ubi autem nausea ventriculum vexat, maximè à sorbilibus cavendum. *Capivacc. lib.* 6. *de febr. cap.* 28.

*Cautio.*

*Quo situ æger cibandus.*

47. Æger cibum non jacens, neque etiam extra lectum, sed in lecto sedens, post oris linguæque abluitionem aut purgationem, assumat, si vires ferant, ita ut etiam ab excepto cibo per horam unam plus minusvè sedens maneat. Sic enim & melius descendit cibus in fundum ventriculi, & consequenter melius coquitur, atque hoc est quod *Aëtius* ex sententia *Galeni lib.* 9. *cap.* 37. & *Avic.* 3. *prim. doct.* 2. *cap.* 7. nos docuit, ubi inquit eos, qui ventriculum habent imbecillem, cujusmodi sunt febricitantes, elevato potius capite, quàm humili, manere debere, quoniam coctio sic melius perficitur. *Mercurial. de febr. lib.* 2. *cap.* 6.

*Potus.*

48. *Potus* cibi vehiculum est, & in corpore hunc usum habet, ut quod nutritum est, ex ventre distribui atque deduci aliquando possit. Neque enim hoc fieri potest in reliquum omne corpus, nisi ab humido aliquo fluxile & permeabile effectum, transumi facilè in vasa, & derivari facili motu posset.

*Potus in febricitantibus nunquam medicamenti vim obtinet.*

49. In febricitantibus præterea vires ob humiditatum absumptarum restitutionem reficit, sæpiusque medicamenti vim obtinet.

*Potus qualis in febribus conveniat ut nutrimentum.*

50. Potus igitur omnis in febribus boni succi, facilis digestionis & distributionis, nulliusque ingrati saporis esse debet, *ut nutrimentum* vires reficiens, temperatus naturæque similis & familiaris, qualis est *vinum* purum, non recens, tenuis substantiæ, è bonis & maturis uvis confectum, puri odoris & saporis, aquosum, quod caput non lædat, & urinas moveat, *Galenus comment. in l.* 3. *de rat. vict. acut. cap.* 4. & 5. *lib.* 12. *M.M.* & *l. de vinis*, & *lib. de attenuante victu*, & *lib. de alim. fac. cap. de vino*. *Cerevisia* benè cocta & defæcata, non ingrati saporis: in febribus acutis semper tenuis, in longis interdum mediocris & lupulata potius, quàm non lupulata: *aqua mulsa*, &c. *Serum lactis à Galeno* probatur *comm. l.* 4. *de rat. vict.* 7.

*Potus ut medicamentum qualis.*

51. Potus *quatenus Medicamentum adversus febrem*, frigidus humidus sit, ut aqua pura fontana, aqua hordeacea. Julap. violarum, &c. contrà, *causam febris* incidens, attenuans, aperiens, urinas aut succos humores movens, veluti aqua mulsa, oxymel, syrupus acetosus simplex, de endivia, oxysachara, &c. sunt & hoc loco febricitantis vires perpendendæ, & quantum hæ potus desiderant, tantùm iis permittatur, modo ipse morbus, aut ejus causa nil obsit: nam quo vires debiliores, eò potu reficiente citius magisque utendum. Sique vires debiles sunt, metus est ne debilis calor à multo potu extinguatur. Quare hoc in casu sæpè parumque potus exhibendus: si validæ raro multumque, potissimùm eô tempore, quo morbus maximè permittit. Permittit autem post ac in declinatione, vetat in accessione & initio, potissimùm cum pedes frigescunt, deindè in augmento.

*In exhibendo potu vires quoque perpendendæ.*

*Motus & Quies.*

52. *Motum* & *Quietem* ad sanitatem & vires haud minimum momentum habere non tantùm autorum constanti assertione, sed & ipsa ipsius Experientiæ fide exploratissimum omnibus omni tempore habitum est.

53. Immoderatio enim utriusque nocet, & ut *Hippocr.* dicit πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, *sect.* 2. *aphor.* 51. *omne nimium Naturæ inimicum.* Quod vero paulatim & modicè fit, tutum, cùm aliâs tùm maximè, ubi ab uno ad aliud facienda est mutatio, omnis igitur mutatio, si modum excesserit, noxam inducit, *idem P.* 2. *de rat. vict. acut. text.* 55. *ad finem.*

*Motus & Quies quomodo febricitantibus conveniant.*

54. Quoniam igitur motus calefacit, humores commovet, quies contra magis refrigerat, coctioni potissimùm servit, humectat. *Galenus l.* 4. *aph. comment.* 48. eaque si quid sanari debet opus est, *l.* 6. *aphor. comment.* 6. Febricitantibus certè (præterquam quartanâ laborantibus) imperanda erit. Ne tamen immodica sit: sic enim excrementa dissolvi prohibet, genuinum calorem penè præfocat atque extinguit, & ut infelicius concoctiones, nutritio, distributioque cibi procedant, efficit, torpidumque corpus facit.

*Somnus & Vigiliæ.*

55. *Somni* & *Vigiliarum* eadem ferè ratio est, quæ motus & quietis. Dum enim immoderatè peraguntur, vires immodicè exhauriunt, concoctiones impediunt, corpora exsiccant, &c. Somnus quidem animantibus ad quietem, viriumque collapsarum instaurationem datus est, quod summæ cujusdam Dei providentiæ est:

est: ac immodicus multâ caloris nativi ad interiora retractione noxios humores ad viscera colligit, earumque vires obruit, caput materiâ vitiosâ replet.

*Somni modum excedentis incommoda.*

56. Rectissimè ergò *Hippoc.* somnus & vigilia (inquit) utraque si modum excesserint malum *s. 2. aph. 3. item lib. 2. prædict. cap. 2. Galen. lib. 2. aph. comment. 3. & lib. 7. aph. comm. 68.* Somnus uberior viscera graviora reddit, nec crudos succos digerit, *l. 11. M. M. cap. 3.* per sommum calor in interiora mergitur, *comm. 4. in 6. de vulg. morb. super text. somnus in frigore.* Somnus multos lædere potest *Comment. 2. in prim. Prorrhetici, super text. cujus initium fauces.*

*Somni moderati commoda.*

57. Verùm somnus moderatus spiritus separat, vires reficit, &c. quia retractione caloris nativi per somnum spiritus cum sanguine ad interiora confluunt, idemque initio paroxysmi febricitantibus semper evenit, ideò ne utroque raptu humorum calor nativus suffocetur, initio accessionis febrilis à somno abstinere semper oportet.

*Redundantia & Evacuatio.*

58. *Redundantia* & *Evacuatio* quoque respicienda, omnisque immodica evacuatio, quia vires exhaurit, & dissolvit, vitanda, & videndum ne ea retineantur, quæ secundum naturam expelli debent, sed naturali modo, ne calor nativus obruatur, procedant.

*Animi παθήματα.*

59. *Animi* denique *παθήματα* & *accidentia*, quæ magnam in corpore alterationis, & à naturali statu eversionis, vim obtinent, sese offerunt. *Hæc à Galen. in arte Medic.* enumerantur. Liquet (*inquit*) ab ipsis caveri oportere, omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, invidiæ. Hæc enim (*subdit*) alterant, atque à naturali statu corpus avertunt. Fusius multò quænam sint in universum ea quæ animum à recta ratione transversum agere solent, *à Tull. Cicer. 4. Tusc. quæst.* explicantur.

*In Febb. tranquillitas maximè requiritur.*

60. Tranquillitas ergò in febribus maximè requiritur. Nocent autem hic præcipuè, ira, tristitia, & metus: minus quæ ad exteriora effundunt, ut spes & gaudium, nisi valdè profusum. Cavendum igitur prudenti homini erit, ne vel rebus adversis ac tristibus animo cadat, seque mœrori conficiendum det: vel secundis nimium lætetur atque efferatur. Et hæc de materia *Diætica*. Sequitur Chirurgica.

*Materia Chirurgica.*

61. In hâc præcipuum locum tenet *phlebotomia* seu *venæsectio*, quam *Gal. 11. Meth. c. 13.* saluberrimam esse scribit in febribus; & non in Synocho solùm, sed etiam in aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, si & propriè nulla adsit plenitudo, & nec vires nec ætas prohibeat.

*Febris qualis phlebotomiam indicat.*

62. Magna autem febris *phlebotomiam* indicat, ut causa febrem actu fovens, removeatur, quo ipsa plenitudo ad vasa aut vires detrahatur, sive sit in toto, sive in parte. Impetus etiam sanguinis influentis partem replentis, avertatur, revellatur, aut *derivetur*. Denique sanguis jam corruptus & naturæ inutilis evacuetur.

*V. S. quibus conveniat.*

63. Quo igitur major in febribus putridis sanguinis corrupti copia, eò magis venæsectio necessaria est, & nisi virium debilitas ex dissolutione substantiæ corporis & spirituum, ab immodicis evacuationibus, deliriis, vigiliis, doloribus, &c. itemque ætas senilis præcipuè decrepita & puerilis, habitus corporis mollis, laxus, raræ texturæ, temperamentum siccum frigidum, cum angustis venis, aeris constitutio valdè calida, ut sub cane & ante canem, aut intensè frigida, prohibeant, initio statim adhibenda. Præterea gravidæ, nisi vires sint robustæ, & periculum sit in plenitudine, ne fœta cum fœtu intereat si, sanguis mittatur abortum facit, *s. 5. aph. 35.* Et venæsectionem difficilimè ferunt, quibus os ventriculi debile est, & acuti sensus, amara bile vexatur, aut qui in syncopen facilè incidunt, &c.

*In febb. putridis quales venæ secandæ.*

64. In febribus putridis diversæ venæ secantur. Si enim fomes mali sit circa jecur, basilica dextra, nisi sit febris Melancholica. *Galen. cap. 11. l. 1. ad Glauc.* aut si latet, Mediana, si metus ex impetu ruentis sanguinis in partem aliquam ex hæmorrhagia aut inflammatione interna, revulsio ex contrariæ partis venis, servatâ communione & rectitudine, instituatur: si redundantia ex suppressis mensibus, inferiores venæ secentur. In fluxione verò mensium aut hæmorrhoidum totum negotium naturæ committendum: Si verò tantùm quantùm morbus efflagitabat evacuatum non fuerit, vena secanda. Si febris putrida à sanguine menstruo retento foveatur, tunc vena pedis secanda, non brachii: item si caput sit affectum, humeraria externa aperienda, imò vena frontis, & sic de reliquis.

*In febribus quando V. S. instituenda.*

65. Quando phlebotomia instituenda sit, perpendi debet vitium sanguinis, vehementia succi crudi, materiæ affectionum & Symptomatum. *Capivac. lib. 6. de da. febr. cap. 23.*

66. In continuis instituenda statim, aut primis diebus, præmisso clystere aut balano, nisi quid urgeat, ut virium à copia materiæ oppressio. In intermittentibus prius evacuatâ primâ regione corporis, aut post secundum aut tertium paroxysmum, eâ diei horâ, quâ Febris minus affligit, vena secetur; tantùmque sanguinis detrahatur, quantùm plenitudo postulat, unâ vice si vires ferant & periculum in mora sit; alioquin pluribus vicibus, ante reiterationem tamen viribus refectis.

67. Ut omnia eò felicius paragantur ex *Galeni* consilio *in cib. de sang. miss.* quotiescunque detrahendus est sanguis, infirmo Medicus assistat, qui arteriam tangens pulsus diminutionem diligenter advertat, ut quoties aliqua virtutis vel deficientis, vel defecturæ signa apparent, sanguinis exitus protinus cohibeatur. *Capivac. d. l.*

*Scarificatio quando tentanda.*

68. Perseverante sanguinis vitio dum vires non permittunt, vel sanguinis peccatum minuitur, *scarificatione* utendum.

*Quibus partibus cucurbitulæ affigendæ.*

69. *Cucurbitulæ* verò *scarificatæ* partibus ignobilioribus in putridis (*teste Oribasio*) sunt applicandæ, non dorso, quia febris ab igneo cordis calore producitur: hujus autem domicilium est thorax, quem ut partem affectam inter initia turbare non licet.

*Hirudines quando applicandæ.*

70. Quibus hæmorrhoides sunt detentæ, cruraque malè affecta, &c. his hirudinibus potius succurrendum.

*Materia.*

71. Tertium in materia meritò locum tenet *pharmacia*,

*Pharmaceutica.* macia, ubi *purgatio* primò ſeſe offert, quam in febribus putridis convenire nemo ſanus dubitabit.

*In febribus putridis quomodo purgandum.* 72. Non autem validis purgandum, ubi humores adhuc putreſcunt in venis, niſi turgeant, potiſſimùm in acutis, multò minùs urinas aut ſudores provocare licet: Quod verò jam putrefactum, quia ad benigniorem materiam reduci nequit, ſi ſponte à cauſa non expellatur, evacuantibus medicamentis educi debet, Naturæ impetum motuſque modum ſemper obſervando.

*In febribus putridis quantum purgandum.* 73. Quantitas purgationis quantitati humoris purgandi correſpondere debet. Concoctos humores purgare oportet non crudos, niſi turgeant. *Hippocr. ſect.* 1. *aph.* 22. & *ſ.* 4. *aph.* 20. ſcribit, in acutis principio ſi materia turget, prima die eſſe purgandum, quoniam cunctari periculoſum.

*In febribus putridis quibus medicamentis utendum.* 74. Medicamenta purgantia, quæ in febribus uſurpanda ſunt, neque admodum debilia eſſe debent, neque admodum valida; ſed mediocria.

*Cautio.* 75. Cavendum igitur ab uſu pil. quæ recipiunt vel ſcammonium, vel diagr. vel colocynth. & ſimilia.

76. Præterea in febribus potius eligi debent Medicamenta, quæ potu capiuntur, quam quæ devorantur.

*Curationis febrium putridarum ſumma.* 77. *Summa igitur curationis Febrium putridarum* hæc erit: Bonam diætam præſcribere, alvum ſolvere, venam tundere, alienum à ſanguine ſuccum præparare, ab infarctu liberatam materiam excludere, incidere, attenuare, refrigerare, ea quæ putruêre, ſiccare & elidere, & roborare.

78. Plura quæ generatim ad Febrium purgationem pertinent, vide apud *Capivacc. Mercurial. Fernelium* & *alios.*

## QUÆSTIO I.

### *Utrum in febribus putridis ſimplex curatio locum habeat?*

*Affirmativa tenetur probabilis.* Videtur quod ſic: ut enim affectus compoſitus compoſito; ita ſimplex ſimplici remedio propellendus eſt, qualis enim morbi, talis etiam eſt contrarii remedii conditio. Nam ſicuti affectus alius ſimplex eſt, alius compoſitus vel implicitus: ita contrarium remedium aliud ſimplex, aliud compoſitum; aut ex variis implicitum ſit oportet. Itaque ſimplicis affectus ſimpliciſſima eſt per contrarium curatio. *Per contrarium* inquam, propter antipathiam remedii cum morbo, vel cauſa ejuſdem: juxta mentem verò Hermetic. & Paracelſic. ſimilia ſimilibus curantur, propter ſympathiam remedii cum natura morborum curatrice, parte & principio affecto.

*Negativa defenditur.* *Febri tamen putridæ ſimplex curatio non convenit*, per ſe enim non curatur, ſed per cauſæ præciſionem, *Valleſ. contr. Med.* & *Philoſoph. lib.* 8. *cap.* 4. Methodica igitur opus eſt, quæ non ſolis remediis, ſed via utendique ratione completur. Cauſa enim continens humorum putredo manet. Et hæc prius, quam affectus, methodo rectâ exſcindenda & ſummovenda eſt. Causâ enim perſiſtente affectus manet, nec penitus evelli poteſt. Undè neque febris, neque ejus ſymptoma ſedari poteſt, niſi vacuata putredine. Hæc verò fruſtrà purgatur, niſi quæ hanc gignit humorum colluvies emendetur: hæc emendari non poteſt, quamdiu chylus impurus è ventriculo affluet, & impurius calidiuſque alimentum ſuppeditabitur. Niſi igitur urgentius quippiam interpelles, cauſæ evidentes etiam quæcunque impurum chylum generant prohibendæ, impura omnis colluvies, quæ materia putredinis eſt expurganda, ac demùm quæ his ex cauſis orta eſt humorum putredo, vacuanda: ac poſtremùm ſi quid alieni caloris vel in humoribus, vel in ipſis partibus derelictum ſit, extinguendum, vide *Fernel. M. M. lib.* 1. *cap.* 3. & 4. *Sennert. lib.* 2. *de febr. cap.* 4. *Dunc. Liddel. de febrib. cap.* 6. Ex quibus omnibus manifeſtum evadit, febrem putridam ſimplici curatione arceri non poſſe.

## QUÆSTIO II.

### *Utrum febris putridæ, an ejusdem cauſæ in curatione major ratio ſit habenda?*

Tametſi lege Methodi omnis cauſa prius, quam affectus reſpici debeat, ſæpè numero tamen propter intolerabilem calorem febrilem, qui ægro accidit, videndum, ne per ea, quibus cauſam tollimus, febris augeatur, ut, niſi ipſi occurratur, præſens pernicies afferatur, & ita cum cauſa homo tollatur.

*Quæſtionis deciſio.* Cum igitur aperientia aliaque cauſæ oppoſita medicamenta plurima ſint calida; ea eligenda, quæ citra inſignem calefactionem, quod opus eſt, præſtant. Qua de re *Avicennas lib.* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *cap.* 7. Sciatis, *inquit*, quod febris quandoque tantæ ſit vehementiæ, ut regimine cauſæ uti non liceat, ſed extrema refrigeratione indigeat. Febre verò adeò remiſſâ, ut quo tempore adverſus eam pugnatur, nullam interim jacturam vires pati queant, contra cauſam ſolùm pugnare licet. Ita tamen tutiſſimus ibis, ſi tantùm curæ ad alterum dirigas, ut alterum non negligatur.

*Cautio.* Plerunque verò vis major cauſæ eſt. Semper itaque hoc & in febribus putridis, & aliis morbis attendendum, ut remedia, quæ morbi gratia adhibentur, cauſam ejus non augeant, *Sennert. lib. de febr. cap.* 4.

## QUÆSTIO III.

### *Utrum hyeme magis, quam æſtate febricitantes nutriendi ſint?*

*Affirmativa probabilis.* De *tempore univerſali quæſtio eſt*, oriturq; hinc quod *Hippocrates lib.* 1. *aphoriſm.* 18. & 3. *de Diæta*, diſertè docuit Hyeme febricitantes cibos facilè, Vere minus, Æſtate & Autumno difficilimè ferre, & propterea hyemali tempore ægros magis nutriendos eſſe. *Æſtate* enim quæ ab ortu Vergiliarum more Medicorum incipit, & ad ortum arcturi deſinit, nimirùm à Calendis Maji ad Idus Septembris: & *Autumno*, qui initium habet juxta Medicos ab ortu Arcturi, & ad occaſum Vergiliarum finitur, ægri cibos ægerrimè ferunt, quia non ſolum alvus officii vacuitate reddita ſit ignavior, dum ſiccus eſſet morbus: ſed etiam calor vitalis effœtus æſtate langueat: *Hyeme* verò facillimè: nam licet

licet Hyeme reddita ſit ignavior, morbo adhuc ſicco exiſtente, calor tamen nativus augetur, undè Hyeme quam æſtate & Autumno cibi ferendi facilitas major.

*Contrarium ſtatuit Avicennas.* *Contra Avicennas* 1. *quarti cap. de cibat. ægrot. dicit* Hyeme nutriendos eſſe ægros, Æſtate verò magis, additque rationes, quia Æſtate majores fiunt reſolutiones, undè conſequenter pro deperditorum reſtauratione majori alimento opus eſt.

*Quaſtionis reſolutio.* *Pro reſolutione è Mercuriali lib.* 5. *de febr. cap.* 8. circa finem notandum: quod alimentum bifarium plus vel minus dici poſſit: vel ſecundum virtutem, vel ſecundum molem: Hyeme quidem ſecundum vim & virtutem: Æſtate verò plus ſecundum molem corpora nutriri debent. Et ut hæc res melius comprehendatur, ſciendum caloris nativi ſubſtantiam Hyeme majorem, Æſtate minorem eſſe, *Hippocr. ſ.* 1. *aph.* 18. quia tunc multa pituita colligitur, quæ eſt nutrimentum ſanguinis & caloris nativi, hinc eſt quod *Galenus lib. de placitis Hippocrat.* & *Plat.* nativi caloris ſubſtantiam in ſanguine & pituita poſuerit. Multò igitur melius conficere poteſt valens alimentum Hyeme quam Æſtate; Æſtate verò cùm calor præternaturalis naturali major ſit, proptereaque ingentes corporum reſolutiones fiant, fit ut ea quidem, quo vires conſumptæ reficiantur, cibis egeant, hi tamen cibi ut confici poſſint, adeò valentes nequaquam eſſe debent: idque cùm videret *Galenus lib.* 1. *aphor.* 18. Æſtate cibum in plures vices partiendum eſſe, dixit, id quod etiam *Avicennas* probavit: Hyeme verò unâ vel alterâ vice cibum afferre ſatis eſſe: quia ſcilicet tunc temporis melius coquitur & ſubindè excrementa pauciora fiunt.

## QUÆSTIO IV.

*Utrum melius ſit in tenui, quam in pleno victu peccare?*

Etſi univerſam univerſi hominis naturam, hoc eſt temperiem, habitudinem, formam, ſtructuram, illius elementa, partes, partium poſitus atque nexus, earundemque uſus & actiones, tùm & facultates quibus humanum corpus regitur, earumque in homine functiones Medicus ſciat, non tamen ſemper prout vult, ægrum ſanare poteſt. Præſertim enim in Diæta nonnihil in victu peccare cogitur. Et ſi peccandum eſt, dubitatur *num in victu tenui, an verò id pleno fieri debeat?*

*Hippocratis ſententia.* *Hippocrates* hâc in re diverſus fuiſſe videtur: Nam in *ſ.* 1. *aph.* 5. in tenui victu, inquit, peccant ægroti; quo fit ut magis lædantur. Siquidem quodvis peccatum gravius in tenui, quàm in paulò pleniore victu eſſe ſolet. Eâdem de cauſa ſanis etiam valdè tenuis, ſtataque & exquiſita victus ratio, parùm tuta, quia errata gravius ferunt. Quapropter tenuis & accuratus victus maximâ ex parte periculoſior eſt, eo qui paulò plenior.

Monſtratur ſententia hæc Hippocratica à ſimili; Ut enim omnium rerum, quas ad efficiendum paravit natura, longè graviores ſunt mutationes, quæ fiunt ab otio ad negotium, quàm contrà; ſic longè calamitoſius peccant in ſua commoda, qui defraudatum ventrem repentè à cibo & potu exercent, quam qui à ſatietate ad cibi abſtinentiam ſe convertunt. Quæ cauſa eſt, cur tenuis admodum & ſtatus in qualitate, copia, numero, & accuratus victus ſanis etiam ſit periculoſus. In 2. *acut.* 37. & 38. *verò, idemque lib.* 2. *de Diæta*, contrariam huic ſententiam pronunciare videtur.

*Libautii reſponſio ad Hippoc. ſententiam.* Reſpondet igitur *Johan. Libautius in Scholiis ad commentar. Hollerii in Aphoriſm. Hippocr.* facilè componi hæc poſſe, ſi judicetur, *Hippocratem* de victu præſcribendo noluiſſe quicquam certi ſtatuere, eò quod difficilè admodum ſit, tenere ſignis ſyllogiſticis vires ægri, morbi hiſtoriam, & communem cujuſque naturam: ſed ita inſtituendam eſſe Diætæ rationem, ut ante morbi ſtatum non cogatur æger ſe ad cibi acceſſionem adjungendam convertere.

*Nostri Authoris ſententia.* Nos cum *Mercuriali* rurſus diſtinguimus inter [illegible] cibi ſecundum virtutem, & inter eam, quę eſt ſecundum molem; atque reſpondemus, ſi peccetur in tenui victu ſecundum virtutem, certè gravius eſſe peccatum, quam ſi in pleniori. Quia vires ob alimenti egeſtatem & inopiam ſemel præcipitatæ, difficulter recuperari queunt. Multò gravius autem ſecundum molem in pleno victu, quam in tenui erratur, propterea quod cibus plus æquo ingeſtus morbum facit, ut ſcripſit *Hippocrates*, plura enim gignuntur excrementa: undè non ſolùm pabulum putredini ſuppeditatur, ſed & calor nativus hebetatur, & præternaturalis augetur. Ad hæc natura, quæ morbidorum humorum coctionibus incumbere debet, cum maxima ægrotantium pernicie ad cibum tota avocatur. Atque hoc eſt quod *Philoſophus* 2. *Eth. ad Eudemum cap.* 5. dicebat οἷον καὶ περὶ τὸ σῶμα ἐν μὲν τοῖς πόνοις, ὑγιεινότερον ἡ ὑπερβολὴ τῆς ἐλλείψεως καὶ ἐγγύτερον τοῦ μέσου. Ἐν δὲ τῇ τροφῇ ἡ ἔλλειψις ὑπερβολῆς. In rebus ad ſanitatem pertinentibus quandoque ad defectum & exceſſum declinare melius eſt, in exercitationibus verò melius eſt excedere, in cibo melius eſt deficere.

## QUÆSTIO V.

*Utrum febricitantium cibos ſale condire liceat?*

*Negativam tuetur Capivaccius.* Negat *Capivaccius lib.* 6. *de febrib. cap.* 28. & in febribus à ſale prorſus abſtinendum eſſe monet.

*Affirmativa defenditur.* *Affirmat Mercurialis* atque omnibus febricitantibus cibos ſale percoctos impunè concedi poſſe cenſet, cui ſententiæ & nos ſubſcribimus. Primò enim cum quod ſapit nutriat, juxta *Avicennam*, ciborum autem bona pars abſque ſale inſipida maneat, atque ita non ſolùm non nutriat, ſed & nauſeam vomitumque motum præter naturam pariat, vires lædi, aliudque damnum ægro ſupervenire poſſe, extra omnem dubitationis aleam eſt.

Deinde ipſe *Galen. lib.* 7. M. M. in curatione ſicci ventriculi panem ſalitum concedit. Si in hâc igitur ægritudine, quæ ſicca eſt, panis ſalitus conceditur, quidni & febricitantibus ſalis uſus concedatur.

*Cautio.* Cautio tamen adhibeatur ut sal ita administretur, ut non dapes fiant salitæ, sed ut insipiditas & injucunditas à cibis adimatur.

*Hippocrates 2. aphor. 38. & in lib. de affect.* hanc sententiam habet: febricitantibus semper gratos, jucundosque cibos (nisi evidens detrimentum afferant) porrigendos esse. Imò cibum & potum suaviorem, etsi paulò deteriorem, meliori, sed insuaviori, anteponendum esse voluit.

Et *Galenus lib. 2. de alim. facult. cap. de apio*, cibos *inquit*, mediocriter condire utile est, ne insuaves fiant. Et rursus quam cibi sale conditi corpori alimoniam præstent, vide *lib. 3. de alim. facult. cap. de cibis sale conditis.* Porrò cibaria salsa dejectionem facere & obstructiones aperire *d. l.* asserit. Quod cum ita sit procul dubio, ut gratiores fiant cibi nihil penè refert, paululum salis inter coquendum miscere. Sal quippe juxta *Heraclitum* anima ciborum, & secundum *Platonem in Timæo*, corpus Diis & hominibus amicum.

## QUÆSTIO VI.

### *Utrum panis, caro & ova in putridis febribus conveniant?*

*Quæstio negatur.* OLim è veteribus quidam inventi fuêre, qui panem, carnem, & ova cibos sanorum, non autem febricitantium esse asseruêre, referente *Mercuriali lib. 5. de febr. cap. 8.* panem quod attinet, de eo dubium oritur, quia multum nutrit, *Alex. 2. problem. Med. 62. Philosophus 21. problem.* quæ autem hujus generis sunt, febricitantibus minus conveniunt.

*Controversia decisio.* Verùm pro controversiæ decisione dicimus pane nos duplici modo vesci posse, vel eo, quo familiariter utimur, vel medicato & abluto, (*uti in thesibus*) posterior modus febricitantibus convenit, teste *Oribasio & Avicenna*, prior verò minimè. Rationem abluendi panem quære apud *Mercurialem d. l.*

Carnem *Avenzoar lib. 3. cap. ult.* inprimis febricitantibus, eo, quod facilè in ipsis putrescat, perniciosam pronunciavit. Atque quadrupedum carnes quoniam insuper masticatione valdè opus habent; juxta *Hippocr.* autem ubi febris adest sorbitionibus non verò cibis, quibus masticatione opus est, utendum minimè; avium verò carnes magis, neque tamen semper, neque quovis modo, sed contusas & in sorbitionis formam redactas, convenire statuimus.

Ova verò non solùm à veteribus, sed & recentioribus quibusdam damnata fuêre, eò quod sint inflammabilia, propter oleositatem, quam habent: undè morbum augeant, quandoque (*ut supra de pane dictum*) multum nutriant, & cum sint corruptibilia in ventriculo febriculoso facilè corrumpantur, consequenterque putredinem augeant, nec cum sint calida & humida alterent, neque materiam digerant aut evacuent. Ratione igitur morbi, causæque morbificæ, nullo modo conducunt. Et hæc ipsa lubentia lubentius damus. Per accidens tamen in febribus maximè humoralibus convenire possunt, in progressu, cum materia digesta & minorata; virtus autem debilis, ratione scilicet confortationis, quæ beneficio nutrimenti, cum ova ejusdem plurimi sint, facilisque concoctionis peragitur. Vide *Conciliator. enucleat. Diff. 60. in Append. 1.* Cum *Galeno* autem tria genera ovorum, quæ communiter apud homines in usu sunt, constituimus: unum ovorum coctorum, quæ coctura ad duritiem quandam perducta sunt; alterum tremulorum quæ à Græcis τρομητὰ vocantur, suntque ea, quæ cocta in aqua duritiem non contraxerunt, sed tremunt: postremum sorbilium quæ Græci ῥοφητὰ dicunt. Primum genus, quia nimirum nutrit nunquam; secundum minus omnium nutrit, febricitantibus convenire potest. Atque ita *Galenus 1. ad Glauc. 9.* in tertianæ curatione ova, quæ sorbentur concessit.

## QUÆSTIO VII.

### *Utrum febricitantibus lacticinia & pinguia conducant?*

*Affirmativa quæstio.* DIocles quidam, referente *Hollerio in aphorism. Hipp. 64. comm. sect. 5.* non aliâ re convalescentes ægros primus nutrivit, quàm lacte mixtâ aquâ: verùm quanquam lac pluribus ad multorum morborum curationes sit aptissimum, & probatum euporiston, atque cum sale & sacchara, vel semine anisi, &c. ritè præparatum corporibus optimè conducat, eaque pinguefaciat, crebro pectori aspero conferat, ardori urinæ succurrat, alvumque solutam reddat, &c.

*Negativa defenditur. 1.* Febrientibus tamen, capite dolentibus, siticulosis, & quibus hypochondria elata aut murmurantia, malum *lib. 5. aphorism. 64.* Primò enim lac in impuro ventriculo corrumpitur: in febribus autem impurus est ventriculus, proindè non est dandum.

*2.* Deindè in calore magno ventriculi, & mediarum corporis partium, & in magnâ refrigeratione lac non est dandum; siquidem in frigido acescit: ab immodico calore corrumpitur, fumique & vapores à substantia butyrosa, quæ etiam promptè in bilem & nidorem vertitur, efferuntur, atque ita aucta materia augetur & æstus febrilis.

*Pinguedo cur non conveniat.* Pinguedo in putridis prohibetur, quia membra, quibus incumbit calefacit: in febribus putridis autem potius refrigerantia sunt adhibenda. Vide Σιτογοναμαγεχίαν sive neue Speißkammer und Speißkeller *Joach. Struppii fol. 107. b. Opus Consil. Cratonis à Scholzio editorum, consil. 22. Valles. controvers. lib. 1. cap. 10.*

## QUÆSTIO VIII.

### *Utrum ptisana hordeacea febri conferat?*

*Negativa probabilis.* INter Recentiores eruditissimos fuêre, qui in febribus putridis omnes cibos humidiores, & propterea etiam ptisanæ usum damnare ausi sunt. Verùm rationes quibus id probent, sat ponderosas non habent.

*Affirmativa defenditur 1.* Primò enim contrarium probatur, quia ipsa ptisana febri repugnat, cum in principio secundi gradus frigida

pida & humida prædicetur, & apparet hoc, quando hordei & aquæ qualitates perpendimus.

Deindè ptiſana hordeacea convenit cauſæ febris, ſanguinem febrilem & bilem temperando, materiam viſcidam incidendo & abſtergendo, &c.

Tertio ſitim mitigat, aſperitatem oris, & univerſaliter ſpiritualium inſtrumentorum tollit, anhelitum facilem reddit, vapores capitis, dolorem cauſantes, reprimit & ſedat, &c. in calidis tamen regionibus & temporibus magis, quam in frigidis convenit. *Conciliat. diff.* 169.

Quod autem practici ptiſanam cum Amygdalis cum contuſo: imò eodem prandio, ovum, panatellam, carnes, exhibeant: ſententia *Galeni* 35. *l.* 3. *de rat. vict.* cibos multiplices & facultate diſſimiles, ventris perturbationem facere, & oxymel non exhibendum, niſi ingeſtus cremor hordei prius ſit coctus, &c. improbare videtur. Sed reſpondetur ea, quæ exhibentur, vel omnia habent rationem cibi; vel ad minimum unum, reliqua condimenti & obſonii. Id quod habet rationem condimenti, cibis immiſcere licet: alimentum enim vires proprias ſervat, & virtute condimenti guſtui & olfactui jucundius, contra materiam verò efficacius redditur. Si autem omnia, quæ miſcentur, rationem alimenti habent; tunc febris eſt vel brevis, vel longa, ſi brevis, præſtat cibum ſimplicem exhibere, vel ſaltem cibos facultatis ſimplicis permiſcere. Si febris ſit chronica; optimum eſt, cibos pauciores exhibere: quia tamen morbus eſt longus, ægrique aſſueti ac nauſeabundi, plures cibi, ut ova, panatella, carnes, fructus, offeruntur. *Capivacc. lib. 6. de febr. cap.* 21.

## QUÆSTIO IX.

*Utrum vinum & aqua in febribus putridis conveniant?*

*Negatur quæſtio.*

Videtur quod non, quia vinum valdè nutrit, febrem, ſitim, doloreſque capitis auget, nervos tentat, &c.

*Affirmativa tenetur.*

Nihilominùs tamen *Hippocr. ut lib. de acut. & in aliis* videre eſt, in vini uſu etiam in febricitantibus audaciſſimus fuit.

Et *Alexand. ſecundo problem.* 62. non tantùm febricitantibus vinum concedere, verum etiam ipſum, præſertim quando exiguum & tenue, commendare videtur.

Nec hoc immeritò: nam album, tenue, in aſſuetis potiſſimùm, apparentibus ſignis concoctionis, poſt alias evacuationes, ad reliquias humorum coquendas, urinas & ſudores provocandos ſomnumque producendum confert. Ita *Galen.* 2. *de acut.* 8. ſcribit: in Italia morem fuiſſe, ut vinum Sabinum, quod erat tenue, cunctis febricitantibus concederetur, imò *eod. lib. t.* 40. fatetur, ſeſe ægris modicum vini cum aqua limpida indulgere conſueviſſe; Juxta ejus definitionem tamen 11. & 12. *Meth. item* 1. *ad Glauc.* 14. à vino cavendum, ſi delirii ſuſpicio ſit, aut adſit gravitas capitis, aut Catarrhus aut materia morbifica cruda ſit, aut cocta, ſed copioſa, nulla alia præcedente evacuatione præcipuè in continuis febribus; niſi ex virium diſſolutione inſtet Syncope, tunc enim ad vinum, quod celerrimè vires reficit, confugere cogimur.

*Cautio.*

*Quale vinum eligendum.*

Eligendum autem non vinum rubrum, ſed (uti dictum) album, nec fulvum, tenue, aquoſum, ſive aquâ dilutum, nunquam potens, nec auſterum, neque dulce, craſſum, & aſſuetis magis quam non aſſuetis indulgendum: in lentis vel intermittentibus febribus liberalius, in aliis parcius, valdèque aquoſum *Galen. Commentar. in lib.* 3. *de rat. vict. acut.* Apponet igitur non propter febrim, ſed vel ratione cauſæ vinum competere, dum per accidens caliditas intenſior remiſſionem ad ſe rapit, & incidendo ac diſſolvendo conſumit; vel ratione accidentium, dum vires debiliores corroborat, ſpirituſque confortat & reparat. *Mercurial. de febr. lib.* 5. *cap.* 8. *Conciliat. diff.* 172. *Heurn. de febr. cap.* 14.

*De aqua ſimplici quid ſentiendum.*

*Aqua ſimplex* in febribus humoralibus conceditur, quando peccat cholera vel ſanguis robore membrorum, vegeto calore inſito, partium principalium habitu carnoſo, ætate calida, conſuetudine & regione temperatè frigida conjunctis. Ita calori febrili reſiſtit, interdum etiam extinguit.

*Qualis aqua eligenda.*

Eligatur modo aqua pura, limpida, nullo alieno ſapore prædita, leviſſima, quæ citò caleſit & refrigeratur, citòque ventriculum permeat, in quâ cibi breviſſimo tempore elixantur. *Conciliat. diff.* 171. *Duncan. Liddel. de febr. lib.* 2. *cap.* 6.

*Error quorundam.*

Errant igitur, qui toto morbi decurſu aquam frigidam concedunt. Coctioni humorum enim tunc officit, & difficulter coquitur, diuque in ventre, antequam per corpus diſtribuatur, hæret, neque incidit, neque abſtergit, neque per ſe alvum ducit, neque urinam ciet, &c. & propterea non niſi in acutis, in ſtatu coctione abſolutâ concedenda. *Sennertus lib.* 2. *de febribus cap.* 9.

## QUÆSTIO X.

*Utrum in febribus putridis balneum conveniat?*

Hac de quæſtione *Jacobus Hollerius in comment. ad aphorism. Hippocr. ſ.* 7. *aphor.* 42. ſcribit: Balneum quidem juvare ſed hecticos, quia calefactos refrigerat, & reſiccatos humectat, modo moderatum ſit: juvare & diarias, ſi ab uſtione, quia refrigerat: ſi à refrigeratione, quia calefacit: ſi à laſſitudine, quia refovet laſſata corpora: ſi ab obſtructione cutis, quia relaxat. Putridas minimè niſi vacuata vel concocta putredine.

*Conciliator verò differ.* 173. ita ſentit: in febri putrida cum apoſtemate à balneo quidem penitus abſtinendum, ne materia commota copioſius ad locum debiliorem transferatur. At aliter ſeſe rem habere in ejuſmodi febri ſimplici: hæc enim tunc erit in declinatione, materia jam digeſta; & ita communiter præcipitur balneum, propter intentionem aperiendi pororum cutis anguſtiam, & materiam evacuandi,

cuandi, quia totum corpus mediante cute per balneum exinanitur.

Pro decisione cum eodem Conciliatore in præscriptione balnei hoc loco tria esse perpendenda dicimus, nimirum 1. ut febris absque horrore sit, quia febris eodem generatur & augetur, 2. ut nulla pars principalis imbecillitate quâdam affecta sit, cùm aliâs humores per balneum resoluti in eam recipiantur 3. ut in primis viis humorum & contentorum cruditas omnis absit: Quod si verò materia fuerit indigesta, balneum humectativum tantùm ac temperatè calefactivum (minimè verò resolvens) convenit, quod in quartana sæpius præscribitur tunc temporis, ubi crudus humor adhuc pecca Diverso igitur modo balnea prosunt & nocent. *Forest. lib. 1. Observ. 6. & problem. Medic. Dec. 1. quæst. 1.*

## QUÆSTIO XI.

### *Utrum in omni putrida conveniat venæsectio?*

Negativa his stabiliri potest argumentis: *Primò*, quia vera & legitima missionis sanguinis indicatio est plethora sive copia sanguinis, ut dicit *Galenus lib. de plenitud. & alibi*: Si enim contraria à contrariis indicantur, ipsa rei natura & ratio postulat, ut cùm sanguinis detractio sit evacuatio, ipsius contrarium sit sanguinis repletio. Cùm ergò dentur multæ febres putridæ, in quibus nulla est plenitudo sanguinis, non videtur verum esse, quod in omni putrida sit κάλλιστον, hoc est, optimum & saluberrimum, mittere sanguinem, uti *Galen. lib. 11. Meth. 15. vult.*

*Secundò Hipp. & Galen. 4. acut. 15. 4. Meth. 6. 8. Meth. 4. & in lib. de sang. miss.* sæpè dicunt, indicationes mittendi sanguinem esse morbi magnitudinem & vires: atque non omnes febres putridæ sunt magnæ: proindè nec in omnibus sanguis minuendus esse videtur.

*Affirmativam tenet Galenus.*

*Contra* quæstionem affirmat sententia *Galeni cap. 15. lib. 11. Meth.* (cui & Avicennas subscribit), saluberrimum esse in omni febre putrida venam aperire, nisi ætas aut vires prohibeant, non continentibus modum, sed etiam aliis omnibus, quos putrescens humor excitat. Ratio subjungitur hoc modo: levata namque, quæ corpus nostrum regit, natura, exonerataque eo, quo veluti sarcina premebatur, haud ægrè, quod reliquum est, vincet. Itaque proprii muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni. Adde ex *Capivaccio lib. 6. pract. cap. 24.* quod per venæsectionem totum corpus refrigeretur. 2. Sanguis, qui in omni putrida materiæ morbificæ rationem habet, vacuetur; hâc tamen distinctione; ut in febribus sanguineis rationem causæ principalis habeat; causæ sine qua non in febribus non sanguineis; nam in tertiana (subjicit) quia bilis vacuari nequit, citra corporis calefactionem sanguinem vacuare oportet, ne incalescat, & corrumpatur: rationem causæ adjuvantis, quatenus in periodo febrium ad focum & partem imbecillem confluit *cap ult. lib. de differ. apud Galenum.*

*Ulterius Affirmativa defenditur.*

Itaque & nos quæstionis affirmativam tuemur cumque *Mercuriali* dicimus, sive indicatio sit sumenda à plenitudine, sive à morbi magnitudine, sive ab utrisque, in quâlibet febre putrida est & plenitudo, & morbi magnitudo. Quod adsit plenitudo, *Galen. in fin. lib. 2. de diff. febr.* probat dum in quacunque parte fiat putredo, (*inquit*) necesse est, ut sanguis ad eam partem confluat, qui cumulatus, ob denegatam perspirationem putrefieri solet; undè colligitur, si non adsit plenitudo universalis, semper tamen particularis sequitur, quæ ad sanguinis detractionem indicandam sufficiat. Quod adsit morbi magnitudo probatur indè, quia triplex est morbi magnitudo, ut docet *Galenus 4. Meth. 6. & 7. Meth. 12.* altera, quæ sumitur à dignitate actionis læsæ: altera ab ipsius affectus vehementia: postrema à facultatis corpus gubernantis malignitate seu læsione. In quacunque putrida semper horum trium aliquod genus magnitudinis adest.

Verùm notandum non tantùm magnitudinem præsentem, sed etiam futuram à Medico spectari debere, quia non minus ad peritum Medicum pertinet imminenti morbi magnitudini occurrere, verùm etiam præsenti & futuræ. Hinc ergò decretum Galenicum non absolutè febris vel putredinis causam, sed maximè conjunctam plenitudinem respicit, quod ex additâ ratione manifestum est.

Plura de hâc quæstione, qui desiderat, legat *Augen. lib. 5. de curat. per sang. miss. Sylvaticum controvers. 40 Centur. problemat. Medic. Decad. 1. quæst. 3.* itemque *Tom. 1. Disp. 18. Coron. de Venæsect. quæst. 12. pag. 335. Clariss. Dn. D. Sennert. tract. de febr. lib. 2. cap. 5.*

## QUÆSTIO XII.

### *An in febribus malignis Venæsectio conveniat?*

Cum hæc controversia *Tom. 2. lib. 1. de Febribus in Appendice* satis sufficienterque sit tractata, ideoque, ne actum agamus Lectorem benevolum indè remittimus, & hoc loco solùm Authoritates Clarissimorum Virorum, qui affirmativam hujus quæstionis tenent, adducimus.

Venæsectionem in Febribus malignis celebrant Græci, *Galenus* enim in febribus pestiferis sanguinem mittit *lib. M. M. 14. cap. 10.* & *Rufus* Galeno prior apud *Oribasium cap. 25. lib. 6. Synopseos. Ægineta cap. 36. lib. 2. Aëtius cap. 94. Sect. 1. Tetrab. 2.* Cum Græcis consentiunt Arabes *Avicenna*, *Averrhoes* ex *Theodoro Angelutio*, qui hanc controversiam ex professo tractat. His subscribunt *Fracastorius de Morb. Contag. lib. 3. cap. 5. pag. 101. Zoroaster Tinellus Consil. 34.* qui etiam præsentibus petechiis Venæsectionem suadet. *Crato l. 7. Consil. 48.* ante eruptionem macularum V. S. præcipit & *lib. 1. Consil. 25.* ante quartum diem probat. *Platerus in Observationibus* eam non negligit. *Wolffgangus Gabelchoverus in Centur. 5. Observ.* eandem passim laudat. *Jo. Petrus Lotichius Tract. de Febribus* in

in omnibus acutis *V.S.* probat. *Fabius Paulinus in Prælectionibus de peste Thucyd.V.S.* etiam in Peste laudat. *Valescus de Taranta* primis diebus in variolis probat. *Zacutus Lusitanus lib.1. Hist. Princip.* taxat Medicos Septentrionales nimis timidos, Venæsectionem in Variolis & Morbillis intermittentes, & *lib.4.Hist.Princip.* Venæsectionem in febribus malignis passim laudat. *Joh. Baptist. sylvaticus Controvers. 41.V.S.* suadet ab initio, modo exanthemata non efflorescant. *Matthæus Cornax apud Schenckium in Observ.* in morbo Ungarico V. S. proutilissimo remedio laudat. *Strobelbergerus in animadvers. med. de Febri peticulari ait*, Venæsectionem utilem esse. *Stephanus Rodericus Castrensis libro quæ ex quibus lib. 3. cap. 19. V. S.* admittit etiam maculis apparentibus. *Rembertus Dodonæus in praxi cap. de febri puncticulari* primo & secundo die admittit. *Joh. Franciscus Arquatus in Medico reformato* reprehendit eos, qui in febri pestilentiali V. S. omittunt, & eam etiam in febribus papillaribus admittit. *Felicianus Bettera Tract. de febr. Petechiali & Variolis V. S.* præcipit etiam maculis prodeuntibus. *Sennertus lib. 4. de febribus cap. 13.pag.540.* maculis apparentibus V. S. suadet. *Petrus à Castro Tract. de febri puncticulari V. S.* approbat. *Melchior Sebizius Disputat. de Petech.* V. S. eruptione Petechiarum symptomatica, non critica, admittit. *Tobias Knobloch in aphorism. de Febri peticulari pag.* 88. ait: Sanguis ubi abundat & urina turbida, quæ totam massam sanguineam infectam esse arguit, ante quartum diem vena secanda. *Jostrerius de Jostreriis in admirat. Medicis* V. S. quoque laudat. *Arnoldus Gillenius Medicus Cassellanus lib. German.* Venæsectionem in principio admittit, cum quo consentiunt *Joh. Christophorus Eisenmenger in Consilio german. de Lue Ungarica*, & *Martinus Pdnsa in Consil. German. Matthæus Martini lib.german.* etiam maculis præsentibus, sed suo modo V. S. admittit *Philippus Persius in lib. german. de morbis Austriacis* in Variolis, Petechiis, Peste V. S. admittit, etiam maculis efflorescentibus. *David Lipsius in lib. germ. de Variolis* etiam in pueris probat V. S. *Lucas Pollio Medicus Wratislaviensis lib. german.* eam certis conditionibus in febri Ungarica admittit. *Paulus Muncerus Medicus Silesius Tractat. german. de febribus malignis* Venæsectionem suadet. *Joannes Tilemannus in aphorism. de febr. malign. pag. mihi 43 §. 6.* admittit in febribus malignis ante quartum diem. *Wallæus in Medicina practic. cap. 12.* in febribus malignis Venæsectionem non nisi in fine locum habere dicit; & *cap. seq. 13.* in Variolis & morbillis prius evacuato corpore Venæsectionem suadet. *Clarissimus Mœbius Disputat. de Febri Petechiali* quam sub ejus clypeo defendit *Jeremias Rhetius cap. 14.* hujus controversiæ affirmativam defendit. *Grembsius in A. J. & R.H. lib.2.cap. 3. de febribus malignis numero 20.* in Petechialibus febribus in principio sanguinem mittit. *Frater Joh. Daniel Horstius Epistol. Medicinal.Decade Epist.10.pag.53. contra Thonerum* scribit: Qui moriuntur post Venæsectionem, non moriuntur propter Venæsectionem, sed propter Venæsectionem inconvenienter administratam. Nec Venæsectio instituitur ob malignitatem tollendam, sed ad sanguinem minuendum, ut natura ab onere levata in petechiis expellendis juvetur, spiritibusque suppressis subveniat. Undè experientia testatur, quod non tantùm in febribus his, sed etiam in variolis & morbillis V. S. initio adhibita, cor humoribus non repleat, sed roboret, ut expellere possit Variolas, Morbillos & Petechias.

Concludimus tandem controversiam hanc cum Epigrammate *Joachimi Fabri Medici Lawingani*, quod extat *in ejusdem lib. Germ. de Venæsectione in Febri Ungarica & Peticulari administranda* ad Zoilum:

*Cur rabie furias erga hæc mea scripta caninâ*
*Dicam, sed parcas Zoïle sanguifuge.*
*Auri sacra fames, quod venam tundere temnis*
*Est: citò namque nimis vena rejecta juvat.*
*Plus etenim nosti protractâ emungere curâ,*
*Quam si de rapto tempore cura foret.*
*Quod tibi Plutophagam venam liber insecat iste*
*Invidiæ causa est Zoïle sanguifuge.*

## QUÆSTIO XIII.

*Utrum in febribus putridis purgatio locum habeat, & an in principio febribus putridis conveniat?*

ALoisius Mundella vir sanè alioqui de re Medica optimè meritus, purgationes (ut fert *Valeriola in loc. comm. lib. 3. cap. 16.*) in febribus, acutisque morbis ita explodit, aversatur, damnat, ut vix locum in medendo illis relinquat. *Epist. namque 10. lib. Epist. Medicinalium*, *rursusque Epist. 22.* ita solventium medicamentorum in febribus usum contemnit, ut priori Epistola affirmare non vereatur, nullam à *Galeno lib. 11. M.M.* de solventibus pharmacis mentionem esse factam; altera autem Epistola ita medicamentorum solventium noxas exaggerat, omissis, quas præstant, utilitatibus.

*Negativa probabilis.*

Contra quam, & summorum medicinæ principum virorum, Hippocratis puta, Galeni, Pauli, Aëtii, Avicennæ, &c. inconcussa autoritas, & medicinæ autorum omnium concors assensio, ipsaque experientiæ fides attestari comprobareque firmissimo testimonio videntur.

*Contrarium defenditur.*

Ad Galenum quod attinet, *ille lib. 11. Meth.* tanquam igitur (inquit) in iis corporibus, quæ non vivunt ac putrescunt, primum quantum eorum jam computruit separant, dein ei, quod reliquum est, in frigidum aërem, sublato, perspirationem refrigerantem moliuntur, ita quoque & putredinem, quæ in vivis est sanabimus, scilicet id quod jam corruptum est, omni ratione vacuantes, &c. Et *Eodem lib. cap. 10.* dicit, quæ obstruunt, detersa, dissectaque sunt, per alvum urinas ac sudorem ea vacuare tentandum. Hic igitur expressis verbis in utroque loco *Galen.* purgationis in febribus mentionem facit.

Et quidem ea purgatio duplex est, perfecta seu eradicativa, & imperfecta seu minorativa. *Perfecta* est quan-

*Purgatio duplex.* *Perfecta.*

quando Medicus materiam peccantem ex toto extirpare contendit. Hâc Medicus in duobus casibus utitur: primò, quando materia turget juxta sententiam *Hippocratis lib.4.aphorism. 20.* Secundò, quando materia est valdè pestilens, ita ut si movetur, in corpore periculum sit, ne universum corpus violetur. Et hoc est, quod voluit *Galen. 4. de tuend. valet. 3. & 4.Meth. 10* quando scripsit: id quod putridum est statim è corpore pellendum, ne alia inquinet. *Imperfecta purgatio* est, in qua Medicus materiam peccantem ita minuere conatur, ut faciat pluribus vicibus, quod unâ vice faceret, si liceret. Hæc rursus in binis casibus in principio uti possumus; in uno quando febres adeò sunt acutæ, ut periculum sit, ne humores turgeant, & huc atque illuc commoti in partes nobiles decumbant, quod *Hippocrates* docere voluit, quando *1. aphor. 24.* dixit, in morbis acutis in principio rarò utendum esse purgatoriis, atque id cum insigni præmeditatione esse faciendum. Convenit igitur in acutis quandoque purgatio imperfecta, & præsertim in temporibus & regionibus calidis. In altero casu, quando corpus plenum est, nec tamen propter aliud obstaculum sanguinem mittere licet. Semper hic vires respiciendæ sunt: hæ enim ubi in principiis collabuntur, Medicus purgare non potest, quia hoc certè esset simul tollere & ægrum, & morbum. *Mercurial. de febr.lib.5.cap.8.*

GREGORII HORSTII

τῦ μακαρίτυ

# PROGNOSIS FEBRIUM

*potissimum*

CONTINUARUM ET MALIGNARUM,

*Juxta textum Hippocraticum in principio Coacarum Prænotionum,*

BREVISSIMIS NOTIS

*propositâ.*

## ΠΡΟΟΙ'ΜΙΟΝ.

*Quemadmodum Dux Belli felix proclamatur, qui maturè satis hostium insidias prævidet, more periti naucleri, qui non tantùm eò allaborat, ut præter spem ingruenti tempestati medeatur, sed etiam futuros periculorum motus prædicit, eosque totis viribus præcavere studet: sic etiam Medicus non tantùm ob successus optatos in valetudine defendenda & restituenda felix pronunciandus, cùm non rarò fiat, ut optimus quisque finem optatum, ad quem tendit, minus assequatur, undè rectè Poëta dixit olim;* non est in Medico semper, *&c. subjecta ratione, quia scilicet* interdum doctâ plus valet arte malum: *sed etiam tum demum felicitate perfectus pronunciatur, quando futurum eventum in morbis tàm vitæ quàm mortis ratione prædicere potest, quo ipso non tantum omnem arti calumniam præcavet, sed etiam divinitate quasi præditus omnibus sese suspiciendum & admirandum præbet. De* Æolo *refert* Strabo, *quod Rex ventorum dictus fuerit, quia per fluxum atque refluxum aquarum, cùm habitaret in locis asperrimis, futuræ tempestatis signa multò antè prædixerit, quæ cùm circa prædictum tempus evenirent, vulgum credidisse statuit, ventos in ejus potestate positos. At multò magis in Medici veri potestate tota Natura, præsertim humana, consistere videretur, utpote qui non tantùm unius, sed omnium accidentium, ac symptomatum futurorum prævisionem ex fundamentis indubitatis, nec vulgò notis, certissimâ conjecturâ colligit, juxta quam prænotionem omnes suas actiones & præscriptiones dirigit. Hinc olim* Eudemus, *Philosophus Romanus, postquam à* Galeno *non tantùm quo morbo laboraturus, sed etiam quâ ratione vicissim convaliturus sit, intellexisset, & eventus omnia comprobâsset, non immeritò exclamat,* Pythium Apollinem *ægrotantibus per os* Galeni *vaticinari voluisse, tàm quibus remediis morbus expugnari, quàm quâ die perfectè liberari possint. Imitabatur autem* Galenus *hâc in parte Divi* Hipppocratis Magni *monumenta relicta, qui, ne quid de aliis Medicinæ partibus dicam, hic ingenii humani sagacitatem superare videtur, si modo limis tantùm, quod dicitur, oculis ea, quæ in* Prognosticis, *in* Prorrheticis, *in* Prænotionibus Coacis, *in* libris Aphoris. in lib. Epidemior. *& alibi proponuntur, inspicimus.*

*Cùm autem ejusmodi divinationes & præsagia ex Universalium speculatione, & singularium actione necessariò sint colligenda; mirùm non est, quod ubique variarum rerum cognitio præsupponatur; undè positiones hæ Medicinæ Tyronibus primâ fronte non possunt non obscuriores videri. Verùm absit, ut ejusmodi difficultas philiatros eapropter ab Hippocratis lectione deterreat; difficilia enim quæ pulchra: quam ob causam non tantùm ea, quæ* Galenus *prolixiori docendi modo, tàm in Commentariis ad prædictos libros, quàm etiam in aliis, quos hâc de re conscripsit libris, nimirum de Crisibus; de diebus decretoriis, de typis, de morborum temporibus, &c. cum lectione Hippocratica conjungant, sed etiam recentiorum lucubrationes pro manuductione non negligant, ubi præ cæteris diligens fuit* Prosper Alpinus *in libris de præsagienda vita & morte ægrotantium. in quibus ea, quæ sparsim & sæpius obscurè* Galenus, Hippocrates *& alii proponunt, facillimâ methodo diligenter pertractat. Hujus materiæ necessitate coactus in gratiam studiosorum Medicinæ doctrinam de Febrium, potissimùm continuarum & malignarum, prædictionibus ex mente* Hippocratis juxta primam Coacarum Prænotionum partem *exercitii gratia publicè proponere volui, quò magis magisque meos Auditores ad limpidissimos* Hippocratis *fontes deducerem. Quanquam enim non sine suo meritò tàm* Ludovicus Duretus, *quàm etiam* Jacobus Hollerius & Desid. Jacotius *in declaratione textus Hippocratici, quo ad Coacas Prænotiones laborârunt, cùm tamen mole Commentariorum lectorem facilimè obruant, nec etiam propter raritatem Exemplarium in omnium manibus sint, omninò Medicinæ studiosis rem gratam me præstare putabam, si aliis, quas hactenus de natura febrium publicitùs proposui, disputationibus hanc etiam doctrinam ex ipsis fontibus adderem, & succinctis brevissimis notis illustrarem.*

HIP-

# HIPPOCRATIS COI COACARUM PRÆNOTIONUM PARTIS PRIMÆ,

## TEXTUS I.

Οἱ ἐκ ῥίγεος περιψυχόμενοι, κεφαλαλγέες, τράχηλον ὀδυνώδεες, ἄφωνοι ἐφιδρῶντες, ἐπαναφέροντες, θνήσκουσιν.

## COMMENT. AD TEX. I.

QUi *ex rigore*, scilicet non critico, qui acutis, vel periodico, qui intermittentibus accidit, sed Symptomatico, propter materiam morbificam ad partes sensibiles ab excretrice commotam, & ob imbecillitatem naturæ restitantem, nec per sudorem vel aliâ ratione resolutam, *perfrigescunt*, frigore videlicet minimè amico, sed quasi glaciali, propter innati calidi suffocationem ac debilitatem: *caput ac collum dolentes*, propter μετάστασιν biliosæ mordacisq; peccantis materiæ ad caput, atque inprimis sensiles membranas, cerebrum, ac spinalem medullam involventes, translatæ; *voce destituti*, propter materiæ vocalis inopiam ob musculorum vocalium exolutionem; *leviter insudantes*, vel circa caput & thoracem, vel in toto corpore, propter materiæ copiam expresso sudore levi, seu resolutio propter facultatis retentricis imbecillitatem humore alimentario; *Spiritu quasi recollecto*, quod natura victa atque oppressa aliquando resurgere videatur; *moriuntur*, quatenus in perniciosis sine signis levatio, mortem in propinquo demonstrat: Seu materia per illam levationem ad nobiles partes transferatur, seu etiam effœta vitali facultate tandem in ultima pugna natura succumbere cogatur.

## COM. AD TEX. II.

Αἱ μετὰ καταψύξιος δυσφορίαι, κάκισται.

*Anxietates vel* δυσφορίαι, cum in acutis inquietus jacendi habitus, & ægra, difficilisque symptomatum vehementiorum tolerantia conspicitur, *cum refrigeratione*, quando partes extimæ vivifici caloris affluxu defraudantur, vel quod calor cum sangvine ab extimis partibus ad interiora, tanquam à cucurbitula, in magnis inflammationibus retrahatur, vel quod insitus calor in circumferentia corporis resolvatur, quemadmodum in morientibus fieri solet; *pessimæ sunt*, quatenus naturæ robur maximè suppressum indicant, ita ut principales ac nobiliores partes imbecilliores sint, quò minus ab iis tanquam à centro ad circumferentiam causa peccans expellatur.

## COM. AD TEX. III.

Καταψύξιες μετὰ σκληρυσμοῦ, ὀλέθριον.

*Refrigeratio*, scilicet assidua corpus ægrotantis æqualiter apprehendens; *cum duritie*, nimirùm cute rigidâ, densâque & asperâ reddita, propter exhaustum humidum primigenium & alibilis materiæ consumptionem: *perniciosum est*, quia νέκρωσιν innati calidi, viriumque principalium dissolutionem indicat.

## COM. AD TEX. IV.

Ἐκ καταψύξιος φόβος καὶ ἀθυμίη ἄλογος, ἐς σπασμὸν ἀποτελευτᾷ.

*Ex refrigeratione*, partium videlicet externarum æquali & perdurante, propter contractionem spirituum impurorum ad suum principium; *mæror & tristitia præter rationem* minimè scilic. ab externa causa procedens, sed potius ab infectione sanguinis & spirituum producta, quatenus materia melancholica collecta sursum ad caput, exitu alio destituta transfertur; *in convulsionem desinit*, quatenus convulsio Melancholiæ soboles est juxta *Aph. Hipp.* quod Melancholici facilè fiant Epileptici, translatâ videlicet atrabilari materia ex substantia cerebri ad nervosas ac sentientes partes, nisi fortè per egregiam evacuationem, hæmorrhoidum, menstruorum vel aliâ ratione convulsionis materia suum exitum nauciscatur. Vide *hist.* 11. *sect.* 3. *lib. Epidem.*

## COM. AD TEX. V.

Αἱ ἐκ καταψύξιος οὔρων ἀπολήψιες, κάκιστον.

*Ex refrigeratione*, propter insiti caloris resolutionem in malignis & acutis accidentem in toto corpore, potissimùm verò in vesica, parte sanguinis & carnis præ reliquis experte, *suppressio urinæ*, labefactata videlicet expultrice vesicæ, seu stupefacto quoque sensu illius rei molestæ præsentiam non animadvertentis; *pessimum signum*, eapropter quod intemperies frigida per calorem dissolventem in reliquo corpore, maximè verò in vesica, partium omnium frigidissima genita, salutis spem omnem adimat.

## COM. AD TEX. VI.

Μετὰ ῥῖγος, ἄγνοια, κακόν. κακὸν δὲ καὶ λήθη.

*A rigore*, quando scilicet calor nativus succumbit & à symptomatica perfrigeratione vincitur: *ignoratio*, seu interceptio cognitionis, ubi rei præsentis species ab intellectu non dignoscitur; *& oblivio*, quando præteritarum rerum non recordatur æger; *malum*, quia fit hoc ipsum quatenus cerebrum p. n. refrigeratur, dum influxu spirituum destituitur, ita ut cor loco spirituum defœcatorum crassos ac multos vapores subordina-

dinatas intellectioni functiones impedientes nanciscatur. Vide *lib.3.Epid.s.3.ægr.13.*

## COM. AD TEX. VII.

Τὰ κωματώδεα ῥίγεα ὑπολέθρια καὶ τὸ φλογῶδες ἐν προσώπῳ μεθ' ἱδρῶτος, ἐν τοῖσι κακοήθεσι ἐπὶ τοῖσι ψύξις τῶν ὄπισθεν, σπασμὸν ἐπικαλέεται: καὶ ὅλως δὲ ψύξις τῶν ὄπισθεν, σπασμῶδες.

Τὰ κωματώδεα ῥίγεα, *rigores cum sopore*, qui fiunt commota materia non evacuata plurimùm in caput exhalante, & soporem symptomaticum introducente, vel τὰ καυματώδεα ῥίγεα, *rigores æstuantes*, ut alii legunt, in quibus materia quidem commovetur, sed frustrà & cum detrimento, propter ea quod non excludatur convenienti modo; *utcunque lethales sunt*, quando scilicet viribus effœtis & languentibus crebro incidunt, nec febrim finiunt. *In his rutila facies cum sudore*, quod fit propter materiam peccantem copiosè translatam, *malignum est*, utpote cum caput pars nobilis materiæ totius affluxum absque noxa sustinere nequeat, quam ob causam delirii, convulsionis, aliarumque affectionum metus adfertur. *Iisdem accedens posteriorum partium frigiditas convulsionem accersit, cum posteriorum refrigeratio convulsiva sit*, quia simul adest *habilitas* in subjecta parte patiente, quod posteriores partes frigidæ, nervosæ, & venis atque arteriis destitutæ magis inveniantur, quàm anteriores; & causæ efficientis *efficacia*, quatenus frigus densat, cogit & exasperat nervosas partes, expresso introrsum humido, quâ ratione postea convulsio generatur. Vide *Aph.65. lib.5.Aphorismorum.*

## COM. AD TEX. VIII.

Αἱ ἐκ νώτου φρῖκαι πυκναὶ, καὶ ὀξέως μεταπίπτουσαι, δύσφοροι· οὖρα γὰρ ἀπόληψιν καὶ ἐπώδυνον σημαίνουσι, τὸ ἐφιδροῦν τούτοισι κάκιστον.

*Ex dorso horrores frequentes*, excitati videlicet in ipsâ parte affectâ propter inflammationem spinalis medullæ & membranarum ejus, juxta *Galenum comm. ad prorrh.45.p.2.lib.2.celeriterque permutati*, quod vi caloris extranei contra naturam exardeant, & imbecillitate paupertateque caloris innati per vices refrigerentur; *difficiles sunt*, quia subjicitur ratio: *nam urinæ suppressionem ac laboriosum morbum denunciant*, juxta prædictam *aph.5.* declarationem. *His leviter insudare pessimum*; est enim nota suppurationis, aut doloris qui premit, aut extinctionis caloris nativi, quatenus talis sudor infirmitatis, & resolutionis partium solidarum causa & signum esse potest.

## COM. AD TEX. IX.

Ῥῖγος ἐν συνεχείᾳ τοῦ σώματος ἀσθενέος ἤδη ἐόντος, θανάσιμον.

*Rigores continui*, seu frequens in febris assiduitate rigor, quando scilicet juxta *Aph.46.lib.4.* ῥῖγος ἐμπίπτον πυρετῷ μὴ διαλείποντι, rigor incidit febri nôn intermittenti; *corpore hactenus debili existente*, viribus ad insultum rigoris, & expulsionem peccantis materiæ minimè sufficientibus; *lethale est*, tàm quod ipse rigor in tali casu sit symptomaticus & malus, sive excretio rigorem sequatur, quæ in virium infirmitate laudabilis non est, sive frustra fiat, ubi vires fractæ quassationem & insultum causæ morbificæ diu perferre nequeunt.

## COM. AD TEX. X.

Οἱ πυκνὰ ἐφιδροῦντες, καὶ ἐπιῤῥιγέοντες, ὀλέθριον, καὶ ἐπὶ τῇσι τελευτῇσιν ἀναφαίνονται ἐμπύημα ἔχοντες, καὶ κοιλίας ταραχώδεας.

*Frequenter exudantes* oppressâ scilicet naturâ per materiæ copiam, cujus respectu sæpius quidem inani conatu sudorem incipit, sed succumbens ac magis debilitata minimè perficit; *ac subindè rigentes*, ob imbecillitatem videlicet sudatione interruptâ, propter oppressam naturam à morbificæ causæ copia, viriumque imbecillitate; *pessimè habent*, quia coit hic morbi vehementia, facultatumque robor exolutum. *Et ad extremum suppurationem habere comperiuntur*; quando scilicet puris fit secessio & eruptio, quod anteà continebatur adhuc in parte phlegmone obsessa, potissimùm in thorace & pulmonibus; *alvosque perturbatas*, propter incipientem caloris extinctionem, facultatis retentricis resolutionem, totius colliquationem, quam excretionem symptomaticam resudans sanies mordicatione sua magis extimulat. Vide *lib.5.Aph.12.& 14.*

## COM. AD TEX. XI.

Τὰ ἐκ νώτου ῥίγεα δυσφορώτερα. ὃς δ' ἂν ἑπτὰ καὶ δεκάτῃ ῥιγώσας, τετάρτῃ, καὶ εἰκοστῇ ἐπιῤῥιγοῖ, δύσκολον.

*Rigores ex dorso molestiores sunt*, tùm quod spinalis medulla suâ naturâ frigida citius p. n. afficiatur, & vehementiorem impressionem patiatur, propterea quod validior sit offensio frigoris in partibus frigidis, quam calidis; tùm quod causa gravis sit & vehemens, inflammatio videlicet spinalis medullæ & membranarum ejus; tùm quod ratione loci caput, membrum principale, per communicationem maximè læditur. *Qui verò 17. die riguit*, nimirum critico die convenienti; *si quarta & vicesima denuò rigeat*, quæ dies critica non est; *in periculo est*, quia talis commotio non fit die critico, quam ob causam ex hypothesibus Hippocratis laborem significat, & morbi longitudinem, & recidivam pro diversitate affectuum. Adest enim mutatio ordinis naturæ, ut exacerbatio moveatur die pari, quod tamen impari fieri debebat, propterea quod calor nativus excitatus per copiam, & malignitatem peccantis materiæ pugnam citius repetat, non sine periculo in acutis; vel quod potius à putredinis diffusione, quam vera critica motione, tale quid 24. accidat.

COM.

## COM. AD TEX. XII.

Οἱ φρικώδεες, κεφαλαλγικοὶ, ἱφιδρῶντες, κακοήθεες.

*Qui inhorrescunt*, semitertiana videlicet affecti, de quibus propriè dicitur, quod sint φρικώδεες; *capite dolent & insudant*, quibus scilicet per periodicam horripilationem gravia symptomata, nimirum cephalæa & ἐφίδρωσις succedunt; *malignè habent*, propterea quod cerebri oppressio, facultatisque animalis infirmitas denotentur, cum ejusmodi capitis dolor cum levi sudore nec criticus, nec periodicus sit.

## COM. AD TEX. XIII.

Οἱ φρικώδεες ἐφιδρῶντες πολλῷ, δύσκολοι.

*Qui inhorrescunt multúmque sudant*; in febribus scilicet acutis juxta 2. *Prorrhet. aph.* 23. *ægrè sanescunt*, quia talis sudor difficilis est & noxius, ut causa, & ut signum: ut causa, quatenus copia & frequentia vires dissolvit: ut signum, quia denotat humorem contumacem, copiosum, & facultatem oppressam.

## COM. AD TEX. XIV.

Τὰ πολλὰ νωθρώδεα ῥίγεα, κακοήθεα.

*Rigores multi torpidi*, quando scilicet crebro cientur veternosi rigores, ut pigrities adsit, adstantes & familiares interdum non agnoscantur, & inexpugnabilis inclinatio ad somnum succedat, *maligni sunt*, quia segnities illa fit vel ab oppressione cerebri per glutinosum, crudum atque frigidum humorem copiosè collectum, qui rigore symptomatico movetur quidem, sed minimè expellitur; vel ab extinctione facultatis animalis, ubi mors est in propinquo. Vide *Galen. ad* 13. *Prorrhet. p.* 1. 1.

## COM. AD TEX. XV.

Οἷσιν ἑκταίοισι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτον.

*Quibus sexta die rigores fiunt*, tales qui critici dicuntur, quando vi naturæ morbum aggredientis biliosa & mordax materia è vasis ad partes exquisitè sentientes expellitur; *morbus ægrè judicatur*, quia sextus dies in febribus continuis & malignis est malus criticus, in quo natura non per se, sed vel copiâ vel malignitate quâdam extimulata, cum morbo pugnam init. Hinc periclitantur ægri, cum sexta inhorrescunt in continuis, ut patet ex observationibus Hippocratis.

## COM. AD TEX. XVI.

Ὁκόσοισι φρῖκαι πυκναὶ ὑγιαίνουσιν, ἤτοι ἐξ αἵματος ῥύσιος ἐκπυΐσκονται.

*Quibus sanis*, convalescentibus & utcunque morbo defunctis, *horrores frequentes sunt*, præter manifestam vel externam causam, quâ aliâs etiam in convalescentibus à morbo protinus horrores incidere solent, *hi ex sanguinis fluxione suppurantur*; quia post sanguinis eruptionem horrores superstites pus alicubi collectum denunciant, sanguine relicto putrescente vel inflammatione genitâ.

## COM. AD TEX. XVII.

Τὸ φρικῶδες καὶ τὸ δύσπνουν ἐν τοῖσι πόνοισι, σημεῖα φθινώδεα.

*Horror* inordinatus ac subindè incidens; *& spirandi difficultas*, cum inani tussiendi cupiditate frequenti; *in doloribus*, ubi febris assidua est, noctuque magis increscit; *tabis signa sunt*, illius nimirum, quæ fit ex ulcere pulmonum, ubi per acrimoniam puris pulmonum ac thoracis membranæ vellicantur, & copiâ ejusdem bronchia pulmonum opplentur.

## COM. AD TEX. XVIII.

Ἐξ ἐμπυήσιος πλεύμονος, καὶ κατὰ κοιλίην ἐνίοτε ἀλγήματα καὶ κληῖδα, καὶ τὸ ὑπορέγχειν ἀσώδεα, σημαίνει πτυέλου πλῆθος ἐν τῷ πλεύμονι.

*Ex pulmonis suppuratione*, quæ vel abscessum exulceratum, vel peripneumoniam sequitur; *dolores aliquando circa ventrem*, scilicet inferiorem, qui suppuratis frequenter turbari, & propter acris materiæ communicationem doloribus affici solet; *& claviculam*, propterea quod puris copia pulmo gravior factus mediastini membranas, claviculis superius annexas, deorsum trahat, & hoc modo dolorem excitet; *& anxiè stertere*, cum effervescente materia guttur & bronchia pulmonum admodum replentur, ita ut agitata materiâ per spiritum angustia viarum prohibeat, quo minus aër liberum ingressum habeat; *sputi copiam in pulmone significat*, generali videlicet sputi significatione, quâ purulenta materia quoque sic dicitur.

## COM. AD TEX. XIX.

Οἱ φρικώδεες, ἀσώδεες, κοπιώδεες, ὀσφυαλγέες, κοιλίας καθυγραίνονται.

*Inhorrescentes*, ob citatos atque commotos humores exitum non habentes, quod fit in acutis, naturâ propter debilitatem ad motus criticos minimè sufficiente; *anxii*, quod materia regurgitet à circumferentia ad centrum; *delassati*, quando pigrities quædam tensiva corporis, ob tenuia excrementa in musculorum habitum dispersa percipitur; *lumbis dolentes*, quod ea in parte causa lassitudinis dolorificæ magis abundet; *profusiore tandem sunt alvo*, promiscuè simul confertimque multa excernentes, vel quod natura victrix crisi peccantem materiam per alvum educat, vel propter labefactatam retentricem, quod malum est,



ubi

ubi scilicet ea non educuntur, quæ cum naturæ levamine purgari debent.

## COM. AD TEX. XX.

*Τὰ ἐπιῤῥιγέοντα, ἐς νύκτα μᾶλλόν τι παροξυνόμενα, ἄγρυπνα, φλεγματώδεα, ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν ἐστιν ὅτε οὖρον ὑπὸ ἑωυτοὺς χαλῶντα, φλεβοδονώδεα, ἐς σπασμὸν ἀποτελευτᾷ.*

*Supervenientes rigores*, qui scilicet frustrà oboriuntur in febribus à bile ac pituita mixtis; *noctu magis exacerbati*, propter pituitosam materiam tùm temporis suam commotionem experientiâ & Hippoc. autoritate sustinentem; *cum vigiliis*, ob motum laboriosum humoris, calidis videlicet evaporationibus cerebrum occupantibus; *multum æstuantes*, φλεδονώδεα ὄντα, vel ut alii legunt, φλεβοδονώδεα, quod Galeno significat φλέβας δονουμένας, arterias tensas & quasi vibratas, quod fit in æstuantibus rigoribus. Alii legunt φλεγματώδεα, nimirum quatenus pituitosus humor incensus diu febriles evaporationes emittere potest, ubi tamen prior lectio præfertur, quando consideramus illa quæ habet *Galen. 1. prorrh. com. 3. Vrina in somnis emissa nonnunquam*; vel quod judicium sit depravatum, vel propter sphincteris musculi resolutionem; *in convulsionem desinunt*, rapta videlicet acriori parte serosorum humorum ad cerebrum, undè tales urinæ, quæ præter voluntatem in ejusmodi casu excernuntur, plerumque subjugales sunt.

## COM. AD TEX. XXI.

*Τὰ ξυνεχέα ῥίγεα ἐν ὀξέσι, πονηρόν.*

*Continui rigores in acutis*, qui scilicet subindè frequenter invadunt, cum propriè nullus rigor continuus esse possit; *pestiferi*, quia indicant debilem naturam, quæ frustra materiam movere conatur.

## COM. AD TEX. XXII.

*Αἱ ἐκ ῥίγεος μετὰ κεφαλαλγίης ἐκλύσιες, ὀλέθριοι. τὰ αἱματώδεα οὖρα ἐν τούτοισι πονηρόν.*

*Si à rigore*, in acuta febri, *cum capitis dolore*, qui per translationem materiæ peccantis ad partem principem oritur; *vires prosternuntur*, labefactatis facultatibus principalibus, *funestum est*, propterea, quod ejusmodi virium imbecillitas nec ad materiam morbificam vincendam, nec etiam ad symptomatũ vehementiam sustinendam sufficiens sit. *In his urinæ cruenta*, subrubræ videlicet, quasi cruoris aliquam partem admixtã habeant; *pravæ sunt*, non quidem quasi signum hoc cum prioribus connexionem habeat, cum nec ab animali nec à vitali facultate dependeat, sed eam ob causam, quod indicet naturalem quoque functionem vehementer affectam.

## COM. AD TEX. XXIII.

*Ῥῖγος ὀπισθοτονῶδες κτείνει*

*Rigor cum convulsione partium posteriorum*, quando rigor in causa est, ut propter difflationem denegatam nervosa corpora per materiam morbificam eò translatam repleantur; *necat*, tàm propter magnitudinẽ causæ, quàm propter interceptionem respirationis, usum respirationis augendo, & motum instrumentorum prohibendo.

## COM. AD TEX. XXIV.

*Τὰ φρικώσαντα καὶ ἀνιδρώσαντα κρισίμως, ἐς δὲ τὴν αὔριον φρίξαντα παραλόγως, μὴ ἀγρυπνεῦντα, μήτε πεπαινόμενον, αἱμοῤῥαγήσειν οἴομαι.*

*Inhorrescentes & sudantes criticè*, cum scilicet in acutis die critico post horrorem præcedentem natura, per subsequentem sudorem, peccantis materiæ copiam expurgare conatur, *postridiè rursus præter rationem perfrigerati*, quatenus scilicet crisis præcedens imperfecta, plurimumque residuæ materiæ relictum esse videtur, undè talis perfrigeratio præter rationem, hoc est, sine signis criticam motionem futuram determinantibus, accidit; *vigilantes*, sanguine bilioso commoto, vaporibusque suis cerebri quietem à functionibus animalibus impediente; *cum concoctione*, materiæ videlicet morbificæ, propterea quod crisis omnis coctionem & præparationem materiæ subsequatur, ut patet ex signis crisin indicantibus; *hæmorrhagiam expectare debent*, ulteriorem videlicet naturæ motum criticum, per fluxum sanguinis id quod superest, expellere conantem, quod eò magis colligimus, aliis futuris hæmorrhagiæ signis simul conjunctis.

## COM. AD TEX. XXV.

*Τὰ μετὰ ῥίγεος ἐπισχόμενα οὖρα, πονηρὰ καὶ σπασμώδεα, ἄλλως τε, καὶ προκαρωθέντι ἐλπὶς δὲ ἐπὶ τούτοισι, καὶ τὰ παρὰ τὰ ὦτα.*

*Vrinæ cum rigore suppressæ*, nimirum vi symptomatici rigoris interceptæ, tàm propter excretricis facultatis exolutionem, quàm propter materiam sursum ad partes nobiles commotam, quorum illud à caloris nativi languore, hoc autem à motu materiæ præter naturam dependet; *pravæ sunt*, & *convulsionem producunt*, quod ejusmodi signum caloris nativi maximam noxam indicet, undè simul accedente translatione materiæ sufficientes convulsionis causæ præstò sunt; (licet enim salutare sit signum, ubi ante criticum rigorem urina sistitur, cum dependeat ex victricis naturæ robore, quæ per vias alias materiam expellere tentat, longè tamen alia ratio est in suppressione illa, quæ unà cum rigore accidit,) *tùm aliàs*, *tùm in iis*, *qui sopore detinentur*, propterea, quod ejusmodi sopor peccantis materiæ co-

piam

piam in cerebro significet, quæ lethalem omnino convulsionem producit, quando materia malignitate sua principium nervorum aggreditur. *Spes autem in his est*, quando scilicet natura non penitus opprimitur, sed à nobiliori ad ignobiliorem partem id quod noxium est expellere satagit; *abscessus ad aures futuros*, materiâ videlicet copiosâ virtute facultatis expellentis ad aurium glandulas repositâ

## COM. AD TEX. XXVI.

*Τελταιοφυέα ῥίγεα, ἣν ἐν μέσῳ παροξυνόμενα, πυρετῷ, ἀτάκτῳ, πάνυ κακοήθεα πάντα ἅμα δὲ παροξυνόμενα τ᾽ ἀπάντων, τ᾽ μετὰ ῥίγεος καὶ πυρετοῦ, ὀλέθριον.*

*Rigores in febribus tertianis*, iis scilicet, quæ τριταιόφυες dicuntur, quæ oriuntur à crudis pituitosisque succis putrescentibus, admixta simul flavâ bile, & sunt quasi continuæ, nisi quod tertiâ die novam exacerbationem habere videantur; *circa medium exacerbati*, propter diversas qualitates materiæ peccantis; *febre ordinem non servante*; quod exacerbatio jam à putrescentibus pituitosis, jam verò à biliosis humoribus oriatur; *valdè maligni sunt*, quod molestis atque diversis malignæ materiæ motibus natura tandem suppr imatur. *Contra verò qui exacerbantur convulsione unà cum rigore & febre*, quando scilicet per metastasin materiæ principium nervorum, ac tandem partes animali facultati servientes, convelluntur; *lethale est*, quia natura supprimitur.

## COM. AD TEX. XXVII.

*Αἱ ἐκ ῥίγεος ἀφωνίαι, τρόμῳ λύονται καὶ τοὺς ἐπιῤῥιγέοντας τρομώδεα γινόμενα κρίνει.*

*Vocis interceptiones ex rigore*, quando per rigorem materia commota pectori communicatur, aliisque partibus generationi vocis inservientibus; *solvuntur tremore*, impropriè quidem voce solutionis acceptâ, quando transpositionem materiæ à cerebro, vel membris vocalibus ad nervosas partes tremor indè generatur; *& subindè rigentes tremor succedens judicat*, crisi seu judicio καταχρηστικῶς dicto, quatenus ejusmodi tremor succedens rigorem quidem finit, sed non sine gravi subjecti laborantis dispendio.

## COM. AD TEX. XXVIII.

*Οἱ ἐκ ῥίγεος μετὰ κεφαλαλγίης ἐκλυόμενοι, σφαλεροί· τὸ αἱματῶδες οὖρον τούτοισι κακόν.*

Hîc aphorismus 22. tantùm repetitur, unico mutato vocabulo, loco ὀλέθριον ponitur σφαλερὸν, quæ vox mitior esse videtur priori, quod mortis notam plerumque firmiter innuat.

## COM. AD TEX. XXIX.

*Οἷσι ῥῖγος, οὖρα ἐπίστασις.*

*Quibus rigor*, scilicet criticus, ubi natura materiam oppugnans serositates à centro ad circumferentiam movet; vel symptomaticus, agente causâ morbifica succumbente naturâ; *iis urina subsistit*, vel aliò translata materia, vel expultrice læsâ.

## COM. AD TEX. XXX.

*Σπασμὸς ἐν πυρετῷ, χειρῶν καὶ ποδῶν πόνοι, κακοήθες· κακοήθες δὲ καὶ ἐκ μηροῦ ὁρμὴ ἀλγήματος, ἀλλ᾽ οὐδὲ γονάτων πόνος, χρήσιον· ἀτὰρ καὶ γαστροκνημιῶν πόνοι, κακοήθεες, καὶ γνώμης παράφοροι, ἄλλως τε καὶ οὖρον τὴν ἐναιωρηθῇ.*

*Convulsio in febri*, nimirum vel per incendium febris inæqualiter genere nervoso siccato, vel eodem ob evacuationem nimiam refrigerato, vel tandem copia peccantis materiæ nervos afficiente; *manuum ac pedum dolores*, à materiæ peccantis decubitu symptomatico progenitos; *malignum est*, periculosum scilicet est, ita tamen ut non penitus omnem salutis spem adimat. Vide *Hippoc. & Galen. 1. Prorrh. 1. §. 14. Malignus est & doloris impetus è femore*, quia natura debilior per παλινδρομὴν materiam intrò reverti sinit, nullo subsequente abscessu; *neque genuum dolor bonus est*; quod pars hæc ad criticam evacuationem, vel peccantis materiæ concoctionem sit inhabilis; *sed & surarum dolores maligni sunt*, tunc temporis scilicet, ubi suam generationem cacochymiæ malignæ debent, ob consensum, quem habent cum partibus principalibus, inprimis corde & cerebro; *mentemque emovent*, nervorum beneficio deliriò subsequente; *tum aliàs, tum si urina nubeculas elevatas habuerit*, quod per se permutationem humorum in venis à flatuoso spiritu, per accidens verò delirium significat.

## COM. AD TEX. XXXI.

*Οἱ ἐξ ὑποχονδρίων ἀλγήματος πυρετοὶ, κακοήθεες· τὸ καρῶδες ἐπὶ τούτοισι, κάκιστον.*

*Febres ex hypochondriorum dolore*, nimirum illæ quæ suam originem habent à viscerum abdominis inflammatione; *malignæ sunt*, propter nobilitatem partis affectæ, magnitudinem causæ, symptomatumque vehementiam. *Sopor his accedens*, contracto ad centrum ob inflammationem calore, seu viscerum crudis evaporationibus sursum elevatis, aut animalibus facultatibus oppressis; *pessimus est*, quia causas inflammationis auget, & virtutem naturalem supprimit.

## COM. AD TEX. XXXII.

*Οἱ μὴ διαλείποντες ἐφιδροῦντες πυκνὰ μετὰ ὑποχονδρίου ἐντάσιος, ὡς ἐπιτοπολὺ κακοήθεες, καὶ τὰ ἐς ἀκρώμιον καὶ κληῗδα, στηρίζοντα ἀλγήματα, ἐν τούτοισι πονηρά.*

*Qui febre non quiescente*, nimirum in continuis; *crebrò insudant*, quod malignitatis copia natura supprimatur, vel retentricis imbecillitas maxima adsit, *cum hypochondrii tensione*, quæ scilicet viscerum inflammatorum comes est, quam ægri intrò & sursum conversam percipiunt; *plerumque malignè habent*, propter principes partes affectas: *& dolores in summum humerum & claviculam in his infixi*, quod non nisi per gravissimam jecoris inflammationem, ob consensum membranâ costas succingente interveniente fit; *pravi sunt*, quia juguli inflammatio fixa mortem citam adferre dicitur, nisi per hæmorrhagiam affectus solvatur.

## COM. AD TEX. XXXIII.

*Οἱ τριταιοφυέες ἀσώδεες πυρετοὶ, κακοήθεες.*

Vide *com. ad aph. 26.* præcedentem.

## COM. AD TEX. XXXIV.

*Αἱ ἐν πυρετῷ ἀναυδίαι, κακόν.*

*Sermonis privatio in febri*, quando scilicet ex toto vox non abest, quod caloris penè emortui signum est; sed solùm articulata vox non exprimitur; *mala est*; quia talis *ἀναυδία* symptoma est paralyticæ linguæ constitutionis; ubi quo ad antecedentes causas facultatis animalis imbecillitas, & vivifici caloris oppressio denotatur.

## COM. AD TEX. XXXV.

*Κοπιώδεες, ἀχλυώδεες, ἄγρυπνοι, κωματώδεες, ἐφιδροῦντες, ἀναθερμαινόμενοι, κακόν.*

*Delassati*, non ab externa causa, sed quod materia peccans in acutis intrò coacervetur & exitum non habeat; *caligantes*, quod vaporibus ascendentibus caput, sensuum organa & inprimis oculus afficiatur; *vigilantes, in soporem propensi*, juxta notas, quæ in comate vigilante percipiuntur; *exudantes*, leviter scilicet propter materiam ab imbecillitate naturæ minimè superatam, *recalescentes*, ob fervorem putrescentis humoris de novo suscitatum, *malè habent*, quia per omnia hæc signa colligitur naturam à vi materiæ peccantis superari, simul ac ejusdem operationes succumbere.

## COM. AD TEX. XXXVI.

*Οἱ κοπιώδεες μετὰ φρίκης ἐφιδρώσαντες κρισίμως, ἀναθερμανθέντες ἐν ὀξεῖ κακόν· ἄλλως τε, κἢν αἷμα ἐπιστάζωσι περὶ ταῦτα.*

*Delassati cum horrore*, suborta videlicet imperfecta crisi cum debilitata natura, *exudantes criticè*, subsequente nimirum sudoris evocatione, sed imperfecta; *recalefacti celeriter*, ubi loco rigoris perdurantis vix horror incipiens & interruptus est; *malè habent*, quia crisis imperfecta notatur: *tùm aliàs, si eo tempore sanguis de naribus extillet*, quod malum est signum tempore criticarum commotionum accidens, cum imbecillitatem succumbentis naturæ denotet.

## COM. AD TEX. XXXVII.

*Ἰκτερώδεες κατακορέες θνήσκουσι. λευκὸν διαχώρημα τουτέοισι προδιέρχεται.*

*Regio morbo admodum fœdati*, nimirum ictero symptomatico, quem morbi motus ante tempus, hepatis inflammatio, scirrhus, aut venenum introducit, *moriuntur*, scilicet ubi morbis acutis aliâs ægri laborant: *alba dejectio in his præcedit*; quod fit ea propter, quia fœcum tinctura, bilis videlicet, unà cum sanguine in habitum corporis distribuitur.

## COM. AD TEX. XXXVIII.

*Οἱ τριταιοφυέες πλανώδεες, ἐς ἀρτίας μεταπεσόντες, δύσκολοι.*

*Febres tritæophyees erroneæ*, si scilicet exacerbationem suam ordine consueto, propter bilem tertia quaque die commotam, non observant; *in dies pares incidentes*, respectu videlicet commotionis pituitosi quoque humoris secunda die exagitati; *difficiles sunt*, cum febris exacerbatio major non tantùm tertia, sed etiam secunda die fiat.

## COM. AD TEX. XXXIX.

*Οἱ ἐν κρισίμοισιν ἀλυσμοὶ ἀνιδροῦντες περιψυχόμενοι, κακόν· ἅπαντες δὲ οἱ ἄνευ ἱδρῶτος περιψυχόμενοι ἀκρίτως, κακόν.*

*Qui in diebus judicatoriis*, diebus imparibus 3. 5. 7. 9. 11. 14. & sic deinceps, quibus maxima vis est respectu septenarii numeri ante vigesimum, *inquieti sine sudore perfrigerantur*, anxietate scilicet oborta propter vires succumbentes, cum viscerum æstu conjuncto; *imò verò omnes, qui sine sudore perfrigerantur citra judicium*, nullâ scilicet criticâ expulsione subsequente; *malè habent*, quia maligna cacochymia frustrà commovetur, ubi nulla secretio subsequitur.

COM.

COM. AD TEX. XL.

Καὶ οἱ ἐπιῤῥιγώσαντες ἐκ τούτων, ἐμέσαντες ἀκρητέα ἀσώδεες, τρομώδεες ἐν πυρετῷ κακόν· καὶ φωνὴ δὲ ἐκ ῥίγεος.

*Et qui riguerunt ex his*, *vomentes meraca*, quando materia rigorem excitans non resolvitur, sed malignitate suâ ventriculum subvertit; *anxii*, quando virium lapsus ejusmodi symptomaticam vomitionem commitatur; *tremuli in febribus*, propter nervosas partes imbecillitate quâdam affectas, sive sit orta à materiæ translatione, sive à caloris nativi extinctione & facultatis resolutione, *malè habent*, quia tot signa concurrentia parum spei superesse testantur. *Et vox à rigore*, ubi pro vocabulo φωνὴ legendum ἀφωνία, quod malum esse superius patet.

COM. AD TEX. XLI.

Τὰ δὲ ἐκ ῥιγῶν μικροῖσιν ἱδρῶσι περιψύχοντα, κακόν.

*Post rigores* symptomaticos, *exiguis sudoribus perfrigescere*, excitatis scilicet non facultatis expultricis virtute, sed retentricis potius infirmitate; *malum est*, denotat enim succumbentem naturam.

COM. AD TEX. XLII.

Οἱ ἐφιδροῦντες, ἄγρυπνοι, ἀναθερμαινόμενοι κακόν.

*Exudantes*, scilicet leviter & imperfectè *vigilantes*, ob acres & malignas evaporationes cerebrum afficientes, *recalescentes malè habent*, juxta declarationem *aph.* 35. *&* 36.

COM. AD TEX. XLIII.

Οἱ Ἐφιδροῦντες ἐν πυρετῷ, κακοήθεες.

*Leviter exudantes in febri*, propter imbecillitatem retentricis, aut imperfectam criticam commotionem, *malignè habent*, quia denotatur suppressio naturæ.

COM. AD TEXT. XLIV.

Οἷσι χολώδεος διαχωρήσιος ἰούσης, περὶ στῆθος δῆξις καὶ πικρότης κακόν.

*Quibus in biliosa dejectione*, quando symptomaticè biliosi & acres humores in diarrhæa, aliisque alvi fluxionibus dejiciuntur, *circa pectus*, nimirum circa sinum cartilaginis ensiformis, *morsus & amaritudo adest*, materiâ biliosâ & acri sursum quoque regurgitante, & orificium ventriculi corrodente, quo affecto consequenter amarities propter continuitatem membranæ gulam cingentis etiam percipitur, *malum est*, quia propter perennem bilis generationem, partium afflictarum præstantiam, doloris acerbitatem, & similia, conditio laborantis periculosa redditur.

COM. AD TEX XLV.

Ἐν πυρετῷσι κοιλίης ἐμφυσωμένης, πνεῦμα μὴ διεκπίπτον, κακόν.

*In febribus ventre à flatibus destento*, quando præter febrilia symptomata totum abdomen inflatur, ita ut hypochondriorum æqualitas, in consuetâ mollitie & habitudine consistens, amplius minimè servetur; *si flatus non egrediatur*, distentis & inflatis hypochondriis remanentibus; *malum*, quia spiritus ejusmodi crassus & impurus nativi calidi partium infimi ventris diminutionem, ipsiusque Naturæ debilitatem indicat.

COM. AD TEX. XLVI.

Κοπώδεες, λυγγώδεες, κάτοχοι, κακοί.

*Lassati*, scilicet in febribus acutis; *singultuosi*, potissimùm propter insignem jecoris inflammationem, ubi stomachus inflammationis illius fit particeps, & plurimum acrimonia bilis confertim præter naturam genitæ vellicatur; *stupore occupati*, tali nimirum, quem catochen vocant, obrigescentibus quasi, & in eodem statu permanentibus omnibus membris, exorto propter materiæ siccioris translationem ad nervos; *malè habent*, quod princeps facultas succumbat, & periculosæ convulsiones protinus subsequantur.

COM. AD TEX. XLVII.

Ἐκ νώτου πυκινῇσι καὶ λεπτῇσι φρίκῃσιν ἐφιδροῦντες, δύσφοροι· οὔρου ἀπόληψις ἐπώδυνον σημαίνει· τὸ ἐφιδροῦν τούτοις κακόν.

*Qui ex dorso frequentibus levibusque horroribus desudant*, ex virium imbecillitate natura succumbente; *molestè habent*: juxta ea, quæ proponuntur *aph.* 6. *laboriosa quippe urinæ interceptio significatur*, de qua vide *aph.* 5.

COM. AD TEX. XLVIII.

Τὸ παρὰ τὸ ἔθος ποιέειν τι, οἷον προθυμέεσθαί τι πρότερον μὴ εἰθισμένον, ἢ τοὐναντίον, πονηρὸν, καὶ πλησίον παρακοπῆς.

*Facere quid præter consuetudinem, ut v. g. aliquid propensius curare prius non consuetum, aut contrà*, nimirum quando in acutis sapiens imprudenter loquitur, mitis iterum æstu fluctuat, pudibundis manibus, cruribusque diductis indecorè cunctis aspiciendum sese exhibet, aut ægrotans aliâs etiam sollicitudine singulari præter consuetudinem hoc vel illud urget; *malum ac perniciosum est*, quia denotat labefactationem instrumentorum animi, per causarum morbificarum vehementiam obortam, quo

quo circa rectè sequitur, tunc temporis *delirium in propinquo esse.*

COM. AD TEX. XLIX.

Τὰ ἐν πονηροῖσι σημείοισι κυφίζοντα, καὶ τὰ ἐν χρηστοῖσι μὴ ἐνδιδόντα δύσκολα.

*Cum pravis signis mitescentia*, nimirum quando in morbis acutis levamen aliquod adesse videtur, remanentibus nihilominus signis pravis, nullâ videlicet evacuatione, criticâ vel coctione, vel abscessu seu in morbum leviorem transmutatione præeunte; *& cum bonis nihil remittentia*, apparentibus scilicet signis coctionis, robustâque facultate vitali per pulsum cognita, non rarò salus ægrotantis est in ancipiti, pro diversitate morborum aliâ ratione hominem perimentium, quod patet in pleuriticis & aliis; *contumacia sunt*, hoc est, infida sunt ejusmodi symptomata; non enim si quid in acutis præter rationem levius, fidere oportet, nec turbari, si quid temerè gravius acciderit.

COM. AD TEX. L.

Οἱ ἐφιδρῶντες καὶ μάλιστα κεφαλὴν ἐν ὀξέσι δυσφοροι, κακὸν, ἄλλως τε καὶ ἐπ' οὔροισι μέλασι· καὶ τὸ θολερὸν ἐπὶ τούτοισι πνεῦμα, κακόν.

*Qui leviter insudant maximè circa caput in acutis*, ubi malignæ cacochymiæ copia & virium oppressio significatur; *malè habent*, quia denotatur causæ morbificæ vehementia; *tùm aliàs, tùm si urinæ sunt nigræ*, propter incendium febrile, vel mortificationem caloris redditæ: *& turbidus spiritus malus est*, cum denotet facultatis vitalis noxam.

COM. AD TEX. LI.

Ἄκρεα ταχὺ ἐπ' ἀμφότερα μεταπίπτοντα, καὶ δίψα ἡ τοιαύτη, πονηρόν.

*Extimarum partium*, manuum, pedum, capitis, &c. *in utrunque cita mutatio*, caloris videlicet & frigoris, vicissitudo; *ac sitis hujusmodi*, quæ modo accensa, modo rursus extincta videtur; *malum*, quia vis ardoris febrilis, innati calidi debilitas & sensitivæ facultatis labefactatio significatur.

COM. AD TEX. LII.

Ἐκ κοσμίου θρασεῖα, ἀπόκρισις, φωνὴ ὀξεῖη, κακὸν· ὑποχόνδρια τούτοισιν εἴσω εἰρύαται.

*Modesti hominis*; qui scilicet mansuetudinis atque humanitatis habitu aliâs agit; *audax responsio*, quando morum insitorum subita mutatio subortur; *malum*, quia phrenitidis & insaniæ metus est, propter bilis peccantis copiam arcem Palladis obnubilantem. *His acuta vox*, quando vox antea gravis acuta redditur, propter contractionem partium generationi vocis inservientium, tàm propter æstum febrilem, atque diaphragmatis inflammationem, quàm propter materiam peccantem ad vias spiritales expulsam, ac spacia earum angustantem; *& hypochondria intrò sursum revulsa*, propter diaphragmatis motum, quod ob inflammationis magnitudinem versus superiora confertim trahitur, dum expirationis vehementia, quod noxium est natura expellere conatur.

COM. AD TEXT. LIII.

Τὰ ἐκ καταψύξιος ἱδρῶτος ταχὺ ἀναθερμαινόμενα, κακόν.

*Qui ex perfrigeratione sudorem afferente*, cum sudor nondum maturata materia secernitur, nulla scilicet concoctione præeunte; *citò recalescunt*, monstrosâ profectò mutatione, quâ flammam sudor accendere videtur, quam tamen potius extinguere debebat; *in periculo sunt*, propter viscerum nobiliorum vehementem inflammationem, una cum nativi caloris paupertate conjunctam.

COM. AD TEX. LIV.

Οἱ ἐν ὀξέσι ἐφιδρῶντες δυσφοροι, κακόν.

*Qui in acutis leves insudationes graviter ferunt*, *malè habens*, tùm quod prius à peccantis materiæ malignitate & copia dependeat, tùm etiam quod posterius naturam suppressam ac ferè succumbentem indicet.

COM. AD TEX. LV.

Οἱ παραλόγως, κενεαγγείης μὴ ἐούσης, ἀδυνατοῦντες, κακόν.

*Qui præter rationem*, hoc est, qui crebrò & multùm sine manifesta causa; *nec vasorum evacuatione*, quâ aliâs spirituum subita dissipatio fieri potest; *imbecilli redduntur*, dum scilicet animo frequenter deficiunt, vel aliâs etiam omnium facultatum corpus gubernantium languorem percipiunt; *malè habent*, juxta Aphorismum *Hippoc. lib. 2. Aph.* 40. qui crebrò & multum sine manifesta causa exolvuntur, inopinatò moriuntur, propter vitalis roboris imbecillitatem.

COM. AD TEX. LVI.

Ἐν πυρετῷ ἕλξις οἷον ἀπὸ ἐμέτου, ἐς ἀνάχρεμψιν τελευτῶσα, κακόν.

*In febre*, scilicet acuta & maligna; *tractus quasi à vomitu*, seu ventriculi nauseabunda proritatio, propter materiam vitiosam orificio ventriculi inhærentem; *in screatum desinens*, ubi non sequitur expectata vomitio, sed inanis tantùm vomendi conatus, tàm propter humoris contumaciam, quam propter obsessæ partis imbecillitatem; *malum*, quia causa mali non tollitur, nec etiam facultas recolligitur.

COM.

## COM. AD TEX. LVII.

*Νάρκη ἐς ἀμφότερα ταχὺ μεταπίπτουσα, κακόν.*

*Stupor*, cujus natura consistit in sensione obscura rei molestæ; *in utrumque citò translatus*, dextram scilicet atque sinistram occupans; *malum*, quia denotat animalis spiritus interceptionem.

## COM. AD TEX. LVIII.

*Στάξιες αἱ ἐλάχισται κακαί.*

*Per exigua stillicidia*, sanguinis videlicet, ubi paucus stillatim per nares in acutis secernitur, *mala*, quia potius irritationem à malignitate materiæ, naturamque succumbentem indicat, quàm vitalis virtutis robur.

## COM. AD TEX. LIX.

*Κακὸν δὲ πάντως ἐν ὀξέϊ δίψα παραλόγως λυθεῖσα.*

*In acutis præter rationem sitis sedata*; quando sitis antea satis intolerabilis subitò quasi penitus extincta videtur, externa causa sitim extinguente nulla præsente; *omninò malum est*, quia sensus hebetudinem subitò succedentem indicat: at verò non minus periclitatur ob imminentem innati calidi suffocationem, cui subitò sensus deficit, illo, qui doloribus vehementibus sensuum perceptione gravatur.

## COM. AD TEX. LX.

*Οἱ πρὸς χεῖρα ἀναΐσσοντες, κακοί.*

*Qui ad manum exiliunt*, qui in acutis contremiscunt vel subsiliunt ad medici carpum tangentis manum, ut videas ægrotantes quasi intremiscentes revelli; *malè habent*, quia hoc fit nervis & fibris incendio febrium exiccatis, infirma motrice facultate, viriumque languore concurrente.

## COM. AD TEX. LXI.

*Οἷσιν ἅμα πυρετῷ καυσώδει οἰδήματα ὑπὸ ὦτα νωθρώδεα, ἐς πλευρὸν ὀδύνη ἐπελθοῦσα παραπληκτικῶς κτείνει.*

*Quibus unà cum febri ardente*, quam austrina, pluviosaque tempestas biliosorum hominum naturam invadens produxit; *tumores*, inprimis, qui fiunt ad aures; *somnolenti & torpidi*, cum scilicet sopor & universarum partium quasi resolutio incipiens conjungitur; *his dolor in latus perveniens*, imperfectè tumore maligno resoluto, & ad thoracem transmisso; *resolutionis modo occidit*, pernicie peccantis materiæ cerebrum copiosè occupante. cùm resolutio semper funesta tantùm sit respectu partis, à quâ promanat.

## COM. AD TEX. LXII.

*Πνιγμὸς ἐν ὀξέσιν ἐλθὼν ἰσχνοῖσιν, ὀλέθριον.*

*Suffocatio*, scilicet derepentè superveniens; *in acutis*, vel febribus, vel etiam angina; *succedente graviditate*, vel totius, quando calore febrili succus omnis exhauritur & spirituales etiam viæ concidunt, vel partis, quando circa collum tumor nullus percipitur, quod in illa anginæ specie ubi Laryngis proprii musculi inflammantur; *lethalis*, quia calor nativus extinguitur.

## COM. AD TEX. LXIII.

*Ἐπὶ τοῖσιν ἤδη ὀλεθρίοισι τὸ σμικρὸν τρομῶδες, καὶ ἰώδης ἔμετος θανάσιμα.*

*In iis, qui jam morti propinqui sunt*; ubi nimirum signorum lethalium conspiratio deprehenditur; *levis tremor*, ob confectas vires in lingua tremula, dentium collisione, manuumque gesticulatione sese monstrans; *& vomitus æruginosus*, qui per consensum symptomaticè, propter nervos stomachicos affectos, ob copiam bilis æruginosæ collectam oritur; *lethiferum hoc est*, quia duo prædicta symptomata, cum aliis signis lethalibus concurrentia, cuncta desperata incidant.

## COM. AD TEXT. LXIV.

*Οἱ ἐν τοῖσι ποτοῖσιν ὑποψοφέοντες, καὶ ὑποβορβορύζοντες ξηροῖσι καὶ οἱ χαλεπῶς καταρροφέοντες πνεύματι βηχώδει, ὀλέθριοι ἐν ὀξέσι καταψυχομένοισι.*

*Qui inter potandum paulum strepunt & submurmurant in siccis*, hoc est, quibus in siccis, scilicet partibus spiritalibus, inter bibendum sonitus & borborimus, ob œsophagum exiccatum & contractum excitatur; *& qui difficulter deglutiunt spiritu tussiculoso*, cum præter angustiam gulæ, simul etiam faucibus & asperæ arteriæ, quippiam alicui communicatur, natura propter debilitatem minus resistente; *lethaliter habent in acutis perfrigeratis*, quia aliàs satis periculosi sunt affectus, quemadmodum hactenus pluribus demonstratum fuit.

## COM. AD TEX. LXV.

*Τὰ ἐν χερσὶ καὶ ποσὶν ἐρυθήματα, ὀλέθρια.*

*In manibus ac pedibus*, partibus scilicet extremis à fonte caloris nativi remotioribus; *tumores flammei*, inflammationes & erysipelata, quæ non robore naturæ per crisin, aut particulatim congestione, minimè affectis partibus principalioribus oriuntur, sed symptomaticè succurrentia in acutis, concoctionis signis deficientibus, ipsoque virium robore languente; *lethales*, quia denotant materiæ peccantis copiam, à partibus principalibus ob debilitatem eò diffusam.

COM.

## COM. AD TEXT. LXVI.

*Οἱ ἐκφυσῶντες καὶ ἀνακεκλασμένοι ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν ὑποβλέποντες ἰκτερώδεες κατάκοροι θνήσκουσι, λευκὸν διαχώρημα, τούτοισι προέρχεται.*

*Exufflantes*, propter metum suffocationis, copiâ fuliginum citatam respirationem producente; *& refracti*, cum propter vires fractas ac resolutas decubitus ægrotantis naturalem & mediocrem figuram excedit; *in somnis leviter suspicientes*, non ex consuetudine, quod quibusdam naturâ accidit, nec à causa externa, nimia videlicet evacuatione, quod rarum est, sed propter facultatis motricis infirmitatem, quando propter vehemens febris incendium palpebras committere non possunt; *morbo regio admodum fœdati moriuntur*, quia icterus his symptomaticè accidens signum constituit, bilem excrementitiam principalia viscera suâ pernicie pervasisse, quam ob causam rectè dicitur, *albam dejectionem in his præcedere.*

## COM. AD TEX. LXVII.

*Αἱ ἐν πυρετοῖσιν ἐκστάσιες σιγῶσαι, μὴ ἀφώνῳ, ὀλέθριαι.*

*In febribus mentis emotiones taciturnæ*, quæ fiunt in tertia specie phrenitidis ubi bilis per inflammationem non tantùm spiritus alterat & exagitat, ut ægri vociferentur & aliena loquantur, quod in prima specie fit, nec etiam solùm bilis magis aduritur, ut ferocitas actionum immoderatam cerebri siccitatem subsequatur, quod secundæ speciei familiare est. Sed humore bilioso & intemperie calida sicca cerebri substantia quasi habitum contrahit, undè sequitur languens virtus & intemperies hectica; *ægro voce non privato*, scilicet taciturnitatis causa non in instrumentis vocis, sed in cerebro latitante; *perniciosa*, propter gravissimum cerebri malum.

## COM. AD TEX. LXVIII.

*Τὰ πελιδνὰ γινόμενα ἐν πυρετῷ συντόμως θάνατον σημαίνει.*

*Livida quæ fiunt in febre*, scilicet partium potissimum extremarum pallor non per syncopen aut immodicam evacuationem, ubi calor & spiritus propter paucitatem ad cor recedit, quòd subitò fieri solet, sed diutius perseverans & ab extinctione caloris nativi proveniens; *mortem propinquam denunciant*, quod facilè colligitur, cum alia signa lethalia simul conjunguntur.

## COM. AD TEX. LXIX.

*Οἷσιν ἐν πυρετῷ ἀλγήματος πλευροῦ γινομένου, κοιλίη ὑδατόχολα πολλὰ διαδιδοῦσα, ῥιγοῖ· ἀσιτίη δὲ ἐπιγινομένη ἐλθοῦσι καὶ ἱδρῶτες μετὰ προσώπου εὐχροίης, καὶ κοιλίης ὑγρῆς, καί τι καὶ καρδιαλγίης, οὗτοι μακροτέρως νοσήσαντες, περιπνευμονικῶς τελευτῶσι.*

*Quibus in febre*, continua & acuta, quæ vires acquisivit; *dolore lateris accedente*, tali nimirum, qui notham quandam pleuritidem constituere videtur; *alvus multa aquosa bile permista dejicit*, cum natura quodammodo sese exonerat à peccantis materiæ copia; *hi allevantur*, ad tempus scilicet, excretione criticâ imperfectâ, quam ob causam hoc modo morbus non solvitur, cum dejectiones in pectoris affectibus accidentes plerunque suspectæ sint. *Inedia verò accedente*, parte videlicet fluxionum ad laryngem & pulmonem defluentium simul etiam ventriculum afficiente; *ac sudoribus cum bono faciei colore*, quando propter copiam ex imbecillitate retentricis frequens exudatio sese offert, putrescente paulatim excrementitiâ materiâ circa pulmones difficultatem respirationis, & per consequens ruborem faciei producente; *alvo liquidâ permanente*, propter malignitatem humoris excretricem extimulantis; *cum stomachi dolore*, quod eò etiam pars fluxionis sese conferat, & orificium arrodat; *peripneumonicorum more moriuntur*, lente scilicet tabe præeunte, propter materiam in pulmonibus collectis tandem suffocatione pereunt.

## COM. AD TEX. LXX.

*Πυρέσσοντι ἐν ἀρχῇ μέλαινα χολὴ ἄνω ἢ κάτω διελθοῦσα, θανάσιμον.*

*Si atra bilis*, excrementum illud pessimum, ex quo dysenteria incurabilis & cancer exulceratus insanabilis oritur; *febricitanti in principio prodierit*, non scilicet imperio naturæ susceptâ excretione, sed facultatibus per vehementiam morbificarum causarum oppressis; *suprà & infrà*, propter copiam peccantis malignæ materiæ; *lethale est*, quatenus *lib. 4. Aph. 22.* de quibusvis morbis hoc etiam asseritur, propterea quod ineunte morbo cruda adhuc sint omnia.

## COM. AD TEX. LXXI.

*Οἱ μετὰ καταψυξίων οὐκ ἀπύρου ἐφιδροῦντες ἄνω, δύσφοροι, φρενιτικοί τε καὶ ὀλέθριοι ἐν ὀξεῖ.*

*Qui cum perfrigerationibus*, quæ fiunt in acutis febribus, cùm viscera incendio flagrant, & extimæ partes calore vivifico destituuntur; *non sine febri*, ne frigus illud in intermissione febris adesse videatur; *supernè exudant*, vel quod virtus vitalis opprimatur, vel quod exoluta sit; *molesteque ferunt*, seu anxietate simul afficiuntur, *phrenitici fiunt*, propter æstum febrilem caput occupantem; *& in acuto morbo perniciosè habent*, propter nobilissimi membri affectionem.

## COM. AD TEX. LXXII.

*Τὰ ἐπ' ὀλίγον ὀξέα ἀλγήματα ἐς κληΐδα καὶ τὰ ἄνω πίπτοντα, ὀλέθρια.*

*Dolores acuti*, nimirum dolores in acutis accidentes; *modicè ad claviculam & superiores partes transeuntes*, transitu videlicet ad caput sese offerente, *perniciosi sunt*, quia

quia pessima est translatio, quando peccans materia internè sursum ad partem nobiliorem regurgitat.

## COM. AD TEX. LXXIII.

*Ἐν μακροῖσιν ὀλεθρίοισιν, ἕδρης ἄλγημα θανάσιμον.*

*In longis morbis*, qualis est phthisis, hydrops & similes; *& perniciosis*, cum quibus scilicet eò perventum est, ut morbi vehementia naturæ vires longè superet; *sedis dolor lethalis*, accedente scilicet dysenteria, vel tenesmo, propterea quod talis affectus partim respectu vacuationis symptomaticæ, partim etiam propter doloris acerbitatem naturæ jam effœtæ sit intolerabilis.

## COM. AD TEX. LXXIV.

*Τοῖσιν ἀσθενέως ἤδη διακειμένοισι, μὴ βλέπειν, ἢ μὴ ἀκούειν, ἢ διαστρέφεσθαι χεῖλος, ἢ ὀφθαλμὸν, ἢ ῥῖνα, θανάσιμον.*

*Qui viribus jam debilitatis*, morbi videlicet magnitudine, symptomatum vehementia vel totius colliquatione, nullâ spe bonæ criseos apparente; *non vident, aut non audiunt*, propter labefactatam cerebri medullam, ex qua nervi optici & auditorii prodeunt, ubi posterius pejus est signum, propterea quod auditus principio nervorum respectu organi sui proximior sit; *aut cum distorquetur ipsis labium, aut oculus, aut nasus*, quando propter affectionem tertii nervorum paris præ reliquis in his partibus citius convulsionis notæ sese exhibent; *morti propinqui sunt*, quia mox usu motuque respirationis sublato calor nativus extinguitur.

## COM. AD TEX. LXXV.

*Ἐν πυρετοῖσι βουβῶνος ἄλγημα νοῦσον χρονίην σημαίνει.*

*In febribus*, scilicet non pestilentibus & malignis, in quibus non rarò sat brevis est morbus, cum inguinum tumores apparent in principio, sed pituitosis, quæ ex superflua peccantium humorum impuritate producuntur; *inguinis intumescentis dolor*, quando velut abscessus instar viscidorum & frigidorum humorum copiam natura ad glandulas reponit; *morbum diuturnum significat*, quia causæ morbificæ continuationem denotat.

## COM. AD TEX. LXXVI.

*Αἱ ἐν πυρετοῖσιν ἀκρισίαι χρόνους μὲν ἐμποιέουσιν, ἀτὰρ οὐχὶ ὀλέθριαι.*

*In febribus judicationes impeditæ*, tales videlicet ἀκρισίαι, quæ non propter imbecillitatem naturæ, sed vitio materiæ, adhuc crudæ & incoctæ accidunt; *tempus quidem protrahunt*, quia natura spacium concoctionis requirit; *sed non sunt lethales*, propterea quod vires morbo semper superiores maneant.

## COM. AD TEX. LXXVII.

*Οἱ ἐξ ἀλγημάτων ἰσχυρῶν πυρετοὶ, πολυχρόνιοι.*

*Febres ex doloribus acribus*, quando dolorifica inflammatio adest à fluxione sanguinis pituitosi & biliosi crassiore & mixta; *diuturnæ sunt*, quia dum propter materiæ peccantis contumaciam per hæmorrhagiam, aut aliâ ratione solvi nequeunt, in prioribus septimanis, vigesimum excedunt & diuturnæ redduntur.

## COM. AD TEX. LXXVIII.

*Αἱ τρομώδεες, ψηλαφώδεες παρακρούσιες φρενιτικαί. καὶ οἱ κατὰ γαστροκνημίην πόνοι, ἐν τούτοισι γνώμης παράφοροι.*

*Tremulæ* scilicet affectiones, quæ accidunt in febribus acutis ob moventis facultatis imbecillitatem & nervorum exiccationem; *palpantes*, dum aliquid digitis captare, floccos legere, vel lintea & operimenta indecorè nec necessario colligere student ad phantasiam perturbatam; *Mentis emotiones phreneticæ sunt*, quia portendunt insaniam & delirium. *In his dolores circa suram*, non scilicet ob materiam criticè eò expulsam, sed symptomaticè eò confluentem & ad superiora recurrentem; *mentis alienationes* inducunt, quando per παλινδρομίην peccans humor ad caput recurrit.

## COM. AD TEX. LXXIX.

*Ὅσοι ἐν ξυνεχεῖ ἄφωνοι κείμενοι μύοντες σκαρδαμύσσουσιν, ἢν αἵματος ῥύεντος ἐκ ῥινῶν ἐμέσαντες φθέγξωνται, καὶ παρ' ἑωυτοῖσι γένωνται, σώζονται· μὴ γινομένων δὲ τούτων, δύσπνοοι γινόμενοι θνήσκουσι συντόμως.*

*Qui in febri continua*, in qua nulla crisis expectatio est; *muti jacentes*, affectis nervis vocalibus & aliis à cerebro prodeuntibus, per translationem materiæ; *oculis conniventes nictant*, propter facultatem animalem à materiæ copia gravatam, instar dormiturientium & somno depressorum; *hi prorupto sanguine narium vel vomitu servantur, si loquantur & ad seipsos redeant*; nimirum si larga & conveniens est sanguinis profusio, materiam peccantem minuens, & vomitus spontaneus, propter ventriculi & cerebri sympatheiam proveniens, undè restitutio loquelæ & mentis integritas redire solet; *si verò hæc non fiant*, ut scilicet evacuatio justa non fit, nec à robore, sed potius debilitate naturæ proveniat, eandemque libertas sermonis & rationis non subsequatur; *difficulter spirantes celeriter moriuntur*; propterea quod materia peccans ad pulmones prolabatur, vel quod instar Apoplecticorum suffocatio tandem ob nervos pectorales etiam affectos subsequatur.

## COM. AD TEX. LXXX.

Οἱ λαβόντες, ἐς τὴν αὔριον παροξυνθέντες, κακόν.

*Accessione febris capti*, nimirum primum febris insultum intelligendo; *circa secundam exacerbationem patientes*, symptomatum graviorum accessione; *malè habent*, quia talia fiunt contra naturam morbi, cum dictum intelligatur de febribus acutis biliosis, & tales non moveantur alias in diebus paribus.

## COM. AD TEX. LXXXI.

Τρίτην ἐπισχόντες τετάρτην παροξυνθέντες, κακόν· ἀτάρ γε καὶ φρενιτικοὶ οἱ τοιοῦτοι παροξυσμοί.

*Quibus febres tertiâ remittentes quartâ exacerbantur*: quando videlicet pari die, scilicet quarta, magis febris intenditur quam tertiâ; *malè habent*, quia contra morbi naturam exacerbatio incidit in illum diem, in quo quies aliqua sperabatur, indicio invalescentis mali & naturæ succumbentis; quare septimus quoque gravis denunciatur, etiamsi aliàs optimus Criticus. *Num verò tales exacerbationes phreniticæ sunt?* non aliter quam tunc temporis, ubi flava bilis copiosè in cerebrum transfertur.

## COM. AD TEX. LXXXII.

Ὁκόσοισιν οὐκ λείπουσιν οἱ πυρετοὶ μὴ κατὰ κρισίμους, ὑποστροπικόν.

*Quibus desinunt febres*, nimirum subitò, modo critico, & non sensim, more illorum morborum, qui per solutionem sensim finiuntur; *non in diebus judicatoriis*, non scilicet iis diebus, in quibus natura aliàs morbum evincere nititur, quales sunt quartanarii sex ante vigesimum febris diem, septenarii tres à vigesimo ad quadragesimum, & vicenarii tres à quadragesimo ad centesimum; *his recidivæ fiunt*, quia superstes morbi materia, imperfectè victa, naturæ non potest assimilari, quam ob causam de novo putrescit & alimenta sua infectione corrumpit, more corporum impurorum, quæ redduntur deteriora, quo magis nutriuntur.

## COM. AD TEX. LXXXIII.

Οἱ ἐν ἀρχῇ λεπτοὶ μετὰ κεφαλῆς σφυγμοῦ καὶ οὔρου λεπτοῦ (πρὸς κρίσιν παροξυνόμενοι), θαυμαστὸν οὐδὲν εἰ καὶ παρακοπὴ καὶ ἔτι ἀγρυπνίη γένοιτο.

*Quæ in principio leves*, scilicet febres, quæ Medicis non rarò imponunt, cum ægrotantes moderatè habere videntur, etiamsi fallaciter & insidiosè laborent, quales sunt, quæ ex magna humorum inæqualitate, ex crudis videlicet atque crassis succis cum bile & acribus humoribus permixtis oriuntur: *cum capitis pulsu & urina tenui*, propter acrium & calidorum humorum translationem & agitationem ad partes superiores; *ad judicationem exacerbantur*, quia major est vis agentis materiæ peccantis, dum latet in crassiori substantia, quod in ejusmodi inæqualitate humorum accidit, quâ de causâ difficilior redditur naturæ morbique pugna; *nihil mirum si & mentis emotio & vigilia accedant*, quia translatio flatuosi spiritus, humores sursum inclinantes & symptomata, caloris intensi circa caput apparentes has affectiones facilè producunt.

## COM. AD TEX. LXXXIV.

Ἐν ὀξέσι κίνησις, ῥιπτασμός, ὕπνος ταραχώδης, σπασμὸν ἐνίοισι σημαίνει.

*In acutis* scilicet morbis; *motus*, præter naturam & consuetudinem ægri; *jactatio*, quando laborantes ob anxietatem in uno loco sese continere nequeunt; *somnus turbulentus*, quo varia spectra sese offerunt, ut vigilantium instar ægri clament & loquantur; *quibusdam convulsionem significant*, quia sunt hæc symptomata effervescentium acrium humorum, in corporis cavo exagitatorum, ac post, spiritibus ac vaporibus sursum elatis, cerebrum afficientium.

## COM. AD TEX. LXXXV.

Αἱ ταραχώδεες θρασύτητι ἐγέρσιες παράφοροι, πονηρὸν, καὶ σπασμώδεες, ἄλλως τε καὶ μεθ' ἱδρώτων, σπασμώδεες δὲ καὶ τραχήλου καὶ μεταφρένου δοκέουσι ψύξιες, ἀτὰρ καὶ ὅλου τοῦ σώματος· ἐν τουτέοισιν ὑμενώδεες, οὐρήσιες.

*Turbulentæ cum ferocia exercitationes*, quando laborantes à somno cum feroci quâdam perturbatione animi excitantur, *mentem emoventes*, quando perturbatio mentis definit in ferox delirium; *malæ sunt*, quia ferox delirium omnibus aliis gravius est; *& convulsionem prænunciant*, quando peccans aëris materia ad nervos vellicandos transmittitur; *tùm aliàs, tùm cum sudoribus*, scilicet imperfectis & symptomaticis. *Sed & convulsivæ videntur cervicis & dorsi perfrigerationes*, sive perfrigeratio incidat, spinali Medullâ phlegmone obsessâ, sive quod eò motu morbi symptomatico materia transferatur; *imò etiam totius corporis*, hoc est, per totum corpus dispersæ, quæ omnes convulsionem portendunt, quatenus acris materia rigorem causans, ad nervosum genus propagari potest. *In his urinæ membranaceæ minguntur*, cruda scilicet & flatulenta membranis similia ramenta secum vehentia.

## COM. AD TEX. LXXXVI.

Αἱ ἐν κώμασι παρακρούσιες, σπασμώδεες.

*Deliria cum sopore*, quando laborantes sopore & torpore quasi oppressi delirium eludere videntur; *convulsionem afferunt*, quia adest inæqualitas materiæ, nimirum frigida putrescens, ex qua sopor, cum acri calidâ desipientiæ,

pientiæ causâ permixta; quæ non facilè discutitur, sed gravia convulsionis symptomata producere potest.

## COM. AD TEX. LXXXVII.

*Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παρακρούσιες, θηριώδεες· καὶ σπασμοὺς δὲ προσημαίνουσιν.*

*Deliria paulatim ferocientia*, quando truculentia & ferocia apparet in iis, qui aliâs mansueti sunt, *ferina fiunt*, quia fiunt à bile flava exusta & in atram bilem transeunte.

## COM. AD TEX. LXXXVIII.

*Ἐν τοῖσι μακροῖσι κοιλίης ἄλογοι ἐπάρσιες, σπασμώδεες.*

*In morbis longis ventris tumores præter rationem*, subitò scilicet orientes; *convulsionem accersunt.* Nota quod hæc prognosis à Galeno in Prorrheticis rejiciatur, tanquam aliena à sententia Hippocratis.

## COM. AD TEX. LXXXIX.

*Τὰ δ' εὐθὺ παραχώδεα, ἄγρυπνα, ἐπιστάζοντα ἐκ ῥινῶν, ἑκταῖα κουφισθέντα, νύκτα πονήσαντα, τῇ δ' ἐς τὴν αὔριον ἐφιδρώσαντα, κατενεχθέντα, παρακρούσαντα, αἱμοῤῥοεῖ λαύρως, καὶ λύει τὰ πάθεα· τὸ ὑδατῶδες οὖρον τοιαῦτα σημαίνει.*

*Statim in principio turbulenti*, scilicet ægri mente laborantes, *vigiles*, propter commotionem sanguinis biliosi; *sanguinem stillatim fundentes*, nimirum per nares hæmorrhagia factâ die quarto; *sextâ die allevati*, mitescente morbo die pari, quando suam exacerbationem habet die impari; *per noctem postridiè pejus habentes*, quod fieri solet nocte crisin præcedente, tàm propter perturbationem criticam, quàm propter somnum interruptum; *exudantes*, levi scilicet exudatione, quæ fit propter oppressionem facultatum in principio criseos; *in somnum delati*, sanguine vaporoso in cerebrum delato; *mente aberrantes*, propter sanguinem biliosum & fervidum spiritus cerebri perturbantem; *his largo impetu sanguis ruit*, die videlicet critico septimo; *& morbos solvit*, quia repletionis ejusmodi vacuatio prædicta symptomata tollit, præcedentibus ejusmodi signis criticis. *Ac talia denunciat aquosa urina*, conjuncta scilicet cum aliis signis crisim futuram denunciantibus, quia aliâs signum esse potest cruditatis in principio, sæpius etiam obstructiones ac renum vitia sequitur; in progressu, cum aurea subitò redditur aquosa, materiæ translationem vel symptomaticam vel criticam indicat.

## COM. AD TEX. XC.

*Μετὰ τῶν εἰρημένων, τῶν ἐξεστηκότων μελαγχολικῶς οἱ τρομώδεες γινόμενοι, κακοήθεες.*

*Qui cum relatis*, potissimùm respectu ultimi membri, quoad urinam aquosam; *ab atra bile mente moti*, non succedente scilicet evacuatione critica, sed humore melancholico ad nervorum principium restagnante; *tremuli fiunt*, propter labefactatam virtutem animalem; *malignè habent*, propter absumptionem humidi, quod cerebro & nervis essentiale est.

## COM. AD TEX. XCI.

*Παραφροσύνη ἐν πνεύματι καὶ ἱδρῶτι θανατώδης. θανατώδης δὲ καὶ ἐν πνεύματι καὶ λυγμῷ.*

*Delirium in spiritu & sudore*, quando delirantes in acutis respiratione minutâ, sudoreque miliari circa caput, vel pectus tantùm prehenduntur; *Letale est*, quia denotat languorem vitalis facultatis, quàm citò suffocatio sequi solet. *Letale etiam in spiritu & singultu*, quando scilicet cum difficultate respirationis singultus conjungitur, sive fiat ob inflammationem jecoris vel ventriculi, sive per consensum, propter cerebrum inflammatum: eò enim pejus malum redditur, quo plures facultates & partes afficiuntur.

## COM. AD TEX. XCII.

*Ἐνύπνια τὰ ἐν φρενίτιδι ἐναργῆ, ἀγαθόν.*

*Insomnia in phrenitide*, non turbulenta sed placida; *commemorata* scilicet ab ipso laborante, *bonum*, quia significant materiam morbificam devictam, & usum rationis redeuntem.

## COM. AD TEX. XCIII.

*Ἐν φρενίτιδι διαχωρήσιες λευκαὶ, καὶ νωθρότης, κακόν. ῥῖγος τουτέοισι κάκιστον.*

*In phrenitide*, quæ à bile in cerebrum perfusa suam originem obtinet; *albæ dejectiones*, non à colore ciborum assumptorum, sed propter bilem ad cerebrum translatam provenientes; *& corporis exolutio*, ignavia videlicet totius ab emortua quasi facultate animali proveniens; *malum*, quia morbum auctum & naturam succumbentem indicat. *His rigor pessimus est*, quia non criticus, sed symptomaticus est, propterea quod cum tanta virium imbecillitate novam causæ morbificæ commotionem indicet.

## COM. AD TEX. XCIV.

*Ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐν ἀρχῇσι τὰ ἐπιεικῶς ἔχοντα, πυκνά τε μεταπίπτοντα κακόν.*

*In phreniticis* qui vigilando, ferociendo & cum febris continuitate delirant; *in principio moderatè habentia*, scilicet symptomata, quæ mediocria videntur; *subindè mutata*, dum clementia apparens celeriter permutatur ineunte morbo, ut æger jam melius jam deterius habere videatur; *malum*, quoniam talis permutatio signum

est repentinum phrenitidis ex causâ inveteratâ, propterea quod in ejusmodi affectu copiâ & qualitate peccent maligni humores, qui turgendo jam hanc jam illam partem afficiunt, dum lapsu multiplici per corpus vagantur, eam ob causam quod iisdem natura non amplius dominari possit, undè signum est vires à morbo superari.

## COM. AD TEX. XCV.

Τῶν ἐξισταμένων μελαγχολικῶς, οἷς τρόμοι ἐπιγίνονται, κακόν.

*Quibus ab atra bile mente motis*, dum immanitate quâdam fera delirant; *tremores accidunt*, ob languescentem facultatem, tàm à morbo superante propter vehementem nervorum reficcationem ab incendio febrili provenientem, quam quod variis vigiliis & commotionibus defatigentur, *malum*, juxta *prognost. Aph 91.* præcedentis.

## COM. AD TEX. XCVI.

Οἱ ἐξιστάμενοι μελαγχολικῶς, τρομώδεες, γινόμενοι, καὶ πτυαλίζοντες, ἆρά γε φρενιτικοί.

*Qui ab atra bile mente moti tremuli fiunt*, qui scilicet melancholico modo delirant, sine febri, cum pulsu magno, præsente tamen tremoris affectu; *& assiduè exspuentes*, vel necessariò propter serosi humoris prolapsum in fauces, vel indecorè propter depravatum judicium; *num phrenetici sunt?* dubium hoc est, nec penitus absurdè statuitur, tales melancholicos in phrenesin periculosam incidere.

## COM. AD TEX. XCVII.

Οἱ ἐκστάντες, ὀξέως ἐπιπυρέξαντες, φρενιτικοὶ γίνονται.

*Mente moti*, qui aliquandiu rationis usu destituuntur; *acutè rursus febricitantes*, quando recidivam patitur ægrotans vel propter reliquias prioris febris, vel propter novam peccantium humorum generationem; *phrenetici fiunt*, quoniam febris materia delata ad cerebrum symptoma sibi proprium excitat: facilè autem eo fertur, quod peccans materia promptè fluat ad partem imbecilliorem.

## COM. AD TEX. XCVIII.

Οἱ φρενιτικοὶ βραχυπόται, ψόφου καθαπτόμενοι, τρομώδεες ἢ σπασμώδεες.

*Phrenetici rarò bibentes*, non sitibundi, propter depravatum sensum stomachi, qui defectum non percipit, aut facultatis appetitricis mortificationem vel oppressionem; *cum strepitu deglutientes*, propter arefactam œsophagi tunicam, *tremuli & convulsivi fiunt*, illud accidit, quando movens & mobile mutuis imperiis certant; hoc verò quando propter nimiam exiccationem & absumptionem humidi musculis motus involuntarius ad sua principia accidit.

## COM. AD TEX. XCIX.

Τὰ ἐν φρενιτικοῖσι μανικῶς τρομώδεα θανάσιμα.

*In vehementer phreneticis*, in quibus insania ferina, turbulenta, febris vehemens, vigilia, abstinentia cibi, potusque, *tremores*, qui fiunt propter excessum caliditatis & siccitatis nervorum substantiam invadentem; *lethales sunt*, quia nervi supra modum arefacti summam virtutis exolutionem indicant.

## COM. AD TEX. C.

Αἱ περὶ ἀναγκαῖα παραφροσύναι, κάκισται· αἱ ἐν τούτων παροξυνόμεναι, ὀλέθριοι.

*Deliria circa necessaria*, potissimum circa res vitæ sustentandæ necessarias, dum ægrotantes cibum, potumque, licet aliâs amicum, respuunt, rarâ magnâque respiratione utuntur, etiamsi propter febrim necessitas frequentiorem urgere videatur, vel similia peragant; *pessima*, quia præter gravem affectum præsentem deteriora symptomata ægrotantes sibi procreant, quod juvamentis convenientibus seipsos privant. *Quæ ex his exacerbantur lethalia sunt*, quia gravium signorum perseverantia & symptomatum exacerbatio naturæ lapsum & morbi victoriam indicant, undè certum interitus præsagium.

## COM. AD TEX. CI.

Αἱ παρακρούσιες φωνῇ κλαγγώδεες, γλῶσσα σπασμώδεες, καὶ αὐτοὶ τρομώδεες γινόμενοι, ἐξίστανται· σκληρυσμὸς ταύτησιν ὀλέθριον.

*Mentis errores*, non scilicet totalia deliria sed incipientes mentis perturbationes; *voces clangosæ*, ferè acutæ & sonoræ, propter squalorem & siccitatem asperæ arteriæ; *Lingua convulsa*, propter siccioris cerebri constitutionem septimæ conjugationis nervo & musculis linguæ communicatam; *ægris in tremorem incidentibus*, quod peccans biliosa materia nervoso generi communicetur; *insaniam vehementem innuunt*, quatenus innuunt bilis atræ proventum pedetentim fieri. *Durities his perniciosa est*, propter exhaustum solidarum partium humidum innatum.

## COM. AD TEX. CII.

Αἱ προεξαδυνατησάντων παραφροσύναι, κάκισται.

*Iam ante debilitatorum*, morbi assiduitate, dolorum acerbitate, virium resolutione, vasorum exinanitione vel similibus; *deliria funesta sunt*, quia curationis ἀδυναμίαν & morbi vehementiam & augmentum innuunt.

COM.

## COM. AD TEX. CIII.

Τὰ ἐν φρενιτικοῖσι πυκνὰ μεταπίπτοντα, σπασμώδεα, πονηρά.

*Frequentes in phreneticis transmutationes*, ubi gravia symptomata diversa confertim irruunt, propter peccantis materiæ hinc & indè commotæ naturam efferam; *convulsionem nunciant*, vel quatenus humor in nervosas partes irruit; vel quod pejus, quatenus bilis atra & adusta nervos arefacit; *& periculosæ sunt*, quia indicant naturam succumbentem, quæ peccantibus humoribus amplius dominari nequit.

## COM. AD TEX. CIV.

Οἱ ἐν φρενιτικοῖσι μετὰ καταψύξιος πτυαλίζοντες, μέλανα ἔμετον δηλοῦσι.

*Qui è phreniticis cum perfrigeratione*, scilicet extremorum, ob caloris recursum ad interiora, quem bilis impetus circa stomachum causat; *sputant*, non ex perturbatione mentis sed necessitate materiæ, dum perfuso peccantibus humoribus ventriculo propter continuitatem gulæ liquore tenui confertim os repletur; *vomitum nigrum denunciant*, quatenus propter continuitatem febris biliosa materia plurima adusta fuit, quam vomitu rejiciendam colligimus, propter ea, quæ antea dicta sunt.

## COM. AD TEX. CV.

Τοῖσι ποικίλως διανοσέουσι, καὶ παρακρούουσι, πυκνὰ κωματώδεσι, προσδέχεσθαι λέγε μέλανα ἔμετον.

*Qui variè ægrotant*, qui multiplicibus symptomatis ac variis affectibus in acuta febri corripiuntur: *& delirant ac crebrò sopore tentantur*, ex concursu contrariarum causarum propter calidam frigidamque materiam permistam, vel quod sopor in concursum gravium aliorum symptomatum concurrat propter summam virium exolutionem: *his nigrum vomitum expectandum esse dicito*, si scilicet ea, quæ præcedenti Aph. dicta sunt, simul observantur, cum aliàs delirium & sopor in acutis per se vomitum indicare nequeant.

## COM. AD TEX. CVI.

Τὰ παροξυνόμενα τρόπον σπασμώδεα, κάτοχα.

*Quæ in convulsionis modum exacerbantur*, cum scilicet in acutis circa initia propter copiam materiæ peccantis convulsiones sese offerunt; *catocha sunt*, seu stuporem innuunt futurum, ob redundantem crassorum succorum abundantiam in cerebro.

## COM. AD TEX. CVII.

Τὰ παρ' οὖς ἐπάρματα ἐν μακροῖσι μικρά· αἱμορράδεα καὶ σκοτώδεα ἐπιφαινόμενα, ὀλέθρια.

*Tumores juxta aurem*, qui parotides vocantur & oriuntur à translatione materiæ, quando peccans humor eò transfertur à cerebro & reliquo corpore; *in diuturnis*, scilicet morbis, qui scilicet medii sunt inter verè acutos & valdè diuturnos, ubi materia peccans medio modo inter crassitiem & tenuitatē sese habet, calor paulò vehementior est, naturæ robur concurrit; *parvi* scilicet sunt, mites videlicet, exacerbatione doloris & inflammationis carentes, propterea quod fiat cocta materia robore naturæ concurrente. *At sanguinei*, vel à sanguinis biliosi affluxu nascentes, vel cum hæmorrhagia symptomatica conjuncti; *& vertiginosi*, concurrente simul cerebri vertiginosa affectione, propter flatuosi spiritus commotionem inordinatam ob cerebrum per consensum laborans; *lethales*, quia per symptomatum vehementiam, magnitudinem morbi, crisin imperfectam & naturam succumbentem innuunt.

## COM. AD TEX. CVIII.

Οἱ ἰλιγγώδεες πυρετοὶ καὶ ἄνευ ἰλέων, καὶ μετὰ ἰλέων, ὀλέθριοι.

*Febres vertiginosæ*, vel ut habent manuscripta exemplaria, febres singultuosæ: quando vel falsò cuncta circumagi videntur cum oculorum vertigine, & urinis tenuibus circa febrium initia: vel quando diu singultiunt ægrotantes; *cum volvulo*, concurrente scilicet miserabili isto intestinorum affectu, qui sine ulla dejectione ab inflammatione vel contumaci tenuium intestinorum obstructione oritur, & eam ob causam vertiginosis & singultuosis febrium accidentibus ansam præbet; *vel sine volvulo*, cum aliundè talia accidentia oriuntur; *lethales sunt*, quoniam febrium exacerbatione causæ singultus & vertiginosi affectus magis exacerbantur, & morbum reddunt deteriorem.

## COM. AD TEX. CIX.

Τοῖσι πνευματίησιν ἔοσι πυρετὸς ὕστερον ὀξύς. μετὰ ὑποχονδρίου ξυντόνου καταψυχθεῖσι, παρ' οὖς μέγα ἔπαρμα.

*Anhelosis*, qui difficulter magna musculorum pectoris contentione inspirant, & suffocationis metu coacti subitò expirant; *febri acuta post incidente*, exacerbata scilicet febri propter criticam commotionem instantem; *cum hypochondrii tensione perfrigeratis*, quando sursum quasi revellitur hypochondrium sine tumore, quo conatum naturæ juvet, externis partibus ob calorem intrò revocatum refrigeratis; *magnus ad aurem tumor*, quia natura cum translatione materiæ eò tendit.

## COM. AD TEX. CX.

Οἷσιν ἂν ἐν πυρετῷ ὀδύναι γινόμεναι περὶ ὀσφὺν καὶ τὰ κάτω χωρία, φρενῶν ἅπτωνται, ἐκλείπουσαι τὰ κάτω, ὀλέθρια, ἄλλως τε κἢν ἄλλό τι σημεῖον προσγίνηται πονηρόν. ἢν δὲ τ' ἄλλα σημεῖα μὴ πονηρὰ γίνηται, ἔμπυον γενήσεσθαι ἐλπίς.

*Quibus in febre dolores circa lumbos & infernas partes orti*, non ſcilicet ab externa cauſa, nec vi catarrhi muſculos lumborum afficientis, ſed eò tranſlata morbifica materia, tanquam ad partem ignobiliorem; *ſeptum tranſverſum petunt inferioribus relictis*, regurgitante videlicet causâ dolorificâ per ſymptomaticam tranſlationem ad membra ſpiritalia, *lethale*, quia materia peccans à partibus ignobilioribus ad nobiliores, vitæ potiſſimum proſpicientes transfertur; *tùm aliâs, tùm ſi aliquod ſignum pravum acceſſerit*, tàm ſcilicet per ſe, quàm quatenus facilimè gravia ſymptomata ſuccedunt. *Si verò cætera non ſint prava*, ſi ſcilicet functiones animales, vitales & naturales mediocriter perdurent in ſuo ſtatu; *ſuppuratum expectandum*, quatenus materiæ recurſus ad pectus vomicæ vel empyematis generationi præbet originem, niſi mox ægrum interimat.

## COM. AD TEX. CXI.

Παιδίοισιν ὀξὺς πυρετὸς καὶ κοιλίης ὑπόστασις μετὰ ἀγρυπνίης, καὶ τὸ ἐκλακτίζειν, καὶ τὸ χρῶμα μεταβάλλειν, καὶ ἴσχειν ἔρευθος, σπασμῶδες.

*Pueris*, ſcilicet lactantibus & maximè circa dentitionis tempus; *acuta febris*, quæ copiam peccantis materiæ commovet; *& alvus ſuppreſſa*, propter indurationem excretorum & defectum ſtimulantis bilis, quæ aliò movetur; *cum vigiliis*, quæ oriuntur à lactis corrupti, febris ardentis & alvæ ſuppreſſæ exhalationibus; *& calcitratio*, quando variis conatibus hinc indè propter doloris acerbitatem moventur; *& coloris mutatio & rubor multus*, ſi ſcilicet præter variationem coloris rubor ob ſanguinis excandeſcentiam frequenter ſeſe offert; *convulſionem præſagiunt*, fugacem videlicet & minus periculoſam, quando humor ſupervacaneus malignus cietur quidem, non tamen excluditur, undè molliſſimam nervorum ſubſtantiam facilè convellit, ſed non difficulter rurſus diſcutitur.

## COM. AD TEX. CXII.

Τὰ ἐνθὺ ταραχώδεα ἄγρυπνα, μέλανα δὲ τὰ σύνθετα, αἱμοῤῥοεῖ ἔνια.

*Affectiones ſtatim turbulentæ*, in acutis ſcilicet febribus circa initium, propter bilem confertim ſurſus commotam; *cum vigiliis & nigris atque compactis excretis*, quorum illud bilioſis evaporationibus & humoribus cerebrum occupantibus, hoc verò calori exurenti & bilis ſtimulantis defectui adſcribendum; *quibuſdam ſanguinem è naribus eliciunt*, quatenus bilioſus ſanguis ſurſum copiosè confluens facultatem expultricem ſtimulare poteſt.

## COM. AD TEX. CXIII.

Τὰ ἀγρυπνήσαντα ἐξαίφνης ἀλυσμῷ αἱμοῤῥοέει, ἄλλως τε, καὶ ἤν τι προεῤῥυήκει· ἦρα γε καὶ μεταφρίξαντες οἱ ἐπ' ὀλίγον περιψύχοντες.

*Affectiones cum vigiliis & anxietate*, quando ſcilicet per conſuetudinem ſubitò vigiliis, & anxietatibus apprehenduntur ægri, circa dies criticos aliis ſimul ſignis criſin futuram denunciantibus; *ſanguinē fundunt*, motu critico per nares, ob acrimoniam humorum circa caput collectorum; *tùm aliâs, tùm ſi quid antea profluxerit*, quando ſcilicet leve ſanguinis ſtillicidium præceſſit. *Num & qui modicè perfrigerati poſtea horruerunt?* dubium hoc eſt, ideoque notandum, quod moderatus rigor aliquando tantùm hæmorrhagiam præcedat in plenitudine corporis, quod turbando naturam ad excernendum extimulare poſſit.

## COM. AD TEX. CXIV.

Περὶ δὲ τοὺς παροξυσμοὺς βήσσοντες, καὶ ἐφιδροῦντες μικρὸν, κακοήθεες.

*At qui circa acerbationes tuſſiunt*, ob defluxiones acres ab intensâ febris caliditate reſolutas, & circa viſcera ſpiritalia collectas; *& leviter exudant*, propter oppreſſionem virtutis & reſolutionem ſubſtantiæ ſolidæ; *malignè habent*, quod vires vi febris & ferini catarrhi ſuccumbant, non tantùm omnibus partibus vehementia febris, ſed graviter quoque membris vitalibus ferina tuſſi laborantibus.

## COM. AD TEX. CXV.

Ἐς πλευρὸν ὀδύνης καὶ πνιγμοῦ προσγινομένου, οὗτοι ἐμπυοῦνται.

*Quibus ad lateris dolorem ſuffocatio accedit*, quando ſcilicet dolor pleuriticus non amplius in fieri eſt, ſed in facto, nec ante 14. vi naturæ vel medicamentorum reſolvitur, verùm augetur exacerbatione ſymptomatum & inprimis ſuffocatione; *hi ſuppurantur*, inflammatione mutatâ in vomicam per puris generationem, ubi propter fervorem materiæ & caloris copiam uſus reſpirationis augetur.

## COM. AD TEX. CXVI.

Οἷσιν ἐν συνεχέσι φλυζάκια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκφύει, θανάσιμον, μὴ γινομένου πυάδους ἀποστήματος· μάλιστα δὲ εἰθίσται τούτοισι γίνεσθαι παρ' οὖς.

*Quibus in febribus continuis*, non remittentibus, ſed admodum adhuc exacerbatis; *puſtulæ toto corpore oboriun-*

*eboriuntur*, dum instar bullarum undique, in cute ex maligno peccantium humorum sero progignuntur, & nihilominus nihil quicquam levamenti laborantibus conferunt; *lethale*, propter symptomaticum humoris maligni motum, ob ejusdem copiam accidentem; *nisi purulentus abscessus fiat*, nisi scilicet istæ pustulæ crisin imperfectam constituant, adeoque alium futurum abscessum indicent, quod ex virium robore aliisque colligi potest; *atque his circa aures maximè fieri consueverunt*, si scilicet concurrunt illa signa, quæ monstrant materiam maximè sursum ferre.

## COM. AD TEX. CXVII.

Ἐν ὀξεῖ τὰ μὲν ἔξωθεν περιψύχεσθαι, τὰ δὲ εἴσωθεν καίεσθαι, καὶ διψῆν, κακόν.

*In acuta febri*, quæ omnis intermissionis expers est; *externas partes algere*, cum scilicet manus, pedes, frons, nares, &c. fixam & constantem perfrigerationem patiuntur, *internas autem ardere & sitire*, ob vehementiam inflammationum, quæ motum sanguinis & caloris ad partes externas inhibet, & absumpta humiditate sitim excitat; *malum*, propter consumptionem nativi caloris in vitæ principio.

## COM. AD TEX. CXVIII.

Οἱ συνεχέες διὰ τρίτης ἐπιτείνοντες, ἐπικίνδυνοι.

*Febres continuæ*, quæ continenter affligunt sine ullâ remissione; *tertio quoq; die ingravescentes*, simplici exacerbatione, quæ tertianis continuis convenit, sed malignorum symptomatum incremento; *periculosæ sunt*, quia idipsum accidit à maligna humoris biliosi corruptione, quæ circa cor in cava vena, vel in arteria oborta facta fuit, undè vel crisis funesta sequitur, vel vires vitales succorum malignitate opprimuntur.

## COM. AD TEX. CXIX.

Οἷσιν ἄν ποτε πυρετὸς διαλίπῃ, ἀκίνδυνον.

*Quibus febris aliquando intermiserit*, quando scilicet totalis adest exacerbationis remissio, quod fit in intermittentibus; *periculo vacant*, quia tales febres malignæ venenatæque inflammationis expertes sunt.

## COM. AD TEX. CXX.

Ἐν μακροῖς πυρετοῖσιν, ἢ φύματα, ἢ ἐς ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται, καὶ ἢν γίνωνται, οὐκ ἄχρηστοι.

*In febribus longis*, quæ pertrahuntur ultra vigesimum ob difficilem materiæ peccantis alterationem, vel ob materiæ contumaciam resistentem, vel propter naturæ imbecillitatem, *aut tubercula*, ob cruditatem materiæ morbificæ ad cutim translatam; *aut dolores in articulis fiunt*, prolabentem materiâ diuturnitate temporis aliquo modo dissolutâ, in sensiles & capaces articulorum membranas; *& si facti sunt, non inutiles judicantur*, quia denotant criticam materiæ morbificæ quodammodo devictæ translationem, quâ de causâ constantibus viribus & ægro convalescente fieri debent.

## COM. AD TEX. CXXI.

Κεφαλαλγίη ἐν ὀξεῖ, ὑποχόνδριον ἀνεσπασμένον, μὴ ῥυέντος αἵματος ἐκ ῥινέων, ἐς φρενιτικὸν περιΐσταται.

*Capitis dolor in morbo acuto*, prægrandis scilicet & contumax, propter biliosum atque acrem sanguinem, cerebri membranas afficientem; *hypochondrium revulsum*, ob diaphragmatis inflammationem, ob cujus consensum sursum quoque trahitur peritonæum, adeoque hypochondriorum tensionem constituit; *non profluente ex naribus sanguine*, non scilicet subsequente criticâ evacuatione per hæmorrhagiam narium, quam aliâs talia signa cum aliis conjuncta indicant; *ad phrenitidem devenit*, tàm propter diaphragmatis inflammationem, quàm ob intensum & ferinum capitis dolorem, denegatâ propter virium imbecillitatem criticâ evacuatione, cephalalgiæ, febrili & hypochondriorum inflammationi aliâs propriâ.

## COM. AD TEX. CXXII.

Τὰ λειπυριώδεα, μὴ χολέρας ἐπιγινομένης, οὐ λύεται.

*Febres lipyriæ*, in quibus exteriora refrigerantur superficialiter, profunda uruntur, cum retentione excretorum, siti ingenti, pulsu parvo & obscuro, quarum materia biliosa & maligna focum suum in alvo obtinet; *effusione bilis non accedente*, si scilicet morbus iste cholericus, quò superius & inferius bilis effunditur, non superveniat; *non solvuntur*, quia licet cholerica affectio per se etiam morbus acutus sit & maximè periculosus, quando accidit virium exolutione, hic tamen morbum solvit, quia alvi concussione robore naturæ generatur.

## COM. AD TEX. CXXIII.

Ἴκτερος πρὸ μὲν τῆς ἑβδόμης ἡμέρης ἐπιγινόμενος, κακόν. ἑβδόμῃ δὲ, καὶ ἐνδεκάτῃ, καὶ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κρίσιμον, μὴ σκληρύνων ὑποχόνδρια· ἢν δὲ μὴ, ἐνδοιαστόν.

*Morbus regius*, ubi bilis sanguini communicata in cutim effunditur, & totum corpus undique flavo colore inficit; *ante septimum accedens*, scilicet in febribus, quod signum est translationis symptomaticæ propter materiæ peccantis copiam & naturæ succumbentis, quod amplius humoribus imperare nequeat, *malus*, ob dictas causas; *Septimo verò ac nono & undecimo ac decimo quarto salutaris est*, propterea quod talis

bilis

bilis excretio à centro ad circumferentiam fiat in diebus criticis, materiâ concoctâ, ipsiusque naturæ robore; *modò non hypochondrium induret*, si scilicet non subsit icteri causa gravior, inflammatio videlicet, vel tumor, aut scirrhus in visceribus infimi ventris: *Sin minus, ambigua res est*, quia tales ægrotantes periculosè laborant, propter nobiliorum partium affectionem dictam, quam icterus sequitur.

## COM. AD TEX. CXXIV.

*Αἱ πυκναὶ διὰ τῶν αὐτῶν ὑποστροφαὶ, περὶ κρίσιν ἐμετώδεες, μελάνων ἔμετον ποιέουσι· γίνονται δὲ καὶ τρομώδεες.*

*Frequentes per eadem recidiva*, quando in acutis imperfectè judicatis ex reliquiis peccantis materiæ accidentibus causis externis de novo fit exacerbatio: *circa judicationem vomitiva*, nauseabunda scilicet alvi & ventriculi proritatione sese offerente; *nigrum vomitum cient*, ob copiam peccantis humoris adusti, qui circa concoctionis membra fuit collectus, & recidivæ præbet originem; *inducunt verò etiam tremorem*, ob debilitatem nervosi generis, viribus diuturnitate morbi fractis.

## COM. AD TEX. CXXV.

*Τὰ ἐν τριταίοισι πυρετοῖσιν ἀλγήματα παροξυνόμενα τριταιοφυῆ ποιέεται, καὶ θρομβώδεα αἵματα διαχωρέει.*

*Dolores in tertianis febribus*, quando in tertianis intermittentibus unà cum materia febris causa symptomatum aliorum quoque conjungitur; *tertianæ naturam induunt*, quod scilicet unà cum febri suas exacerbationes habeant, propterea quod causa eorum cum causa febris conspiret; & *grumosum sanguinem egerunt*, quod non necessarium est, sed interdum tantùm fieri potest, quando de latere dextro conqueruntur ægri, simulque hepatis vitium concurrit.

## COM. AD TEX. CXXVI.

*Ἐν πυρετοῖσι κατὰ φλέβα τὴν ἐν τῷ τραχήλῳ σφυγμὸς καὶ πόνος, ἐς δυσεντερίην ἀποτελευτᾷ.*

*In febribus circa venam in collo pulsus & dolor*; qui propter ferventem & ebullientem sanguinem oriuntur, nec hæmorrhagiam narium faciunt; *in dysenteriam desinunt*, quod in senibus potius, quàm ætate florentibus fieri potest, ad alvum commota materia, cum superius excerni non potuit.

## COM. AD TEX. CXXVII.

*Τὸ μεταβάλλον πολλάκις χρῶμα μετὰ θερμασίης, κρίσιμον.*

*Colorem cum calore sæpius mutare*, præcedentibus coctionis signis circa diem criticum; *judicatorium est*, futuram scilicet crisin indicat, propterea quod signum sit naturam aggredi materiam morbificam, unde talis variatio coloris oritur. Extra hunc casum coloris mutatio subitanea diuturnitatem morbi significat, juxta *aph. 40. lib. 4.*

## COM. AD TEX. CXXVIII.

*Τοῖσι χολώδεσι πνεῦμα μέγα, καὶ πυρετὸς ὀξὺς μετὰ ὑποχονδρίου συντάσιος, παρ' οὓς ἀφίστησιν.*

*In biliosis*, scilicet hominibus, naturâ vel victus ratione copiosiori bile superabundante; *respiratio magna*, ob cordis incandescentis æstum; & *febris acuta*, propter bilis putrescentem naturam in vasis majoribus & cordi propinquioribus; *cum hypochondrii tensione*, quæ fit sine dolore & inflammatione propter conatum diaphragmatis, quo sursum movetur materia; *juxta aurem abscessum facit*, scilicet ratione derivationis reliquiarum, cum aliàs prædicta signa potiùs hæmorrhagiam narium indicent.

## COM. AD TEX. CXXIX.

*Οἱ ἐκ μακρῶν ἀναλαμβάνοντες εὔσιτοι μηδὲν ἐπιδιδόντες, ἐπιτρίβουσι κακοήθως.*

*Qui ex longis morbis convalescentes benè comedunt*, redeunte appetitu, qui per morbum prostratus erat; & *nihil proficiunt*, nullâ videlicet subsequente refectione corporis; *gravissimè relabuntur*, vel per congestionem, ob imbecillitatem facultatis concoquentis, de novo collecta materia morbifica, vel quod in corpore vitium aliquod adhuc delitescat, humor scilicet corruptus, qualitas immoderata, vel aliud quid cujus ratione cibus assumptus mox corrumpatur. Vide *lib. 2. Aph. 8.* & *31.*

## COM. AD TEX. CXXX.

*Οἷσιν ἐν πυρετοῖσι φλέβες αἱ ἐν κροτάφοισι σφυγματώδεες, καὶ πρόσωπον ἐῤῥωμένον, καὶ ὑποχόνδριον μὴ λαπαρόν. χρόνιον, καὶ οὐ παύονται χωρὶς αἵματος ῥύσιος ἐκ ῥινῶν πολλῆς, ἢ λυγγὸς, ἢ σπασμοῦ, ἢ ὀδύνης ἰσχίων.*

*Quibus in febribus* continuò affligentibus; *vena in temporibus pulsant*, quando scilicet arteriæ temporales pleniori & citatiori motu ad expulsionem rei molestæ moventur; & *facies sana*, videlicet aspectu succiplena & decora, quo ad molem & colorem; & *præcordium non molle*, tumidum scilicet ab inflatione; *signum est longi morbi*, quia denotat copiam peccantis materiæ, ejusque perennem generationem; & *non desinentis circa fluxum sanguinis è naribus*, quando peccans materia propter concitatiorem motum excretricem stimulat; *aut singultu*, dum peccans humor ventriculum afficit; *aut convulsione*, transeunte materia ad musculosum genus; *aut coxarum dolore*, propter laxitatem & imbecillitatem eò defluente materia.

COM.

## COM. AD TEX. CXXXI.

Ἐν καύσῳ κοιλίη καταῤῥαγεῖσα, θανάσιμον.

*In febri ardente*, quæ fit à bile putreſcente in majoribus vaſis & vehementiſſimo æſtu, ſitique inexplebili laborantes torquet, ſuperveniente linguæ ſcabricie, vigiliis excedentibus, delirio & ſimilibus; *citata & frequens alvus*, fluxu ſcilicet ſymptomatico ſuperveniente, *exitiale eſt*, quia accidit hoc ſymptoma tam propter copiam corruptæ materiæ, quàm propter imbecillitatem facultatis.

## COM. AD TEX. CXXXII.

Ἐκ κοιλίης ἀλγήματος ἐπιπόνου πυρετὸς καυσώδης, ὀλέθριον.

*Ex alvi dolore laborioſo*, ſive præceſſerit ileos, colica, vel dyſenteria, ſive ſit intelligendus dolor laborioſus ob inflammationem viſcerum interiorum exortus; *febris ardens pernicioſa eſt*, illius ratione, quatenus præcedentibus doloribus & anxietatibus ita debilitatum eſt corpus, ut virium reſpectu vehementiæ febris ardentis reſiſtere nequeat. hujus conſideratione propter cauſæ gravitatem æger periclitatur.

## COM. AD TEX. CXXXIII.

Ἐν τοῖσι καυσώδεσιν ἤχων προσγινομένων μετὰ ἀμβλυωσμοῦ, καὶ μετὰ ῥῖνας βάρους, ἐξίστανται μελαγχολικῶς, μὴ αἱμοῤῥαγήσαντες.

*Quibus in ardentibus* febribus; *aurium ſonitus accedit*, ab interna cauſa propter humoris craſſi reſolutionem à vehementia caloris febrilis; *cum viſus hebetudine*, vaporibus impuris viſorium inſtrumentum occupantibus; *& gravitate narium*, crudâ & copioſâ peccantis humoris materiâ eò confluente; *melancholico modo inſaniunt*, peruſta ſcilicet peccante materiâ bilioſâ in cerebro ac reliquo toto corpore; *niſi ſanguis eruperit*, criſi videlicet à natura tentata per nares, quo facto ſymptomata omnia remittere neceſſum eſt.

## COM. AD TEX. CXXXIV.

Τοὺς ἐν καύσει τρόμους παρακοπὴ λύει,

*Tremores in febribus ardentibus*, quando motus pariter voluntarius & involuntarius ægris his accidit, ob bilis acredinem & ebullitionem; *delirio ſolvuntur*, quatenus fit metaſtaſis peccantis materiæ, propter imbecillitatem partem magis principalem invadentis, quâ de causâ abuſivè vocabulum λύει hoc loco uſurpatur, cum delirium tremore gravius ſit.

## COM. AD TEX. CXXXV.

Ἐν καύσῳ ῥύσις ἐκ μυκτήρων τεταρταίῳ, κακόν· ἢν μή τι ἄλλο ἀγαθὸν ξυμπέσῃ. πεμπταίῳ δὲ ἧσσον κινδυνῶδες.

*In febre ardente fluxus ſanguinis ex naribus quarta die malus eſt*, ſive ſtillicidium tantum intelligas, ſive fluxum largiorem, propterea, quod quartus in acutis majorem habeat vim indicandi quam judicandi; *ſi non aliud quid boni coinciderit*, hoc eſt, niſi concurrant ſigna bona, ſymptomata videlicet remiſſa & abſentia eorum, quæ prædicti ſigni malitiam augent. *Verum quinta minus pericuoſus eſt*, non quod omni periculo careat, ſed quia fieri poteſt, ut quinto die criticus accidat motus, naturâ irritatâ.

## COM. AD TEX. CXXXVI.

Οἱ ἐν τοῖσι καυσώδεσιν ὑποπεριψύχουσι διαχωρήμασιν ὑδατοψόλοισι, συχνοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, κακὸν ἄλλως τε, κἢν κάτοχοι γένωνται.

*Qui in febribus ardentibus leviter refrigeſcunt*, factâ quaſi retractione caloris nativi levi horrore frequenter invadente; *& aquoſa billioſis mixta egerunt*, ſymptomaticâ excretione, ex mixtis humoribus bilioſis & aqueis proveniente; *oculis denſis*, ob humorum impuritatem viſivos ſpiritus inficientem; *malè habent*, quia denotatur trium principalium facultatum vehemens labefactio, naturalis videlicet, vitalis & animalis, *tum aliâs*, *tum ſi ſtupidi fiant*, ſi ſcilicet ſuboriatur coma vigilans & mentis ſegnities, propter materiam mixtam in cerebro putreſcentem.

## COM. AD TEX. CXXXVII.

Καῦσος ῥίγεος ἐπιγινομένου λύεται.

*Febris ardens rigore ſuperveniente*, ſcilicet confertim, repente & ſemel exorto; *ſolvitur*, quatenus cauſa morbifica excernitur, & è venis ad partes ignobiliores maximè ſenſiles transfertur, ubi rigorem ejuſmodi interdum ſudor, interdum bilioſorum vomitus, interdum dejectio, non raro conjunctim omnia prædicta excipit.

## COM. AD TEX. CXXXVIII.

Καῦσοι ὑποστροφιάζειν εἰώθασι, καὶ ἡμέρας τέσσαρας ἐπισημήναντες, ἔπειτα ἐφιδροῦσιν· ἐν δὲ μὴ, τῇ ἑβδόμῃ καὶ δεκάτῃ.

*Febres ardentes*, maximâ ex parte quæ fiunt permixtione materiæ inæqualis, nimirum crudæ & pituitoſæ cum bilioſâ conjunctæ; *recidivam facere ſolent*, quia criſis perfectæ conditiones, nimirum proritatio, meatuum libertas & materiæ præparatio non ſemper in his ut in reliquis adſunt; *& ubi per dies quatuor ſigna ediderint*, nimirum quando primum quaternarium ſine ſignis

signis terrificis absolvunt; *postea exudant*, non oppressione, quod fit in febrium initiis; non exolutione, quod fit natura fatiscente diuturnitate morbi, sed inchoata excretione. *Sin minus septimo die*, si scilicet conatus talis est irritus, eundem die 7. expectandum esse.

## COM. AD TEX. CXXXIX.

*Τοὺς καυσώδεας διακρίνουσιν αἱ τέσσαρες καὶ δέκα ἡμέραι, κουφίζουσαι ἢ ἀναιροῦσαι.*

*Febre ardente laborantes*; verâ scilicet non spuriâ; *quatuordecim dies dijudicant*, qui terminus acutis simpliciter, exactè acutis & acutissimis *lib. 2. Aph. 23.* constituitur, propterea quod fiant ex tenui & acri materia, quæ facilè resolvitur, & naturam promptè stimulare potest; *aut allevantes aut perimentes*, quia his acutissimis propriè crisis perfecta, vel ad salutem, vel ad mortem convenit.

## COM. AD TEX. CXL.

*Ἐκ καύσου, μὴ γινομένου πυώδους παρ' οὖς ἀποστήματος, οὐ πάνυ σώζονται.*

*Ex febre ardente*, quæ mixtæ materiæ suam debet originem; *abscessu non purulento ad aurem orto*, quando non tantùm adest impedimentum, ut natura loco perfectæ criseos imperfectam tentare cogatur, sed etiam tàm robusta virtus non est, ut materia peccans ad suppurationem ducatur; *non valdè servantur*, materia ad partes principes regurgitante, & naturâ succumbente.

## COM. AD TEX. CXLI.

*Οἱ ληθαργικοὶ, τρομώδεες ἀπὸ χειρῶν, ὑπνώδεες, δύσχροοι οἱ οἰδηματώδεες, σφυγμοῖσι νωθροῖσι καὶ μετέωρα τὰ ὑποφθάλμια, καὶ ἱδρῶτες ἐπιγίνονται, καὶ κοιλίας ὑποιδέουσι χολώδεας καὶ ἀκρατέας.*

*Lethargici*, qui propter pituitosos humores in cerebro collectos animi perturbationem cum febri, sopore & oblivione patiuntur, *manibus intremiscentes*, materiâ peccante spinalem medullam circa partem superiorem afficiente; *somnolenti*, semper ad somnum inclinantes, ut ægrè excitari queant; *malè colorati*, quando color humoris peccantis naturam in facie imitatur, concurrente simul influentis caloris revocatione ad interiora; *tumidi*, propter causas prædictas; *pulsu tardo sunt*, propter oppressionem copiosæ materiæ proveniente; *& partes sub oculis elevatas habent*, quatenus genæ videntur sublimes, quod in ebriosis observamus, crudis flatuosis materiis loco boni sanguinis musculorum spacia replentibus; *& sudores superveniunt*, scilicet tenues & frigidi, propter materiæ copiam & naturæ imbecillitatem; *& alvus biliosis & intemperatis subtument*, copiosè materiâ collectâ in abdomine. *Si valdè siccas habuerint*, scilicet alvos, quod frequenter fieri solet in hoc affectu, ut nihil penitus excernatur; *& urina ac faces alvi latenter prodeunt*, ita ut nihilominus absque ægri voluntate urina & alvi excrementa rejiciantur; *urina velut jumentorum est*, quod serum in venis à flatulento spiritu cum ardore febrili commisceatur; *potum non expetunt*, *nec aliud quicquam*, propter sensus oppressionem, qui de indigentia necessariorum sollicitus non est. *Postquam verò resipuerint*, liberato cerebro ab ejusmodi malignâ cacochymiâ, quod rarò fit; *colli dolore se premi dicunt*, quia materia per translationem à parte principaliori ad minus principalem transfertur, nimirum ad Spinam, & proximè ad colli nervos; *& sonitus per aures transire sentiunt*, propter flatuum copiam ibidem tempore morbi per resolutionem putrescentis materiæ collectam. *Qui verò lethargicorum servantur*, quorum pauci sunt, cum plerique propter oppressam naturam pereant, *plerumque suppurati fiunt*, quando scilicet materia peccans ad pectus decumbit, ibidemque propter imbecillitatem facultatis expultricis, pulmonum vomicam generat.

## COM. AD TEX. CXLII.

*Ὁκόσοισιν ἐν πυρετοῖσιν ἀκρίτως τὰ τρομώδεα παύεται, τουτέοισι χρόνῳ ἐς ἄρθρα ἀπόστασις ὀδυνώδης ἐκπυΐσκεται, καὶ κύστις ἐπώδυνος.*

*Quibus in febribus* circa initia, *tremores*, qui fiunt oppressione facultatis motricis à causâ morbificâ *citra judicationem cessant*, non scilicet per crisin convenientem illa materia tremorem efficiente resoluta; *his temporis progressu in articulos abscessus cum dolore suppurat*, quatenus materia prædicta tandem à natura evincitur, & in intermediis musculorum & articulorum spatiis in pus convertitur; *& Vesica dolet*, quando scilicet una cum sanguinis sero materia acris eò ablegatur, undè urinæ ardor & stillicidium oriri potest.

## COM. AD TEX. CXLIII.

*Τῶν πυρεσσόντων οἷσι μὲν ἐρυθήματα ἐπὶ προσώπων, καὶ πόνος κεφαλῆς ἰσχυρὸς, καὶ σφυγμὸς φλεβῶν, αἵματος ῥύσις τὰ πολλὰ γίνεται· οἷσι δὲ ἄσαι, καὶ καρδιωγμοὶ, καὶ πτυαλισμοὶ, ἔμετος· οἷσι δὲ ἐρυγμοὶ, φῦσαι, ψόφοι κοιλίης καὶ ἐπάρσιες, καὶ ἐνταράξις κοιλίης.*

*Febrientibus* scilicet acutis, quibus propriè crisis convenit; *rubores in facie*, propter suffusionem sanguinis tenuis & biliosi; *& dolor capitis vehemens*, confluente bilioso & acri sanguine ad extimas maximè sensiles capitis partes membranosas; *& venarum pulsus*, temporalium scilicet arteriarum pulsatio, astantibus aspectabilis, & ægro perceptibilis atque molesta, propter repletionem particularem materiæ circa caput collectæ; *sanguinis fluxio plerumque contingit*, critica videlicet hæmorrhagia narium, si talia fiant circa diem criticum, concurrentibus aliis signis, futuram crisin denunciantibus *Quibus autem cibi fastidium*, non leve; sed vehemens suâ sponte subitò obortum, cum maxima anxietate;

te; *& oris ventriculi morsus*, ob acredinem biliosi humoris, quo tunicæ ventriculi, potissimùm os ejus maximè sensile vellicatur; *& frequens salivatio*, propter continuitatem faucium & gulæ; *vomitus*, scilicet fit. *Quibus verò ructus, flatus, strepitus ac elevationes ventris*, propter materiam in intestinis collectam & criticè commotam; *his alvi exturbatio fit*, critica scilicet, si die critico convenienti cum aliis signis bonis talia fiant.

## COM. AD TEX. CXLIV.

Τοῖσι χρονίζουσιν ἀσφαλέως ἐν πυρετῷ ξυνεχεῖ, χωρὶς πόνου, ἢ φλεγμονῆς, ἢ ἄλλης προφάσιος, ἀπόστασιν προσδέχεσθαι πόνου καὶ οἰδήματος, καὶ μᾶλλον ἐς τὰ κάτω χωρία· προσδέχεσθαι δὲ δεῖ τὰς ἀποστάσιας, τοῖσιν ὑπὲρ τριήκοντα ἔτεα μᾶλλον· ὑποσκέπτεσθαι δὲ τουτέοισι τὰς ἀποστάσιας, ἢν τὰς εἴκοσιν ἡμέρας πυρετὸς ὑπερβάλλῃ· τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι ἧσσον γίνονται, καὶ πολλῷ χρόνῳ γινομένων τῶν πυρετῶν· οἱ δὲ διαλείποντες καὶ λαμβάνοντες πεπλανημένως, φθινοπώρου μάλιστα ἐς τεταρταῖον ἐπεικέως μεθίστανται, καὶ μᾶλλον τοῖσιν ὑπὲρ τὰ τριήκοντα ἔτεα γεγονόσιν· αἱ δὲ ἀποστάσιες τοῦ χειμῶνος γίνονταί τε μᾶλλον, καὶ παύονται βραδύτερον, καὶ ἧσσον παλινδρομέουσι.

*Qui diutius securè febre continuâ laborant*, quando scilicet febris continua cum signis spem vitæ & restitutionis indicantibus ad 40. usque pertrahitur; *sine dolore, inflammatione, aut aliâ manifestâ causâ*, quando scilicet diuturnitatis causa nulla est alia, quam difficultas alterationis respectu copiæ & contumaciæ materiæ, non verò viscerum aliqua imbecillitas & inflammatio, cujus ratione continuò nova peccans materia generari potest, nec etiam externum quoddam accidens, ubi medicus, æger vel adstantes suum officium non faciunt: *his abscessus expectandus est*, quia peccans materia perfectâ crisi non potest separari; propterea quod conditiones necessariæ, de quibus vide *Com. Aph.* 139. non adsint *cum dolore ac tumore*, quatenus peccans humor ad circumferentiam partium extremarum transfertur, ubi propter sensibilitatem membranosarum ac nervosarum partium dolorem, propter laxitatem verò tumorem efficit; *& magis in infernis partibus*, eò decumbente materiâ propter facilitatem receptionis. *Expectare autem oportet abscessus his magis qui trigesimum annum excedunt*, ratio est, quod illi, qui nondum ejusmodi terminum ætatis attigerunt, citius perfectam crisin patiuntur, cum virtus extimulans robustior, humor mobilior & patentiores meatus habeant. *Considerandi verò his abscessus, ubi 20. diem febris superârit*, propterea quod antè vigesimum potius crisis perfectior fiat per hæmorrhagiam, vel alium excretionis modum. *Senioribus autem minus fiunt, etiamsi febres diu durârint*, quia languet hîc virtus expultrix, materia peccans contumax & copiosa est, & meatus ob senectutem contractiores sunt. *At intermittentes & erroneo modo invadentes*, quales sunt febres, quæ primo tertianarum typum observant, mox quotidiè invadunt, mox diutius intermittunt, ex bilioso sanguine æstatis tempore putrescente; *autumno maximè in quartanam communiter transeunt*, quia circa hoc tempus cutis adstringitur, humores intrò pelluntur, aduruntur, crassiores redduntur, & quartanæ circuitibus ansam præbent; *idque magis in iis, qui triginta annos excesserint*, quia talis ætas promptior est præcedentibus ad generationem Quartanæ, quòd humores biliosi remittant, & citius melancholicarum superfluitatum copia colligatur. *Abscessus autem hyeme magis fiunt*; quia tùm humores crassiores, compactumque magis corpus; *tardius desinunt*, propter contumaciam & cruditatem humorum; *& minus recurrunt*, quia peccans materia est immobilior.

## COM. AD TEX. CXLV.

Τοῖσι δὲ πολλάκις ὑποστροπιασθεῖσιν, ἢν ἑξάμηνον ὑπερβάλλωσιν, ἰσχιαδικὴ φθίσις ἐπιεικέως γίνεται.

*Quibus verò sæpè recidiva contingit*, in febribus continuis diuturnis, & propter materiæ cruditatem protractis; *his si sex menses exegerint tabes coxendicum leniter accedit*, quando temporis diuturnitate circa coxæ musculos cruda materia peccans decumbit, undè pars illa labefactatur, & genio suo defraudatur, quapropter tabes particularis subsequitur.

## COM. AD TEX. CXLVI.

Ὁκόσα πυρετῷ ἀντιδίδοται, καὶ μὴ ἀποστηματώδεα σημεῖα, κακοήθεα.

*Quæcunque signa febri se opponunt*, quæ scilicet non monstrant febris solutionem convenientem per crisin potissimum perfectam; *nec abscessus notam habent*, scilicet nec imperfectam quoque crisin per abscessum indicantia; *maligna sunt*, quia indicant naturam succumbentem.

## COM. AD TEX. CXLVII.

Τῶν πυρετῶν οἱ μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσι, μήτε κατὰ σημεῖον λυτήριον ἀφιέντες, ὑποστροπιάζουσι.

*Febres quæ neque diebus judicatoriis*, factâ crisi per naturæ robur; *neque post solutionis signa dimiserint*, quando scilicet signa coctionis sese offerunt, & morbi solutionem, sed frustra indicant; *solent recurrere*; propter materiam peccantem superstitem ipsum affectum diutius foventem.

## COM. AD TEX. CXLVIII.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων ἐν ἡμέρῃσι κρίνεται τεσσαρεσκαίδεκα.

*Acuti morbi in diebus* 14 *judicantur*, juxta rationem additam *in Aph.* 140.

## COM. AD TEX. CXLIX.

*Τεταρταῖος ἀκριβὴς ἐν πέντε, ἢ ἐν ἑπτὰ περιόδοισιν, ἢ τὸ μακρότατον ἐν ἐννέα κρίνεται.*

*Tertiana exquisita*, intermittens febris biliosa, de tertio in tertium affligens, quæ à flava bile pura ac tenui putrescente per sensiles corporis partes delata, oritur, in corporibus magis biliosis, vigente ætate, tempore potissimùm æstivo, &c. *in quinque aut in septem, aut ad summum in novem judicatur circuitibus*, quia materia peccans est tenuis ac facilè mobilis. Conjunge *aph.* 59. *lib.* 4. ubi Hippocrates idem enunciat, nisi quod hoc loco terminũ unum adhuc adjiciat. Ut autem continuarum febrium mutationes numerantur juxta numerum dierum, ita intermittentes numerantur juxta numerum circuituum, ut addit *Gal. in com.*

## COM. AD TEX. CL.

*Οἷσιν ἀρχομένοισι πυρέσσειν αἵματος στάξιες ἐκ ῥινῶν πλάζοντος γινομένου, λευκὴν ὑπόστασιν τὸ οὖρον ἴσχει ἐν τῇ τετάρτῃ, λύσιν ἐν τῇ ἑβδόμῃ σημαίνει.*

*Quibus febricitantibus in principio*, scilicet febrium acutarum, quæ celeres habent motus; *obortâ permutatione*, quæ suam originem habet à facultate cerebri expultrice validiore, quod molestum est excludere conante; *sanguis de naribus destillat*, imperfectâ scilicet hæmorrhagiâ sanguinis sese offerente, quæ aliâs formidabilis esse solet; *& urina quartâ die hypostasin albam habet*, quod signum est concoctionis; *his septimo die solutionem indicant*, quia accidunt in die judicatorio.

## COM. AD TEX. CLI.

*Τὰ δὲ ὀξέα κρίνεται αἵματος ἐκ ῥινῶν ῥυέντος ἐν κρισίμῳ· καὶ ἱδρῶτος πολλοῦ γινομένου, καὶ οὔρου πυώδεος καὶ ὑαλώδεος γινομένου ὑπόστασιν χρηστὴν ἔχοντος, καὶ ἀθρόου γινομένου· καὶ ἀποστήματος ἀξιολόγου, καὶ κοιλίης μυξώδεος, καὶ αἱματώδεος, καὶ ἐξαπίνης καταῤῥαγείσης, καὶ ἐμέτων οὐ μοχθηρῶν κατὰ κρίσιν.*

*Morbi acuti judicantur sanguine de naribus fluente die judicatorio*, quando talia signa sese offerunt, de quibus in diversis aphorismis præcedentibus actum est; *& sudore multo*, quem præcedit plerunque urinæ suppressio, quatenus sudoris & urinæ eadem materia; rigor, quando sensiles externæ partes ab acrimonia feri stimulantur, pulsus mollis, fluctuans & undosus, ob ebullitionem sanguinis serosi, & calor ac humidus quasi vapor in circumferentia corporis; *& urina purulenta*, dum internum aliquod apostema per urinam sese exonerat, eò propulsa materia peccante propter naturæ robur; *ac vitrea cum salutari sedimento prodeunte*, quæ scil. vitrum fusum refert, propter crassæ viscidæque pituitæ commistionem, quæ nihilominus à natura alterata coctaque appareat; *& acervatim reddita*, quod in omni bona crisi requiritur, cùm intermissio & interrupta excretio naturæ debilitatem indicet; *abscessu item laudabili*, juxta declarationem *aph.* 145. *& alvo mucosa cruentaque ac derepente dejiciente. & vomitibus circa judicationem*, præmissis signis, quorum fit mentio *in com. ad aph.* 144.

## COM. AD TEX. CLII.

*Ὕπνοι βαθέες μὴ ταραχώδεες, βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν. εἰ δὲ ταραχώδεες μετ᾽ ἀλγήματος σώματος, ἀβέβαιοι.*

*Somni profundi*, post factam crisin, ubi laborantes antea vigiliis vexati diutius somno opprimuntur; *non turbulenti*, dum placidè membra sopore quiescunt, absque somniis turbulentis; *firmam judicationem significant*, quia indicatur naturæ robur, & materiæ morbificæ plenaria secretio; *turbulenti verò cum dolore corporis*, quando laborantes interruptos obtinent somnos, & variis doloribus inter dormiendum & post somnum afficiuntur; *inconstantes sunt*, quia significant naturam adhuc imbecillem vi reliquiarum morbificarum pl. affici, quocirca recidivæ expectandæ sunt.

## COM. AD TEX. CLIII.

*Ἑβδομαίοισιν, ἢ ἐνναταίοισιν, ἢ τεσσαρεσκαιδεκαταίοισι, ῥύσιες ἐκ ῥινέων λύουσιν ὡς ἐπιτοπολὺ τοὺς πυρετούς· ὁμοίως δὲ καὶ κοιλίης ῥύσις χολώδης, καὶ δυσεντεριώδης, καὶ πόνος γουνάτων, ἢ ἰσχίων· καὶ οὖρον πεπανθὲν πρὸς τὴν κρίσιν· ἐν γυναιξὶ δὲ καὶ ἐπιμηνίων ῥύσις.*

*Septimâ die aut nona, aut decimaquarta, fluxiones sanguinis è naribus plerunque febres solvunt*, scilicet continuas & acutas, quorum terminus est decimus quintus; *Similiter & alvi fluxio biliosa*, diarrhæa videlicet critica; *& qualis dysentericorum*, interno abscessu per alvum soluto; *& genuum & coxarum dolor*, imperfectâ crisi eò translatâ materiâ, à partibus nobilioribus ad ignobiliores; *& coctâ urina circa judicationem*, robore naturæ sese monstrante, *in mulieribus verò etiam menstruorum fluxus*, scilicet criticè morbum solvit, quando corpus universum per uterum, tanquam naturale receptaculum superfluitatum, expurgatur, evacuatione confertim facta diebus judicatoriis.

## COM. AD TEX. CLIV.

*Οἱ ἐν πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγήσαντες ἱκανῶς ἐκ ῥινῶν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι κοιλίας καθυγραίνονται.*

*Sanguinem in febribus abundè undiquaque fundentes*, qui scilicet in febribus, & aliis acutis, frequentiores symptomaticas sanguinis evacuationes patiuntur; *cùm reficiuntur*, exhibitis alimentis convenientibus procedente tempore; *alvos habent profusiores*, propter dissolutionem caloris nativi concoctione debilitatâ quam fluxus lienteriæ similis subsequitur.

COM.

## COM. AD TEX. CLV.

Οἱ ἐν πυρετοῖσιν ἐφιδρώοντες, κεφαλαλγέες, κοιλίην ἀπολελαμμένοι, σπασμώδεες.

*Qui in febribus*, circa initia acutarum; *leviter exudant*, potissimum circa caput per expressionem ab oppressione plenitudinis; *capite dolent*, ob acrimoniam peccantis materiæ, sensiles cerebri membranas vellicantem; *& alvus suppressa est*, stimulo facultatis expultricis ad superiora commoto; *his convulsio imminet*, quatenus illa materia tandem principium nervorum totaliter vel partialiter afficit.

## COM. AD TEX. CLVI.

Αἱ ἐπ' ὀλίγον θρασεῖαι παρὰ κρίσιες, καὶ θηριώδη καὶ σπασμὸν σημαίνουσι.

*Mentis emotiones paulisper feroces immanem feritatem indicant*, juxta com. Aph. 88. *& simul convulsionem portendunt*, quando peccans materia nervoso generi communicatur.

## COM. AD TEX. CLVII.

Σπασμὸς ἐν πυρετῷ γινόμενος, καὶ παυόμενος αὐθημερὸν ἀγαθόν.

*Convulsio in febre orta & eadem die desinens bona est*, quia indicat paucitatem materiæ peccantis & naturæ robur, undè potius facultatis agentis causâ, quàm propter ferociam malignitatis orta fuit.

## COM. AD TEX. CLVIII.

Σπασμὸς ἐν πυρετῷ γινόμενος, παύει τὸν πυρετὸν αὐθημερὸν, ἢ τῇ ὑστεραίῃ, ἢ τῇ τρίτῃ ὑπερβάλλων δὲ τὴν ὥρην ἐν ᾗ ἤρξατο, καὶ μὴ παυόμενος, κακόν.

*Convulsio in febri orta sedat febrim eâdem die, aut posterâ aut tertiâ*, quando scilicet peccans materia plenitudinis ad musculosum genus transfertur in illa copia, ut paucis diebus discuti queat; ubi propter illum naturæ conatum febris quoque dissolvitur; *si verò horam, quâ cæpit, transgrediatur, neque conquiescit, malum est*, quia signum est hoc causam convulsionis graviorem esse, quam ut citò discuti queat, quocirca talis affectio febri superveniens Symptomatica & periculosa est.

## COM. AD TEX. CLIX.

Οἱ διαλείποντες, ἀνωμάλως δὲ χλιαινόμενοι, κοιλίης ἐμφυσωμένης, μικρὰ διαδιδούσης, ὀσφυαλγήσαντες μετὰ κρίσιν, τουτέοισι κοιλίη καταρρήγνυται· οἱ δὲ περικαέες πρὸς χεῖρα, νωθροί, διψώδεες ἀσώδεες κοιλίης ἀπειλημμένης βαρυνόμενοι ἐκλύονται· ἔστι δὲ ὅτε καὶ τὰ ἐξέρυθρα ἐν ποσὶ καταικαύματα, τὰ αὐτὰ σημαίνει.

*Quibus cum febris intermißione inæqualiter incalescentibus alvus inflata & pauca egerens*, nimirum quando febris adest, ex multiplici materia inæqualiter putrescente, suam originem habens, undè ratio intermissionis & vicissitudinis, itidemque inflationis & obstructionis alvi facillimè colligitur; *his post crisin lumborum dolore sequuto alvus erumpit*, flatibus videlicet versus inferiora commotis, ubi robore materiæ juvante tandem quod noxium est per alvum secernitur. *At ubi amburentes ad manum sunt*, scilicet febres, quod fit à calore febrili retorrido maximè bilioso; *torpida*, propter debilitatem facultatis animalis; *siticulosa*, propter exustionem stomachi; *anxia*, ratione caloris p. n. in vitali principio pl. aucti; *suppreßâ alvo gravati exsolvuntur*, propter summam virium omnium debilitatem; *quandoque verò & valdè rubræ pedum ambustiones idem denunciant*, quando propter sanguinis tenuissimi fervorem Symptomatica erysipelata circa partes extremas generantur.

## COM. AD TEX. CLX.

Οἱ χειμερινοὶ τεταρταῖοι πυρετοὶ ἐπιεικέως μεθίστανται ἐς τὰς ὀξέας νόσους.

*Hybernæ febres quartanæ*, quæ aliàs contumaces magis sunt, utpote cum hyems frigore suo dissipationi humorum magis repugnet, quos quantum potest in intima viscera corporisque penetralia condit, contra quàm facit æstas, quæ foras peccantes humores permovet, & feliciorem dissipationem reddit; undè tum alii morbi æstivi, tùm etiam quartanæ breviores fiunt: ἐπιεικέως, præter expectationem & opinionem: *in acutos morbos transeunt*, non quidem necessariò, quatenus ex acutis per bilis ustionem quartanas quidem factas experientia confirmat, non verò contra post quartanas acutas, quatenus natura in contrarias molitiones sine violentia non agitur. Pro ut autem hybernæ quartanæ rarissimæ sunt, ita etiam hæc mutatio frequens non est, quæ fiens periculosissima meritò statuitur, quatenus causam præsupponit gravem, ubi locū habent præter internam cacochymiam conjunctam, & eventilatione convenienti hoc tempore destitutam, externæ, quando prava victûs ratione, nec non medicamentorum usu præpostero ex quartana simplici duplex, triplex aut etiam continua causatur, de quo videatur *Galenus lib. 2. de arte curativa ad Glaucon. in Historia Eudemi Philosophi*, cum per intempestivum Theriacæ usum ex simplici quartana primò duplex, & postea triplex introducebatur; eâdem scilicet crudis adhuc humoribus existentibus exhibita, cui Galenus per eandem Theriacam, sed justo tempore propinatam, succurrit.

*Hæc sunt quæ in prima parte Prænotionum Coacarum de febrium Symptomatis, Paroxysmis & Crisibus proponuntur.*

DEO GLORIA.

*FINIS.*

# GREGORII HORSTII

Τῦ μακαρείτυ

DE

# TUENDA SANITATE

STUDIOSORUM

## LIBRI DVO.

Quorum LIBER PRIMUS extat Tomo I. Disputatione XX. Coronide I. II. III. IV. V. & VI.

*SECVNDVS verò LIBER* hîc exhibetur,

CUI

Addita sunt selectiora quædam Remedia ad plerosque morbos, quibus prædictus Author usus est.

---

## CAPUT I.

### *De Cura cerebri, & acuendo judicio & memoria.*

*Cerebrum arx Palladis.*

CEREBRUM Palladis arcem non immeritò *Poëtæ* dixerunt, cùm juxta *Platonicos* animæ primarium habitaculum, & sapientiæ sedes rectissimè nominetur; ut enim intelligendi facultate sapiens Creator hominem à reliquis omnibus creaturis corporeis separare voluit, ita præter reliquam corporis admirandam fabricam cerebri peculiarem naturam & conformationem eidem concessit, cujus ratione mens per facultates subordinatas rerum cognitionem haurit, & ex creatura Creatorem cognoscit, ubique perfectionem in hâc vitâ post æternæ salutis participationẽ summam acquirit. In hâc *perfectione acquirendâ* potissimùm *literati* laborant, quam ob causam *cerebri cura* præ cæteris ad eos pertinet: quò enim hujus constitutio melior & constantior, eò etiam ingenium præstantius, & ad studia pertexenda convenientius oritur. Consideramus autem in *ingenio*, duo potissimùm, scilicet promptam apprehensionem & dijudicationem, quam *intellectus*, sensus communis & imaginationis adjumento perficit, & communiter *judicium* vocatur; ac *memoriam*, cujus beneficio cognita, tanquam in thesauro intellectivæ facultatis reponuntur.

*Cerebri cura maximè spectat ad literatos. Ingenii duæ partes.*

Etsi verò satis obscurum est, quomodo cerebri, vel etiam alterius membri constitutio, talibus mentis operationibus præesse possit, propterea, quod intellectus functiones inorganicæ dicantur, cùm nulli parti sit alligatus, atque in eo prærogativam præ reliquis facultatibus omnibus habeat, manifestum tamen est, intellectionem in hâc vitâ sine cooperantibus subordinatis facultatibus fieri non posse, quam ob causam pro ratione *sensus communis, imaginationis & memoriæ*, quæ omnes in homine mentis operationibus subordinantur, ipsius ingenii ratio plurimum variat.

*Vide Fontan. lib 6. patib. c.19.*

*Quomodo talis intellectus operatio fiat, sufficienter à nobis demonstratur Tom. 1. Disp. 3. Coron. 2.*

Hinc ergò patet, cùm subordinatæ facultates beneficio suorum instrumentorum agant, & pro instrumento præcipuo *cerebrum* agnoscant, jure meritoque partem hanc intellectionis etiam organum dici posse.

*Quomodo cerebrum sit intellectionis organum.*

Hoc modo *Galenus (in arte parva) ingenium præcellentius* subtilem, tradiusculum verò crassam cerebri substantiam indicare statuit. *Discendi facilitatem* cerebrum formas promptè suscipiens, & *memoriæ tenacitatem* firmam stabilemque naturam ejus judicare.

Etsi verò *Argenterius* sugillet hunc textum, non tamen negare potest, quod innuit *Vallesius in comm.* subtilem vel tenuem cerebri substantiam à nativâ constitutione talem, promptam spiritibus animalibus commotionem largiri, modo reliqua simul necessaria concurrant, quod etiam *Trusianus in comm. ad text.* innuit; dum inquit, *substantiam subtilem sequitur virtutis, & spiritus porrigentis formas penetratio facilis. Contrarium accidit dum suâ naturâ substantia cerebri crassior est*; sic facilitas discendi, nimirum dum aliquid promptè memoriæ mandamus, susceptivam, hoc est, modicè humidam cerebri substantiam requirit, quod hanc ob causam pueris quibusdam facilius, quàm aliis contingere videmus. At memoriæ tenacitas stabilem ac firmam, scilicet moderatè siccam atque duram, cerebri substantiam præsupponit. Hinc facilè colligitur, cur iis, quibus plerumque firma satis & constans est memoria, dijudicatio, quam aliàs absolutè ingenium vocant, imbecillior sit, contra quibus judicium acutum est, iis plerumque memoria labilis est.

*In arte medica, cap.319.*

*Conjunge Odd. de oddis in arte parva Gal.*

*Cur ingenium & memoria non conjungantur? Vide Vallesium in com. artis par p.15.*

Hæc ut melius intelligamus primò notandum in præsentiâ, *judicium* nihil aliud esse, quàm sensus communis & phantasiæ singularem operationem humanam, cum ipsa facultatis intellectivæ functione conjunctam, quæ perficitur convenienti temperie & structurâ, tanquam instrumento, simul adjuvante rationis appetitu, tanquam excitante. *Istud* potissimùm innati calidi natura innuit, quatenus est instrumentum præcipuum omnis operationis, modo pars ipsa quoque decenti suâ conformatione non destituatur; *Hoc* denotat scientiæ desiderium nobis insitum, quod facultates subordinatas non parum extimulat. Hinc rectè *Platonici* quicquid discimus & excogitamus ex amoris fontibus profluere statuant; Imò non incommodè *Cælius Rhod.* in hunc sensum

*Judicium quid? Vide Coll. Conimb. lib. 2. de gener. & corrupt. 1. c. 8. q. 4.*

*Arist 1. Metaph.*

*Lib 19. cap. 16.*

*Item lib. 10 cap. 26.*

sum *ingeniorum causam duplicem* statuit, alteram *agentis*, alteram *patientis* potentiam, quarum illa mater actionis, hæc verò perfectionis susceptaculum est.

*Quid potissimùm sit medicæ consideratonis in Ingenii requisitis.*

Quod ergò maximè considerationi medicæ relinquitur, ad *susceptaculum perfectionis* pertinet, nimirum ad proprietates cerebri, quæ dexteritatem & acumen intellectus in apprehendendo & judicando juvant, *purissimus* videlicet *calor & spiritus innatus*, tàm originis suæ respectu, quàm continua restauratione, quæ per influentem spiritum & calorem absolvitur.

*Cur de cerebro in præsentia sit tractandum.*

Non autem potest vivificum hoc omnis actionis principium sine suo subjecto considerari, quam ob causam *substantia & conformatio cerebri* simul etiam conjungenda sunt. Etenim promptè spiritus insitus objectum suum apprehendit, dummodo substantiæ crassities non obsit, nec propter malam conformationem impedimentum aliquod adest.

*Causa læsionis ingenii.*

His positis manifestum est, *imminutionem ingenii* primò per læsionem innati calidi provenire, cùm *fatuitas & amentia juxta Galenum*, ipsum cerebri corpus refrigeratum esse indicent: Deindè *cerebri substantia* mutata *Iudicium* variare potest, dum enim *crassa nimis*, stupiditatem & hebetudinem inducit, dum *tenuitate plurimum excedit*, juxta adagium: adest *Ingenium desultorium*, hoc est, varium, ac omni tipulâ levius; Imò & *conformatio* minimè negligenda, nec enim *nimis magnum*, propter spirituum dispersionem, nec *nimis parvum*, ob cerebri paucitatem, *concinneque figuratum caput* requiritur, cum stupidis & obtusioribus plerumque tales etiam defectus accidant.

Quò igitur mediocrem judicii functionem à Deo Opt. Max. sibi concessam *homo maximè literatus* defendat, corroboret, & in statu naturali conservet, in sex rebus non naturalibus dictis juxta præscriptum sapientis Medici vivat.

*Victus ratio pro confirmando judicio,*

*Aëris*, quem inspiramus, natura tenuis ac pura sit, qui rebus odoratis incensis convenientior redditur; cùm enim aër spirituosam nostram substantiam reficiat, & generationi spirituum materiam præbeat, mirum non est, eundem ad ingenii proprietates plurimùm inservire, ut non immeritò veteribus *Athenienses* ob aërem tenuem & purum ingeniosi, *Thebani* verò totiusque *Bœotiæ* populi, stolidi, propter ejusdem ambientis crassitiem, dicti fuerint. *Cibum & potum* eligat facilis concoctionis ac digestionis, qui scilicet vi refrigerandi, vel crassos ac viscidos humores producendi destituatur; hinc igitur *in esculentorum classe* sibi convenientia seligat, eaque convenientibus herbis, seminibus, aromatibus, aliisque condimentis justo modo præparet. Huc igitur pertinebit usus *Salviæ*, *Majoranæ*, *Rosmarini*, *sem. Fœniculi*; *Carui*, *Cinamomi*, *Croci*, *Macis*, *nucis Mosch.* & *similium*, si modicè talibus esculenta condiantur. Videatur *Baconus de Verulamio.*

*Conjunge Actuar. lib. de spiritibus ubi diatam pro ingenio & memoria instituit.*

*Potulenta* sint temperata, minus evaporantia, quam ob causam à generosissimis & calidissimis, ut etiam à crudis vinis, abstinendum; eligatur autem *potus dureticus*, vinum videlicet mediocris virtutis & cerevisia benè cocta, justeque depurata, qui potus eò commodior redditur pro ingenio corroborando, si infundantur *radices Helenii*, *Caryophyllatæ*, *herba Salviæ*, *Rorismarini*, *Betonicæ*, *semina Fœniculi*, *Anisi*, &c. Inprimis *Ambra Grysea* ℥ß. quantitate in vinum quotidiani potus infusa, spiritus animales optimè corroborat, tàm diu, quàm diu sapor ejus qualitates indicat.

*Ambra spiritum corroborans.*

In *superfluis excernendis* diligens sit homo maximè literatus, respectu cerebri, cùm hoc vitæ genus præ cæteris capitis fluxionibus obnoxium sit, *evacuatione* videlicet *universali*, si opus est, *juxta cap.* 10. vel etiam *particulari*, promovendo videlicet excretionem superfluorum quotidianam per *nares*, *palatum*, *aures*, *oculos*, &c. imò evaporationem post somnum pectine eburneo, vel capitis frictione juvet.

Corpus exerceat moderatè, justoque tempore, nimirum peractis concoctionibus infimi ventris, & somnum fugiat diurnum: sed procul à cœna lecto sese tradat, ut cùm aurora vicissim ad studiorum labores redire possit.

Animo sit præsens, & juxta præcepta virtutis opinionum nobilitati, si fortè propter spirituum tenuitatem eò inclinat, prudenter resistat, ac vocatione suâ fretus labores studiorum subeat, adeoque *juvante methodica disciplina* labentes facultates ad intelligendum excitet, cùm in hoc ipso desiderio primum efficiens omnis eruditionis consistere videatur.

Verùm quid homini literato prodesset prompta receptio, & felix dijudicatio, si tantùm esset momentanea? quapropter *memoria* minimè negligenda, cujus beneficio recepta cognitaque retinentur, & recordationi suo tempore serviunt. Hanc *Antiqui* ex tribus, quas statuerunt Musas in templo Delphico, maximam posuerunt, tanquam imaginationis sacrarium, ruant enim & solvantur omnia Ingenii ornamenta necesse est, nisi memoria in præsidiis excubet, inquit *Heurnius de morbis capitis, cap.* 14. Etsi verò memoriam alibi cum phantasia conjunximus, minimè tamen actus ipsos eosdem esse statuimus, ideoque in præsentia meritò distinguuntur. Hujus instrumentalis causa dependet eodem modo à cerebro vitali suo calore secundùm naturam prædito, respectu substantiæ, quod suprà diximus, ob nativam constitutionem temperatè sicco, pro retentione plurimum inserviente. Hinc accidit, quod plures in *pueritia* & *pubertate* stupidi, procedente ætate viribus Ingenii, memoriæque valere soleant, dum superflua humiditas ætatis mutatione absumitur, adeoque calor, antea quasi suffocatus sese magis exerit, & ipsa moderata siccitas cerebri species receptas tenacius recipit.

*Memoria quid?*

*Tom. 1. Disp. 3. Coron. 2. Exerc. 8. quæst. 2. Organum memoriæ.*

*Nec obstat*, pueros quosdam memoriâ valere, ac sæpè in pueritia cognita diutius aliis retinere, cùm hoc ipsum ex accidenti fieri possit, tùm *respectu novitatis*, quæ pueris varia rerum cognitione destitutis adhuc admirationem, & per consequens firmiorem apprehensionem parit, tùm etiam, quod pueri curis atque cogitationibus vacent,

*De puerorum ingeniis.*

*Vide Sennerti Inst. lib. 2. par. 3. sect. 2. c. 4. Dom.*

*Leonem l. 2 pract. cap. 2.* *Sapientia præmatura periculosa.*

vacent, & minus mentem distractam habeant. Quod si *propter sicciorem cerebri constitutionem pueri capiant*, ante tempus plerumque præmaturâ morte pereunt; vel ætate procedente minus ingeniosi fiunt, quod spiritus & calor in talibus facilè mutentur *in privativas dispositiones*.

Porrò diximus *temperatè sicco*; si enim siccitas excedat, & ad caloris nativi resolutionem faciat, mirum non est, quod unà cum aliis facultatibus ipsam memoriam quoque lædat, ut patet in senibus, in quibusdam convalescentibus ex febribus ardentibus in iis, qui tempore Thucydidis ex peste superfuerunt, & aliis.

Notatu dignum est, ut obiter hoc adjiciamus, quod refert *Mercurialis lib. 1. pract. cap. 15. de bibliopega Gallo*, qui post epilepsiam incidit in defectum memoriæ, ita tamen ut scriberet, & scripta à se ipso nec intelligeret, nec legere sciret.

Ponamus igitur in homine literato sanitate prædito mediocrem atque sufficientem memoriam adesse, quæritur, quomodo talis optimè conservari possit? Hic primùm *aëris constitutio* rursus eligenda, nimirum ut aër purus eligatur, qui in agentibus qualitatibus maximè temperatus sit, inprimis literati fugiant aërem austrinum, cum à ventis meridionalibus aër memoriæ maximè noxius reddatur, propterea quod fluxionibus putridis maximam occasionem præbeat; de quo vide *Hippoc. lib. 3. Aph. 5.* Sit igitur habitatio sublimior, versus ortum potius quàm aliam cœli plagam, interdum arte aëris dispositio corrigatur, stratis hinc & indè rebus odoriferis nimirum floribus *Salviæ, Lavendulæ, Rorismarini, Majoranæ, Rutæ, Origani, Serpilli, Thymi, &c.* vel etiam incensis *baccis Iuniperi, ejusdemque radice* fumus excitetur in musæo, cui usui inserviunt etiam *Thus, Styrax calamita, Benzoi, Ladanum, Ambra, Moschus, Succinum, &c.* Si vivis carbonibus aliquid istorum inspergitur: Ne autem crassior ejusmodi fumus cerebrum afficiat, ideò summo mane per ministros excitetur, antequam è lecto surgamus, ut eò melius interim crassities ejus dispergatur. *Cibum* eligat facilis concoctionis, qui parùm excrementitiorum humorum generet, carnium videlicet hœdorum, agnorum, pullorum columbarum, avium montanarum, piscium saxatilium, ovorum sorbilium, jusculorum vini cum aqua rosacea, & pauxillo Macis atque croci conditorum, jusculorum cerevisiæ cum baccis lauri, cumino & vitellis ovorum præparatorum, jusculorum carnium cum ovis dissolutis, medullâ panis triticei, vel etiam amygdalis confectorum. *Panis* sale, cumino, vel carui semine condiatur, & optimè coctus sit. *Potus* sit vini temperati probeque depurati, cui conditurae gratiæ *radices Helenii Salviæ, flores Lavendulæ, summitates Rosmarini nux Moschata & similia*, possunt infundi. *Cerevisia* bene depurata, nec admodum evaporans sit, quæ maximè redditur accommodata pro quotidiano potu literatorum, si cum *baccis Lauri, Galangæ, Caryophyllis Mace, nuce Moschata, seminibus Pœoniæ, Granis Paradysi, & similibus* condiatur, eâ quantitate vel omnibus, vel singulis receptis, ut sapor indè jucundus proveniat.

*Victus ratio pro memoria juvanda.*

*Cautio in suffimigiis.*

*Porrò superfluas excrementitias humiditates*, quæ memoriæ plurimùm obsunt, diligenter homo literatus promoveat, ut antea diximus; & immodicam spirituum exinanitionem, si corpus rarum atque tenue est, præcaveat; *Balneum* itaque non nisi moderatè usurpet, ventre evacuato, cùm aliàs facilimè caput repleat, & fluxionibus bonam memoriam debilitet. *Exercitia corporis* pro calore excitando cibum præcedant crebriora, & ad incipientem usque levem corporis sudorem. *Somnus* tribus horis à cœna fiat, & non ultra naturæ cujusque rationem protrahatur, aliàs noxæ superius *Tom. 1. Disputat. 20. Coròn. 4. p. 373. a.* dictæ, catervatim oriuntur. *Animi affectus* concitatiores sint, qui objecto bono suscitantur, inprimis huc facit *scientiæ desiderium*, quam ob causam impressio firma, per amorem rei discendæ proveniens inter alia plurima memoriam adjuvat. Hinc patet obiter, *cur melancholici in statu naturali considerati sint ingeniosi*, quod ipsis non tàm natura, quàm studio, laborum tolerantia, & imaginationis fortitudine accidit, de quo vide *Vallesium in comm. art. parv. Marsilium Ficin. de vita sana. Valer. in loc. comm. & in enarr. med. 8. Cælium Rhodig. lib. 17. cap. 5. Fracastor de intellect. & alios.*

*Melancholici cur ingeniosi?*

Hæc sunt præcipua, quæ sanam cerebri constitutionem conservant, & per consequens memoriam atque judicium corroborant, ubi colophonidis loco notandum, vires ingenii plurimùm enervari, per ea, quæ spiritus dissolvunt, calorem nativum debilitant, vel etiam crudis humoribus coacervandis, adeoque spirituum, infectioni, promptam occasionem præbent. Vitanda igitur *excedens vigilia, studiorum inordinata ratio*, potissimùm lucubrationes nocturnæ, quas plerumque somnus matutinus excipit, *& crapula sive ebrietas*. Per *vigilias excedentes* spiritus dissolvuntur, corpus absumitur, & vires cerebri sensim perduntur, quam ob causam iis, quibus vigiliæ frequentiores ob cerebrum admodum exiccatum accidunt, sibi convenientibus remediis prospiciant; hic primò conveniunt *lotiones pedum ex decoctione foliorum Salicis, capitum Papaveris, Vitium, Lactucæ, florum Nymphææ, summitatum Anethi, & similium*, quibus utantur ante ingressum lecti, v. gr. ℞. fol. lactuc. Salicis, Viol. Malvæ, Vitis ana. ana m. iij. fl. rosˆ alb. nymphææ. sem. anethi ana m. ij. Cap. Papav. albi n. XII. Coque pro lotione pedum. Deinde respiciendum *ad alimenta*, quâ ratione circa finem cœnæ *Lactuca* commendantur à Ficino, unà cum haustu vini: *Lac amygdalarum dulcium* cum pauxillo seminis papaveris albi confectum, in hoc casu commodè quoque post cœnam ante somnum usurpabitur. *Lotiones capitis* ex aqua dulci cum rosis, foliis salicis, vitium, & capitibus papaveris decocta frequentius jejuno stomacho usurpata, non parum hanc siccam cerebri constitutionem excedentem juvabunt.

*Contra vigilias excedentes.*

Porrò

*Contra studiorum inordinatam rationem.*

Porrò *studiorum inordinata ratio*, plurimum ingenio nocet, ut enim omnium partium humani corporis amicus aliquis consensus deprehenditur, sic ipsæ facultatum ac partium functiones conspirant, ita, ut una alteram adjuvare, vel etiam impedire queat. Hinc *Aurora Musis amica* dicitur, cùm tunc temporis vires naturales refectæ sint, & organa concoctionis à suis operationibus quiescant. Ut enim studia intensiora post cibum ingenio nocent, caput cruditatibus replendo, simulque functiones naturales in cibis elaborandis deteriores reddunt, calorem & spiritum à membris concoctionis ad caput revocando, sic eò promptius in rebus addiscendis est *Iudicium*, firmiorque *memoria*, quò magis istæ præparationes alimentorum perfectæ sunt. Hanc ob causam graviora studia non statim post prandium vel cœnam suscipiamus, quia tunc temporis animus non tantùm segnior est, sed & applicatio minimè tam prompta, cùm sicuti diximus, natura defunctionibus aliis sollicita sit. Potius igitur tempus matutinum, atque à prandio per horam unam atque alteram semotum, studiosus eligat lectionem temperatam, quam non lassitudo, sed consilium finiat, ardenti cognitionis amore instituat, non cursim ac properanter materiam sibi subjectam transeat, aut diversarum rerum studia confundat, ne ipsi accidat, quod evenit peregrinantibus, qui multa habent hospitia, sed nullas amicitias, nimirum ut multa nesciendo sciat, hoc est, multa sine fructu legat, eaque in proprium Ingenii succum minimè convertat. Dico *tempus matutinum* reliquis præferendum esse; quantum enim lucubrationes nocturnæ noceant, ex prædictis patet, quod *Marsilius Ficinus lib. de vita sana cap. 7.* pluribus rationibus demonstrare conatur, quæ licet omnes demonstrativæ non sint, probabilitate tamen suâ non carent, quod patet, *quia* 1. *inquit*, tres planetæ (*Sol*, *Venus*, *& Mercurius*) contemplationi faventes adventante nocte nos fugiunt. 2. *Quia* oriente Sole aër attenuatur, & per consequens sanguis & spiritus mobilior est. 3. *Quia* ordine naturæ dies vigiliis, nox quieti dicata est, cùm Solis præsentia calor & spiritus à centro ad circumferentiam moveatur. 4. *Quia* stomachus per diuturnas resolutiones debilitatur, qui nocte vires suas recolligere debet, quod fieri nequit in lucubrationibus. 5. *Quia* spiritus per diem resoluti, nocte restitutionem expectant. 6. *Quia* phantasia distracta per diurnas vigilias minus prompta est, quàm post somnum. Dico *lectionem debere esse temperatam*, ubi nota ex *Heurnio de morbis capitis cap.* 14. Admonitione dignum puto, *inquit ille*, ad memoriæ stabilimentum mirum in modum facere studiorum moderationem. Nec illis credendum, qui studiis assiduè incumbendum putant, quod omnia evolvenda sint, ut aliquando optima excerni possint. Addunt vitam brevem esse, & infinitam exhaustamque esse librorum segetem. Ita est: Sed hi nos audere hortantur, quod adipisci non possumus, quod assequi nemo potest sequendum offerunt. Quis quæso, si Nestoris vitam vivat tantùm autorum cumulum legat, aut meminerit? multum, non multa legenda, si memoriæ consulendum, alioqui, quæ infarseris, quasi per vas Danaidum effluunt: id ne fiat meditatio remedio erit; consistit enim memoria in fida ac stabili imaginum conservatione. Quare assiduitas lectionis obest semper, nunquam prodest. Nam animi nostri promptuaria ita expedita sunt, ut alia pars excipiendis imaginibus, alia judicio, alia reservandis iis, quæ recepta sunt, attribuatur. Quoties itaque tanta est imaginum frequentia, ut altera alteri occurrat, ut quasi unda propellatur, tunc irritus omnis labor. Certè remissione studia acuuntur, ac vegetius ad remissa studia reditur. Vidistin' ut concertantes non modò adversarii sæpiùs viribus, sed suopte conatu atterantur? hoc nimium studiis inhiantibus usui venire solet: At qui refecti revertuntur, reparatis viribus ingenii & squalore illo longi incubatus deterso, veluti repubescentes, nihil non arduum perficient. *Hæc ille.* Dico *ardenti cognitionis amore* legendum esse, requiritur enim ad bonam memoriam, præter cerebri dispositionem convenientem, ut habet *Dom. Leon. lib. 2. pract. cap. 7.* ut pauca audiamus, vel legamus, & corpus atque animam pacatam, & à curis liberam habeamus. Hinc procul extrà negotia viventes bonos in studiis, ineptos in foro esse pronunciat.

*Sen. Epist. 1.*

*Crapula studiis noxia.*

Cæterùm sicut animus ad studia quietus atque pacatus plurimùm confert, ita corpus quoque crapulâ studiis minus obruendum est, cum *ebrietas* non tantùm classicis autoribus, propter animi perturbationem *insania voluntaria* dicatur, & sæpiùs dùm in dies plures protrahitur in manifestum furorem evadat, sed etiam crudis humiditatibus cerebrum repleat, calorem nativum debilitet; & spiritus impuros reddat. Hinc *ebrii balbutiunt* cerebro multa humiditate perfuso, linguaque multitudine humoris ob caloris suppressionem gravata, *vertiginosa atque imbecilliori visione* afficiuntur, quod spiritus animales exhalationibus poculentorum non solùm perturbentur, sed simul etiam inficiantur, *& imbecillitatem ingenii sibi contrahunt*, innato calido labefactato, spiritibus in deteriorem statum alteratis, & cruditatibus fluxionum collectis.

*Vid. Cæl. Rhod. lib. 13 cap. 3. & lib. 18. c. 31.*

Verùm quid respondebimus iis, *qui sanitatis tuendæ gratiâ semel in mense concedunt ebrietatem*, quòd somni profundioris ratione virtutibus animalibus allevamentum inducatur, sudor proliciatur, atque ea, quæ superfluunt, resolvantur. Imò & vomitus excitandi causâ quidam, hoc approbant? Hîc notandum, ea, quæ per accidens fiunt ab aliis, quæ per se accidunt, esse distinguenda. Quanquam verò parum intersit, num sanitas nostra per se, vel per accidens conservetur, eò tamen respiciendùm est, ne juvantia per accidens noxam sæpiùs majorem introducant. Ponamus igitur ebrietatis usu, subsequente vomitione, sudore quiete, vel etiam aliâ secretione superfluorum, à naturâ per vim extimulatâ peractâ, corpus sanum interdum

*Vid. Probl. med. Dec. 2 q. 2. Avicen. Rhas. Disc. An singulis mensibus ebrietas concedenda.*

terdum à causis morbificis liberari: at quid fiet, ubi natura succumbit, ut ejusmodi secretionem tentare nequeat? ubi somnus minimè pacatus subsequitur, quod frequens est ebriis, propter suffocationem & perturbationem spirituum cerebri? ubi calor internus copia cruditatum obruitur, ut ad alterationem assumptorum insufficiens sit? ubi tandem aliæ ebrietatis noxæ considerantur? Hinc non immeritò prædicta sententia refutatur ab aliis: Etsi enim innato calido, *juxta Galeni decretum*, insigniter vinum convenit, cujus ratione in eo statuitur gradu, (*ut inquit Cæl. Rhod cap.* 32. *lib.*28.) quem cum igne oleum habet ac lumine, tamen utriusque redundantia superfluens utrumque obruit ac restringit.

*Vid. Cæl. Rhod. lib.* 30.c.8.

*Quomodo literatis ebrietas concedenda?*

Si verò remittendum hac in parte, cum literatorum laboribus spiritus absumantur, ac cerebrum sæpissimè propriæ humiditatis respectu siccetur, etiamsi quoad excrementitios liquores, ob concoctionis imbecillitatem, fluxionibus obnoxium sit, cùm *Avicenna* interprete, levem modicamque vinolentiam in mense concedentem, eo sensu, quo *Seneca*, Stoico supercilio sat gravis aliâs, nonnunquam ad ebrietatem usque veniendum esse statuit, non ut mergat, sed ut curas deprimat. Hoc modo animus, ab intensioribus negotiis quodammodo liberatus, in seipso colligitur, calor nativus moderatâ vini salubris potione suscitatur, & latentes cruditates resolvuntur; ut omittamus *Platonis* rationem politicam, qui liberaliorem usum vini videtur approbasse, *lib.*1. *de leg.* quod hâc ratione mores hominum facilius retegi statuat.

NB. Præservantia ab ebrietate *Amygdala amara* 5. *vel* 6. *ante cibum. Absinth. coma & fol. rut. jejuno stomacho sum. Brassica & semen ejus in cibo. Verbena, Lac. jejuno stomacho sumptum. Elect. ex conf. rob. rib. berb. syr. corall.* Pro ebriis. *Primò vomitus provocetur. Julepus detur, qui* ℞. *Aq. font.* ℔j℥. *aceti rosar.* ℥iij. *Syr. acetos. citr.* ℥j℥. *Clyssi* ℈℥.*m. Oxyrrhodinum post vomitum* ℞. *Aq. Rosar.* ℥iiij. *Chamom. fl. Samb. persic. anethi ana* ℥ß. *Succi rosar.* ℥vj. *aceti ros.* ℥ij. *M.* Ad ebrietatem à spiritu vini *cum aq. calid. oleo com. & butyro vomitus provocetur, deinde lac exhibeatur, item emulsio ex amygd. sem. Cucurb. melon. cum aq. hord.*

*Quomodo virilibus ingenii & memoriæ deficientibus succurrendum.*

*Colophonidis loco* notandum in hoc capite, quomodo vires *ingenii atque memoriæ* deficientes in statu naturali corroborari debeant. Missa verò *memoriæ læsione*, quâ quidam afficiuntur imbecillitate per generationem à parentibus, extremam senectutem, insignem aliquem cerebri per vulnera, vel aliâ ratione defectum, aut malam conformationem, accidente, (quam incurabilem rectè Medicorum principes statuunt) potissimùm considerabimus illam alterationem, ubi vires Ingenii *vel excedente cerebri humiditate*, quod frequenter accidit, vel etiam *ejusdem siccitate* præter naturam labefactantur.

*Quomodo cognoscatur defectus ingenii propter humiditatem accidens.*

Cognoscitur autem *defectus potius ab humiditate*, & per consequens etiam à *calore diminuto vel suppresso* provenire, dum adest capitis gravitas, somnus profundus, stupor & torpor, aurium tinnitus, excrementa cerebri plura & copiosiora, læsio facilis in aëris ambientis austrina constitutione, capilli molles ac recti potius, quàm crispi. Succurrendum est itaque hic Naturæ per *evacuationes* convenientes, inprimis verno & autumnali tempore sub æquinoctia susceptas, *juxta præcepta capitis* 8. *& sequentium*, post accedendum ad ea, quæ cerebro peculiariter in tali casu conveniunt, interna videlicet & externa. Interna sunt simplicia & composita. Inter simplicia primum locum tribuimus *nuci Moschatæ*, quam plures classici non tantùm manifestis, sed etiam occultis qualitatibus memoriam corroborare statuunt, si sæpè jejuno stomacho masticetur, & in ore detineatur, imò & vesperi quarta pars ejus assumpta fluxiones sistit, & cerebrum corroborat. Hinc in hoc casu *Hercules Saxon.* commendat has rotulas, si singulis diebus ℥j℥. earum assumatur ante prandium:

*Adjuvantia naturam.* 1. 2.

*Interna.* *Nux Moschata.*

℞. *Nucis Moschatæ num.* ij.
*Caryophyll. num.* vj.
*Ligni Aloës* ℥j.
*Sacch. opt. in aq. majoranæ diff. f. confectio in Rotulis.*

Patruus noster, D. Jac. Horstius p. m. magnifaciebat hos morsulos.

℞. *Ol. nucis Mosch. per express.* ℥j.
*Marg prap.* ℈j.
*Eboris usti*
*Corn. c. usti præp. ana* ℈ß.
*Sacch. q. s. in aq. Lavendulæ & Borrag. dissol.*
*f. confectio in Morsulis.*

Huc pertinet etiam tanquam singulare experimentum *pulvis Olibani selecti* ℈ß. quantitate, cum aq. vel vino Lavendulæ frequenter in aurora sumptus, *Zingiber* itidem *conditum*, *calamus aromaticus conditus*, *radix pyrethri condita*, vel sacchari obducta, *conserva Borraginis* (quæ specificum Ingenii corroborandi remedium statuitur) & inprimis *confectio Anacardina*, quæ juxta *Platerum* hoc modo corrigi potest: ℞. *Conf. Anacard.* ℥j. *conservæ Majoranæ, Rorismarini, ana* ℥ß. *misce f. elect. de quo semel aut bis in septimana sumatur* ℥j. *jejuno stomacho pro dosi. Semen sinapis* vel cum melle pro bellariis appositum, & sacchara obductum experimentum tutum ac præsens in hoc affectu statuitur. Notari quoque possunt hoc loco *Rotulæ cephalicæ Dorncreilii*, quas proponit in *Dispensat. p.* 82. quæ recreant & restaurant spiritus animales, corrigunt vertiginem, præservant ab Apoplexia, Epilepsia, & Paralysi. Omnibus literatis & quicunque assiduâ meditatione & curis facultates animales debilitant, peculiare sunt remedium. Sumuntur quovis tempore tres quatuorve pro una vice, ita tamen

*Lib. 1. de sens. læs. c.* 1.

men ut in lingua per se dissolvantur. *Hæc ille.* Descriptio talis est:

℞. *Cubebar.* ℈ij.
*Sem. pæon. maris decrescente Luna collect. & excort.* ℈j.
*Marg. præp.* ℈ij.
*Smaragdi præp.* ℈j.
*f. Pulvis subtiliss. & adde*
*Ol. nucis Mosch. per destil.* ʒj.
*Macis stillat.* ℈j.
*Rorismarini gut. vj.*
*Lavendulæ gut. iij.*
*Sacch. fini* ℔. j. *dissolve in s. q. aq. lilior. convall. cui add. aq. Epilept. aureæ* ℥ß.
*f. conf. in Rotulis.*

Ita commendatur etiam ejusdem *Aqua Sophorum*, quæ illorum, qui in liberalibus studiis versantur, ingenium ob nimiam humiditatem & frigiditatem stupidum acuit, & memoriam, ob eandem excedentem qualitatem labilem, confortat, omnes sensus vivificat, & studiosos ad quasvis disciplinas capescendas habiliores reddit. Nec Epati infensa est suâ caliditate & siccitate, cum plurima habeat ingredientia hepatica frigida, sumitur ʒj. alternis vel ternis, vel quaternis diebus, pro majori vel minori necessitate utentis. Descriptio talis est:

℞. *Rad. costi amari candid. arom.* ʒj.
*Cyperi rotundi* ʒij.
*Sum. Majoranæ*
*fl. Anthos*
*Betonicæ*
*Cordialium ana M. iij.*
*Stæchados Arab.* ʒvj.
*Sem. 4. frigid. major. excort. ana* ʒvj.
*4. frigidor. minor.*
*Erucæ ana* ʒiij.
*Santal. albor.*
*Citrin.*
*rubror. ana* ʒv.
*Myrobalan. Bellirricor.*
*chebulor.*
*Indor.*
*Piperis longi.*
*Nigri.*
*Castorei ana* ʒj.
*Pulverisanda pulverisentur subtiliss. flores minutim incidantur, & infundantur in Aq. lilior. convall. simpl. fl. tiliæ.*
*Rorismarini.*
*Antiepileptica aureæ ana* ℥jx.
*Vini malvatici opt.* ℔ *jx.*

Stent in infusione in loco calido per octiduum, deindè destillentur igne lentissimo in Balneo Maris.

Quidam in hoc casu penitus ad decoctum ligni Guajaci perveniunt, de quo vide Herc. Saxoniam.

*Externa.* Externa talia sunt, quæ calorem excitant, & humiditates absumunt, huc igitur pertinent *capitis frictiones post somnum. Lotio capitis* frequentior tali lixivio facta. ℞. *Lixivii ex saramentorum viris, vel quercini ligni cinere confecti, q. s. adde Salviæ, Betonicæ, Majoranæ, Lauri, Rorismarini, Lavendulæ, Spicæ ana M. j. Bacc. Lauri, Iuniperi ana* ℥ß. coquantur pro lotione capitis. *Mercurialis & Dom. Leon.* loco lixivii sumunt spiritum vini, quod non temerè sine consilio prudentis Medici faciendum est. Hâc peracta, diligens subsequatur exiccatio linteis calidis Thure suffumigatis. Imò & sapo artificialis pro superflua humiditate corrigenda talis confici potest: ℞. *Saponis Veneti* 4, *par.* ℔. *pulv. rad. ireos, Asari ana* ʒv. *Nucis Mosch. Caryophyll. ana* ʒjß. *Santali citrini* ʒij. *Moschi* ℈ß. *misce, fiat sapo cum oleo rutaceo, q. ß.* qui usurpetur in lotione capitis. *Inunctio* quoque fiat *ex oleo nucis Mosch.* per expressum ex *Balsamo Majoranæ, Rorismarini*, ad nares & tempora quantitate pisi, manè vesperique. Totum verò caput post evacuationem & lotionem semel in mense inungatur ejusmodi linimento: ℞. *Castorei, piperis longi, pyrethri, sinapi ana* ʒj. *olei rutacei, de piperibus ana* ℥ij. *Aquæ majoranæ* ℥iij. *M. & coq ad aq. consumptionem, ac postea fiat linimentum.*

NB. *In calida capitis affectione, præterea quæ in textu notantur, adhiberi potest emulsio, quæ recipit sem.* 4. *frig. major. excort.* ℥ß. *papav. albi* ʒij. *Aq.* Hordei ℔ß. *lactuc. nymph. ana* ℥ij. *Ros.* ℥j. Conditum ℞. *conserv. rosar. violár. ana* ℥ij. *Caul. lactuc. condit* ℥ß. *spec. diamarg. frigid.* ʒß. *sem* 4. *frigid. major. excort. ana* ʒj. *cum tinct. Rosar. & Syr. viol. f condit.* Externa ℞. *flor. rosar. nymph. ana p. j. Sambuci p ß. fol. salicis, vitis, lactuc. hordei, ana M. j. coq. in aq. ad* 3. *adde aceti rosati* ℥jß. *Nitri præpar.* ʒj. *pro foment.* vel ℞. *aq. rosar.* ℥iiij. *ol. rosar.* ℥ij. *aceti rosar.* ℥ß. *alb. ovor. n.* 2. M. *ad synciput. & tempora* ℞. *mucil. sem. phyll.* ℥j. *ol. rosat.* ℥jß. *aceti rosar.* ℥j. M. vel *applicetur succus solani, aut ceratum santalinum cum succo lactucæ in mortario subactum*, vel *panis cum sale tosto.*

*Quomodo succurrendum defectui memoriæ ex siccitate præmaturâ.* Quod si præmatura quædam siccitas in causa est, ut memoria atque ingenium debilitetur, victus ratio contraria eligatur, & inter experimenta confugiendum ad ea, quæ vim humectandi possident, hûc ergò pertinet ejusmodi *electuarium corroborans* quotidiè quantitate nucis Castaneæ jejuno stomacho sumptum. ℞. *Conser. Rosar. Cichorii, Borrag. Violarum ana* ℥ß. *specierum Diatrag. frigid.* ʒjß. *syr. Violar. & Beton. q. s. fiat electuarium.* Pro lotione capitis utile est *decoctum pedum ac capitis Vervecini*, cui adduntur herbæ borraginis, violarum, florum earundem ac rosarum recentium, quantum scilicet pro sufficienti lixivio. *Hercul.* addit Malvam, Altheam, & sem. lini. *Plater.* Imò & inunctio non inutilis est, ex *oleo Amygdal. dulcium ac Rosaceo*, partibus æqualibus permisto, & ovi albumine plurimum agitato. Verùm ut omnis exicca-

tio p. n. maximè vitali principio contraria est, sic etiam hîc parum spei superest, dum causæ exiccantes graviores præcesserunt.

Emulsiones *fiant ex amygd. sem. frigid. cum nucibus, sem. psyllii.* Epithema *ex succo malvæ, alth. borrag. ol. viol. lacte muliebr.*

## APPENDIX
### ad
### CAPUT I.
### LIBRI SECUNDI.

UT non tantùm in sanitate tuendâ, sed in morbis invadentibus, absente Medico ægri, quorum non pauci iis in locis vivunt, ubi nec pharmacopoliis instructis, nec Medicorum consiliis gaudere possunt, sibi suisque quodammodo prospiciant, eò usque, donec magis convenientia per peritos Medicos acquirant; ideircò in hoc secundo libro iis capitibus, quæ de Partibus singularibus agunt, ἀπόρεισα & facilè parabilia quædam Medicamenta, cum aliis præcipuis morbis appropriata, subjicere placuit. Cùm autem arci Palladis ipsi capiti, tâm externi, quàm etiam interni Morbi p. n. frequenter accidant, necessarium erit, ut utrorumque mentionem faciamus.

## DE
## MORBIS EXTERNIS
## CAPITIS.

### AD FURFURES Schibber/ oder Schuppen.

℞. *Rad. Lap. acuti.* ℥j. *Coqu. in lixivio fortissimo pro ablutione.*

*Herba Betæ rubræ cum rad. decocta in lixivio.*

*Fel Capræ cum vino permixtum & inunctum.*

*Vitrum subtilissimè tritum, cum terrâ Cimoliâ permixtum, & lixivio dissolutum.*

*Cinis Caulium cum lixivio per frictionem adhibeatur.*

*Amygdalæ amaræ cum vino terantur, & lotione adhibeantur.*

*In omnium defectu non deerit urina humana pro lavacro capitis usurpata.*

℞. *Pulv. staphysagr.* ℥ß. *tut. præpara.* ʒß. *litharg* ʒijß. *aceti* ℥jß. *coq. ad aceti consumpt. adde ol. rut. & ceræ q. s. pro ung.*

℞. *Chamom. betonic. origani asari cum toto, rosmar. lavend. major. ana M. I. Lupinor. lapat. acuti ana* ℥ij. *pro decocto absterg.*

℞. *Fœnugr. fol. bet. sicc. ana* ʒij. *myrob. nigr. staphysagr. ana* ʒijß. *f. pulvis affricetur capiti raso.*

℞. *Nitri, sulph. ana* ʒij. *helleb. nigri* ʒj *lupin* ℥j. *f. pulvis, post caput lavetur* ℞. *fol. betæ & alth. ana* Mij. *pulp. coloc. hellebor. albi, nitri ana* ʒij. *coq. in petia ligat. in* ℔x. *aq. fluviat. ad consumpt. 5. part. deinde vini albi* ℔ij. *& caput abluatur.*

### AD PEDICULOS.

℞. *Sem. Staphysagriæ.* ʒj. *Vitrioli. scr. j. Argenti vivi. scr. ß. de coq. in aceti* ℥ij. *ad consumpt. med. partis, postea coletur, & locus inungatur.*

Item, *Decoct. Tamarisci cum rad. & foliis atque corticibus.*

Item, *Alumen in lixivio decoctum.*

Item, *aqua marina.*

### AD TINEAS, SEU ULCERA CAPITIS manantia.

℞. *Succi Hederæ terr. q. s. cum lardo succido f. Linimentum: loto prius capite decoctione Sabinæ, Centaurii minoris, Foliis Salicis, Hellebori nigri, &c. quæ decoctiones fiant cum lixivio & pauxillo aceti.*

Item, *pulvis Sabinæ cum flore lactis inunctus.*

### AD PILOS AUGENDOS.

℞. *Axung. vet. porci, cort. rad. sambuc. rad. hellebori albi an. q. s. f. Unguentum per coction.*

Lixivium *fiat* ℞. *Rad. Lapat. acuti* ℥ij. *Ebuli* ℥j. *hellebori albi, nigri ana* ℥ß. *chamom. plantag. lup. origan. fum. an. mjß. fabar lupinor. an* ℥ij. *furfur. hord. excort. an. mjß. liquir.* ℥j. *Coq. in sex mens. aq. f. postea lixivium cum cinerib. adde mililot. sem. lini, fænugr. ciclam.*

Pro infantibus, ℞. *ol. nuc.* ℥j. *litharg. cerusß. an.* ℥ß. *aceti vini* ℥ij *Coq. ad spissit. mellis pro Unguento.*

*Decoct. Abrotani.*

Item, *Rad. Bardanæ seu Lappæ majoris in lixivio macerata.*

Item, *Decoctum Rad. Althææ vel in vino, vel in lixivio.*

℞. *Allii, capar. an.* ʒiij. *Myrob. chebul. citr. an.* ʒij. *Tartari* ʒvj. *Adiant. aur. capill. vener. an. mj. Vitell. ovor. n. iij. Liquirit.* ʒij. *Gummi Arab.* ℥ß. *Tragacant.* ʒij *Panis* ℥j. *Mellis* ℥xij. *Cum aq. rosar. & lacte q. s. f. destillatum, quo capilli irrorentur.*

### AD LENDES ET CORROsiones pilorum.

℞. *Olei & aceti. an q. s. optimè misceatur & inungatur.*

Item, *ex combustione Sem. Cannabis f. Cinis pro lixivio.*

Item, *pulvis Baccar. Lauri cum ol. & aceto misceatur pro Linimento.*

*Cerefolium pro lavacro coctum cum aceto aut aqua stillat. absinth.*

### AD GENERANDOS PILOS.

℞. *Stipit. caulium. q. s. fiat Cinis pro lixivio.*

Item, *apes in melle collige, combure, & pulverem cum oleo misce pro linimento.*

Item,

Item, *Folia Nenupharis vel Nymphaæ decoqu. cum Butyro rec. optimè pistentur, & exprimantur pro linimento.*

Item, *post frictionem locus inungatur oleo Mastichino cum Laudano.*

*Inungatur caput* unguento ℞. *ol. overum, cera ana* ℥ß. *ladani* ℥vj. *ping. ursæ* ℥ij. *charta usta. avellan. ust. an.* ʒß. *gr. myrti* ℈j. *ol. lentiscini* ℥ij. *f. unguentum. post abluatur* decocto lixivii *capill. veneris abrotani & rad. urtic. majoris, centaur. min. & bardan.*

AD PILOS ERADICANDOS.

*Fiat linimentum cum butyro non salito ex pulvere cocul.*

℞. *Saponis nigri* ℥j. *salis communis* ℥ij. *pro linimento.*

*Post usum medicamentorum caput abluatur, decocto tamarisci aut aqua marina.*

℞. *Sem. Vrticæ, misce cum aceto fortissimo, & locum pilosum in balneo frica.*

Item, ℞. *calcis vivæ* ℥j. *Auripigmenti.* ℥j. *fiat decoctio in aceto fortissimo, quo depilatio fiat, loco inuncto succo cancrorum fluviatilium cum aceto parum permixto.*

AD SERPIGINES FACIEI,
**Flechten / Zittermahl.**

℞. *Rad. Lap. ac. q. s. decoq. aceto & affricetur.*

Item, *Saliva jejuni hominis.*

Item, *succus Lap. ac cum aceto fortissimo; & Sale, affricetur in balneo.*

Item, *Sulph.* ℥j. *Tragacanth. Aluminis. ana* ℥j. *fiat pulvis. coqu. in petia in aceto bono pro inunctione.*

Item, *oleum Tartari inunctum, subsequenti lotione decoct. Lap. ac.*

*Ol. Myrrh. quod fit in cortic. album. ovorum in cella.*

AD FACIEI PUSTULAS
& scabiem.

℞. *Aq. lil. convall.* ℥ij. *rosar. nymph. ana* ℥ijß. *flor. fabar.* ℥jß. *succi citrang.* ℥j. *Mercur. vivi* ℥iij. *Boracis* ℥ij. *aceti* ℥ß. *Campor.* ℈ß. *coq. l. a.*

Ad rubras pustulas ℞. *Mercur. vivi, aceti vini ana* ʒß. *Camph.* ℈ß. *pulv. ros.* ℥j. *succi limon.* ℥ß. *aq. rosar.* ℥ij. *M.*

Ad ruborem ex solis ardore ℞. *Ceruss. aq. rosar. & ol. violarum pro linimento.*

AD GUTTAM ROSACEAM
**Zum rochen finnechten Angesicht.**

℞. *Succi acetosæ, Plantag. Prunellæ.* ℔jß. *Albuminis ovor. Numero XX. optimè misceantur, adde Aluminis* ℔. j. *& destilletur B. M. applicetur cum linteolis.*

Item, ℞. *Sulphuris, Litharg. ana q. s. coq. in aceto & aq. ros. pro Epithemate.*

Item, ℞. *Myrrhæ Olibani, ana* ℥ij. *Sulphuris vivi* ℥j. *Camphoræ* ℥j. *pulverisentur optimè, adde* ℔j. *aq. Ros. coletur pro lavacro faciei.*

## DE MORBIS INTERNIS CAPITIS.

### DOLOR CAPITIS
à Causa Calida.

*Præmissis alterantibus & evacuantibus cholagogis.*

℞. *Aq. Ros.* ℥j. *fl. Sambuci. Fœnic. ana* ℥ß. *Albuminis ovor. num. j. Croci. scr.* ß. *Misce, & applicetur fronti & temporibus.*

Item, ℞. *Ol. Rosati, Aceti, Aq. Ros. an. q. s. pro epithemate.*

Item, *Vng. Alabastr. cum Vng. popul.*

Emulsio *amygd. & nucl. persicor. cum aq. sempervív. &c. addito nitro præpar.*

Item, *Canc. fluviatiles cum aceto rosat. & aq. Verben. contus. & appos.*

Item, *Panis tostus aceto sambuc. aspersus & temp. applicatus.*

Item, *radix plantaginis pro amuleto.*

Item, *vesicatoria ad collum.*

### DOLOR CAPITIS
à Causa Frigida.

*Præmissis incidentibus & evacuantibus phlegmagogis, adhibeantur flor. Anthos, Chamam. Melissæ Stæchad. Arab. per decoctionem in aq. Verbenæ.*

Item, *cum aq. chamam. Verbenæ, Melissæ, ana* ℥iij. *Nucleor. persicor.* ℥j. *f. Emulsio pro Epithemate.*

Item, *Lauri Baccæ pulverisatæ cum oleo chamæmelino & rosaceo terantur pro Linimento.*

Item, *aqua Lilior. convall.*

Item, *emulsio sem. Cannabis cum aq. Verbenæ & chamæmeli facta.*

Item, *Pileolus gestetur cum flor. chamameli, Anthos, Herb. Beton. Majorana, nuce Moschatâ, Mace, Caryoph. Ambra & Moscho.*

Item, *Raphani radix incisa & apposita.*

Item, *Radix pimpinellæ masticata.*

Item, *Camphora in vino soluta & apposita.*

Item, *Mithrid. & Theriaca.*

Item, *Epithema è flor. Sulph. in nodulo ligatis & vino coctis paratum.*

Item, ℞. *Pulv. zedoar.* ℥j. *aq. betonic. verben. sambuc. an.* ℥j. *pro epithem.*

Item, ℞. *Serpilli, M.* ß. *Pulegii, p. j infunde in aq. Rosar.* ℔. ß. *aceti* ℥j. *stent in loco calido, postea petiis applicetur fronti & temporibus.*

## AD HEMICRANIAM.

℞. *Absinthii. p. ij. Rad. Cucum. Asinini, p. j. coq. in vino, & spongiâ novâ calidè adhibeatur.*

Item, *aq. Artemis eodem modo usurpata.*

Item, *Lauri Baccæ cum croco, Fol. Rutæ acsem. Sinapi terantur in aquâ Majoranæ pro Epithemate in causâ frigidâ.*

Item, *folia Tabaci recentia exterius applicita.*

## AD VERTIGINEM.

℞ *Cardomomi Granor. Paradysi; sæpius masticentur, vel pulverisentur, & in brodio sumantur.*

Item, *Cubeb. gr. vj. vel vij. contunde & infunde per noctem in vini ℥iij. coletur, & ebibatur manè.*

Item, ℞. *pulv. Euphrasiæ cum fl. ℥ß. Macis aceto præp. ʒj. Coriandri præp. ʒjß. Beton. scr. j. Cubeb. scr. ß. Sacchari candi. ℥vj. f. pulvis, cum pane tosto ex Malvatico, m. v. q. sumendus ʒj. pondere.*

Item, *olei Fœnic. Anisi. an. gr. iij. in jusculo.*

Item, ℞. *Pulv. Abrotani. ʒj. Oxymellis ℥j. Misce in causâ frigidâ.*

Item, ℞. *Spec. Diambræ Diamoschi. an. ʒj. Aromat. Ros. ʒß. Corallii rub. præp. Succini albi præp. an gr. 16. Cardomomi. Nuc. mosch. Macis an. scr. j. Sacchari. ℥v. cum aq. Rosar. f. Confectio in Rotulis; adde sub finem Ol. Fœnic. Anisi, an. gutt. vj.*

Item, ℞. *Marg. præp. ʒj. ol. Caryoph. gutt. vj. Nucis mosch. destill. g. viij. Sacch. in aq. ros. opt. solut. ℥viij. f. Confectio in Rotulis.*

Item, ℞. *fol. Euphr. ℥j. stœch. arab. fl. lavend. an. ʒij. Macis ʒß. Cin. ʒj. Sacch. ad pondus omnium dosis ʒij.*

Item, ℞. *Nuc. Mosch. ℥ß. Euphras. ℥ij. M. dosis ʒj.*

Item, ℞. *Spec. diamosch. dulc. ʒj. ol. nuc. mosch. ℈j. ol. succ. albi gr. iij. Ambr. gr. iiij. Sacchari in aq. lavend. sol. ℥iij f. conf. in rotulis.*

Item, *Essentia Ambræ.*

Item, *Pulvis Cinnab. ver. compositus.*

Item, *Lixivium & balsam. Agricolæ.*

Item, *Stercus Pavonis specific. sumpt.*

Item, *extra pulvis bombycum, pingued. damarum & colubrorum.*

## CONTRA EPILEPSIAM.

In ipsâ invasione. ℞. *Galbani q. v. accende ad nares ægrotantis.*

Item, *Ruta contusa cum aceto naribus, carpis, temporibus adhibita.*

Item, *aceto acerrimo misce pulverem Castorei, cum Croco & naribus immitte.*

Item, *Rutaceum acetum tegulæ ignitæ adspergatur.*

Item, *aq. Angelicæ & Lavendulæ an. duobus cochlearibus infusa.*

Item, *Sperma Ceti recens gr. iij. vel iiij. cum Syrupo violato.*

Item, *Aq. Hirundinum cum Castoreo cochl. j. exhibita. Post convulsiones sale & oleo pedes fricentur.*

Extra invasionem, *præmissis evacuationibus convenientibus, convenit adultioribus decoctum fl. Chamæmeli in aceto cum Melle sæpius ebibitum.*

Item, *aq. Rosmarini frequenter hausta.*

Item, *emulsio Sem. Pœon. cum aq. flor. Pœon, pro pueris.*

Item, *Syr. flor. Pæon. cum parte dimidiâ Syrupi violati vitriolati permixtus, sæpius cochlearis q. exhibitus.*

Item, *Syr. Card. ben. cum extr. calami aromat. permixtus.*

Item, *pulvis*, ℞. *Visci q. ʒij. Rad. Pœon. maris. ʒiij. Sem. ejusdem ʒj Corall. rub. alb. præp. ana ʒß. Marg. præp. scr. j. Sacch. ℥ß. Misce f. pulvis; dosis ʒj. cum aq. lilior. convall. singulis Lunæ quadraturis reiteranda.*

Item, ℞. *Succi Rutæ ℥ij. Vini sublim. ℥ß Pulv. rad. Pœon. ℥ß. Castorei. scr. iiij. cum pennâ vel syringa naribus inspira antè paroxysmum.*

Item, *Spicas farris maturescentis combure in pulverem, da patienti frequenter ʒj. in aq. Pœoniæ.*

Emplastrum *ad vertic. ras.* ℞. *succ. albi, thuris Mastich. el. ana ʒjß. Galb. opopon. Tacamah. an. ℈j. visci q. ʒij. sem. pœoniæ. ℥ß. Ladani ʒjß. ol. Succini albi, cranii human. ana ℈ß. Ol. nuc. mosc. Ros. an. q. s. pro Emplastro.*

Item, *Corium lupi pro amuleto.*

Item, *amuletum Hartmanni ex frutice sambuci in salice inventi.*

Item, *Primùm Ens Thil. arbor. verno tempore bib.*

## CONTRA APOPLEXIAM.

In præservatione *Sem. Erucæ & Carui sacchar obductum quotidiè usurpetur.*

Item, *post universalia.* ℞. *Sem. Nasturtii Erucæ ana ʒj. Staphysagr. Cubeb. ana ʒß. Rad. Pyrethri. Zing. ana scr. j. cum Oxymelle f. Elect. pro inunctione palati.*

Item, *Lap. Percarum ʒj. cum vino Rorismarini sæpius sumitur.*

Item, ℞. *Ol. sem. Carui. gr. iij. Ambræ gryseæ. gr. iij. Sacch. ʒij. cum aqua Ceras. nigr. f. confectio in Rotulis.*

Item, *Aq. Aurea Langii manè cochlear. j. sumpta, Anhaltina cum moscho in naribus.*

Item, ℞. *Succini albi præp. ʒij. Spec. Diarrh. Abb. ʒß. Plires archont. Rad. Pœon. maris. ana scr. j. f. pulvis, de quo ʒj. imminente Novilunio sumatur, cum aq. fl. Tiliæ vel Lilior. convall.*

Item, *Sem. carui & eruc. sacchar obductum. Ol. Carvi in flatul. ℈ß. per se.*

Item, ℞. *Succini albi, spec. diarrh. abbat. ʒjß. Ambr. gr. iiij. M. pro pulv. dos. ʒß.*

In

In accessione *extrema fricentur & ligentur, fauces aquâ Theriacali & Mithridatio, conservâ Anthos, Conf. Alchermes & similibus fricentur: naribus Balsamus Apoplecticus, item Ruta Nigellæ Succini & similia adhibeantur: inferius Clyster acer, & postea quamprimùm fieri potest, Diaphoreticum Lap. Bezoar. gr. X. in aq. Ceras. nigr. cum Spiritu Lil. convall. permixtâ detur.*

## IN LETHARGO ET SOMNO præter naturam.

*Protinus æger excitetur frictione pedum, cum sem. Sinapi ex aceto facta.*

Item, *Succus Majoranæ cum Castoreo naribus affricetur.*

Item, *vesicatorium ex Cantharidibus ad cervicem ponatur.*

Item, *manus ac pedes laventur decocto Radicum Angelicæ, Magistrantiæ, Dictamni, Herb. Majoranæ, Lavend. Baccis Lauri, Castorei. &c. quæ in aceto acerrimo decoquantur, in quo decocto spongiola humectata naribus, temporibus & auribus etiam applicetur.*

Item, *cervicem inunge linimento, quod ℞. Piper. Euphorb. Pyrethri, calam. aromat. ana ʒij. cum oleo de Castoreo & paucâ cerâ f. linimentum.*

Item, *Castorei opt. scr. ij. Macis aceto præp. scr. j. pulverisentur, & cum aqua theriacali infundantur.*

Item, *Satureja aliquoties aceto macerata, post pulverisata, & cum jusculis infusa.*

Item, *Confectio Anacardina scr. j. quantitate cum oxymelle squillitico dissoluta & infusa. Primas enim hic tenet oxymel. squilliticum.*

Item, *Suffitus sulphuris.*

Item, *Balsam. rutæ inunctio fiat.*

## CONTRA PERVIGILIAS.

*Folia lactucæ latiora exteriùs apposita. Vng. Rosat. cum oleo papav. pauxillo croci permistum, & temporibus inunctum.*

Item, *Lotio pedum ex decocto cap. papav. fol. Lactucæ, Nymphææ, Salicum, Summ. Anethi & fl. Chamameli.*

Item, *Sem. Pap. alb. & Sacch. obductum ʒij. antè somnum.*

Item, *contusum semen ejusdem cum jure pulli vesperi sumptum.*

Item, *ol. Nucistæ. scr. j. Vng. Popul. ʒj. Myrrha rub. gr. v. Croci gr. iij. Misce pro linimento ad tempora.*

Item, *Conserv. Nymph. ʒj. viol. syr. papav. an. ʒß.*

Item, *℞. sem. papav. albi ʒß. lactuc. ʒj. Amygd. dulc. excort. n. vj. Aq. lactuc. ʒiij. Nymph. violar. ʒij. M. f. Emulsio.*

Item, *℞. Syrup. viol. ʒj. Nymph. papav. ana ʒj. Aq. lactuc. Nymph. ana ʒiij. Rosar. ʒj. M. pro julapio.*

Item *Pediluvium Hartmanni.*

Item, *℞. Conf. rosar. viol. Nymph. ana ʒj. Aq. lactuc. Nymph. ana ʒiij. rosf. ʒj. M.*

Item, *℞. sem. lactuc. ʒij. papav. albi ʒv. nucl. persic. ʒij. Aq. lact. papav. ana ʒijß. aq. anethi ʒj. M. pro epith.*

Item, *℞. Amygd. dulc. ʒß. nucl. persic. ʒjß. Sem. papav. albi ʒij. Vngt. popul. ʒß. thuris ʒj. nuc. Mosch. ʒjß. subig. cum medulla panis albi & lacte muliebr. & aq. rosf. pro cataplasm.*

Item, *pinguedo lucii piscis ad tempora.*

Item, *ubi leviora non juvant, evacuato corpore adhibeatur Vinum hypnoticum Mynsichti, Soporiferum Saxoniæ, liquor vermic. spong. cynosbati, aut tandem Laudanum Opiatum exhibeatur, sed ritè correctum sit opium, extractione factum per acetum, id quod in summis doloribus & inflammationibus cum successu fieri solet.*

## CONTRA MEMORIÆ Defectum.

*In causâ humidâ præterea, quæ dicta sunt, in textu, commendatur Conditum, quod ℞. Zing. Indici cond. ʒß. Myrob. Cheb. Emblicor, Ind. cond. ana num. ij. Conserva Anthos. ʒj. Spec. Diagalangæ ʒjß. Cubeb. Galangæ. ana ʒß. Sacch. Rosf. ʒiij. Cort. Citri cond. liquoris q. s.*

Item, *Aq. Magnanimitis ex formicis.*

Item, *liquor & pulvis Trithem. in aq. lil convall. sum.*

Item, *externè ad tempora & occiput: ℞. Myrrhæ pulv. q. s. coqu. ova dura exempto vitello; imple cavitatem hoc pulvere, & resolvetur Myrrha in oleum, quod in cellâ sub arena servetur ad usum.*

Item, *Cubeb. Cardamomi, Croci, Anacard. ana pulverisentur, & infund. in spiritu vini per 14. dies, pro inunctione ad tempora & verticem.*

Item, *℞. Conf. Anacard. ʒj. thuris ol. ʒij. Piper. Zingib. ana ʒß. Sacch. dissol. in aq. Majoranæ ʒxij. ol. cinam. g. vj. Rosmarini. g. iij. f. Tabulæ cujus ʒij. dentur matutino tempore.*

## CONTRA MELANCHOLIAM.

*Post necessarias evacuationes universales commendatur pulvis sequens: ℞. Fol. Senæ. ʒß. Epithymi. Polypodii. Rhabarb. ana ʒij. Spec. Diarrhob. Abb. ʒj. Cinam. Anisi ana ʒß. Macis aceto præp. Marg. præp. ana scr. j. Crem. Tart. ʒij. Misce fiat pulvis, cujus ʒj. singulis septimanis, bis cum brodio decoctionis Raparum detur.*

Item, *Pil. Marocostin. scr. j. alternis diebus horâ unâ antè cœnam.*

Item, *singulo matutino tempore des tria ova sorbilia cum scr. j. pulveris, qui ℞. Epithymi. Thymi, ana ʒij. Croci gr. ij. Cinam. opt. ʒj. Sacch. ʒj. M.*

*Specifica sunt Cristalli Saturni & Liq. sang. human.*

Item, *somni provocatio conducit balneis pedum ex decoct. fl. & herb. Chamæm. Salicis, Beton. Anethi. Cap. Papav. Rad. Asari, &c. vel etiam adhibitis iis, quæ de somno producendo dicta sunt, inprimis benè correcto Laudano Opiato justâ dosi exhibito.*

Item,

Item, *Croc. corall. gemmar. & corall. tinctura, maximè Chrysoliti.*

Item, *Essentia & liquor Lunæ.*

Item, *Aqua mirè roborans.* ℞. *Mag. Corall. perlar. ana* ʒj. *lap. pretios. prap. an.* ℈jß. *C. C. solaris Eboris ana* ℈j. *Moschi Amb. ana gr. vj. Aq. Scord. meliss. borrag. bugl. rof. beton.* ℥j. *Cinam.* ʒij. *Extr. gran. Kerm.* ʒß. *Manus Christi perlat.* ʒij ß. *M.*

Item, *Conf. Alkerm. per se.*

Item, *Sanguis asin.*

## CONTRA DELIRIUM Phreneticum.

*Post bilis evacuationem, & sanguinis missionem convenientem, præter ea, quæ fervorem temperant, exhibeatur Laudanum Opiatum perlatum.*

Potus ad temper. bilem. ℞. *Aq. fontan.* ℔ij *trifol. acetos. papav. ana* ℔ß. *Clyssi* ʒjß. *adde fl. viol. borrag. nymph. ana* ʒj. *sant. rubr.* ℈ij. *stent infusa per horas 12. filtrentur dulc. sacharo.*

Item, *emulsiones sem. Papav. albi cum aquis refrigerantibus.*

Item, *Oxyrrhodinum fronti & temporibus ex aq. ros. Nymph. Sempervivi, Spermatis Ranarum cum aceto & oleo rosato applicetur. Si duravit aliquandiu malum, adde aliquid resolventium, utpotè Castorei, Camphora, &c.*

Item, *raso capiti adhibe decoctum flor. Chamam. Rosar. Summit. Anethi cum spongiâ novâ.*

Item, *columba dissecta, & suturæ coronali & sagittali apposita, donec frigefiat.*

Item, *catuli eviscerati & mox adhibiti.*

## CONTRA DELIRIUM Maniacum.

*Præmissis pro constitutione corporis lenientibus, reiteratisque purgationibus fortioribus & venæ sectionibus intermediis, quoad localia plurimum præstant, somnifera medicamenta, quæ propter furorem hic magis augentur, qualia determinavimus.*

Item, *interius pilula de Magisterio Opii ritè præparato commodè offeruntur, inprimis vespertino tempore, quando vel purgationes, vel venæ sectiones præcesserunt.*

Item, *linteamina sanguine asinino ex venis post aures imbuta macerentur in aqua, & postea aqua illa usurpetur pro potu.*

## CONTRA DELIRIUM HYdrophobiæ à morsu canis rabidi.

*Si morbus in principio est, vulnera per morsum inflicta cauterio adurantur, & instar fonticuli aperta retineantur.*

Item, *præcipitati pulvis cum Vng. Rosato permistus applicetur.*

Item, *Theriaca cum Syr. Acetosit. Citri dissoluta convenit.*

Interius *mox detur Theriaca vel Mithridatii* ʒjß.

Item, *pulvis, qui* ℞. *Cancror. fluv. in cineres comb.* ℥ij. *Gentianæ* ℥ß. *Thuris scr.* ʒß. *Misce fiat pulvis, de quo detur* ʒj. *cum aq. Scordii vel Scabiosæ per 40. dies.*

Item, *pulvis Palmarii, qui* ℞. *Fol. Rutæ, Verbenæ, Salviæ minoris, plantaginis, fol. polypod. absinth. vulg. Menthæ, artemisiæ, melissophyl. betonicæ, hyperici, centaur. min. ana q. v. fiat pulvis: Singula legantur, ubi sunt efficaciora: dosis* ʒß. *quotidiè &c.*

Item, *jecur canis rabidi recens exemptum coctum, & mox prima die demorsis exhibitum, quod ipsemet experientia edoctus, observavi.*

Item, *Pimpinella vel in acetariis, vel alia ratione sæpiùs usurpata.*

Item, *si timor aquæ adest, immissio subitanea in aquam frigidam, quæ etiam nondum præsente timore, commodiùs adhibetur.*

## CAPUT II.

### *De cordis functionibus corroborandis.*

ETsi dignitate cerebri functiones, inprimis in homine literato, qui revera vitam hominis vivit, primum locum obtineant, minimè tamen negari potest *cordis longè majorem esse necessitatem*, cùm hoc ipsum, operatione suâ, reliquis omnibus membris, & maximè quoque cerebro prospiciat, quatenus in eodem principatus atque origo vitæ, calorisque consistit. Hoc præstat *spirituum vitalium præparatione*, cujus functionis defensio præ reliquis etiam maximè necessaria videtur. *Cor maximè necessarium est.*

Cum autem potissimum *duplex noxa* respectu cordis præcavenda, nimirum ne spiritus vitales malignitate inficiantur, vel deficiant, ideò præcipuè de duobus in hoc capite agendum, scilicet *quomodo spirituum vitalium infectio maligna & putrida sit præcavenda, & quâ ratione spiritibus deficientibus succurrendum.*

Quod attinet *spirituum infectionem*, illam malignam ac putridam dicimus: videmus enim non solùm affectus pestilentes & malignos, sed simul etiam putridas febres, aliosque similes morbos ab uno ad alterum non rarò propagari. *Præ cæteris maxima cautio requiritur*, ubi vel ex officio, vel ob Christianæ charitatis affectum, cum ægrotantibus pestiferis conversari cogimur; hîc primò *aër*, in quo vivit homo sanus, maximè purus, & ad siccitatem declinans sit, qui talis reddatur arte, si necessum est, accensis rebus odoriferis, quæ in pestis præservatione requiruntur; priusquàm accedat aliquis ad ægrotantem, per horam unam atque alteram in camera laborantis primò fumus excitetur, ex *rasura cornu hircini*, vel incenso *Absinthio, foliis quercinis, lignis Iuniperinis, & similibus*, qui tandem rursus apertis fenestris accenso igne luculento discutiatur, idque fiat post ortum Solis, ubi luminis & caloris præsentia venenatæ ac pestiferæ exhalationes citius dissipantur. *Ad ægrotantem accedens* summo studio respirationis halitum vitabit, & locum remotiorem decem vel octo

*De spirituum infectione præcavendâ.*

*Consilium in præservatione.*

cto pedum à lecto sedens occupabit, nec admodum diu penes ægrotantem commorabitur: inprimis notandum nihil præsentius esse pro præservatione in ipso loco infecto, quam si *fax picea accensa* collocetur inter ægrotantem & astantem. *Victus rationem* in hoc respectu talem instituat, quæ faciat ad spirituum corroborationem, putredini resistat, ac temperatè refrigerandi facultatem possideat, de qua vide consilium brevissimum, unà cum libello nostro de Scorbuto impressum. Conjunge quoque consilium adversus pestem Dn. D. Jessenii hîc impressum. Inprimis hîc notandum *inediam sanis inconvenientem* judicari, propterea, quod spirituum restauratio perennis maximè necessaria sit, ne prompta eorum infectio subsequatur. Hinc ad ægrotantes, vel etiam extra domum jejuno stomacho non eundum est. Quocirca præservans optimum judicamus *butyrum cum rutæ foliis* permistum addito pane, sumptum, unà cum haustu vini, cui *Carduus benedictus*, *absinthium* vel similes herbæ infunduntur. Quibus verò talis alimentorum appetitus non est, illi loco jentaculi, *rotulas cum extracto Angelicæ, Zedoriæ, speciebus liberantis, & similibus* confectas assumant, aut utantur domestico isto remedio, quod fit ex *ficubus, nucibus juglandis, fol. Rutæ, &c.* cujus descriptio in citato germanico consilio præscribitur. *A nimiis vigiliis* in hoc casu abstinendum, cùm spiritus debilitent, undè minus postea causis externis resistunt: sit verò *somnus moderatus*, ne vires excedente somno, penitùs obruantur. *Exercitium corporis* hîc moderatum sit, ne pori cutis patentes nimis reddantur, ideòque rarius ad sudorem usque motus in aëre libero instituatur.

*Corporis evacuationes* naturales promoveantur, inprimis eò respiciendo, ne peccantium humorum copia colligatur; quâ ratione rectissimè præservationis ergò præscribantur *pilulæ de tribus, seu pilulæ Ruffi*, si singulis septimanis ℨj. quantitate jejuno stomacho sumantur. Naturis sanguineis *venæsectio* conveniens est, evacuatione lenitiva præmissâ. *Sudor* in lecto factus, assumpto quodam sudorifero temperato, conveniens est, si semel atque iterum in septimanâ fiat, sed post sudores per plures horas aër externus vitetur. *Animi passiones* ad constantiam redigantur, nihil enim deterius, quàm subita consternatio, cujus ratione sæpius pestis excitatur, absque manifesta causa, dum pestiferum venenum promptè vitali principio sese insinuat.

*Consilium in præservatione febrium malignarum.*

Porrò non minor est infectio *in febribus malignis, pudis, lue gallicâ, phthisi, dysenteria*, & aliis affectibus, quibus eos, qui semper & omnibus horis cum ægrotantibus versantur, diuturnitate temporis tandem infici videmus, contra verò, qui rarius accedunt, nec ita continuò aërem exhalationibus ægrotorum infectum hauriunt, nullâ penitùs noxâ afficiuntur. Præcipua igitur *præservatio spirituum* hîc est, ut aër ægrotantem ambiens frequenter alteretur, ac astantes à diutinâ morâ, inprimis respirationis halitu, sibi caveant. Hoc modo *malignam & putridam spirituum infectionem* præcavendam esse statuimus: jam sequitur, ut videamus, qua ratione spirituum defectui succurrendum sit.

*Quomodo spirituum defectui sit succurrendum. Signa resolutionis spirituum.*

Est autem *duplex causa*, cujus ratione spirituum vitalium functio potest impediri, scilicet *resolutio & oppressio*, de quibus utriusque meritò agendum est. *Resolutione spirituum* facilimè læduntur illi quibus dispositio corporis rarior ac magis delicata est, ubi frequenter animi deliquium appropinquat ex studiis intensioribus, nimiis vigiliis, balneis calidioribus, exercitiis vehementibus, & animi quibusdam affectibus ingentibus, *iis scilicet, in quibus calor à corde ad circumferentiam subitò moventur*, ut sunt *amor, gaudium, lætitia excedens ac subitanea, &c.* His enim omnibus vis inest attenuandi ac dissipandi, respectu spirituum vitalium, ideoque literati, qui talibus ex causis ad jacturam virium se promptos esse vident, omnia spiritus resolventia diligenter caveant: *Aërem vitent nimis calidum*, ex quo potius debilitatem, quàm spirituum refectionen sentiunt, quem æstivo tempore stratis hinc indè *Rosis*, floribus *Nymphææ, foliis Salicum, & similibus*, quotidiè renovatis, corrigent. *Jejunium & inediam* vitent, inprimis *ii*, qui *concionando vel perorando*, vel *aliis studiorum laboribus* ante prandium, ob dissolutionem virium, debiliores evadunt. Hic enim conveniens erit jentaculi loco, *jusculum cerevisiæ cum ovis, aut jusculum vini, vel ovum sorbile, vel ad minimum panis cum butyro, superaddito haustu vini, cui Rosmarinus, vel Salvia, vel simile quid infusum fuerit. Evacuationes nimias*, & confertim factas *per alvum, venæsectionem, scarificationem & sudorem* angue pejus fugiant: *exercitia* corporis moderatè subeant, & *affectuum vehementiæ*, quantum possibile est, imperent.

*Quomodo spirituum oppressioni succurrendum.*

Contrà non raro vires *oppressione spirituum* debilitantur, in iis scilicet, quibus corporis constitutio plenior est, qui propter hanc causam ad collectionem superfluorum & crudorum humorum aptiores redduntur. His *aër attenuans & resolvens* convenit; *victus ratio* non admodum plena sit, quæ vim habeat calefaciendi, siccandi & attenuandi; *evacuationes* superfluorum diligenter promoveantur, inprimis suo tempore purgationes & venæsectiones, *juxta cap. 8. & sequentia*, non negligantur; *Sudores* item ac *balnea*, præmissis aliis evacuationibus, si opus est, frequentius instituantur, unà cum *exercitiis corporis*, per quæ calor in his quodammodo suppressus magis excitatur. *Animi affectus*, humores & spiritus affatim commoventes, his conveniunt, *excandescentia* videlicet *levis, gaudium frequentius, &c.* Tantum de spirituum vitalium corroboratione, quatenus statum suæ naturæ perpendimus, ex quo facilimè colligere licet, in statu præter naturam lapsum virium in *animi deliquio* & syncope non semper eodem modo corrigi posse, quemadmodum alibi demonstravimus.

*Dec. 5. problem. Therap. q. 1.*

## APPENDIX AD CAP. II.

De cordis affectibus præter naturam.

### CONTRA SYNCOPEN ET LIPOthymiam.

In causa calida. ℞. *Julapi rosar.* ℥j. *Aq. borrag.* lib. ß. *Cinam.* ℨij. *Margar. præpar.* ℨß. *Clyssi* ℈j. *Syr. granat.* ℥j. M.

Item Potio Cordialis Cratonis. ℞. *Aq. Borrag.* ℥iiij. *Julapii Rosarum* ℥j. *Syr. de Borrag. de corti. citri ana* ℥ß. *Marg. Præpar.* ʒj. *Fol. Auri num. iij. M.*

Item, *Spec. diamarg. frig.* ʒj. *vel tantundem Troch. de Camphora cum vino granatorum.*

Item, *Conf. Rosarum vitriolata* ʒij. *sumpta.*

Item, *Aq. Ceras. nigrorum* ℥j. *Spir. corall.* ℈ß. *cum Marg. præpar. scr. j. Syr. acetos. citri* ℥ß. *Misce & confect. manus Christi perlata dulcoretur.*

Item Exterius. ℞. *Aceti de Rubo Idæo. Rosacei, flor. tunic. rut. sambuc. Aq. Rosarum an. applicetur naribus pulsibus & regioni cordis.*

In causa frigida. ℞. *Extr. Card. ben.* ʒj. *Aq. Card. ben. Melissæ an.* ℥jß. *Syr. de corticib. citri* ℥ß. *Confect. Alkermes scr.* ß. *Misce.*

Item, ℞. *Aq. Melissæ* ℥iij. *Vini Malvatici* ℥j. *Confect. Manus Christi* ʒij. *Carabæ ppt.* ʒß. *Syr. de Cinam.* ʒß. *M. detur cochl. j. singulis horis.*

Item, *Theriacæ vel Mithridatii* ʒß. *in Vino melissæ dissol. singulis septimanis bis.*

Item, *Sal ori, labiis, ac linguæ attritum, in ejusque defectu urina. Sal omnibus aliis præferatur in lipothymia post V. S.*

Item exterius: *Pulegium ex aceto manibus tritum.*

Item, *Epithema cordiale, quod* ℞. *Aq. Melissæ* ℥ij. *Mithridatii* ʒj. *Camphoræ scr. j. Pulv. flaved. cort. citri scr.* ß. *Croci gr. vj. Vini odoriferi* ℥jß. *Aceti rutacei* ℥j. *Misce.*

Item, *frictiones extremorum, ut etiam ligaturæ.*

Ex nimia evacuatione: *Succurrendum cibis corroborantibus liquidis, vino granatorum, cydoniorum, pulv. corall. rub. præp. vel etiam magisterio Corallorum rub. vino itidem generoso, cum succo granatorum permisto.*

In totali virium lapsu: *protinus facies aquâ frigidâ cum aceto rosaceo permistâ conspergatur: extrema statim ligentur: vinum generosum infundatur: naribus castorei, piperisve pulvis inspergatur. In mulieribus, ubi suspicio uterum in causa esse, odorata inferius, & fœtida superius applicentur: pili circa pubem vellicentur: os aquâ salsâ fricetur, in cujus defectu sæpius urinam profuisse scimus: corpus autem ante omnia in dorsum æquali situ projiciatur.*

*Ambra autem & moschus maximè in tollendis lipothymiis valent in viris, & quibusdam fœminis, quæ ferre possunt suaveolentia.*

## CONTRA PALPITATIONEM cordis.

In causâ calidâ *post cholagoga & venæsectionem,* ℞. *Syr. de succo granat. de succo acetosæ an.* ℥j. *Aq. ceras. nigrorum* ℥jß. *M. pro haustu.*

Item, *ex aqua Rosarum cum Aceto rosaceo fiat epithema cordiale, additis speciebus diarrhodon Abbatis.*

Item, *fiat inunctio per Unguent. rosat. additis aliquot gutt. ol. citri.*

Item, *Balf. Rosarum, Citri, Nucis mosch.*

Item, *Melissa & Borrago recentia contundantur, in tegula ignita, aq. Ros. & aceti momento affuso calefiant, & regioni cordis applicentur.*

℞. *Balf. rosar.* ʒj. *citri* ʒß. *ol. Camphor g. iiij. ol. nucis mosch. exp.* ℈ß. *M.*

Item, ℞. *Ung. rosat.* ℥jß. *spec. pro epit. cord. frig.* ʒj. *succi limon.* ʒß. *Camph. gr. iij. Croci gr. ij. Sp. rosar. gutt. vj. M.*

Item, *nitr. & acet. pro. epithem. ad puls.*

Item, *Campb. croci & aq. ros. ad puls. & cordis regionem.*

Item, *Gran. juniperi, caryoph. nucis mosch. cinam. cum aceto rosar. ad puls.*

Item, *Emulf. perlarum.*

Item, *Tankii medicamen ex corallis.*

In causa frigida. ℞. *Aq. Melissæ lib. j. Sacchari* ℥iij. *lento igne solvatur, & adde spiritus cerasorum nigrorum, vel Aq. Cinam.* ʒß. *Misc. fiat Julep.*

Item, ℞. *Aq. Buglossæ q. v. vel* ℥vj. *Caryophyllorum incisorum* ʒj. *lento igne digerantur per biduum & colentur, de quo manè sumantur* ℥v.

Item *exterius, Balsam. Macis, Rorismarini, Majoranæ, Lavendulæ, Caryophyllorum.*

Item, *Vinum Zedoariæ frequenter sumatur.*

Item, *Elixir proprietatis Paracelsi gutt. 10. in eodem vino vel Aqua cordiali sumptum.*

℞. *Extr. ligni. aloës* ℈j. *Ambr.* ℈ß. *M. pro dosi.*

Item, *Salis Anamoniaci cum aceto ros. ad cordis regionem.*

Item, *sumantur pilul. ex solo Gummi Ammon. defæcato.*

Item, ℞. *Cordis cervi N°. Suis N°. 2. Incisis adde. Cinam. caryoph. nucis condit. an.* ʒvj. *fl. borag. bugl. rosm. meliss. an. mij. Malv. q. s. distill. dosis* ℥ij.

## CAP. III.

### *De jecoris functionibus promovendis.*

*De præcavenda jecoris inflammatione.*

ETsi verò variis modis præter naturam jecur alterari potest, potissimùm tamen in præsentia de ejusdem *inflammatione & obstructione* præcavendâ, tanquam malis literatorum generi frequenter accidentibus agemus.

*Inflammationi* jecoris obnoxii sunt illi, quibus viscus hoc impensius calet, quod colligitur, dum cupiditas cibi frequenter amittitur, inprimis respectu carnis, dum frequens ac multa sitis est, potissimùm in principio cœnæ vel prandii, dum totus homo, præsertim in plantis aut palmis calet, quibus urina subruffa, pulsus celerior, vomitiones biliosæ, febriles accessiones, & plerumque ventriculi constitutio frigidior supervenient.

*Victus ratio in inflammatione jecoris præcavenda.*

Cùm igitur his & aliis signis inclinationem, ad jecoris inflammationem adesse colligimus, *victus ratio talis eligatur, quæ sanguinis fervorem temperet, ac ejusmodi præternaturalem affectionem* præcaveat. Sint igitur *alimenta modicè aperientia, incidentia, detergentia, & quodammodo refrigerantia.* Conveniunt ergò præter temperata alimenta vulgaria, quæ facilè coquuntur, & sine difficultate distribuuntur, *endivia, la-*

*Eruca, asparagus, spinachia, acetosa, nasturtium aquaticum, radic. cichor. & similes cum aceto & oleo, dum in acetarii forma præparantur, aut cum pullis gallinarum aut columbarum elixantur.* Imò & *citri vel limonum succus* alimentis, inprimis assatis carnibus aspersus, vel fructus integri, unà cum carne vitulinâ, vel gallinarum elixi, in hoc casu maximè conveniunt. *Cremor Ptisanæ cum succo citri, pruna Damascena, brodia carnium, cum ovis dissolutis, in præsentia* commendantur. *Vinum sit tenue*, nec admodum calefaciens, illiusque loco in quibusdam regionibus cerevisia eligatur probè depurata, nec admodum recens. Interdum *seri caprini* haustus vacuo stomacho maximè prodest, ut & *emulsio seminis melonum* cum aqua secundæ decoctionis hordei facta, quo tamen facto corpus moveatur paulùm. Tempore cœnæ vel prandii *non fiat initium à potu*, ne fervidus calor intensior reddatur, etiamsi sitis urgeat, sed liquidioribus primùm, ac post aliis etiam alimentis præmissis, fame quoque non admodum urgente, potus appetitum aliquando cohibeamus. Ex *fructibus* conveniunt *Amygdalæ, Pistacia, Passulæ minores: Melones* etiam Sacchiro conditi suo tempore conceduntur ita tamen, ut cum aliis cibis non misceantur, quod aliàs facilimè corrumpantur. Jejuno stomacho conveniens est *Conserva Rosarum vitriolata*, quantitate nucis Castaneæ sumpta quotidiè. Qui confectionibus delectantur, illi quotidiè rotulas *confectionis diarrhodon Abbatis* sine speciebus usurpent, quæ conficiantur cum saccharo in aqua rosarum dissoluto. Singulis septimanis jejuno stomacho cum haustu seri lactis clyssi sumant gutt. X. Potissimùm verò necessarium est, ut anniversariæ evacuationes minimè negligantur, quemadmodum suo loco dicemus.

*Cur non in initio mensa bibendum.*

*De jecoris obstructione præcavenda.*

Cæterum *jecoris obstructio* non raro etiam literatis imminet, iis scilicet, quibus adest ventriculus imbecillior, difficultas quædam anhelitus, lassitudo ac gravitas dextri hypochondrii, quibus feces chylosæ, subtiles ac plurimæ, urinæ subtiles, crudæ ac paucæ, corporis extenuatio sensim facta, color faciei minimè floridus. His & similibus signis ex parte tantùm apparentibus victus ratio diligens instituatur, nimirum vitentur *cibi crassi*, *viscidique* ut sunt carnes bubulæ, porcinæ, pedes animalium, eorumque jecora, legumina, & alia hujus generis. Reliquæ carnes cum *Fæniculo, Pulegio, Satureja, Hyssopo, Capparibus, Porro, & similibus*, aliquantulum præparentur & condiantur. *Panis* non penitùs ex flore farinæ fit, sed aliquid furfurum adhuc obtineat, & cum cumino, *aniso atque fœniculo* coquatur, ut majorem aperiendi & detergendi facultatem possideat. *Dulcia* cum alimentis permista, vel aliàs frequenter assumpta jecoris obstructionibus ansam præbent, cum hâc ratione cibus nondum à ventriculo concoctus attrahatur, ideoque vitanda sunt iis, qui huic malo obnoxii. Quod de vinis quoque crassis ac turbidis, quæ propter levem ebullitionem ab externo calore factam dulcia sunt, meritò notari debet. Sit autem *potus modicè calefaciens, & aperiens*, vinum scilicet optimè depuratum, inter vetus ac recens medium, cui *radices Benedictæ, Helenii*, cichor. petrosel. ana ℥j. Herb. salv. chamædr. veræ, chamæpith. ana mj. Galang. ʒj. Absinth. maj. ana Mß. Nuc. m. ʒß. infundantur: qui *cerevisiæ* assueti sunt, optimè depuratam, ac sufficienti lupulo confectam eligant, cui commodè quoque radices prædictæ cum herba *Scolopendriæ* immittuntur. Vacuo stomacho maximè conveniens est horis duabus ante cibum *haustus brodij gallinarum, cum radicibus cichorei, & pauxillo Macis* cocti, si præmissâ lenitivâ evacuatione singulis diebus bis per octiduum usurpetur. Illius loco plurimùm quoque convenit *Sal absinthij quantitate* ℈j. *cum conserva fumariæ, vel radicum cichorei* conditarum, atque contusarum ℥ß. permistus, ita, ut de hac mistura jejuno stomacho quantitate nucis juglandis assumamus, ac haustum *vini Absinthitis, Cardui Benedicti*, vel *Enulati* superaddamus. *Magisterium quoque tartari vitriolati*, quantitate ℈ß. cum brodio gallinæ sumptum (vel illius loco spiritus salis gut. vij.) idem præstare potest. Spiritus Aperitivus Penotti bis aut ter in mense manè usurpari potest. Essentia ♂ in vinum Malvaticum implantata commendatur. ℞. lim. chalyb. cand. lib. ß. novies exting. in lib. iiij. vini Malvat. dosis ℥ß. ad ℥j. Inprimis notandum hic *temperamentum corroborans jecoris*, quod conficitur ex passulis corinthiacis in vino generoso ad formam pultis decoctis, & per setaceum trajectis, & ad consistentiam Electuarii lento igne inspissatis; cujus compositionem habet *Solenander in cons. med. s. 3. cons. 2.* Plurimùm quoq; tàm jucunditate, quàm præstantiâ suâ commendantur *amygdalæ amaræ & Pistacia*, si decorticentur, per noctem in vino malvatico macerentur, & jejuno stomacho numero X. frequenter assumantur. *Somnus* in his moderatus sit, quem *vigiliæ longæ superent: exercitia* corporis non negligantur, inprimis ante cibum; *alvus* quotidiè promoveatur, correctis imminentibus obstructionibus per ea, quæ leniter solvunt, ut *sunt Syr. de Cichoreo* cum *Rhabarbaro, Rosatus solutivus, Manna in brodio gallinæ dissoluta, decoctum prunorum Damascenorum ante cibum assumptum &c.*

*Victus in obstructione jecoris imminente.*

*Dulcia quomodo obstruant.*

*Elect. de passulis.*

## *APPENDIX AD CAP. III.*
### De Jecoris affectibus p. n.

CONTRA JECORIS IMBECILLITATEM, in causâ calidâ, *Confectio diatrionsantalon.*

Item, *Confectio Diarrh. Abb. sine spec.*

Item, *Conserva radicum Cichorei.*

Item, *Rhabarbarum incisum* ℈j. *pondere cum Cremoris Tartari scr. j. frequenter sumptum.*

Item, *conserva rosarum vitriolata per se, vel cum pauxillo Magisterii Corallorum permixta.*

Item, *Syrupus Corallinus frequenter usurpatus.*

Item, *Syrupus Diasereos.*

Item, *Sal Corallorum.*

Item, *Nitrum Vitriolatum Mynsichti.*

Item, externè ℞. *Sacchari Saturni, Salis prunell. Camphor. in S. V. soluti ana* ℈j. *Cerati santalini Ceræ & ol. ros. q. s. f. ceratum ad hypoch.*

In cauſa frigida. *Zingiber in India conditum.*

Item, *Confectio Aromat. Roſati.*

Item, *vinum Abſinthites.*

Item, *Electuarium de Paſſulis.*

Item, *Abſinthium exterius in ſacculo vino decoctum, vel pulveriſatum, cum oleo Anethino & Chamæmelino, additâ cerâ, loco emplaſtri regioni jecoris adhibitum.*

Item, *Decoctum, & ſuccus Card. ben. per plures dies exhibitus.*

Item, *℞. Roſmarini Mj. Rutæ p. j. Spicæ Celticæ Cinam. ana ʒj. Macerentur in vino q. ſ. ferveſiant, & detur ſæpiùs hauſtus.*

Item, *Tinctura Caſſiæ ligneæ, & eſſentia Martis, de qua ſupra.*

## CONTRA JECORIS INflammationem.

*Alvo primùm clyſtere vel ſuppoſitorio laxatâ, protinus fiat venæſectio in brachio dextro.*

Item, *evacuatio fiat infuſo Rhabarbari cum Syrupo roſato ſolutivo.*

Item, *alteratio fiat Syr. de roſis ſiccis, de Endivia, de ſucco acetoſæ.*

Item, *Conſ. roſar. acetoſæ, cichorei, extrahantur cum aq. appropriatis ad ſitim extinguendam.*

Item, *Hæmorrhoidum apertio per hirudines provocetur.*

Item, *decoctum herbæ & rad. Fragariæ continuetur.*

Item *externè adhibeatur ceratum, ℞. Ol. Mercur. ʒß. ſacchari Saturni Reſin. Jalap. ligni ſant. rub. ana ʒjß. Salis armon. ʒß. Ol. de Galban. de capp. an ℥j. Ceræ q. ſ. pro Cerato.*

## CONTRA JECORIS OBSTRUctionem:

Concurrente caliditate, *purgatio hydromelite Tartariſato fiat, poſt fiat venæſectio, frequenſque ſit uſus radicis cichorei, dentis leonis, & in decoctione cum brodiis carnium, & recenter ſaccharo conditarum.*

Item, *Syr. ſ. endiviæ, de ſ. acetoſæ diaſereos.*

Item, *Confectio diarrhodon Abbat. cum Magiſt. Corallorum.*

Item, *Syrupus Corallinus.*

Item, *ſucci depurati Endiviæ ℥j. Oxyſacch. ſ. ℥ij. M. pro hauſtu aliquoties reiterando.*

Item, *Fol. bellidis minoris in forma acetarii frequenter aſſumpta.*

Concurrente frigiditate: *Decoctio rad. filicis, caryophyllatæ, Polypodii quercini, cuſcutæ, eupatorii, centaurei minoris, capillorum Veneris fumariæ, &c.*

Item, *Salis Abſinthii ſcr. j. cum conſerva fumariæ, vel elect. de paſſulis ℥ß. frequenter uſurpatur.*

Item, *Theriac. diat. ʒj. ſpir. tart. ℈ß. M.*

Item, *Rhabarbarum in ſubſtantia cum Magiſterio Corallorum, & Tartari vitriolati, pro purgatione ſingulis ſeptimanis, in brodio decoctionis petroſelini radicum ebibitum.*

Item, *Rhaponticum verum ʒ. ſæpiùs aſſumptum.*

Item, *Gum. Ammoniacum cum Rhab. ad ſcr. j. in pilulas concinnatum.*

Item, *Oxymel ſquilliticum cum decoct. rad. filicis & petroſelini.*

Item, *Pilul. Tartar. Querc. de Ammoniac. d. n.*

Item, *Crocus ♂ aperitivus. Acidum tartari chalybeatum ſpiritus Penoti aperit. Tinctura Martis.*

## CONTRA JECORIS SCIRRHUM,

*ſcil. non exquiſitum, cùm exquiſitus ſit incurabilis:* interius *convenit pro digeſtione Aq. cuſcutæ, cum ſucco Eupatorii.*

Item, *Limatura chalybis cum Sulphure præparata ʒ. & aq. cuſcutæ vel hederæ terreſt. trita, ſæpiùs reiterata.*

Item, *Tart. vitriol. Tart. Tartariſ. Bartoleti atque Tartari Tinctura ſimplex, ut & compoſita ex Tinctura tart. & ſulph. aurat. Antim. facta.*

Item, *Rhabarb. pulvis inciſus cum Cremore Tartari permixtus, & decoct. rad. fragariæ ſumptus.*

Item, *ſuccus anagallidis fœminæ cum aqua mulſa.*

Exterius *Ceratum applicetur ex Empl. diachyl. cum gummat. addita pingued. anſerina, medulla cruris vitul. & cera q. ſ.*

Item, *Empl. de meliloto cum ol. lumbricorum malaxatum.*

Item, *℞. Empl. de cicuta, de melilot. ana ℥j. Salis armoniaci ʒj. ladani ʒjß. Balſam. Indic. ʒij. Cum Ungt. de cicut. Hildani & Cera fiat Ceratum.*

Item, *Axungia ſtrutionis incantamenti inſtar operatur.*

## CONTRA FLUXUM HEPATCUM.

*Paſſulæ minores coq. in vino rubro per ſetaceum extrahantur, addito ſoluto corall. rub.*

Item, *conſerva rad. cichorei cum ſyr. corall. diluta.*

Item, *Syr. Myrtinus, de roſis ſiccis, cum aq. tormentillæ dilutus.*

Item, *Rhabarbarum toſtum pulveriſatum cum corticibus myrab. citrin. in aq. Agrim. frequenter ſumptum.*

Item, *Limatura chalybis cum aceto præparata, & cum aq. Tormentillæ trita & exiccata.*

## CONTRA HYDROPEM IN GENERE.

*Præmiſſis digeſtivis ex Cichor. Polypod. vincetoxico, Agrimonia, cuſcuta, & ſimilibus paulatim fiat evacuatio per Rhabarbarum in ſucco Ireos exhibitum.*

Item, *Pilulis de Rhabarbaro addito pulvere Soldanellæ.*

Item, *pulv. Soldanellæ cum Rob. Ebuli vel ſambuci permiſto.*

Item, *Pulv. Mechoacæ nigræ, cum Magiſt. Tartari vitriolati, addito ſale Abſinthii & Card. ben.*

Item, *℞. Abſinth. Eupatorii, Soldanellæ an. ʒij. Spicæ ſcr. ij. F. pulvis de quo detur quotidiè ʒj.*

Item, *℞. Vermes terreſtes præ. ℔ß. Galangæ ʒij. Aniſi ʒj. F. pulvis, de quo detur ʒj.*

Item,

Item, *Post evacuationem decoctum milij cum aq. & vino paratum pro sudore movendo.*

Item, *Spiritus ebuli cum aq. florum sambuci.*

Item, *fiat vinum Absinthites, cui ex linaria, spongia sambuci, floribus genistæ, & rad. fragariæ infundatur nodulus.*

Item, *Flores persicorum in jusculo cocti & expressi.*

Item, *Soldanella decoq. cum ligno Guajacino.*

Item, *Conserva Absinthij frequenter assumpta.*

Item, *Lixivium de cinerib. Absinthij, genistæ, stipitum fabarum, &c. cum syr. de Eupatorio dulcoratum, & frequenter bibitum.*

Item, *Rad. Asclepiadis in vino decocta, & sæpius ebibita.*

## CONTRA ANASARCAM.

*Fiat reiterata evacuatio per dilutum* Agarici, *Aquâ florum Sambuci præparatum.*

Item, *pulvere, qui ℞. Hermodactyl. ʒvj. Soldanellæ ℥ij. Squinanthi ʒj. Spec. dialaccæ ʒß. Misce. detur ʒj.*

Item, *Mechoacæ opt. ʒj. Crem. tartar. scr. j. Caryophyllorum gr. iij. M.*

Item, *evacuationibus præmissis ℞. serpilli p. jß. chamædryos, chamæpyteos, Soldan. ana p. iij. Rad. Glycyrrh. rasæ ʒjß. Cremoris Tartari ʒj. F. infusio per noctem in s. q. hydromellis: manè ebulliant, & colentur lib. ij. de quo sumantur ℥v. pro haustu singulis diebus.*

Item, *Artemis. M. ß. coq. in haustu vini ad medietatem, & exhibe in sudatorio per aliquot dies.*

Item, *matricaria hoc modo decocta, & exhibita.*

Item, *Aq. Raphani, fl. sambuci, Agrimoniæ ana lib. ß. de 5. Radic. ℥ij. lento igne Misce, & frequenter exhibe.*

Item, *℞. Rad. hirund. lib. ß. macerentur per noctem in vino, mane coq. ad 3. ad sudor. mov.*

CONTRA ASCITEM. *Fiat ante omnia materiæ digestio, non neglectâ jecoris corrobatione, per decoctum vel aq. cuscutæ, capill. Veneris, agrimoniæ, &c. cum syr. de Eupatorio, de Cichoreo cum Rhabarb. Bysantino, &c. additis* Magisteriis *Tartari vitriolat. Corallorum rubr. Oculorum Cancri, &c. Quibus præmissis evacuationes iterentur aliquoties, abstinendo à fortioribus & scammoneatis: ex. gr. ℞. Rhab. el. incisi ʒj. Magisterium Tartari vitriolati scr. jß. Misce.*

Item, *succi Ireos ʒß. Rhab. incisi ʒß. Cremoris Tart. scr. j. Misce.*

Item, *℞. Rhab. Soldanellæ ana ʒjß. infunde 24. horis in Aq. fl. sambuci, Agrim. ana ℥ij. expressioni adde Syr. ros. solut. ℥j. M. pro haustu.*

Item, *syrupus, qui ℞. Rhabarb. ʒij. infunde 24. horis in vino absinth. q. s. coletur cum expressione adde succi Ireos recent. depurati ℥iij. Aq. Cinam. ʒß. Sacchari ℥ijß. decoq. sensim, & fiat syrupus, de quo sæpius ʒjß. vel ℥j. sumantur.*

Item, *℞. cort. Sambuci inter recent. cort. inter. dulcamaræ ana M. j. Rad. Bryoniæ recent. ʒß. cum Aq. florum Sambuci & Agrimoniæ contundantur, & succus exprimatur, sacchari dulcoretur.*

Item, *℞. Soldanellæ ʒjß. Senæ ℥ij. Rhabarb. ʒj. Cremor. Tartari ʒß. Sacchari ad pondus omnium, Fiat pulvis, Dosis ʒj. ʒjß.*

Item, *Diacyd. cum gut. gam. ℈ij.*

Item, *Mechoacæ nigræ ʒj. cum gut. gam. gr. v. F. pulvis.*

Item, *Mercurij dulcificati scr. j. Crem. Tartari scr. ß. gutt. gam. Diagryd. correcti an gr. iij. Misce.*

Item, *Tragæa de Soldanella Langii, quæ ℞. Soldanellæ ℥ij. Rhab. el. ʒjß. Cinam. scr. ij. Hermodactyl. ʒj. Zinzib. Rad. Asari ana scr. j. Spicæ gr. iij. Sacchari rubri ʒß. Misce, fiat pulvis, cujus dosis scr. iij.*

Item, *post evacuationem Aq. Linariæ cum Sale Absinthij vel Magist. Tartari vitriolati.*

Item, *pauperibus urina propria bibita, materiam per urinas movet.*

Item, *cum Decocto rad. petroselini, & herbæ agrimoniæ fiat lixivium ex cineribus vitis, cujus potus continuetur quotidie bis, additis, si placet, Syr. de althea, de sem. anisi, de 2. & 5. Radicibus, &c.*

Item, *℞. Herb. absinth. Card. Ben. Agrimon. Soldan. genist. cum toto ana Miij. Rad. Onon. petros. eryngij, aspar. ana ℥ij. summit. junip. Mviij. Combur. ex cin. f. lixivium, cui adde Syr. de alt. de 5. rad. ana ℥ij. Spir. Salis ℈iij. dosis ℥v. quotidiè bis intermed. evacuat.*

Item, *Magist. lun. à gr. iij. ad v.*

Item, *Spir. Salis absinth. quotidiè ad gut. 10. sumptus.*

Item, *Crocus Metall. absinth. Mynsichti.*

Exterius. *Empl. ad imum ventrem: ℞. Stercoris caprini exiccati, Empl. de baccis Lauri ana lib. j. cineris cochl. terrestr. ℥j. Mellis, Aceti ana q. s. Ceræ parum, fiat Empl.*

Item, *℞. succi Ebuli, Ireos an. ℥j. sulphuris vivi, salis nitri, ana ʒß. Farinæ Fabarum, fl. chamæmeli ana lib. ß. vini q. s. coq. ad consistent. cui adde pulv. bac. lauri, sem. cymini ana ʒß. Ol. anethini, Terebinthi. ana q. s. F. Cataplasma.*

Item, *Cucumeris asinini Rad. contusa, & aceto scillitico coacta cum melle & sem. cymini pro Cataplasmate apponatur.*

Item, *Emplast. de ciner.* Mynsichti cum *Empl. de cicut. & Ung. de Cicut.* Fabr.

CONTRA TYMPANITEM, *ubi simul flatibus etiam abdomen extenditur, semper eò respiciendum, ut cum iis, quæ in Ascite conveniunt, flatus dissipantia addantur.*

Interius *convenient decocta carminativa cum laxantibus permixta.*

Item, *Enemata ex oleo rutæ, chamæmeli, aneth. cum decocto chamæmeli, altheæ, anisi, bacc. lauri, &c.*

Item, *vinum enulatum, Absinthites, cum baccis lauri, sem. anisi &c.*

Exterius, *Fiant sacculi sicci ex sem. carui, fl. chamæmel. fol. Melissæ, bac. lauri &c.*

Item, *Cataplasmata. ℞. Herb. rutæ Melissæ, Absinthij, meliloti, fl. chamæmel. &c. coq. in vino, pistentur,*

*& adde ol. Anethini, Chamæmel. ana q. ſ. F. cataplaſma.*

Item, *Emplaſtr. quod ℞. Stercoris caprarum, ovium, exicc. in furno, ana ℥iij. bacc. lauri ℥j. Sulph. vivi. nitri ana ℥ß. aniſi, fœniculi ana ℥jß. ol. anethini ℥jß. Mellis q. ſ. F. cum ſ. q. ceræ Emplaſtrum.*

Item. *Ung. ℞. Ol. rutacei, lilior. alb. Menthæ ana ℥j. ſucci rutæ, chamæmeli, ſpiritus Sambuci ana ℥jß. coq. & adde pulv. ſem. carui, cumini, bacc. lauri ana ʒjß. adipis cervinæ q. ſ. F. Linimentum.*

Item, *Cataplaſma ex ſtercore capræ cum vino forti, cui addatur pulv. ſem. cymini, farinæ fabarum, bacc. lauri ana ʒj. Galangæ ʒjß, Caſtorei ʒj. Miſce.*

Item, *Sacculus ſiccus ex ſem. cymini, milij, carui ana ʒj. bacc. lauri, furfur. ana ʒjß. Fl. chamæmel. Rom. ſum. anethi fl. Roriſmarin. Lavend. ſtœchad. an. Mß. F. ſacculus.*

Item, *Laconicum Seidel. adhib. ℞. fol. ſambuc. abſinth. rut. ſalv. hyſſ. anethi, cumin. ana Mj. Rad. vincetox. ariſt. rot. Ireos vulg. Raphani ana ℥j. Gran. jun. Mij. f. decoctio in lixiv. pro ſilic. ignit. in ſtuffa.*

## CONTRA ICTERITIAM.

Si eſt ſine febri, *præmiſſâ purgatione, Cuſcutæ decoctum cum Syr. de Agrim. frequenter datum convenit.*

Item, *Aqua Raphani ſingulis dieb. ℥iiij. ebibita.*

Item, *Decoctum marrubii in vino paratum eodem modo.*

Item, *decoctum cicer. rub. & Rad. Aſparagi, Fragariæ.*

Item, *decoctum rutæ murariæ.*

Item, *pulvis lumbricorum terreſtrium cum vino marrubij ʒß. ſumptus per aliquot dies.*

Item, *℞. Marrub. exicc. M.j. Rhabarb. opt. inciſi ʒij. Squinanthi gr. v. croci integri gr. iij. infunde in vino abſinthij pro hauſtis duobus.*

Item, *℞. Troch. de ſpodio ʒij. Rhab. el. ʒj. pulv. verm. terreſt. ʒjß. Fiat pulvis ſubtilis, & cum ſyr. de Praſio formentur pil. No. 72. dentur No. vj. ante cibum.*

Item, *Urina pueri ſani ℥v. ſacchari ℥ß. Miſce, & per dies aliquot uſurpa.*

Item, *Ammoniacum ſcr. ij. ex hydromelle decoct. rad. cappar. frequenter exhibetur.*

Item, *Pulv. Gentianæ ʒij. Spodij C.C. uſti præp. ana ʒj. Sacch. roſ. tabul. ʒvj. F. pulvis, de quo ſæpè ʒj. ſumatur.*

Item, *℞. ſem. aquileg. ʒj. Croci ℈ß. M. pro ſudore.*

Item, *℞. Rad. urtic. lib. j. Croci ʒß. vini albi lib. ij. Contund. & exprim. ſuccus pro ſud. doſis ℥iiij.*

Item, *Genitale cervi infund. vino pro potu.*

Item, *Pediculi 4. aut tres in ovo ſorbili.*

Item, *urina ægri veſica ſuilla excepta ad fumum.*

## CAP. IV.

*De robore organorum ſenſus atque motus conſervando.*

*Ratio ordinis.*

CErebrum reſpectu principalium functionum antè conſideravimus, conſequens eſt, ut videamus, quomodo partes huic inſervientes, in conſtitutione ſanâ conſerventur. Quocirca monſtrandum reſtat, *quomodo ſenſus & motus* organa, potiſſimùm in hoc vitæ genere, ab externis injuriis defendantur. Initium faciamus à viſu, qui beneficio oculorum perficitur. Horum operatio ſicut maximè neceſſaria eſt literatis, & aliis hoc ſenſu victum quærentibus: ita nullibi magis & facilius, quàm apud literatos & ſedentarios labefactatur. Eò igitur totis viribus allaborandum, quò mediis convenientibus eandem corroboremus, & in ſtatu naturali conſervemus. Hinc primùm *aër* vitetur *auſtrinus, caliginoſus, humidus, craſſus*, qui teſte *Hipp. 3. Aph. 5.* caliginem oculis obducere ſtatuitur. *Cibi* præditi ſint attenuatoriâ facultate, minimè flatus generent, & vim ſiccandi poſſideant. Sit ergò *panis* optimè fermentatus, & fœniculo, Anetho, Carvi conditus: *carnes* ſint facilis digeſtionis, & cum Euphraſia, & fœniculo frequentiſſimè coquantur: loco ſalis communis ejuſmodi ſale artificiali utamur.

*Oculis proſpiciendum in ſtudiis.*

*Victus ratio ad viſus operationem roborandum.*

*℞. Salis elect. ℥j.*
*Pulvis Euphragiæ ℥ß.*
*Sem. Fœniculi.*
*Macis.*
*Cinamomi ana ℈jß.*

*Sal artificialis ad viſum roborandum.*

Miſce, & uſurpetur loco ſalis in menſa, & interdum cum ovo ſorbili matutino tempore. Oculi manè abluantur aqua ℞. *Euphraſ. cum toto, Herb. fœnicul. Anagallid. fl. purp. ana* M. 12. *Rutæ, fl. cichor. cyani* Mvj. *Aq. roſ. lib. ij. dig. 4. dieb. deſtill. per* M. B. Vitentur, quæ facilè ſurſum evaporant, & capitis fluxiones augent, inprimis in cœna, ut ſunt *Raphanus, Sinapi, Cæpæ*, ſicut & omnia *frixa in ſartagine*, quæ laxatione ſuperioris orificii ventriculi capitis fluxionibus anſam præbent. Jejuno ſtomacho *cond. rad. fœniculi, conſer. Euphragiæ, quantitate ℥ß. ſemen fœniculi maſticatum, ejuſdemque balſamus piſi minoris* quantitate ſumptus confert. *Potus* ſit *vinum tenue*, vel *cereviſia probè defæcata*: crudum vinum per ſe, generoſius per accidens, caput replendo viſum debilitat, quâ de cauſa potatores aquæ *apud Alexand. 2. probl. 5.* acutius aliis videre dicuntur. Convenientius *vinum tenue* redditur, ubi per additionem *fœniculi, Euphragiæ, & ſimilium* fit medicatum. Inprimis verò potus cum cœna deſinat, cùm *viſioni* maximè noxium ſit, *mox ante ſomnum* bibere. *Somnus excedens* viſionem hebetat, impuriores & ſegniores reddendo ſpiritus animales, cerebrumque cruditatibus replendo. *Vigiliæ moderatæ* conveniunt, inprimis dum laboribus & ſtudiis, inter locum obſcurum & lucidiſſimum, talem eligimus, qui medio modo ſeſe habeat. *Lucubrationes moderatæ* ſint, nec ſtatim à cibo ſuſcipiantur, *menſis altioribus*, ne dolorem dorſi excitemus, aut oculos lædamus, & admodum in faciem decumbere cogamur: *diurno tempore* pileis à claritate Solis, nocturno candelabris, umbraculis additis à ſplendore candelarum oculi defendantur. Potiſſimùm verò notandum *evacuationes cerebri* minimè negligendas eſſe, propterea, quòd viſus frequenter ob *copiam defluentium humorum* debilitari ſoleat. Præmiſſis igitur in tali caſu con-

convenientibus *evacuationibus*, debilitati visionis sequens experimentum *à Cardano* posteritati relictum commendamus, si scilicet syrupus iste quotidiè, jejuno stomacho, quantitate duorum vel trium cochlearium assumatur.

*De tuend. sanitate lib. 4. cap. 9. Syrupus Cardani.*

℞. *Ligni sancti raspati lib. j.*
*Sarsaparill.* ℥v.
*Cort. ejusdem* ℥iiij.
*Aq. fontan.*
*Vini ana lib. v.*
*Mellis optimi lib. ij.*
*Rutæ.*
*Cinamo. ana* ℥j.
*Euphrag. chelid. ana* ℥jß.
*Sant. citrin.* ℥jß.
*fol. Senæ orient.* ℥j.

Infunde, per 24. horas, bulliant ad consistentiam syrupi. Post coletur & secundâ vice cum eâdem quantitate aquæ & vini fiat infusio, decoque ad tertias pro potu quotidiano, cibo convenienti minimè neglecto. Commendantur præterea *Myrobalani chebuli conditi*, jejuno stomacho frequenter usurpati, *juxta Marsilium Ficinum.* Stillatitius etiam *fœniculi liquor*, omnis olei expers, oculis maximè convenit, si matutino tempore loco frigidæ aquæ pro extergendis oculorum sordibus usurpetur; imò & *vinum tenue, cui fœniculi herba* per noctem infusa fuit cum lapide calam. præpar. in hoc casu convenit; at rubedine præsente, vini loco *rosarum aqua* substituitur.

*Myrobalani chebuli.*

*Aq. fœniculi.*

*Conserv. Rosmar.* ℨjß. *sæpè sumpta.*
*Vinum Euphrasiæ.*
*Oculi laventur aqua Cyani.*
℞. *fl. viol.* ℨj. *euphras.* ℨß. *fol. beton.* ℨj. *f. pulvis misc. cum butyr. pro dosi sing. diebus M. & V.*
℞. *Sem. heder. petros. chelidon. an.* ℨij. *f. pulvis M. cum melle dispum. dosis m. & v.* ℨj.
℞. *Rad. mors. diab. collo appens.*
℞. *Ping. ans. alb. marg. & Sulphur. ad angulos oculorum.*
*Vitriol. cum aqua fontana.*
℞. *Oculi viper. min. Melitens. externè annulis amuleti loco inclusi.*

Visionis operationem *auditus functio* sequitur, maximè quoque literatis necessaria, quam sæpiùs *tinnitu, sibilo & difficultate* lædi posse deprehendimus. Cùm autem tale vitium cerebri repletionibus, & crudis humiditatibus, & flatulentis evaporationibus originem suam debeat, idcircò *prædicta victus ratio* repetatur & pro localibus ac specificis medicamentis subsequentia notentur. Nimirum *præmissâ capitis evacuatione* frequenter matutino tempore per infundibulum *vapor vini* recipiatur in aurem, in quo primò *radix Hellebori, Asari, herbæ Origani, majoran. Rosmarin. fl. cinamom. sem. carui cum pauxillo Myrrhæ & Olibani*, aliquandiu decoquantur. Interdum prædicto decocto *Spongia nova* repleatur, & auribus applicetur; quibus rursus detersis, *bombacem aliquot guttis olei fœniculi cum moscho* repleas, eumque cavitati aurium exteriori immittas. Singulis quoque diebus manè urinâ propriâ aures purgentur. Hæc & similia cum fructu applicantur, præmissis capitis evacuationibus, & si necessum est, diversionibus *per scarificationes, aut vesicatoria emplastra factis.*

*De auditu juvando.*

*Remedia ad difficilem auditum.*

*Cautio.*

*Porrò minus periculosum*, fœdum tamen esse videtur, dum *Nares Coryzâ* frequenter afficiuntur, ubi primò capitis evacuatione per convenientes pilulas opus est, quo facto usurpantur illa, quæ destillationem crudam promovent, ubi præter cætera domesticum est remedium *nigellæ semen, aceto maceratum*, rursus exiccatum, ac postea nodulo comprehensum, & vaporoso odore per nares frequenter attractum. Oleum succini inungatur.

*De odoratu juvando.*

*Oris* tandem puritas non tantùm gustatus, ac loquelæ gratiâ, sed etiam propter conversationem cum aliis, diligenter conservanda est, quam ob causam vitanda omnia ea, quæ noxiam fœtidam oris constitutionem producunt. Quocirca matutino tempore post somnum, tum etiam post cibum, os *aquâ frigidâ* diligenter eluatur, quæ redditur accommodatior, si *quarta pars aceti*, aut aliquid Nitri adjiciatur. Vel fiat decoctum ex *rosis rubris* exiccatis, unà cum *floribus malvæ arborescentis*, quod instar collutionis frequenter usurpetur. *Imò etiam mentha in aceto & aqua decocta* conveniens est in hoc casu.

*De præservatione oris.*

*Collutioris quotidiana.*

Quod si *gingivarum* caro, propter mollitiem & putredinem, ad sanguinolentiam prona videatur, sequenti decocto frequenter os abluatur.

*Contra gingivarum putredinem.*

Rec. *Plantag. Polygon. Rosar. rub. an. M. j*ß. *Balaustior. Ms. Aluminis usti* ℈j. *f. decoct. in s. q. aq. ad tertias, coletur,* ℥viij.

Quo facto gingivæ per sequens linimentum inungantur: *mellis rosati* ℥j. *Nucis mosch. tenuissimè pulverisatæ* ℨß. *misce.*

Item, Rec. *Herb. melanth. origan. plantag. cochlear. fl. malv. arbor. bal. liguſt. ros. rubr. prun. ana m. j*ß. *Bacc. myrti, lauri, junip. ana* ℨij. *Mylii* ℨß. *sem. aquileg.* ℨij. *Alum. usti præp* ℨj. *Troch. de viper. num.* 1. *Caryoph.* ℨj. *Aceti squill.* ℥iiij. *Aq. prun. ros. plant. fl. samb. ana lib.* ß. *f. decoct. ad* ℨ. *adde oxym. s. q. f. pro collutione oris ad sanandas gingivas.* Dentes etiam atque gingivas non tantùm purificat, dealbat, à concretione tartari præservat, sed simul quoque bonum oris halitum conciliat sequens pulvis, pro dentifricio singulis diebus usurpatus jejuno stomacho.

℞. *Radicum Ireos florent.* ℨjß. *Lap. pumicis præpar.* ℈j. *Ossis sæpiæ. Mand. lucii ana* ℨß. *Corn. cer. usti præp. Corall. rub. præp. Marg. præp. ana* ℈ij. *Misce fiat pulvis*; qui fit jucundior, ubi granis duobus, *Ambra & Moschus* adduntur.

*Dentifricius pulvis.*

Item, ℞. *Rad. Ireos fl.* ℨij. *Corall. rubr. præp. C. C. usti præp. Alum. usti præp. ana* ℨjß. *Benzoi, storac. cal. ana* ℨj. *Caryoph.* ℨß. *Moschi gr. vj. Crist. Tartar.* ℨij. *Cap. mort. vitriol.* ℨj. *Panis usti* ℨß. *Tabaci usti* ℨj. *Misce pro dentifr.* Inter simplicia in tali casu prædicta possunt usurpari, quibus adduntur *pulvis Rorismarini, menthæ, rasuræ eboris, & similes.* Quod si *gustatus* ob imbecillitatem ventriculi, vel pituitæ, vel bilis suffusione deperda-

*Gustatus læsio per consensum.*

perdatur, præmissis evacuationibus appropriatis, de subsequenti electuario, Nucis juglandis quantitate, frequenter assume jejuno stomacho:

℞. *Sacchar. rosacei Diacydon. ana* ℥jß. *Corall. rub. præp.* ℥ij. *Syr. de mentha q.s.f.elect.molle.*

*De articulis corroborandis, & podagricis fluxionibus præcavendis. Origo Arthritidis.*

Ultimò nobis superest, ut videamus, quâ ratione *robur* articulorum conservari possit. Prima arthritidis origo à cruditate concoctionum provenit. Accedit *victus ratio plenior*, inprimis *vini tartarei*, vel etiam *plurimum penetrantis* usus frequentior, quorum *istud* serositates acres sanguinis auget, *hoc* autem easdem ad articulos longissimè dirigit, in quibus eò citius talis fluxio recipitur, quò magis, vel à *paternâ proprietate*, *vel alia etiam imbecillitas* ad recipiendum adest.

*Victus ratio ad præcavendam Arthritidem*

Primùm igitur eò respiciendum, ut vitentur omnia illa, quæ cruditates augere, serososque tartareos humores generare possunt, ideoque citò ventriculo, sicut & reliquis concoctionum instrumentis succurrendum erit, juxta præcepta *c.7.& seq.* Inprimis *temperantia*, quæ voluptates *Veneris* & *gulæ* moderatur, plurimùm hîc præstat, cum *illius* ratione calor nativus resolutione, contrà *hujus* respectu suffocatione deperdatur. Imò & *superflua*, quæ propter imbecillitatem digestionis colliguntur, per convenientes annuas atque statas evacuationes, juxta præcepta *cap.8. & sequent.* auferantur, antequam peccans materia effervescat, & ad articulos transmittatur. His ita consideratis *antecedentis causæ respectu* minimè negligenda est *capitis & articulorum constitutio*, quam ob causam non tantùm vitanda sunt illa, quæ debilitatem introducere possunt, sed maximè quoque soliciti esse cogimur *de capitis & articulorum corroboratione. Capitis robur* post usum evacuationis universalis firmatur, dum continuò pileolus ejusmodi gestatur:

*Antecedens causa quomodo perpendenda.*

*Capitis corroboratio.*

℞. *Her. Majoranæ, Rorismarini ; fl. Lavendulæ, Betonicæ, Salviæ, Rosarum rub. ana M*ß. *Nucis Mosch. Caryoph. Macis ana* ℈ij. *Thuris, Ligni Aloës ana* ℈j. *leviter contusa misceantur, & cum bombace, additis, si placet, ambræ gr.vj. Mosch. gr. iij. fiat pileolus ex syndone.* Suffumigium tale fiat: ℞. *Benzoi, Styracis cal. Nigellæ, Masticis ana* ℥ß. *succini* ℥ij. *M. fiat pulvis grossus*, carbonibus inspergendus. Naribus etiam frequenter *Balsamus Majoranæ, vel oleum nucis Moschatæ* inungantur, quantitate pisi majoris. *Articulorum ratione Pauli nostri* consilium approbamus, si scilicet homo, qui dispositum se videt ad hunc miserabilem affectum, articulos quotidiè bis ante prandium & cœnam sale communi (ditiores misceant sal commune cum sale urinæ ana) benè trito cum oleo inungat, cum *oleo*, inquam, quod eò convenientius redditur, si primùm aliquoties *cum floribus liliorum convall.* infundantur. Imò & *vinum adstringens* lotionis vice debilioribus articulis frequenter adhibitum eosdem plurimùm corroborat. Nec negligendum est *balneum*, quod post præmissas evacuationes totius pro corroboratione articulorum hoc modo fieri potest:

*Articulorum corroboratio.*

℞. *Fol. Myrthi, Plantaginis, Verbasci, Origani, Calamenthi, Salviæ an. Mj. fl. Rorismarini, Balustior. an. Mj. Bacc. Juniperi* ℥ij. *Aluminis lib.* ß. Bulliant omnia in s.q. aq. pro balneo pedum & articulorum.

## APPENDIX AD CAP. IV.

De affectibus organorum sensûs ac motus.

### AD DOLOREM ET INFLAMMATIONEM OCULORUM.

*Post universalia, quæ purgatione & venæsectione peraguntur. Rec. aq. ex album. ovorum destill.* ℥ij. *lactis muliebris* ℥iij. *succini chamæmeli* ℥j. *Laudani Opiati gr. iij. Misce, & cum petia iteratò apponatur.*

Item, *Rec. Medullæ panis albi* ℥j. *Pulpæ pomorum dulcium.* ℥ij. *Lactis muliebris vel vaccini* ℥j. *Sacchari Saturni* ℈ß. *Croci Metall. gr. ij. Misce & adde pauxillum Croci, & fiat Cataplasma.*

Item, *Mucilago sem. cydon. cum pulpa pom. & sacch. cand. misceatur & applicetur.*

Item, *succus plantaginis cum aqua rosarum & sacch. cand. permistus & appositus.*

Item Rec. *Mucilaginis sem. Psyllii Cydon. cum aq. rosf. factæ ana; adde lactis muliebris, & alb. ovorum q. v. optimè agitetur, & applicetur.*

Item, *Sacch. candi. Aloës ana* ℥ß. *Tutiæ præpar. Camph. an. gr. ij. aq. rosf. fœniculi, chelidoniæ, an.* ℥ß. *Misce ad oculos rub. lachrymantes.*

Item, *absinth. cum passulis contusum, & fronti impositum.*

Item, *Sarcocolla lota & Tutia vera Arabum.*

Item, *Emplast. de Cantharidibus, revulsionis gratia, ad nucham appositum.*

Item, *ubi adest adfluxus sanguinis:* ℞. *Boli armeni, sang. Draconis, pilorum leporis combustorum ana* ℥ij. *Fiat pulvis, dissolvatur cum album. ovorum, & ante somnum fronti, & supra oculos ponatur, superadditâ medullâ panis albi, aqua rosacea madefactâ.*

Item, *Pars illa albuminis, quam Itali Gallaturam, Germ.* das Köpffgen *vocant, quæ ex pluribus ovis gall. colligenda & sæpiùs renovanda est.*

### AD UNGUEM OCULI.

℞. *Lap. Medicam. Crollii.*
Item, *pulverem ex ovorum testis.*
Item, *Aq. album. ovorum.*
Item, *Specificum lucii piscis Hartm.*
Item, *Aq. Cancr. fluv.*

### AD SUFFUSIONEM ET CATARACTAM.

*Præter convenientem evacuationem, & victus rationem, in principio convenit aqua, quæ* ℞. *aq. Chelidon.* ℥j. *Vitrioli albi, Tutiæ præpar. an.* ℈ß. *sacchari candi* ℥ß. *Vitri antimonii tenuissimè pulverisati gr. vj. Misce.*

Item

Item, ℞. *Tutia prapar.* ℥ij. *igniatur cum cochleari chalybeato, & extinguatur in malvatico decies, postea pulverisetur ut alcool, adde sacchari candi partem aqualem, fiat pulvis inspergendus.*

Item, *Margar. prapar. Sacch. cand. ana, fiat pulvis subtilis, qui sapius inspergatur.*

Item, *fel leporis cum saccharo mixtum & appos.*

Item, *succus Anagallid. rubr.*

Item, *Aq. Chelid. cum marg.*

Item, *succus Agresta.*

Item, *aq. Ioëlis, aq. sterc. hum. cum felle mustel. & lepor. mixta. Vbi confirmatus est affectus, artificiosa manus operatio requiritur.* Den Stahr zu stechen.

## AD SUGGILLATIONEM.

Wann das Aug mit Blut belaufft / *inter localia convenit sanguis columbarum recenter instillatus, vel cum aqua rosarum dilutus, & linteis appositus.*

Item, *Epar columba recens calidum, oculo appositum.*

Item, *pulpa pomorum dulcium, passularum ana* ℥j. *Raphani incisi* ℥ß. *mucilago sem. fœnugraci cum aq. rosarum extracti q. s. fiat Cataplasma.*

Item, ℞. *Succini citr. calc.* ℈j. *Sacch. cand. albi* ℈ij. *Marg. prap.* ℈ß. *aq. rosf. alb.* ℥j. *m. pro collyrio* ℞. *Herb. Emoll. fl. viol. chelidon. Major rosar. albar. an. p ij. M. f. sacculus ad pupillam,* ℞. *succi chelidon.* ℥ij *aq. cancr. fluviat. rosar. an.* ℥ß. *M. pro sacculo madefaciendo.*

Contra Auditus læsiones præter naturam.

## AD AUDITUM DIFFICILEM.

*Aqua Card. benedicti rectificata, manè & vesperi infusa.*

Item, *Aqua salvia rectificata eodem modo usurpata.*

Item, *Raphanus excavatus impleatur aq. Majorana, addito momento salis, subterretur, & aqua collecta instilletur.*

Item, *Panis recens, cum cumino sufficienter coctus.*

Item, ℞. *Pulpa Colocynt.* ℈j. *Ol. lilior. alborum, de Castoreo, an.* ℥ß. *vini albi* ℥ß. *coque ad vini consumptionem, & guttis in aurem immittatur.*

Item, *Propria urina frequenter exterius pro lavamento adhibita. Aqua ex ovis formicarum parata.*

## AD DOLOREM AURIUM.

℞. *Capam sub cineribus coctam, butyri recent.* ℥ij *Olei Chamameli, Rosati an.* ℥j. *Croci* ℥ß. *mucilag. sem. Cydo. cum aq. rosarum facta, q. s. fiat cataplasma.*

Item, *Ol. rosatum, cui lumbrici terrestres, prap & loti, incoquantur.*

Item, *Ol. rosat.* ℥ij, *aceti opt.* ℥ß. *coque ad aceti consumptionem, post adde laudani optati, vel extr. Opii cum spiritu vitrioli, vel aceto facti, gr. iij.*

Item, *in causa frigida experti sumus Oleum Camphora prasentissimum fuisse remedium.*

Item, *Ol. nuc. mosch cum mosch.*

Item, *Balsam. Vita.*

Item, *Pinguedo aus cum succo caparum.*



## AD TINNITUM.

*Capa impleatur vino, coq. sub cineribus, corticibus externis abjectis exprimatur, & auri infundatur.*

Item, *Ol. de Castoreo* ℥j. *Ol. amygdal. amar.* ℥ß. *spiritus Salvia, vel aq. salvia rectificata* ℥j. *M. & coq. ad aq. consumptionem.*

Item, ℞. *Rad. Cyclaminis recentis, q. pl. adde Ol. chamam. amygd. amar. rosf. ana, coq. & exprimatur, & ante somnum auribus immittatur.*

Item, *Furfuris grossi, milii, an. Mß. salis p. j. fl. chamam. herb. Origani, Rosmarini, an. p. ij. sem. cumini* ℥j. *F. sacculus, qui irroratus calefiat, & apponatur manè.*

Item, *fellis leporis & lucii piscis, cum lacte muliebri misce, & auribus instilla.*

Item, *succus hellebori nigri cum lacte muliebri dilutus.*

Item, *sacculi ex milio, avena & sale, calidè oppositi.*

Item, *Bacca lauri, cum melle subacta & apposita.*

Item, *Pulegium cum melle & Olibano mistum.*

Item, *Moschus dissolvatur Ol. chamamel. & de Castoreo applicetur cum bombace.*

Item, *fiat emulsio ex sem. persicorum, cum aqua meliloti & salvia.*

Item, ℞. *Mylii mj. Salis mß. fl. comm. furf. tritic. sem. carvi an. mj. M. Calefiant in lebete, asperso vino & in sacculo applic.*

Contra Olfactus Læsiones.

## AD NARIUM OBSTRUCTIONES.

*Pramissis capitis evacuationibus, fiat gargarismus ex decoct. ruta, Hyssopi, cum Aceto squillitico & hydromelle.*

Item, *adhibeatur suffitus ex aceto cum urtica decocto.*

Item, *fiat errhinum ex succo majorana, beta ana* ℥j. *aceti squillitici* ℥ß. *M.*

Item, *fiant nasalia ex pulv. majorana, salvia, nuce mosch. helleb. alb. castoreo &c. cum Terebinthina & cera.*

Item, ℞. *Rad. pyrethri, Ireos ana* ℥j. *Pulegii, Calamenthi, Origani ana Mß. Agarici Trochisc.* ℥ij. *fl. anthos stœch. ana p. p. j. F. decoctio in aqua Majorana q. s. adde post colaturam mellis anthosati* ℥ß. *attrahatur.*

## AD OZANAS, VEL ULCERA NARIUM.

*Post universalia* ℞. *Succi Bryonia* ℥j. *Olibani, Aristol. rot. pul. q. s. F. cum melle linimentum*

Item, *succus hedera arboresc. cum melle.*

Item, *Ol. rosat. cum lythargyrio, tutia, C. C. prapar. & plumbo usto incorporatum in mortario plumbeo, pro Vnguento.*

## AD HÆMORRHAGIAM NARIUM.

*Pramissis, qua causam antecedentem, tum etiam re-*

E e [illegible] *vulsio.*

*vulsionem, & derivationem attinent, adhibeatur naribus pulvis* compositi Sperniolæ, *vel insufflatus, vel cum Aqua Plantaginis dissolutus.*

Item, *telarum aranearum* ℥ß, *farina volatilis, pil. lepor. combust. alum. thuris, mastich. ana* ʒj. *cum aceto rosacea & aq. sperm. ranarum, fiant trochisci, qui rursus exiccati ad usum pulverisentur.*

Item, *vitrioli usti, alum. usti, ana* ℈ß. *testæ ovorum combustæ, gall. acaciæ ana* ℈j. *Misce, F. pulvis.*

Item, *muscus ab arbore quercina pulverisatus.*

Item, *muscus cranii humani.*

Item, *Sang. human. combusti farina volatilis, & fermenti, ana, incorporentur, rursus exiccentur pro pulvere.*

Item, *fiat turunda ex pilis leporis, qua intingatur albumine ovi, adsperso composito sperniolæ.*

Item, *compositum sperniolæ aquâ sperm. ranarum dissolutum, & fronti appositum.*

Item, *lapis carpionum in pollinem redactus, cum lanugine cydoniorum applicatus.*

Item, *gypsum, combustum, cum aceto fronti appositum.*

Item, *stercus asininum exiccatum, naribus admotum.*

Item, *stercus suillum eodem modo.*

Item, *Aq. spermatis ranarum, cum alumine dissoluto*

Item, ℞. *Croci* ♂ ʒj. *sterc. muris* ℈j. *succi acac. hypocist. ana* ʒij. *laud. opiati* ℈ß. *Terr. sigill. sang. drac. ana* ʒiij. *Lap. hæmatit.* ʒij. *Comp. sperm.* ʒiß. *Mum.* ʒj. *cum Muc. trag & syr. plant. f. pillul. naribus indantur.*

Item, ℞. *Chrysol. præpar. q. s. applicetur exterius in omni hæmorrhagia.*

Item, ℞. *Succi semper vivi, boli arm. aceti rosar. & alb. ov. M. applic. fronti, jecori. pudend.*

Item, ℞. *Thuris, mastich. gallar. cum alb. ovi applicetur fronti.*

Item, *Cura Magnetica ope Vitrioli Cypr. aut ligni* Heilholtz *dicti.*

Contra Oris Læsiones.

### AD DENTIUM DOLOREM.

In causa frigida, *succus rad. Angelica impositus.*

Item, *pulvis rad. Pyrethri & caryophyll. cum Aq. vitæ.*

Item, *Rosmar. cum chamæmel Rom. floribus in vino decoctus.*

Item, *Ol. Champhoræ gutt. j. in dentem immissa.*

Item, *Ol. caryophyllorum immissum.*

Item, *lupuli flores triti decoquantur in aceto, cum quo os eluatur.*

Item, *allium cum olibano decoctum.*

Item, *Sinapi, pip nigr. bulliant in aceto pro collutione.*

Item, *acetum decoctum cum nigella.*

In causa calida. *Aqua prunellæ cum composito sperniolæ permista.*

Item, *Aqua spermatis ranarum cum nitro præpar.*

Item, *Laudani Opiati gr. j. immissum.*

Item *fol. quercus decoquantur aceto pro collutione oris.*

Item, *lac caprinum cum croco gargarisatum.*

Item. *in quacunque causa* ℞. *Rad. fil. pentaph. ana* ℥iij. *bistort.* ʒij. *fol. rut. salv. beton. rosʃ. rubr. an. m ß. troch. de viper. gr. iij. coq. tum vino rubro.*

Item, *exuv. serpent.*

Item, *pil. de cynogloss.*

Item, *Mitrid. & Philon. Rom. ad tempor.*

### AD CORROSOS DENTES.

*Melanthium tritum & appositum sedat putredinem.*

Item, *Origanum pulverisatum cum vitriolo & melle.*

Item, *si fieri potest, eximantur, vel cauterisentur ignito ferro.*

### AD SANGUINOLENTIAM GINGIVARUM.

℞. *pulv. fl. Malvæ arborescentis p. j. fl. balaust. p. ß. aluminis* ℈ß. *Mellis q. s. pro linimento.*

Item, *decoctum milii frequenter pro collutione usurpatum.*

Item, *flores ligustri, rosʃ. rubr. prunellæ. cum baccis myrti, decoq. in aceto & aq. fol. querc. pro collutione.*

### AD LINGUAM DETERGENDAM IN LÆSIONE GUSTATUS:

*Absinthium pro collutione decoctum.*

Item, *Rad. Pyrethri, Angelicæ, herba prasii, flores anthos, cum liquiritia & passulis, in aq & vino decoq. pro Gargarismate.*

Item, *Theriaca & Mithridatium ore retenta.*

Item. *Raphanus sale conditus, & masticatus ante cœnam.*

### AD GRAVEOLENTIAM ORIS.

*Præterea, quæ stomacho vacuando & roborando conveniunt, prodest masticatio odoratorum, ut Rad. Ireos, Angelicæ, Zedoariæ, Nucis Moschatæ, Caryophyll. cort. citri, arant. &c.*

Item, *confectio sacchari cum Ambra & Moscho.*

Item, *dentes fricentur pulv. Rad. Ireos, C. C. usti. ligni Aloës cum Ambræ.*

Item, *Trochisci sub lingua teneantur:* ℞. *Ol. Nucis Mosc. per express* ℈j. *Ol. caryophyll. gutt. iij. Extracti ligni Aloës* ℈j. *spec. diambræ completæ* ʒj. *sacchari in mucilagine Tragag. cum aqua cinam. soluti q. s fiant Trochisci parvi.*

### AD UVULÆ PROLONGATIONEM.

Wann der Zapff geschossen. *Post universalia fiat gargarismus ex decoctione salviæ, agrimoniæ, prunellæ, ana M ß. acetosa Mj. gallarum* ʒj. *Fl. balaust.* ʒiß. *coq. ad tertias, coletur* ℔. j. *adde mellis rosat. colati* ℥ij. *Misce.*

Item, *grana juniperi contusa, cum vino rubro cocta, pro gargarismate.*

Item, *ex aqua prunellæ. plantag. fol. querc. an.* ʒiß. *Rob. nucum* ʒj. *Misce.*

Item, *ad capitis verticem Emplastrum, quod* ℞. *Sandaracæ, Mastich Opopanacis an* ℥ß *fl. rosʃ. rub.* ʒiß. *balaust.* ʒj. *pul. fol querc.* ℈j. *Olei unciis Mosch.*

per

*per expressionem* ℈ß. *ceræ & olei Rutac. q. s. F. Emplastrum.*

Item, *sacculus ex pulvere caryophyllorum & mastiche cum bombace interpastatus, & spir. Vini calefacto humectatus, & appositus.*

Item, ℞. *Thuris & boli q. s. asperg. prunis & fumus excip. bomb. & vertici applic.*

Item, *Mellis & pip. q. s. ad vertic.*

Item, *herba Majoran. vino coct. applic.*

Item, *ovum ad dur. coct. & dissect. applic.*

Item, *pulvis ex pip. long.* ℈j. *succ. acac. rad. torm. ana* ℈ij. *insuffletur.*

Contra Tactûs & Motûs Læsiones.

## AD ARTRITICOS DOLORES.

Post universalia, *quoad* diætam & pharmaciam, *cuique subjecto laboranti, juxta præscriptum Medici prudentis, necessariam, conveniunt, primum* extra paroxysmum, *quæ superfluitates ad articulos ruentes absorbent, & ipsos articulos roborant.* Quoad prius, *fiat vinum antipodagricum:* ℞. *Herb. Ivæ Arthericæ, Chamedryos veræ, Beton. Salviæ nobil. Rosmarini ana* Mjß. *Rad. Helenii Caryophyllatæ ana* ℥j. *Cort. tamarisci* ℥ß. *Sassafras* ℥ij. *calam. aromat.* ʒj. *Nucis mosch. Numero* j. *F. infusio in* ℥. *mensuris vini.*

Item, *Fiat pulvis,* ℞. *Herb. chamædr. chamæpityos, cent. min. ana* Mj. *Salviæ Beton. ana* Mß. *Rad. Aristol. rotund. vulgaris, Rhapont. Gentianæ ana* ℥ß. *Ligni sancti opt.* ℥viij. *seorsim. pulvetisentur dosis* ʒj. *quotidiè.*

Item, *conditum:* ℞. *conf. chamæpityos, Anthos, ana* ℥j. *Zingib. cond. opt. Zedoar, condi. ana* ʒß. *C. C. usti prapar. spodii, ana* ʒj. *Theriaca opt.* ʒjß. *cum syr. de succo chamæpityos F. Electuarium.*

Item in causa calida, *fol. cichor. sylvestr. in Majo collecta, siccata, & pulverisata,* ʒj. *manè & vesperi in jusculo.*

Item in causa frigida, *Theriaca Androm. & Mithridatium, pondere* ʒj.

Item, *chinæ decoctum, cum Sarsapariglia, pro sudore continuatum.*

Item, *C. C. ustum & præparatum, quotidiè usurpatum in potu.*

Item, *sudorifera frequenter reiterata, nimirum Rob. sambuci cum pauxillo Mithridatii, Rob. Ebuli, spiritus sambuci, cum Aq. Veronicæ, &c.*

Item, *usus acidularum, sub initium æstatis convenienter per aliquot tempus adhibitus; tam ad viscerum temperiem corrigendam, quàm etiam ad serositates evacuandas.*

*Loco acidularum commodissimè quoque usurpatur serum lactis, quod per mensem instar acidularum adhiberi potest. Serum verò lactis caprini eligendum, adque illud ipsum serum eliciendum lacti ferventi succi convenientes infundi possunt, ipsaque capra herbis appropriatis enutriri. Usus seri lactis esse potest circa æquinoctium vernum & autumnale.*

Quoad posterius, *præter ea, quæ in textu notantur, membra recipientia roborat extra paroxysmum balneum, ex lixivio cum sale decocto.*

Item, *Emplastrum diapalmæ exterius appositum.*

Item, *Balneum ex urina frequenter usurpatum.*

Item, *calcei & tibialia immediatè ad cutim ex corio canino conficiantur.*

Item, *vinaceorum usus per dies triginta tempore vindemiarum.*

Item, *Cannabinta stuppa, in lixivio decocta & adhibita.*

Item, *ex cinere fagi fiat lixivium forte, adde vini partes æquales, cum alumine pauxillo: calefiat pro balneo pedum manè & vesperi ante cibum.*

Item, *balneum ex ovis formic. & ipsis form. saccul. comprehens.*

## CURA SINGULARIS.

*Singulis mensibus sumatur manè jejuno stomacho die ante Novilunium* ℥ß. *Spir. Purgantis; Per mensem Martium, Iunium, Septembr. Decembr. quotidiè manè sumatur* ʒj. *Electuarii. Singulis verò septimanis semel aut bis sumatur* ℈ß, *pillularum.* ℞. *Rad. Ialap. hermodact. mechoac. Turbit. Scammon. ana* ℥ß. *Rad. hell. nigr. albi ana* ʒj. *sem. carth.* ℥ij. *Cinam.* ℥ß. *Caryoph.* ʒß. *Spir. vini mens. I. dig. per mensem.* ℞. *Extr. chamædr. camæpit. ana* ʒj. *Cent. min gentian. Mag. cran. hum. ana* ℈ij. *Mass. pillul. angel.* ℥ß. *m. pro pillulis.* ℞. *ligni Sarsaparill.* ℥iiij. *Aq. fum. Pæon. ana* ℥vj. *f. decoctio, post adde Rad. chin. condit.* ℥ij. *sem. hyper.* ℥vj. *Rad. Pæon. gr. pæon. ana* ʒj. *fol chamædr. camæpit. ana* ℥v. *antimon. diaphor.* ʒij. *Rad. Arist. rot. ver.* ℥iij. *angel.* ℥ij. *Cinam.* ℥ß. *Caryophyll.* ℈ij. *Croci* ℈j. *M. cum syr. chamæpith. pro Electuario.*

## IN PAROXYSMO DOLORIS PODAGRICI.

In causa calida. ℞, *Ol rosati, salis parum, & vitellum ovi, Misce, & applicetur.*

Item, *Cassia, recenter extracta & pro Cataplasmate usurpata.*

Item, *mica panis cum lacte, ol. rosato ac croco.*

Item, *ol. ex testudinibus per infusionem, vel decoctum.*

Item, *lenticula palustris cum flor. chamæmeli. in lacte decocta, addita farina hordei.*

Item, *Aq. plantag. rosarum, solatri, cum aceti pauxillo.*

Item, *Aq. Ulmariæ ex toto destillata, cum linteis apposita.*

Item, *stercus vaccinum recens in æstate, cum butyro & pauxillo aceto.*

Item, *cataplasma ex pane cum vino rubro.*

Item, *Parietaria in posca decocta.*

Item, *medulla panis albi aqua frigida immersa, & cum oleo rosato subacta.*

Item, *Cataplasma ex pane albo, lacte, & oleo omphacino, cum succo sempervivi.*

Item, farina secalina apposita.

Item, Plantago cum Aq. cocta & apposita.

Item, Aq. Verbasci linteis madefactis imposita.

Item, folia ricini cum aceto subacta.

℞. Canc. viv. n. 6. Raph. ʒj. salis ℥jß. M. & applica. ℞. Sal. Tart. nitri q. s. solve lento igne in crucibulo, adde spir. vini pro epithem.

Item, ℞. fol. querc. exicc. f. cinis & exindè cum urina lixiv. pro lotura.

Item, folia solani per se viridia aut sale condita instar brassica.

Item, ℞. Cinnab. ℥ß. aris usti ℥j. Aq. ferrar. ℔iij. Calcis viv. ℔jß. stent. per 8. dies Colatura detur pro epithemate.

Item, folia allii in lixiv. coct. & apposita.

Item, compositum sperniola cum Aq. spermatis ranarum dissolutum.

In causa frigida mixta, Fiat sacculus ex sale tosto, milio, & furfuribus.

Item, fiat suffumigium ex urtica minore in vino, & pauxillo aceti decocta.

Item, stercus caprinum, tritum cùm axungia veteri.

Item, cataplasma ex pane cum vino generoso.

Item, Raphanus rusticus, in scobem incisus & appositus.

Item, spiritus salis, cum Aq. betonica permistus, & appositus.

Item, Betonica cum vino decocta & apposita.

Item, folia brassica rubra calefacta, & recenti butyro oblinita.

Item, Pulvis Tabaci, cum ol. chamæmelino permistus, pro cataplasmate.

℞. Mastich. olibani, myrrh. Ammon. Opopon. bdellii, Mum. ana ℥ij. vitrioli ℔j. Mellis ℔ij. Tartari ℥jß. Sp. vini ℔iiij f. l. a. destillat.

℞. C. C. minutim incis. cum vino per 6. horas coq. subtrahatur gelatina & applicetur.

℞. Mucilag. sem. cydon. Gelat. C. C. ana q. v. adde spir. solani partem octavam, aceti partem septimam, tandem parum Camphora & Trochisc. de Ad.

## AD ARTHRIT. VAGAM SCORBUTICAM.

Scorbutica sanguinis impuritas corrigatur Tinctura Tartari, ♂ Essent. chamædrios, spir. Cochleariæ, filicis, cent. min. &c. Alvus lubrica servetur pillul. Tartar. & ammoniac. quibus præmissis sudores movendi. ℞ Rad. succis. ℥j sarsaparill. Arist. rot. ver. an. ʒiij. Herb. cochl. m. j. salv. beton. abrotan. rut. vinc. per vinc. ana p. j. sem. aquileg. ʒij. coq. in aq. nasturt. becab. cochl. an. ad mediet. cum hujus decocti ℥vj trajiciantur lumbrici teret circulis in collo insigniti & nasturt. & petros. per mens. exutriti n. 7. adde Theriac. ʒß. Aq. Cinam. ʒij. Spir. cochlear. ʒjß. mixt. simpl. vitriol. gutt. viij. M. Hujus ℞. ℥jß. adde lap. bezoar. or. gr. v. Spir. Terr. sigill. ʒv. m pro dosi ad sudorem.

## AD PARALYSIN.

Ubi insultus Apoplexiæ sequitur, post interna, externis aqua salviæ rectificata, sive aliquoties nova herbæ affusa, & destillata usurpetur.

Item, frictio fiat cum ol. amygdalarum amararum, addito ol. Rosmarin. destillato.

Item, bacca juniperi, salvia, Hyssopus, & fl. Lavendula coq. in vino, exprimatur, & addito pauxillo Mithridatio fiat fomentatio.

Item, ex ligno Guajacino destilletur spiritus, & eodem partes paralyticæ fricentur.

Item, ℞. Ol. costini, vulpini, lumbricorum ana ℥ß. pulv. lumbric. terrestr. ʒij. ping. anserina, cera, ana q. s. F. emplastrum.

Item, Anser vino abluatur, & salvia, Rosmarino, Lavendula, &c. infarciatur, additis lumbricis præparatis Numero xx. Castorei, Myrrha ana ʒj. Ol. vulpini ℥iij. Fiat assatio, & defluens pinguedo colligatur ad inunctionem.

Item, fæcibus vini membra fomententur quotidiè bis calidè.

Item, ℞. Sapon. venet. sinap. bacc. junip. contusa m. primo fomentetur pars vino decoct. origan. post fricetur massa præcedenti.

Item, salis Margar. ℈ß. sæpe sumatur.

Item, Rob. junip. sambuc. cum castor. pro inunct.

Item, Rad. Helleb. nigr in vino cocta & apposit.

## UBI PARALYSIS COLICOS DOLORES

sequitur, adeoque musculosas partes potius afficit, quàm nervos, egregiè succurrit frictio, qua fiat cum spiritu Tartari.

Item, destillatum Galbani, de quo Crato videatur.

Item, Balneum decoctionis Urtica, Salviæ, Rosmarini, & baccarum Lauri.

Item, Unguentum ex Sapone Veneto, cum axungia taxi, cati sylvestris, succo salvia, & pauxillo aceti.

## AD SPASMUM.

Fiat fomentatio cum fol. & fl. tiliæ vino decoctis.

Item, Ol. lini post fomentationem inunctum.

Item, axungia anseris cum ol cinam. permista.

Item, Ol. lumbricorum cum terebinthina permistum.

Item, Ol. chamamel. ʒj. lumbricorum ʒß. Castorei, pulv. lumbr. ana ʒß Misce.

Item, Theriaca cum ol. scorpionum, & de castoreo soluta, in causa frigidâ.

## AD STUPOREM MEMBRORUM.

Fiat cataplasma ex stercore columbino, baccis lauri fl. chamameli, sem. cumini, cum ol. lumbricor. de castoreo & cera.

Item, Fiat lixivium ex cineribus ligni juniperini ex aqua & vino cui infundatur Thymus, Salvia, Rosmarinus, bacca lauri, &c.

Item, fricentur partes destillato hirund. cum castoreo, addito spiritu cerasorum nigrorum.

Item,

Item, *flores Verbasci in vin. coq. & appon.*

Item, *cataplasma ex pane & vitell. ovor.*

Item, *Nasturt puleg. chamædr. rad. bryon. Tanacet. Erysimon, persicar. cort. in vin. appon.*

Item, *Fel Tauri pro inunct. cum ol.*

Item, *Globuli sterc. capr. cum Sp. V. pro catapl.*

AD ISCHIAD.

℞. *Alum. nativ.* ℥iiij. *Salis usti pulver.* ℥jx. *reverb. in tigill. clauso, adde ignem 4. grad. per 12. hor. post materiam projice in 4. mens. aq. font. quod in fundo residet misce cum Alcool vini, & usurpa ad atrophiam cum ol. laurino. Aquâ vero prædictâ calidâ fomentetur locus in Ischiade quotidie bis, & post peractam fomentationem locus inungatur prædictâ mixturâ ex pulvere, Alcool vini & Oleo laurino.*

Item, *sperma Ceti cum cera applicetur. Internè decoctum chinæ convenit & sarsaparilla, ut & pillul. Tartar. & de succin. Omnibus verò externis admisce Sal Vrinæ.*

## CAP. V.

### *De præservatione pectoris & pulmonum.*

*Ratio ordinis.* UT *cerebrum*, cooperantibus organis sensuum, animales functiones perficit; ita *cor vitalis functionis organum*, tum demùm toti benè prospicit, quando *pectus & pulmones* tanquam partes eidem inservientes optimè valent. Etsi verò prædictæ partes variis causis præter naturam affici possint, frequenter tamen in statu secundum naturam *fluxionibus catarrhosis* læduntur, quâ de causâ non rarò *pulmonis exulceratio, phthisis, tussis & respirationis difficultas* subsequuntur.

*De catarrhis præservandis, Origo Catarrhorum.* Hinc igitur *de catarrhis ad pectus & pulmones* descendentibus agendum. Horum origo dependet à *frustrata alteratione cerebri*, quam ob causam primò respiciendum est ad *partem mittentem*, scilicet ad cerebrum, deinde ad *partem recipientem*, nimirum ad pectus & pulmones. *Diæta ad præservationem.* Sit ergo diæta conveniens, quæ generationi fluxionum cerebri resistat. *Aër.* *Aër ambiens* temperatus sit, *nec nimium calidus*, qui humiditates cerebri dissolvendo, *nec nimium frigidus*, qui consuetam digestionem impediendo, catarrhos auget; inprimis *austrinus & borealis* vitentur. *Cibus.* *Alimenta* sint facilis concoctionis, plus nutrimenti, quàm excrementi possideant, & parcâ manu concedentur, cum nihil convenientius catarrhosis, quàm *jejunium*, nihil magis noxium, *quam ciborum exuperantia*, *Vitanda. 1.* quâ de causâ *Socrates* apud *Platonem*, tempore *Homeri*, quod simplici victu uterentur, catarrhum ignotum fuisse testatur. *2.* Fugienda igitur sunt, quæ *cerebrum replent* evaporatione sursum cruditates movendo, *3.* *Raphanus videlicet, Cæpæ, Sinapi, Allia; quæ difficulter coquuntur, pituitam cumulant*, carnes videlicet vetustæ, pisces palustres, legumina difficilioris coctionis, *4.* *quæ ventriculum, & præsertim orificium ejus sinistrum laxant*, ut sunt omnia frixa vel pinguia. *An cœna debeat esse parcior prandio? vide Merc.* *Cœna* respectu *prandii* parca sit, & longè somnum præcedat, quâ ratione novæ destillationis materia non tantùm *cerebro* subtrahitur, sed simul etiam id, quod in cerebro cruditatis superest, meliùs nocturno tempore, caloris per somnum collectione facta, digeritur. *lib. 1. pr. c. 27. Vid. Tom. 1. Disp. 3. Coron. 2. Exerc. 8. q. 9.* *Post cibum ad reprimendas* evaporationes, & pro ventriculo claudendo *bolus Diacydonii simplicis; vel conservæ rosarum antiq.* convenit. Qui pulvere stomachali delectantur talem sibi conficiant:

℞. *Coriandr. præp.* ʒj. *Masticis, Cinam. el. Santal. alb. ana* ʒij. *Sacch. ad pondus omnium f. Pulvis sumatur quant.* ʒß. *Post cibum cum pane tosto, vino generoso parum asperso.*

*Potus.* *Potus* sit talis, qualem præcedenti capite præscripsimus, qui convenientior redditur, ubi per *radices helenii & sarsaparil.* pectori maximè dicatas, & concoctionem adjuvantes, medicatus redditur. *Somnus.* *Somnus* tribus horis à cibo fiat, sitque *moderatus*, qui propter nativi caloris collectionem cruditates destillationum alterare potest. Hoc eò melius natura præstabit, cùm eandem adjuvabimus, *exhalationes à visceribus concoctionis impediendo, & cerebrum appropriatis exiccantibus corroborando:* nimirum ubi mox antè somnum particulam de subsequentibus morsulis assumemus; *Morsuli contra fluxiones.*

℞. *Nucis mosch. Olibani elect. ana* ʒj. *Masticis, Pulv. liquiritiæ ana* ℈ij. *Corn. c. usti præp.* ʒj. *Coriand. præp.* ʒjß. *Conserv. rosar. antiq.* ℥vj. *Sacch.* ℥viij. *in aq. ros. dissol. fiat confectio in morsulis.*

*Pillulæ vespertinæ Cratonis.* Qui pillulis uti possunt, ii frequenter ante somnum ʒß. *pillularum de succino* deglutiant, & mane guttas 10. Elix. propriet. sumant. Pillularum de succino seq. est descriptio;

℞. *Succini albi, Masticis elect. ana* ʒj. *Aloës rosatæ* ʒv. *Agarici troch.* ʒjß. *Arist. rotund.* ʒß. *Ol. fœnicul. gutt. v. Nucis mosch. per express.* ℈ß. *cum syr. de beton. f. pil. ex* ʒß. *num. xxx.*

*Exercitia.* *Corporis exercitia* non negligantur, inprimis ante cibum; otiosos enim fluxionibus, & catarrhis obnoxios esse vel indè constat, quod vituperium esset apud *Persas juxta Xenophontem*, cùm aliquis expueret, propterea, quod indè colligerent, eum in otio vivere, cibisque repleri. *Balneum inimicum. Lixivium capitis.* *Balneum calidius resolvens*, quod caput citò repleat, inimicum est, cujus loco lixivium capitis moderatè calidum, singulis mensibus semel atque iterum, inprimis Lunâ decrescente, tale concedi potest.

℞. *Rad. Asari, fol. betonicæ, Serpilli, Salviæ, Rorismarini, fl. Lavendulæ ana Mj. Caryophyll. Nucis mosch. Rad. ireos, Thuris ana* ʒij. *fol. sen.* ℥ß. *Agarici* ℈ij. *Zz. Anisi ana* ℥j. *fol. lauri p. j.*

*Animi affectus.* Cum lixivio ex *cinere vitium* comparato, fiat lavacrum capitis. *Animæ commotiones, & inprimis mentis operationes*, sint moderatæ, quâ de causa studia hîc maximè ordinata requiruntur, inprimis nocent *lucubrationes post cibum*, & maximè dum *proni* tabulis admodum innitimur. Hoc modo frustratam alterationem cerebri, catarrhorum originem, præcavemus, præmissis tamen iis, quæ ad superfluorum evacuationem pertinent; Superest, ut videamus etiam, quomodo pars recipiens, *pectus* scilicet *& pulmones* corroborari possint.

*De corroboratione pectoris & pulmonis. Contra tussim.*

Dum igitur justo modo causæ antecedenti prospectum fuerit, necessarium erit, ut ea non negligamus, quæ partem affectam respiciunt. Si igitur *tussis ob asperitatem* arteriæ vocalis, & meatuum pulmonum adest, adhibeantur illa, quæ leniendi facultatem obtinent, ut sunt *hordei cremor, succus amygdalarum dulcium, syrupus violaceus, succus glycyrrhyzæ, syrupus jujubinus, rotulæ confectionis diaireos simplicis, Diacod. m. sol f. us. Aug. & similia*, quæ temperata sunt, & acrimoniam destillationum alterant.

*Contra difficultatem respirationis.*

Verùm ubi præter asperitatem adest etiam collectæ materiæ crassities & visciditas, cujus respectu non tantùm *tussiendi conatus*, sed simul quoque *respirationis difficultas* oritur, ad ea confugiendum, quæ *vim detergendi & incidendi* simul possident, *ut uva passa, ficus, rad. Ireos, helenii, marrubium album, hyssopus, thymus, scylla*, & hujus generis plura, ex quibus convenientia domestica remedia conficiuntur, ut sunt *passulæ minores, cum incenso* spiritu *vini præparata, & sacch. aspersa*, quod etiam cum *ficubus* fieri potest; *syrupus hyssopi, mel scylliticum*, & inprimis *oxymel pectorale*, quod Crato plurimùm in dyspnæa commendat.

*Oxymel pectorale Cratonis.*

℞. *Rad Ireos incisa* ℥j. *Agarici albissimi* ʒx. *Herb. Hyssopi, Origan Marrubii alb. Puleg. Veronica, Scabiosa. Card. bened, ana Mj. Zz.* ʒij. *Decoque in s. q. aceti, affusâ tertiâ parte* aquæ, *& adde mellis purissimi q.* ß. *pro* jucundâ dulcedine: colatura coquatur ad consistentiam syrupi, cujus cochlear frequenter assumatur.

Plurimùm hîc quoque præstat *Loch. sanum & expertum* dimidii cochl. quantitate frequenter lambendo sumptum, cùm potenter incidat & detergat. Nec omittendum est, *domesticum istud remedium*, pueris etiam non inconveniens, dum in tussi ac difficultate pectoris, à crassis & pituitosis obstruentibus humoribus provenięte, *raphani radices* incidimus, easdemque *saccharo candia albo*, strato super stratum facto, aspergimus, atque in patina, super addito pondere quodam, per noctem oneramus, ac succum indè collectum frequenter exhibemus.

*Bechicum domesticum ex Raphano.*

*Sublingualia.*

Qui *sublingualibus* delectantur, ex officinis sibi comparent *pillulas bechicas nigras*, earumque duas, vel tres sub lingua teneant, donec sensim liquefiant; habent enim propter basin compositionis, quam *glycirrhyza*, ejusque *succus* constituit, vim leniendi & detergendi. *Zingiber* etiam in Indiâ conditum, ut *& radices helenii conditæ*, jejuno stomacho frequenter in tali casu cum fructu sumuntur.

*Quomodo exulceratio pulmonum præservanda sit.*

Tandem cum procedente tempore, propter fluxionum acrimoniam *pulmonum exulceratio* timenda sit, quæ non solùm cum *tussi difficilique respiratione*, verùm etiam totius *corporis absumptione vel tabe* conjungitur, ideò præter ea, quæ hactenus proposuimus, specifica quædam subjicienda sunt. Quod priusquam fiat, notandum, *consumptionem* istam corporis, quam *phthisin* dicimus, satis periculosam esse, cùm originem suam *exulcerationi pulmonum* debeat: ut autem effectus non tollitur, nisi causa primùm auferatur: ita tabes ejusmodi difficulter curatur, propterea, quod *pulmonum consolidatio & purificatio* multum difficultatis includat.

*Phthisis periculosa.*

*Phthisis morbus chronicus.*

Cùm autem diuturnus morbus sit *phthisis*, in qua sæpiùs ope victus, & medicamentorum per multos annos vita protrahitur, idcirco notandum omnia eò esse dirigenda, quò post antecedentia, quæ destillationes respiciunt, *expectoratio promoveatur, purulenta materia detergatur, pulmonum exulceratio purificetur & consolidetur*.

*Indicationes.*

*Victus.*

Sit ergò *victus ratio* talis, qualem suprà contra destillationes præscripsimus. Inprimis hic *ptisana vel cremor hordei*, convenit; item *saxatiles, eorumque brodia pisces, temperatè salsa, sine aromatibus; cancrorum caudæ* in lacte maceratæ post levem coctionem, & postea cum aqua & butyro sufficienter elixæ; *oryza* cum brodio gallinæ cocta; *brodia cerevisia* cum vitellis ovorum præparata, brodia contusarum carnium, *lac recens coctum*, & cum vitellis ovorum præparatum, imò *lac recens mulctum*, inprimis *caprinum & humanum* phtisicis convenientissimum est, vel per se solum, vel cum pauxillo sacchari (ne citò coaguletur in ventriculo) sine cibis aliis sumptum. Hæc enim & similis victûs ratio, non tantùm ratione causæ antecedentis convenit, sed atrophiæ quoque resistit, cùm facilius talia alimenta concoquantur.

*Potus in phthisi.*

*Potus* sit *aqua hordei cum passulis minoribus, & radice glycyrrhyzæ* confecta; vel *aqua* cum parte quadam *ligni Sarsafras & china* decocta; interdum *vinum* concedatur *tenuius*, cui per noctem *passulæ minores* infundantur; *vinum enulatum* conveniens quoque judicamus; *cum helenium* ad lentos & crassos thoracis humores educendos accommodatum sit. Si verò propter *calorem hecticum* sitis urget, interdum *emulsiones amygdalarum dulcium, cum semine papaveris & hordei decocto* factæ, propinentur.

*Pharmaceutica media ad phthisin.*

Quo ad medicamentorum domesticorum usum, diligenter illa continuanda sunt, quæ suprà proposuimus, tussim & expectorationem adjuvantia. Commendatur hic inter cætera *Loch. sanum & expertum, quantitate* ℥ß. cum *aliquot cochl. jusculi gallinæ* in quo primum hordeum excorticatum aliquandiu coctum fuit, permistum, & sorbendo quotidiè jejuno stomacho sumptum. Huic succedunt, quæ *pulmonum exulcerationem non tantùm purificant sed simul quoque consolidant, & ab ulteriori corruptione præservant*, ut sunt syrupus jujubinus, vel glycyrrhyzæ, vel violarum, cum *guttis aliquot Balsami sulphuris Terebinthinati Smalcald.* mistus, & frequenter, cochlearis quantitate, lambendo usurpatus: *Saccharum rosaceum*, seu conserva rosarum, de cujus usu vide *Probl. med. dec. 4. q. 9.* ubi notandû, ex ipso saccharo rosaceo domesticum remedium phthisicis accommodatum fieri posse, si pullum exenteratum sumamus, eumque saccharo rosaceo impleamus, lento igne, cooperta ollâ, coquamus, & decoctum ex pullo, cum saccharo rosaceo contuso, quotidiè, plenioris haustus quantitate, sorbendo bibamus, quo remedio Monacham phthisicam Romæ restitutam esse *Forestus refert*. *Plura de hac materia habet Zacutus.*

*Domesticum remedium ex conf. Rosarum.*

*Lib. 16. Obs. 15.*

*Sulphur* etiam optimè per sublimationem purificatum (in officinis *flores sulphuris vocant*) specificum remedium

*Flores ſulphuris.*

remedium in hoc caſu conſtituit, cum *ſaccharo cand.* æquali pondere permiſtum, ac drachmæ dimidiæ quantitate, vel cum ovo ſorbili, vel ſyrupo quodam pectorali, jejuno ſtomacho frequenter aſſumptum. *Vel Sulphur. q. ſ. coque per diem in urina, coq. alt. die in aceto & exicc. tandem. Aqua cal. lavetur ut albeſcat, hujus.* ℞. ℔ ß. *Alumin. uſti, Salis fuſi ana* ℥ij. *in deſtill. per alemb. igni fortiſſ. quod ſublimatur exime pro uſu.*

*Pulmo vulpis.*

Præter cætera maximè quoque *pulmo vulpis* commendatur, ex quo inter alia medicamenta in officinis *Lohoch* præparatur, quod lambendo ſumitur, pro abſterſione & conſolidatione pectoris & pulmonis in tabe.

*Ad Catarrhum tenuem in phthiſi.*

Si verò *catarrhus calidus ac tenuis* concurrat, quemadmodum frequenter accidere videmus, ea in promptu ſint, quæ tenuitatem ſiſtunt, atque acrimoniam corrigunt, ut ſunt *Loh. de papavere, ſyrupus papaveris erratici*, de quibus quantitas cochlearis dimidii frequenter bibatur: inprimis conveniunt ejuſmodi rotulæ ſublinguales:

*Sublinguales trochiſci.*

℞. *Sem. papav. albi* ʒj. *Gum. tragacanth. Arabici, Amyli ana* ʒjß. *Sem. melonum. excort. portulacæ ana* ʒij. *Corall. rub. præp. ſucci glycyrrhyzæ ana* ʒjß. *Sacch. penidior. roſat. tabulat. ana* ℥j. *f. trochiſci cum ſyr. de papavere ſimpl.*

*Reſtaurantia.*

Tandem, *ubi mediocriter à febri & exurente calore liberatus eſſe videtur is, qui tabe conſumitur*, pro reſtauratione virium ejuſmodi morſuli conficiantur.

*Morſuli.*

℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥ij. *pinear. piſtacior. mund. ana* ℥ß. *ſpec. diatrag. frig. Diapenid. ana* ʒj. *Succi liquiritiæ* ʒß. *Sacch. in aq. tuſſilag. diſſol.* ℔j. *f. confectio in morſulis.*

De quibus ℥ß. ſumatur horâ unâ ante cibum, ſuperbibendo brodium carnis. Inſigne eſt etiam *experimentum Cardani*, quod proponitur *in conſ. de difficili reſpiratione*, cujus ſucceſſum in his quoque regionibus confirmatum fuiſſe ſcimus, quum ſcilicet in abſumptione corporis *deſtillatum ſanguinis porcini uſurpatur*, quod hoc modo fieri poteſt.

℞. *Sang. porci unius anni recenter mactati* ℔ iiij. *fol. tuſſilag. Scabioſæ ana Mij. conſ. roſar. Borrag. ana* ℥jß. *Aq. tuſſilag.* ℥xv. *M. deſtilletur per balneum.*

*Deſtillatum ſanguinis porcini contra atrophiam.*

Deſtillatum hoc dulcoretur *conf. manus Chriſti q. ſ.* pro ſuavi dulcedine, cujus uſus quotidianus ſit ʒij. jejuno ſtomacho.

Item, ℞. *Pulm. & hepatis vituli ana n.* 1. *cochlear. cort. num.* 20. *cancr. n.* 10 *carnis capon.* ℔j. *Medull. pan. ſilig. cal.* ℥viij. *rad. cich. aſpar. fæn. ana* ʒij. *Curc.* ℥ß. *Rhab.* ʒvj. *ſpec. ind. cinam. ſquin. an.* ℈ij. *ſpec. diarr. ab. Troch. de Rhab. de Eupat. ana* ℥iij *Herb. agrimon. cuſcut. ſcolop. abſinth. card. ben. Cent. min. ana Mj. Epat. Tarax. endiv. ana Mß. ſem. 4. frig. major.* ʒjß. *Aniſi* ʒij *fl. borrag. bugl. ana Mß. roſ. rubr. Mjß. Aq. Agrim. Card. ben. tuſſil. Card. M. cichor. endiv. ana* ℔ß. *per duos dies deſtill. doſis M. & V.* ℥iij.

## APPENDIX AD CAP. V.

*De Morbis Pectoris & Pulmonum.*

### CONTRA CATARRHOS.

*Reſpectu partis mittentis, ſcilicet capitis, convenit Ambra, cum ſaccharo ſoluta gr. iiij. vel v. in ovo ſorbili.*

Item, *ſacculus ex Santalis, Roſis rub. & Ambra pro capite.*

Item, *Aquâ Salviæ os eluatur, poſt ſomnum.*

Item, *fiat gargariſmus ex decocto rad. pyrethri, Salv. Roſmar. cum aqua, & pauxillo aceti.*

Item, *naribus attrahatur aqua Majoranæ, cum pulvere nigellæ. ol. ſuccini ad vertic.*

Reſpectu tenuium deſtillationum *conveniunt Morſuli confecti ex Mucilag. rad. Alth. cum Sacch.*

Item, *Lac. ſem. Cannabis.*

Item, *Myrobalani conditi.*

Item, *Bolus Armeniæ, Cornu C. præpar. cum Extracto Liquir. & Sacch. fiat trochiſc. additâ mucilagine ſem. cydonior. per aquam roſarum.*

Item, *Succi Hypociſth.* ʒj. *ſucci plantag.* ℥ß. *ſacch. & Mucilag. rad. Alth. q. ſ. fiant Trochiſci.*

Reſpectu viſcidæ materiæ collectæ, *ſperma Ceti quant. piſi majoris pueris exhibetur in lacte.*

Item, *Oxymel ſquilliticum.*

Item, *Oxymel pectorale Cratonis.*

Item, *Oxymel de Peto Quercetani.*

Item, *Confectio Diaireos Salomonis.*

Item ℞. *Euphraſ.* ℥ß. *Cin. Zz. ana* ʒij. *Cardam. Cubeb. ana* ʒß. *ſem. fænic.* ʒij. *Sacchari* ℥jß. *f. Tragea ſum. m. & v.*

### CONTRA RAUCEDINEM.

*Sublatâ primùm causâ antecedente fiat Eclegma cum julapio violato, addito pulv. Rad. Aronis.*

Item, *Aq. Veronicæ rectificata, ſpiritu vini parumper permiſta, ſacch. cand. dulcoretur, ad uſum.*

Item, *Myrrha ore detenta, donec liqueſcat.*

Item, *muccago Tragacanthæ, cum aq. Veronicæ factâ, ſaccharoque dulcorata.*

Item, *ſuccus raparum ſaccharo coctus.*

Item, *Butyrum recens ſacch. cand. permiſtum.*

Item, ℞. *Thuris Maſtich. Tragacanth. Gummi Arab. ana* ʒß. *pulpæ paſſul.* ℥j. *Ambræ gryſ. gr. vj. cum melle & aq. roſar. fiant. Trochiſci.*

Item, ℞. *Oxym. ſquill. ſyr. fl. papav. liquir. de Eryſ. Lob. Aq. Veron. ſpir. aniſi ana q. v.*

Item, ℞. *Rad. Althææ* ʒjß *ſem. fænugr.* ʒß. *ſacchari in lacte ex ſem. papav. alb. cum aq. roſ. extr. diſſolut.* ℥iiijß *f. Conf. in Morſulis.*

### CONTRA TUSSIM.

*In puerorum tuſſi contumaci Syr. de Hyſſopo* ℥j. *de liquir.* ℥ij *M.*

Item, *decoctum raparum ſacch. dulcoratum.*

Item, *pectus inungatur muccagine lini, Fænugræci, Malv. & rad. Alth. cum butyro exceptâ.*

Item, *Gummi Arab. Tragacanth. ſucci Glyzyrrhizæ, ana cum Sapa fiant ſublingualia.*

Item, *Grana Iuniperi decoqu. cum cereviſiâ, vel hydromelle pro potu.*

Item,

Item, ℞. *Storacis opt.* ʒß. *Ambr. gr. iij. m. f. pil. in contumaci tussi.*

Item, *fl. Sulph.* ʒj. *Benzoi* ℈j. *M. in ovo sorb. sum. pro 3. vicibus.*

Item, ℞. *Rapas exicc. infund. in ol. olivar. post exprim. hoc ol. sume m. & v. cum aq. meliss.*

CONTRA ANGINAM,

*Ubi Laryngis & colli musculi inflammantur, præter ea, quæ totum respiciunt, & affluxum corrigunt, ut sunt Enemata, Venæ sectio, Scarificatio, Frictio extremorum, &c. fiat decoctum cum lacte, cui adde vitell. ovi numero j. Albi graci exiccati,* ℥ß. *sacchari candi.* ℥ij. *ad mensuram dimidiam, de quo sæpè cochlearia tria sumantur.*

Item, ℞. *dentis Apri præp.* ʒj. *ol. lini* ℥iij. *M pro dosi.*

Item, exterius ad resolutionem, *album græcum, cum cinere nidi hirundinum, addito melle fiat cataplasma.*

Item, ad suppurationem, *ex ficubus, rad. Alth. Myrrha, Croco, Farinâ sem. Lini & Fœnugr. cum melle fiat Emplastrum, quo dolor etiam lenitur; intrò verò si tendit abscessus, similibus gargarismis naturæ succurrendum, de quo vide* Tom. 2. lib. 3. Obs. 1. & 2.

CONTRA DYSPNOEAM ET ASTHMA.

*Post illa, quæ causam antecedentem respiciunt, sæpius antè cibum sumatur haustus juris galli decrepiti, cum vitello ovi, butyro recenti, saccharo & pauxillo croci parumper ebullitione mistus.*

Item, *ubi vehementia suffocationis sumatur oxymel scylliticum, cum aq. cinam.*

Item, *Aq. Veron. Anisi. ana* ℥jß. *Syr. de Glycyrrh.* ℥ß. *Ol. Anisi, Fœnich. ana gutt. iij. M. & sæpius cochlear exhibe.*

Item, in causâ frigidâ tenaci ℞. *Castorei* ℈j. *Macis, aquâ veronicæ præparatæ.* ℈ß. *Moschi gr. v. Croci gr. iij. Miscè, f. pulvis pro 2. vicibus.*

Item, *Ammoniacum in pillulis datum ad* ℈ß.

Item, ℞. *Styrac. calam.* ʒß. *Extr. Glycyrrh.* ℈ß. *Sp. diaireos S.* ℥jß. *ol. Anisi gutt. iij. cum sacch.* ℥iijß. *in aqua fœnic. solut. f. rotulæ.*

Item, *Syr. ex succo Nicotianæ cum flor. Sulphuris permistus, & lambendo sumptus.*

Item, *herba Botryos vino vel hydromelle decocta, & manè, vesperique pota.*

Item, *Balsamus Sulphuris Terebinthinatus, cum syr. jujubino, vel oxymelle squillitico.*

Item, *Oxymel de Peto Quercetani.*

Item, *Oxymel Pectorale Cratonis.*

Item, *Flores Benzoini.* ℈ß. *cum syr. de Althæa, vel de jujubis,* ℥jß. *permisceantur, pro lambili.*

Item, *decoctum Abrotani & Prassii in hydromelle.*

Item, ℞ *Spir. vini opt.* ℥viij. *Passul. min. jujub ficuum ana* ℥ß. *Incendatur & adde sacchari opt.* ℥jß. *M. continuo, ubi non amplius ardet, adde Aq. Veron.* ℥ij. *M.*

CONTRA SPUTUM SANGUINIS.

*Quod scilicet ex pulmone prodit, adhibitis omnibus, quæ sanguinem aliò repellunt, & derivant, fiat Elect. ex conf. rosar. antiq. cum bolo armeno, succo hypocist. & Syr. Myrtino.*

Item, *Syrupus papav. errat. cũ pauxillo Laudani opiati.*

Item, *compositũ Sperniolæ granis aliquot assumptum.*

Item, *Loch. de papav. cum Mastiche, Succino & Corall. rub. permixtum.*

Item, *rubrica fabrilis optimè lota, cum aqua tussilaginis* ʒß. *usurpata, in appropriatis syrupis vel aquis.*

Item, *Syr. de Symphyto.*

Item, *Conserva rosar. antiqua cum bolo arm præp. terrâ sigill. & syr. de rosis siccis.*

Item, *Aq fol. querc. cum castan. f. Emulsio.*

Item, ℞. *Rhabarb.* ʒjß. *usurpetur cum succo plantag. & syr. de portul. postea per* 10. *dies m. & v. sumatur.* ʒß. Elect. *quod* ℞. *sem. hyosc. albi pulv.* ʒß. *Conf. viol.* ℥iiij. *syr. viol.* ℥ij. *M. f. Electuarium.*

CONTRA PERIPNEUMONIAM:

*Alvus antè omnia leniatur, & sanguis effervescens venæ sectione minuatur, adhibitis postea iis, quæ fervorem pulmonum temperant. & materiam expectoratione educunt. Fiat igitur inunctio Oleis lilior. alb. violar. Anethini, Amygd. dulc.*

Item, *fiant sacculi ex chamamelo,* Meliloto, *sem. Lini, Anisi, &c.*

Item, *cataplasmata ex farinâ hordei, cum oleis dictis, & butyro recenti.*

Item, *interius Syrupus flor. papav. errat.*

Item, *fiat ex sem. card. ben. & Melon. emulsio cum aq. scabiosæ, quæ sacch. cand. dulcoretur.*

Item, *pulv. flor. papav. errat.* ʒj. *pondere, cum Syrupis pectoralibus, scilicet violarum, de floribus ejusdem, vel scabiosæ exhibeatur.*

CONTRA PLEURITIDEM.

*Præmissis universalibus, appropriatum est hîc oleum Lini* ℥jß. *cum haustu aq. card. bened. sacchаro dulcoratа sumptum.*

Item, *Aq. papav. errat. cum pul. corall. alb. & C. C. V. P. ana* ʒß. *exhibita.*

Item, *stercus equi avenam comedentis, cum aq. card. ben. exprimatur, & saccharo dulcoretur, pro haustu sudorifero.*

Item, *Syrup. flor. papav. errat. cum aq. ejusdem.*

Item, exterius *Empl. de Meliloto.*

Item, *Cataplasmata, quæ in peripneumonia conveniunt, cum oleis & unguentis.*

Item, *herba consolidæ regalis, in vino decocta & apposita.*

Item, *omentum vervecis pingue, calefactum & appositum.*

Item, potus *fiat ex liquir. rasâ* ℥ß. *flor. papav. errat.* ʒij. *sem. cydon. malvæ, ana* ʒj. *gummi Arabici* ʒij. *decoqu. in aq. Mens. 1. ad 3. saccharo dulcoretur.*

Item, ℞ *Sem. lini coq in pasta ad pultis consist. ad latus dol.*

Item, ℞. *Capas n.* 20. *coq. in lacte ad pultis consist.*

Item, *fiant sacculi ex sem. lini, baccis lauri, fl. camom. in vino & lacte coq.*

CON-

CONTRA PHTHISIN.

*Præter ea, quæ in textu annotantur, fiat destillatum ex pulmone vituli, cui addatur Veronicæ, Scabiosæ, & Pulmonariæ, q. s. affusâ aq. card. ben. quod postea Jacch. cand. dulcoretur, & sæpius usurpetur.*

Item, *Lac Sulph. sæpius cum aq. tussilag. usurpetur.*

Item, ℞. *Amyli, Tragacanthi, Gum. Arab. ana* ℥j. *Hord. excort.* lib. ß. *Infunde per noctem in s. q. aq. Tussilag. & veron. postea in pullo coq. ad sufficientiam, de quo jure* lib. ß. *quotidiè cum Syr. de liquir.* ℥j. *exhibeatur per x. dies.*

Item, *pulvis Haly frequenter usurpatus, vel talis, quem Platerus habet.*

℞. *Rad consolid.* ℥ij. *Althææ* ℥j. *liquir.* ℨiij. *Sem. Plantag.* ℨj. *Hyoscyami* ℨß. *Gummi Arabici. Tragac. ana* ℨß. *Oculor. Cancri* ℨj. *Sacch. rof. tab.* ℥iiij. *f. pulvis dosis* ℨj. *manè & vesperi.*

Item, ℞. *fol. Tussil. botryos, salv. Pulm. veron. hed. terr. ana* Mj. *Rad. liquir.* ℨß. *s. fœnic.* ℨß. *Passul. min.* ℥ij. *coq. in aq. fl. Tussilag. ad consumpt. dimid. partis dosis. M. & V.* ℥iiij.

## CAP. VI.

*De cruditate præcavenda, & stomacho corroborando.*

*Ratio ordinis. Stomachi officium.* Tertium locum inter partes principes jecori tribuimus, *cui stomachus ac partes* vicinæ serviunt, materiam beneficio primæ coctionis ita præparando, ut ad sanguinis confectionem eò aptior sit. Cùm igitur vitium primæ concoctionis, juxta communem assertionem in secunda non corrigatur, de Stomacho corroborando consequenter tractandum erit.

*Quomodo cruditas præcavenda.* *Ad cruditatem autem præcavendam*, potissimùm respiciendum est *ad diætæ regimen*, quâ de causa talia alimenta sunt eligenda, quæ facilimè digeruntur & parùm excrementitiorum humorum generant, quocirca *Diæta. Alimenta.* fugiendi sunt cibi duri, viscidi, frigidi, multisque partibus excrementitiis abundantes. Electis alimentis juxta qualitatem, diligentissimè quantitas etiam observanda est, quam ob causam huc pertinet communis regula, *cibis non repleri, nec fame torqueri*, cujuslibet *Quantitatis noxa.* ventriculi constitutioni convenire. Dum enim cibus copia sua facultatem concoquentem superat, nihil obstat, quin convenientissimum alimentum naturæ satis inimicum reddi possit, cum quælibet agendi facultas conveniens, & proportionatum suum objectum *Ordo ciborum.* requirat. Nec *ordo ciborum* negligendus est, propterea, quod coctionem adjuvet, dum solidioribus laxantia *Vid. quæst. annexam in tract. de scorbuto.* vel humidiora præmittimus. *Tempus* quoque cibis *Tempus cibi assumendi.* assumendis conveniens observetur, illud scilicet quo cibum priorem digestum atque concoctum esse scimus, cùm aliàs necessariò concoctionis læsio suboriatur. *Cibus simplex optimus.* Inprimis *ciborum varietas* ablegenda videtur, cùm *Philosopho teste*, ventriculum turbet, & chylum inæqualem progeneret: *illa* scilicet *varietas ciborum*, ubi *Vide quæst. apud Sennert. lib. 4. Inst. part. 2. cap. 4.* cum carnibus animalium pisces, cum piscibus fructus, cum fructibus crudis cocta alimenta diversorum generum, aliaque heterogenea miscemus, & nihil non excogitamus, quo variis esculentis gulæ blandiamur. Quo enim homogenea magis sunt alimenta, eò citius à calore nativo coquuntur, alterantur, & in chyli substantiam similimam convertuntur, contrà, dum ea, quæ difficilis coctionis sunt cum aliis quæ facilimè digeruntur, uno eodemque tempore miscentur, fieri non potest, quin cruditas hinc oriatur.

*Potulenta.* Porrò non tantum Esculentis, sed etiam Potulentis non rarò ventriculus læditur. Sit quantitas cujusque naturæ conveniens, & sicuti cibus famem, ita potus sitim *expectet*. Aviditatem utriusque superesse debere post mensam statuit *Marsilius*, fastidium & saturitatem, repletionem videlicet, brutis potius quàm homini convenientem, procul ablegando. Nihil de noxis ebrietatis hîc addimus, cùm satis ista pateant ex iis, quæ *c.* 1. de cerebro corroborando proposuimus. Qui nec vinum nec cerevisiam ferre possunt, usurpent seq. ℞. *Pass. min.* lib. ij. *coq. in* 10. *mens. aq. ad moll. coletur, adde Cinam.* ℨß. *piper.* ℨj. *Mellis* lib. j. *ferment.* Verùm præter hanc *esculentorum & potulentorum* observervationem *reliquæ res non naturales dictæ* non parum huc quoque faciunt: nimirùm, ut *somnus* *Somnus & vigiliæ.* *& vigiliæ* moderatæ sint, cùm *istius* excessus cruditates augeat, ac corpus ejusque facultates omnes stupefaciat, adeoque crudis humoribus colligendis ansam præbeat; *harum* immoderatio calorem nativum resolvit, ac tandem ex accidenti ventriculum frigefacit, ut patet *Tom.* 1. *Disp.* 20. *Coron.* 4. Cæterùm, cùm nul- *Separatio homogeneorum.* la coctio fiat feliciter, nisi quod heterogeneum est, optimè secernatur, ideò consuetæ alvi dejectiones diligenter promoveantur, &, si opus est, arte juventur, juxta doctrinam *Tom.* 1. *Disp.* 20. *Coron.* 5. propositam. Si opus exhibeatur ℨj. Agar. Troch. cum oxym. aut frequens usus sit Pillul. de succin. vel angel. A cibo *Exercitia corporis à cibo. Exercitia animi.* corporis balnea & exercitia, sicut etiam animi labores, studia videlicet seria, fugienda sunt: ut enim *illa* cruditatis, imperfectæ concoctionis, scabiei, plurimorumque morborum indè provenientium causæ sunt, ita *lucubrationes post cibum*, & inprimis nocturnæ, cerebro & ingenio plurimùm obsunt, ut suprà diximus.

*Corroborantia stomachum.* His ità observatis, quæ ad cruditatem præcavendam faciunt, minimè negligenda sunt illa, quæ stomachum quoque corroborant. Talis imbecillitas maximâ ex parte suam originem habet *à debilitate caloris*, *& illuvie crudorum humorum.* Hinc alimenta convenientia rectè per aromata, herbas & semina condiuntur, quæ seliguntur ex iis, quæ *stomachica* dici solent. Conveniunt igitur *alimenta Cinnamomo, Nuce Moschatâ, Mace, Galangâ, & similibus* moderatè condita; quò etiam pertinet *Crocus, Zingiber, Caryophyllum, Piper, Anisum, Fœniculum, &c.*

*Contra viscidos & frigidos humores ventriculi tunicis infarctos.* Quod *si viscidi, frigidique humores* tunicas ventriculi infarciant, duabus horis ante cibum *syrupus de betonica, vel de absinthio, cum Elix. propriet.* quantitate trium cochlearium sumitur: *vinum Absinthii, Salviæ, Betonicæ, similisque facultatis* frequenter bibitur, & levis purgatio per *Aloën purificatam* in mense instituitur, assumendo tribus horis ante cibum *pillularum Aloe-*

*Aleophanginarum* ℈ß. vel alia lenientia medicamenta inferius *cap.* 10. enumeranda.

*Contra bilis reliquias.* Si verò *reliquiis bilis* ventriculus æstuet, atque cibos aversetur, adhibeantur illa, quæ bilem obtundunt, cibi fastidia discutiunt, dissolututumque ventriculi robur adstringunt, ut sunt *Malum Citrium*, *Malum Punicum acidum*, *Cydonium*, *Ribes*, *Oxyacantha*, *Conserva Rosarum*, *Tinctura Rosar. cum spiritibus vitrioli temperata*, *Olivæ immaturæ conditæ*, & hujus generis plura, quam ob causam huc pertinet *syrupus Myrtinus*, *Acetositatis citri*, & *Miva Cydoniorum*, quorū quodlibet, duobus vel tribus cochlearibus, ante cibū sumitur: Myrobalani conditi, *Nuces Juglandes conditæ*, *fructus Berberberorum*, *de Ribes*, & alia hujus generis dum sacharo temperatè condiuntur: Inter herbas *Acetosa* maximè commendatur in hoc respectu, præsertim ubi cum pullis gallinarum coquitur æstivo tempore, & iis exhibetur, quibus stomachus æstuat.

*Potus esse poterit* ℞. *Hord. M*j. *Aq. mens.* 2. *Aceti cochl.* j. *coq. dispum. coletur*, *adde Cin.* ʒij. *adde vini albi mens. dimid. coletur aliquoties*, *tandem adde succi lim.* ℥ij. M.

*Contra evaporationes ad caput.* Post cibum optimè conveniunt illa, quæ vapores ad caput exhalantes impediunt, & ventriculum roborant, ut sunt *Coriandri semen*, *Nux Moschata*, *Mastix*, *Diacydonium cum speciebus*, *Cydonia condita*, *Conserva Rosarum antiqua* cum *Corallio rubro* permixta, &c. ex quibus & similibus varia medicamentorum genera componi possunt, verbi gratia, qui morsulis delectantur, post cibum de sequentibus portionem quantitate ʒij. assumant.

℞. *Coriand. præp.* ℥ß. *Diacydonii simpl.* ℥vj. *Mastichis elect. Nucis mosch. ana* ʒß. omnia incidantur *grosso modo* & cum *sacchar o in aq. rosar. soluto* ℥viij. *f. confectio in morsulis.*

*Pulvis stomachalis* cum tosto pane & vino generoso quantitate cochlearis dimidii talis usurpari potest:

℞. *Coriand. præp.* ʒß. *Corall. rub. præp. Cinam. Galangæ ana* ʒjß. *Cor. Cerv. usti præp.* ʒij. *Masticis elect.* ʒß. *Sem. fœniculi*, *Anisi ana* ʒj. *Sacch. ad* pondus omnium fiat pulvis.

## APPENDIX AD CAP. VI.

*De Affectibus Ventriculi & Intestinorum.*

### CONTRA ARDOREM STOMACHI.

Wider den Sodt/*fiat Syrupus ex succo summitatum fol. querc. in vere expresso*, & *saccharo condito.*

Item, *eadem folia recentia cum saccharo contundantur pro conserva.*

Item, *Creta cum aq. rosar. præp.* ʒij. *Oculor. cancri præp.* ʒj. *Sacch. in aq. rof. solut.* ℥iij. *fiat Confectio in rotulis.*

Item, *Mandibul. luc.* ʒj.

Item, *Avena manducata.*

Item, *Conf. rof. fol. querc. ocul. 69. terr. sigill. M.*

### CONTRA NAUSEAM.

In causâ calidâ, *præmissis evacuantibus convenit Conf. Rof. Vitriolata.*

Item, *Spiritus Vitrioli gutt. vj. in brodio sumptus.*

Item, *Oliva & Cappares, aceto præparatæ.*

Item, *Syr. de Agrestâ*, *Oxysaccharum simplex & compositum*, *Syr. de succo Acetosæ*, &c.

Item, *Absinth. coq. in aceto coletur*, & *adde aliquid santali & sacch. coq. ad conf. syr.*

Item, *Liquor Martis ex vitr. Martis destillatus.*

In causâ frigidâ, *vinum Absinth.*

Item, *Spiritus Absinthii guttis v. vj. in brodio.*

Item, *Zingiber conditum.*

Item, *Aqua stomachica de Zedoaria* Tom. 2. lib. 4. Observ. 1. pag. 150.

Item, *Chocalate.*

### CONTRA DOLOREM VENTRICULI.

*Scilicet ex inflatione obortum*, *ubi convenit Ol. Caryoph. destillat. gutt. iij. in jusculo vel vino.*

Item, *Elixir proprietatis gutt. vj. in brodio.*

Item, *Destillatum Zedoariæ.*

Item, *Confectio ex ol. anisi cum Sacch. in aqua Menth. soluto.*

Item, *Spiritus Terebinth. cum jusculo* ℈ß. *sumptus.*

Item, *Nihil proficientibus omnibus, post evacuationem convenit Laudanum opiatum perlatum gr. iij. vel v.*

### CONTRA SINGULTUM.

*Evacuatâ materiâ per Magisterium Tartari Vitriolati*, *cum additione*, *vino Absinthii sumptum*, *si diuturnum est malum*, *adhibeatur Rob Cynosbati.*

Item, *Syr. de Mentha*, *de Absinth. cum Spiritu Tartari.*

Item, *Origanum in brodio decoctum*, & *cum sacchare & caryophyllis conditum. Vide plura* Tom. 2. lib. 1. Observ. 25. pag. 17.

Item, *Theriac.* ʒj. *dictamni cretici*, *Nucis M. ana gr.* x. *vini rubr. q. v.*

### CONTRA LIENTERIAM.

*Ubi per alvum alimenta non mutata dejiciuntur*, *fiat Evacuatio*, *Rhabarb.* ʒj. *Myrob. citr.* ℈j. *corall. rub. præp.* ℈ß. *detur in aq. fol. querc. vel vino cydonior.*

Item, *Ea conveniunt*, *quæ ventriculum roborant astrictione amicâ*, *ut nux moschata*, *Mastiche*, *ut & vinum infusionis tormentillæ*, *bistortæ*, *cum Galanga.*

Item, *Diacydonium cum speciebus.*

Item, *Diacorum.*

Item, *Cataplasma fiat ex pane secalino*, *cum fol. Absinth. Menthæ*, *flor. rof. rub. Mastich. oleo Anethino addito.*

### CONTRA CARDIACAM.

*Vinum infus. beton. & rosm.*

Item, *Aq. fl. acac.*

Item, ℞. *Extr. Zedoar. cal. arom. ana* ℈ß. *sacch. q. s. f. rotul.*

CON-

## CONTRA DIARRHÆAM.

*Seu fluxum alvi superfluum, oryza cum lacte cocta, sæpius exhibeatur.*

Item, *Ptisana seu hordeum excorticatum in brodio decoctum.*

Item, *Lac vaccinum, in quo chalybs aliquoties extinguatur.*

Item, *Conserva Rosar. antiqua, cum pulv. glandium, & Syr. Corallino subacta.*

Item, *Decoctum hordei tosti, cum Syrupo de rosis siccis permistum. Ubi contumacius est malum, ea conveniunt, de quibus in Dysenteria.*

## CONTRA DYSENTERIAM.

*Mox fiat evacuatio Rhabarbaro cum Myrobalanis citrinis, in decocto hordei tosti: vel Syrupo Rof. solut. cum Rhabarb.*

Item, *in formâ Boli, Rhabarb. ʒjß. cum Conf. Rof. antiquâ & Syrupo cydon. dari potest.*

Item, *clysteres fiant in principio ex decocto hordei tosti, cum saccharo rubeo, & melle rosato.*

Purgatis & detersis intestinis *detur corall. rub. præpar. ℈j. ß. Gummi Arab. ℈j.*

Item, *In contumaci fluxu pyrum excavetur, & repleatur cerâ albâ & Tragacanthâ ana ʒß. assetur & pulpa mixta comedatur.*

Item, *Tragacanthæ ʒß. Nucis Mosch. tostæ, numero j. pulv. tormentillæ ʒj. Misce, fiat pulvis, de quo sæpius ʒ. ß. exhibeatur.*

Item, *Sumach vel Rhus obsoniorum coqu. in aq. coletur, & addita mivâ cydonior. fiat julep.*

Item, *aqua fol. quercuum per se, vel cum Syrupo Myrthino sæpius bibita.*

Item, *Lac chalybeatum, si febris abest, & potu & enemate convenit. Plura vide, cum utendi modo* Tom. 2. lib. 4. Observ. 18. 19. 20. 21. & 22. pag. 176. *tum etiam in tractatu* de Dysenteria.

## CONTRA COLICAM.

*Ubi primum diligenter observantur, quæ alvi obstructiones emolliunt & promovent, tam superius assumpta, quam etiam per clysteres injecta;* commodum interius *assumitur pulvis, qui ℞. Cort. Arant. extern. ʒvj. calam. arom. Galang. Bacc. Lauri ana ʒj. cinam. cumini ana ʒjß. f. pulvis, de quo detur ʒj. contra inflationes frigidas.*

Item, *Ol. Amygd. d. ʒjß. aq. chamæm. ℥j. spir. Tereb. ℈j. ß. Misce pro haustu.*

Item, *Oleum Amygd. d. ℥iij. vini Malvat. ℥jß. Syr. de Alth. ℥j. Misce pro haustu.*

Item, *Vitell. ovi num. j. Spir. Junip. vel Anisi ℥ij. aq. chærefol. ℥j. optimè misce, & ebibe, lecto benè tectus.*

Item, *Vini Malvat. ℥iij. Syr. de Alth. ℥j. spir. Vitrioli ℈ß. Misce pro haustu.*

Item. *Elixir proprietatis Paracelsi gutt. x. in aq. chamæm. & Chærefolii.*

Item, *Laudanum Opiatum perlatum gr. vj. in Confect. Alchermes, quando dolor est acutissimus.*

Exterius, *sacculus fiat ex Furfure, Sale, Cumino & Milio.*

Item, *Stercus vaccinum æstivale recens cum oleo anethino & Butyro subactum applicetur.*

Item, *Galbani destillatum ad umbilicum.*

## CONTRA TENESMUM.

*℞. fl. verbasci & camom. coq. in lacte & appl.*

Item. *fumus excip. de coloph. & thur.*

Item, *fiant suppos. ex rad. verbasc. cum ol. viol.*

Item, *fœnum græcum coq. cum lacte pro fom.*

Item, *sevi caprin. ol. verbasc. M. ad ignem funde in capitulas papyr. f. suppos.*

## CONTRA ANI PROCIDENTIAM.

*Fiant suffitus & fumi ex thure, mastiche, ladano. colophonia, rof. rubr. Bdellio, nuc. mosch. caryoph. mac. alum.*

Item, *balneum & foment. ex consol. fol. quercus, millef. linar. beton. salv. chamæpit. prim. ver. stæchad. semper viv.*

Item, *fomentum* Fabricii *ejusque pulvis.*

## CONTRA VERMES.

*Ex cruditate progenitos in intestinis, fiat pulvis ex Rhabarb. ʒij. sem. Cynæ, Corallinæ ana ʒj. Salis Absinthii ʒß. Misce fiat pulvis, de quo sumatur ʒj. cum ℥jß. Syrupi de floribus persicor.*

Item, *qui pullulis delectantur, sumunt pillulas ex Aloë ʒj. Myrrhæ ʒß. sem. Cynæ ℈j. Gentianæ ℈ß. cum. Syr. flor. Acaciæ confectis ad ʒi.*

Item, *frequens sit potus decoctionis Cornu Cervi Usti.*

Item, *Mercurii dulcificati ℈j. recens sit non ultra annum cum troch. Alhand. gr. v. permisceatur, & in Conf. Absinthii, vel Scordii exhibeatur.*

Item, *frequenter vinum infusionis Absinthii, & Centaurii min. bibatur.*

Item, *Mechoacæ pulvis, cum C. C. V. P. in delicatis & puerulis.*

Item, *pulvis Scordii ʒi. ß. in vino Absinthii adhibitus.*

Item, *℞. fol. Corall. verben. scord. puleg. origani an. m ß. Rad. dictam. albi. filic. angel, Gentian. anæ ʒij. Cort. rad. arb. mori ʒiß. sem. sin. cardam. nast. ana ʒi. pip. ʒß. Croci ℈ß. sem. santon. ʒij. M.*

Item, *fol. persic. all. Aloës cum. Spir. vin.*

Item, *colocynt. cum oleo coct. & aloë & felle tauri.*

Item, *℞. Ol. absinth amygd. amar. ana ʒij. nucl. persic. anet. rut. ana ʒi. succi abs. in spiss. ʒß. Aloës succotr. ℈i. fellis tauri ℈ß. M. pro lin. ad. umbil.*

Item, *pulvis ad vermes Augustanorum, frequenter ʒß. pondere exhibitus, cum hydromelle.*

Item, *Camphor. gr. iij. cum vino.*

## CAP. VII.

### *De obstructione lienis, & coagulatione calculi præcavenda.*

*Ratio ordinis.* SIcut *stomachus* cum suis partibus adjuvantibus *Jecori* servit, materiam præparando, sic aliæ partes eidem ministrant, id quod heterogeneum est, avertendo. Hinc patet ad sanguificationis operationem absolutam, *Vesiculæ felleæ* cum suis meatibus cholodochis, quòd biliosum excrementum attrahat ac secernat, *Lienis*, quòd melancholicam chyli cruditatem à sanguificatione jecoris avertat, & *Renum ac Vesicæ*, quod horum beneficio serosa superfluitas excernatur, summoperè necessarium esse. De his igitur consequenter agendum, omissis iis, quæ ad vesiculam felleam pertinent, cùm eadem ferè, quæ de jecoris obstructione proposuimus, eidem adhiberi queant, initio facto de *lienis obstructione* præcavendâ. Hanc *lienis obstructionem, inflammationem*, & procedente tempore, præsertim in iis, quibus parentum ratione debilitas quædam specifica hæreditaria conjungitur, *Scorbuticam infectionem*, præcavemus; juxta subsequentes regulas. *Aër* videlicet eligatur, calidus, siccus, & substantiæ ratione purus: eo ipso enim spiritus in corpore corroborantur, ac omnes concoctiones ac digestiones nobiliores redduntur. *Esculenta* facultatem extenuandi, incidendi, & detergendi possideant, facilè coquantur, & leviter adstringant, quo ipso viscerum robur conservatur. Sit ergò *panis* optimè fermentatus, aniso, fœniculo, & cumino conditus, non penitus recens, nec etiam inveteratus. *Carnes* eligantur, quæ citius digeruntur, quarum præparatio per elixationem cum *limonibus*, appetitus excitandi, & viscerum corroborandi causâ, interdum cum *rad. raphani sylvestris*, & *similibus* attenuandi, incidendi, detergendique gratiâ fieri potest, quo fine cum assatis carnibus commodè intinctus ex *cochlearia*, *nasturtio*, *sinapi*, *capparibus*, *aceto madefactis*, & *similes* apponuntur.

*Necessitas vesiculæ felleæ, Lienis.* — *Renum & Vesicæ.* — *Lienis. Præservatio obstructionis & inflationis Lienis.* — *Aër qualis.* — *Esculenta.* — *Panis qualis.*

*Potulenta.* *Potus* quoque sit attenuans, incidens & abstergens, ideoque vinorum, aquarum, cerevisiarum electio, vel saltem correctio, hîc instituenda est. *Correctio* dico, quæ fieri potest per additionem radicum, herbarum & aromatum convenientium, quibus potulentis non tantùm sapor jucundus, sed etiam qualitas conveniens conciliatur, ubi præ reliquis *Scolopendrium* commendatur. Quo ad cætera *somnus ac vigiliæ* moderatæ continuentur, ne vel excessu, vel defectu concoctiones indè lædantur, inprimisque *consuetæ evacuationes* promoveantur.

*Somnus & vigiliæ.* — *Evacuationes consuetæ.*

*Medicamenta domestica in lienis obstructione præcavenda.* Quo ad œconomica medicamenta, post evacuationes lenes suo tempore susceptas, convenientia sunt, quæ resolvendo & modicè calefaciendo singulari proprietate lienis functionem adjuvant, ut sunt *conserva fumariæ*, *quantitate ℥ij. cum sale proprio, vel sale Absinthii* quantitate ℥j. permista, & jejuno stomacho instar nucis juglandis fequenter usurpata, haustuque vini scolopendrii superaddito. *Oxymel* etiam Squilliticum, cochlearis quantitate frequenter jejuno & vacuo stomacho sumptum, durities & collectiones lienis resolvet.

*Cur Spleneticis frigida humida temperata præscribantur.* Verùm præter hæc & similia Splenetica dantur adhuc alia moderatè frigida & humida, quæ melancholiæ superabundantis exhalationes demulcere dicuntur, ut sunt *Viola*, *Buglossum*, *Borrago*, *Poma redolentia*, & *similia*. Quocirca Melancholicis & Spleneticis conserva *Borraginis*, *Buglossæ*, *Violarum*, *Syrupus de pomorum* redolentium *succo* præscribitur, tunc temporis scilicet, ubi latitantem in spleneticis viis melancholicam materiam humectare & demulcere conamur, ne suis exhalationibus cerebrum perturbet.

*De calculi præservatione.* Porrò serosum excrementum *Renes* separant, in quorum operatione calculi coagulatio præcaveri debet. Hoc ipsum perficitur, dum *causas generationis calculi præcavemus*, & *renibus*, *ac viis urinariis*, *medicamentis convenientibus* succurrimus. Illud fit servata victus ratione potissimùm, dum cruditatem cavemus, & ejusmodi alimenta & potulenta communiter usurpamus, quæ facilimè coquuntur, & crassis excrementitiis partibus carent, abstinendum igitur à carne bubula, porcina, sale condita, fumoque indurata, piscibus viscosis, induratis, cerevisiis crassis, ac minus rectè defæcatis, vinis tartareis, crudis, recentibus, aliisque potulentis sabulosis. Hæc enim omnia non tantùm difficulter coquuntur, sed etiam in sese materiam calculi, succum videlicet crudum, tartareum, ad coagulationem convenientem, continent, dum collectioni fæculenti, limosi, salsique succi præbent ansam, qui loca sicciora & angustiora pervadens, promptè coagulatur, potissimùm ubi nativa quædam partium imbecillitas, & segnior expellendi virtus accedit, quomodo frequenter in renibus & vesica calculos concrescere videmus, cùm per ista loco fæculenti, limosique dicti succi, cum excremento seroso, separentur.

*Victus ratio pro calculosis.* — *Generatio calculi in humano genere.* — *Cur calculi frequenter circa renes & vesicam concrescant, Vid. probl. Med. & Ep. med.*

*Alimenta.* Sint igitur alimenta, sicut diximus, facilis concoctionis, & vim diureticam possideant, *panis* scilicet optimè fermentatus, seminibusque Fœniculi, Cumini, Carui, &c. præditus: *carnes* cum radicibus Petroselini, Asparagi, Apii, Sisari, Pastinacæ, seminibusque prædictis, coquantur, interdum Raphani quoque sylvestris usus, ut & Cæparum atque Allii convenit, si pro conditura ciborum, inprimis in prandio, adhibeantur. *Potus.* *Potus* sit diureticus, vinum videlicet tenue, purum, cerevisia probè defæcata, hydromel, decoctum hordei cum passulis & radice glycyrrhizæ, nec negligantur potulenta medica, tàm coctionem roborantia, quàm per urinarias vias evacuantia, ubi maximè *vinum Helenii* commendatur.

*Medicamenta convenientia calculosis.* Quo ad usum medicamentorum, ad *duo potissimum* respiciendum, nimirum, ut interdum adhibeamus illa, quæ collectum hoc excrementum, quod calculo præbet originem, evacuant ac resolvunt, ac deinde non negligamus, quæ renes & vias urinarias purificant & abstergunt. *Evacuantia.* *Illius* generis est *Terebinthina* vel per se sumpta, quantitate ℥ij. cum oleo amygdalarum dulcium, tribus cochlearibus permista, & in brodio gallinæ dissoluta, jejuno stomacho exhibita, pro leni evacuatione: vel cum pulver. Rhabarb. hoc modo præparata:

℞ Tere-

℞. *Terebinth. in aq. fragar. lotæ* ℥ij. *Rhabarb. opt.* ℈ij. *Succini albi præp.* ℈ß. *Pul. glycyrrhizæ* parum *cum Sacchar. fiat* Bolus: uſurpetur jejuno ſtomacho. *Cremor* quoque *Tartari* commodè poteſt exhiberi in hoc caſu, ut etiam magiſterium tartari vitriolati, quantitate ʒj. cum brodio quodam convenienti, vel vino Helenii, jejuno ſtomacho ſumptum. *Hujus ratione*, quatenus renes & vias urinarias reſpicimus, primò ſingulariter illa notanda veniunt, quæ leniendo, & quæ inungendo, renum ac veſicæ ſcabritiem præcavent, urinam promovent, & arenulas coagmentari non ſinunt, ut ſunt *oleum amygdalarum*, *ſuccus Glycyrrhizæ*, *decoctio radicis Althææ*, *mucilago ſeminis Cydoniorum cum aqua malvæ facta*, *ſeminis melonum emulſio*, *cum aqua decoctionis hordei*, *bolus nucis juglandis inſtar de butyro recenti*, ſine ſale quotidiè jejuno ſtomacho ſumptus, & *ſimilia*. Deinde non negligenda ſunt medicamenta materiam calculi detergentia & reſolventia, *radix* videlicet *Eryngii*, *Petroſelini*, *Pimpinellæ*, *Reſtæ bovis*, *Graminis*, *Hederæ terreſtris*, *caro Cynosbati*, *aqua Veronicæ*, *Fragorum*, & *ſimilia*, ubi notandum radices per ſe coqui poſſe, in brodio cicerum vel piſorum, ita, ut hauſtus ejuſmodi decoctionis per dies aliquot, poſt evacuationes præmiſſas, continuetur. Tandem *Fœniculi Balſamus*, cujus ſuprà mentionem fecimus, hic etiàm meritò commendatur, cum ventriculum corroboret, concoctiones adjuvet, tartaream collectionem præcaveat, & expulſionem per vias urinarias promoveat, ſi quotidiè quantitate piſi majoris, jejuno ſtomacho, ſumatur.

*Vias urinarias reſpicientia.*

*Vide Decad. Pharmaceut. Diſp. 20. Coron. 7. Exerc. 4. §. 37.*

*Vide præpar. Tom. I. Diſp. 26. Coron. 5. p. 376. & Tom. 2. l. II. obſ. 22.*

## APPENDIX AD CAP. VII.

### *De Affectibus Lienis & Renum.*

CONTRA LIENIS OBSTRUCTIOnem. *Ubi conveniens digeſtio & præparatio materiæ, cum ſubſequentibus evacuationibus, præceſſit, appropriatum eſt decoctum Rad. Filicis aliquandiu continuatum.*

Item, *Cortices Fraxini vino decoquant. ad tertias, & cum additione Salis Abſinthii bibantur quotidiè.*

Item, *ex Cineribus Scolopendr. & Tamariſci fiat Lixivium cum aquis earundem, filtretur, & cum dimid. parte Oxymellis Scyllitici miſceatur: doſis* ℥iiij. *vel v. quotidiè.*

Item, *Rad. Filicis, Sabinæ & Abſinth. decoq. in hydromelle ad tertias, coletur &* ℥ij. *cum Syr. de ſucc. Fumar. bibatur.*

Item, *Vinum Chalybeatum, ſeu infuſionis Limaturæ Chalybis cum ſulphure præparatæ, per tempus aliquod continuetur.*

*Frequens uſus ſit capp. ſeq. modo.* ℞. *Cappar. lib. jß. paſſul. min. lib. ß. Sacchari lib. j. Cinam.* ℥ß. *M. & adde aliquid aceti.*

Exterius *Rad. Cyclaminis, Althææ, cum aqua Fumar. decocta, additâ farinâ Fabar. & ol. Cappar. q. ſ. fiat Emplaſtrum.*

Item, ℞. *Galbani*, ʒj. *Ammoniac.* ʒij. *Bdellij* ʒjß. *Tamariſci, Scolopendr. ſem. Cuſcutæ, aniſi, an.* ʒij. *diſſolv. gummi aceto, & cum Cerâ & oleo Chamæm. f. Cerotum.*

Item *ſpongia nova adhibeatur regioni ſplenis, quæ humectetur in decocto fol. Praſſii, Chamædr. Sabinæ, Cort. Fraxini, & fl. Chamæm. quod fiat in aceto & lixivio.*

Item, *Ceratum Aquapend.*

Item, *Salis armon.* ʒj. *Spir. junip.* ℥j. *Reſin. Jalap.* ʒjß. *M. pro epithem.*

## CONTRA INFLATIONEM LIENIS ET HYPOCHONDRIORUM.

*Ante omnia requiritur, ut quotidiana alvi laxatio promoveatur, iis adhibitis, quæ materiam in hypochondriis coacervatam emolliunt, digerunt, & pedetentim educunt, de quo vide noſtras obſervationes de Melancholiâ hypochondriacâ. Præmiſſis autem univerſalibus, conveniens eſt uſus Elixiris proprietatis Paracelſi gutt. x. frequenter ſpiritu Juniperino ſumpti.*

Item, *confectio Extracti, Cardui bened. Meliſſ. ana* ℈jß. *ol. aniſi gutt. vj. cum Sacchare in aqua Meliſſ. ſoluto q. ſ.*

Item, *Vinum rad. Helenii, Cort. Tamariſci, Meliſſ. & Scolopendr. frequenter aſſumtum.*

Item, *ſpiritus Terebinthinæ* ʒß. *cum ſyrupo de Alth.* ℥jß. *aq. Fœnic. Meliſſ. an.* ℥jß. *ſumatur pro hauſtu.*

## CONTRA SCORBUTICAM SANGUINIS IMPURITATEM.

*Quæ ut plurimùm à depravatâ Lienis operatione provenit, eò reſpiciendum, ut vitatis iis, quæ huic malo anſam præbent, univerſalibus præmiſſis, ad appropriata medicamenta properemus, ubi inter ſimplicia cochlearia, Anagallis aquatica, Barbarea, Chelidonium minus, Raphanus ruſticus, Naſturtium aquaticum, Sedum minus, Sinapi & ſimilia locum habent. Hinc ſuccus cochleariæ cum ſero lactis caprini expreſſus ad* ℥v. *vel vj. ſumitur matutino tempore in lecto, ad ſudorem per 14. dies.*

Item, *efficacius adhuc penetrat ſuccus, qui ex Numulariâ, Naſturtio aquat. Anagillide aquat. cochlearia an. Mij. Comar. Abſinth. viridis, Rutæ, Sedi minor. an. Mß. cum ſero lactis deſtill. exprimitur.*

Item, *pro delicatulis fiat deſtillatum, quod* ℞. *ſucci borrag. Bugloſſ. Fumar. an. lib. j. Herb. Cochleariæ Mij. Naſturt. aquat. Sedi minor. ana Mjß. Raphani ruſtici* ℥j. *f. deſtill. per balneum, doſis* ℥ij. *cum Syr. de S. Fumar.* ℥j.

℞. *Succ. borrag. bugloſſ. ana lib. ij. Herb. ſumar. anagallnum. cochl. naſt. an. M. iij. Raph. ruſt. lib. ß. Abſinth. rut. ſedi min. ana p. iij. conſ. borrag. viol. ana* ℥j. *ſeri lactis lib. iij. M. Deſtilletur.* ℞. *hujus deſtill.* ℥j. *Spir. Cochlear. filicis ana* ℥jß. *Aq. becabung.* ℥vj. *Tinct. Tartar.* ʒj. *M.*

## CONTRA RENUM INFLAMMATIONEM.

*Poſt univerſalia ſuccus Portulacæ cum Syr. de Glycyrrh. & aq. Malvæ diſſolutis frequenter bibatur.*

Item, *papaveris albi Emulsio cum aq. hordei & Passul. facta, & Syrupo violarum dulcorata.*

Item, *emulsio quatuor sem. frig. major. cum aq. fragor. & Endiv. facta.*

Item, *decoctum rad. Liquir. cum Passulis, Santalis & Rosis, in aquâ pluviali factum pro potu.*

Exterius, *ol. Rosaceum.*

Item, *Ung. Ros. Camph. Ung. Refrigerans Gal. & similia conveniunt.*

## CONTRA RENUM EXULCERATIONEM.

*Quæ periculosa est, difficilisque curationis, leniendi causa convenit potus detergens, & modicè consolidans, qui fit ex Rasurâ Ligni Guajaci lib*ß. *Rad. Liquir.* ℥j. *Consolidæ majoris* ℥ij. *Tormentillæ* ℥ß. *Herb. Millefol. Equiseti ana M*ß. *Hord.* p.j. *Rosar. rub.* p.j. ß. *f. decoctio in s.q. ad pluvial. ad* 3. *colentur Mens. j*ß.

Item, *Terebinth. lota in aq. Plantag.* ℥ij. *frequenter assumatur.*

Item, *Syrupus de Althæa* ℥ij. *cum aq. superioris decocti dilutus.*

Item, *Lac chalybeatum frequenter sumptum.*

Item, *aqua Equiseti, Plantag. Alchymill. cum Syr. de Symphyto sæpius ebibita.*

Item, *Syr. de Veronicâ eodem modo sumptus.*

Item, *Emulsio* Melon. *cum aquâ Plantaginis.*

Item, *Pillulæ de Tereb. cum Rhabarb. frequenter* ʒß. *sumptæ.*

Item, *Syrupus consolidans & astringens, qui* ℞. *Rad. Alth. Consolid. major. ana* ℥jß. *Liquir. rasæ* ℥j. *Herb. Veron. Agrimon. Plantag. Bursæ pastor. ana* Mj. *Sebest. Jujub. ana num.* xx. *Sem. Portulacæ, Plantag. ana* ʒj. Melon. *excort.* ℥ß. *papav. alb.* ʒjß. *Flor. cord. ana p.* I. *Cicer. rub.* ℥j. *f. decoct. in aq. hord. ad* 3. *colentur lib.* ij. *adde Sacch. lib. j. f. Syrupus, cui admisceatur Syr. violati è succ.* ℥jß. Misce, *dosis* ℥jß. *quotidiè bis vacuo stomacho.*

℞. *Terebinth. opt.* ℥j. *coq. in aq. onon. frag. & saxifrag. donec digitis non ampl. adhæreat, adde ol. Junip.* ʒij. *coq. lento igne adde spec. lithontr.* ʒj. *Cryst. Tartar. q.s. f. pil. dosis* ʒj.

Item, *destillatum stercoris columbini.*

Item, ℞. *Rad. alth. pass. major. ana* ℥ß. *Herb. veron. p.j. coq. in aq. ad* ℥iij. *M.*

Item, ℞. *Rad. liquirit.* ℥j. *consol. major.* ℥ij. *Hordei p. iij. passul.* ℥ß. *coq. in lacte capr. bibatur alternis diebus.*

Exterius *adhibeantur, quæ inflammationem renum temperant.*

## CONTRA RENUM CALCULUM ET ARENULAS.

*Observatis iis, quæ occasionem præbent generationi arenularum frequens usus Cassiæ* ʒij. *vel iij. quotidiè usurpatæ convenit.*

Item, *aqua vitæ juniperina frequenter usurpata, de quâ vide* Tom. 2. lib. 11. Observ. 21. p. 58.

Item, *Spir. Tereb. frequenter* ℈j. *eodem modo usurpatus.*

Item, *ad expellendas arenulas cort. raphani acerr.* ʒj. *in vini* ℥viij. *infundantur per noctem postea leviter ebulliant tecto vase, coletur & ebibatur.*

Item, *Agrimonia & Marrubium album decoq. in aq. Petrosel. coletur cum expressione, & ebibatur.*

Item, *Elixir proprietatis* ℈j. *sumatur in decocto cicer. vel aqua Fœnic.*

Item, *Rad. & Herb. Pimpinell. incidatur, cui affunde aceti q.s. stet in loco calido per dies aliquot, post destilletur, de quo sumatur cochl. j. vel ij. cum opus est.*

Item, *Allium & Hedera terrestris infundantur in spir. Juniperino vel solo, vel aqua Fragariæ permisto, de qua infusione usurpentur cochl. ij. vel iij. urgente necessitate.*

Item, *Spiritus Vitrioli, vel Sulphuris acidus cum Syr. viol. vel de Althæa exhibitus.*

Item, *Sal Crystalli per calcinationem cum sale Tartari præparatus* ℈j. *quant. in appropriatis usurpatus.*

Item, *Ol. Amygd. d.* ℥ij. *Terebinth.* ʒij. *Aq. Malv.* ℥j.s. *Misce pro haustu.*

Item, *vini Malvat. in quo silices igniti sæpius extincti* ℥iij. *cum ol. Amygd. dulc.* ℥j.

Item, *Semen Bardanæ pulverisatum, & frequenter assumptum.*

Item, *Semen Urticæ cum aq. Fragar. sumptum.*

Item, *decoctum rad. Raphani lib. j. Althææ, Glyc. ana* ℥j. *Passul. min.* ℥jß. *f. decoctio in duplici vase cum sacch. q.s. pro dulcoratione.*

℞. *Succi veron. lib.* ß. *hed. terr.* ℥iij. *portul.* ℥jß. *Cum saccharo f. Syrupus, Dosis quotidie* ℥j.

Item, *sem. anisi, fœnic. petros. aneti. fœnugr. cucurb. Cardam. Macis, Saxifrag. ana* ℥ß. *f. pulvis adde Mand. luc. ocul. 69. nucl. cynosb. ana* ℈ß. *M. f. pulvis, dosis* ʒi. *singulo octiduo per mensem, post singulo mense.*

Item, ℞. *Gland. num. 60. fimi columb. lin. satur. m. 9. Vini aceti ana mens. dimid. Destill. per B. M. dosis* ℥i. *m. & v.*

Item, ℞. *sem. violar.* ℥ß *fol. virg. aur.* ʒij. *Tart. vitriol.* ʒiij. *Ocul. 69. præpar.* ʒij. *M. f. pulvis, dos.* ʒiß.

Item, *Liquor Crystalli cum Aq. urtic. min. fact.*

*Item* ℞ *Rad. helen. sem. petros.* ʒʒ. *mac. ocul. 69. sacch. ana, Dosis* ʒi. *ante novilun.*

*Item,* ℞. *sem. mylii solis, Saxifr. ana* ʒiß. *Hyosc. lactuc. papav. alb. ana* ℈ijß. *4. frigid. major. ana* ℈ij. *Rad. pimpin. Onon. sem. Genist. ana* ʒß. *sacch.* ℥ij. *M. Dosis* ʒi.

Item, *Laur. exper. ad ves. calcul.* ℞. *Asell. præpar.* ℥ij. *leporis præpat. sang. hirci præpar. Spong. ros. sylv. sem. viol. purp. ana* ℥i. *spec. lithontr.* ʒij. *f. Antid.* ℞. *huius* ʒij. *decoct. Diuret.* ℥x. *Sp. Junip.* ʒij. *M. v. & m. sumatur per aliquot septimanas.*

## CONTRA ARDOREM URINÆ.

*Vinum bibatur cum aqua decoctionis Glycyrrh. dilutum.*

Item,

Item, *fiat emulsio sem. Melon. cum aq. Malv. addito pauxillo sem. cydonior. & Sacchari.*

Item, *Syrupus de Althæa cum Mucilagine sem. cydon. in aqua Malvæ permixtus.*

Item, *decoctum Cicer. rubeor. infundatur cum Liquiritia, sem. cydonior. Malvæ cum sacchar. cand. q. s. pro potu.*

## CONTRA STRANGURIAM.

*Fiat pulvis ex sem. Melon. ʒij. Liquirit. rasæ ʒj. oculorum cancri, Glandium, ana ʒß. Sacch. cand. ad pondus omnium, detur ʒj. in hydromelle.*

Item, *glandes pulverisati cum vino dentur.*

Item, *insessus in decocto radic. Apii, Chamæm. &c.*

Item, *Mithridatium cum decocto Milij & Saxifragiæ datum.*

Item, *Oleum Amygd. amar. recens, cum decoctione rad. petroselini.*

Item, *decoctum rad. & herbar. petroselini sacch. dulcoratum, & pro potu usurpatum.*

Item, *Sevum umbilico inunctum.*

## CAP VIII.

### *De Purgatione.*

HActenus de *corroboratione totius* omniumque partium egimus: consequens est, ut videamus, *quomodo superflua tollenda veniant.* Ut enim in omni sanitate nihil magis naturæ conservationem adjuvat, quàm heterogeneorum separatio, sic etiam literatis & vitæ sedentariæ deditis maximè convenit, ut à coacervatione peccantium humorum sibi caveant: Hic igitur illa notentur, quæ *Tom. 2. Disp. 20. Cor. 5. de superfluorum* exinanitione proposuimus, quibus observatis, ulterius aliæ quoque totius evacuationes non negligantur, ubi primùm universales annuæ evacuationes, quæ *purgatione* & *venæsectione* fiunt, observandæ veniunt. De *purgatione* primum agemus, ubi notandum, aliam esse *purgationem lenitivam, aliam propriè dictam, illa* quodammodo cognoscitur ex iis, quæ suprà diximus, de exinanitione pro sanitate conservandâ necessaria, verum *hæc* eorum, quæ qualitate sua molesta sunt, juxta Galen. evacuatio dicitur, & *medicamentis appropriatis* perficitur. *Illam* lenitivam diximus, quæ regionem ventriculi, intestinorum ac vicinarum venarum blandè purgat, perficiturque medicamentis lenientibus dictis, quæ maximâ ex parte abluendo, detergendo, lubricando, & per accidens adstringendo, ventrem solvunt: Talis evacuatio nunquam non adhibetur, dum alvi præmaturam obstructionem timemus, inprimis verno, vel autumnali tempore convenit, propterea, quod propter cruditates & concoctionum impedimenta circa primas vias in ventriculo & intestinis humores crudi facillimè colligantur. Medicamenta domestica sint *serum lactis*, pleniori haustu sumptum, jejuno stomacho: *Terebinthina ℥j.* cum oleo amygdal. ℥ij. additis aliquot brodii carnis cochlearibus, potionis instar, assumpta; *vinum infusionis florum Persicorum*, vel Acaciæ, colatum & expressum, quantitate ℥v. assumptum: *Pillulæ Angelic. n 9. v. assumendæ; Brodium decoctionis brassicæ rubræ* quantitate ℥v. cum oleo dulci vel butyro quantitate cochlearium ij. assumptum: *summitates fol. sambuci* verno tempore in acetarii forma, paulò ante cœnam, frequenter assumptæ: *Electuarium lenitivum.* Extract. Senæ, *mel rosatum solutivum, syrup. rosat. solutivus, violatus solutivus.* Manna in brodio gallinæ dissoluta, &c. Hæc & similia necessitate urgente præscribuntur quocunque tempore: at major cautio in purgatione propriè dicta requiritur. Fit autem talis *purgatio*, quum medicamentum purgans assumptum à calore nostro actuatum, qualitatibus suis occultis peccantes humores similitudine quâdam attrahit, ab aliis separat, & adjuvante facultate expultrice stimulata potissimùm per alvum evacuat. Talis superfluorum separatio necessaria est tunc temporis, quando cacochymiæ signa sese offerunt, ubi scil. humores in corpore nostro qualitate noxia peccant, ut sunt excrementitii, pituitosi, melancholici, serosique humores, tàm secundùm naturam in majori copia, quàm præternaturalibus alterationibus producti. Hinc manifestum est, iis qui integrâ valetudine fruuntur, difficiles purgationes atque periculosas esse juxta *Hippocrat.* propterea, quod verum indicans, peccans videlicet humor, non adsit, undè vis medicamenti naturam aggredi cogitur.

*Ordinis ratio.* — *De purgationis differentia.* — *Purgatio lenitiva.* — *Vide plura Tom. 1. Disp. 20. Coron. 7. Exerc. 6.* — *Purgatio propriè dicta.*

Sit ergo prima determinatio, *purgandum esse medicamentis catarcticis tunc temporis, quando dispositio cacochymica præsens est. Quid* verò purgandum sit, & *qualia medicamenta* purgantia sint exhibenda, per differentias cacochymiæ colligimus: dum enim cacochymia pituitosa est, phlegmagoga, dum biliosa, cholagoga, dum melancholica, melanagoga præscribuntur. Imò dum misti peccant humores, quod frequenter accidit, ex variis medicamentis *catholica* dicta conficiuntur. *Quantitatem* purgationis non tantum copia peccantium humorum, sed etiam naturarum diversitas variat, ubi non tantum *temperamentum*, sed etiam *consuetudo* consideranda veniunt: videmus enim majori cautela opus esse in naturis calidis siccis, in habitu corporis gracili, raro, in ætate puerili, & similibus circumstantiis, ubi virium jactura facilis est: quàm in constitutionibus calidis humidis, in naturis carnosis, amplitudine vasorum præditis, in ætate consistente, & iis, qui ad evacuationes ejusmodi assuefacti sunt. *Tempus purgationis* pro conservanda sanitate satis accommodatum est *Vernum & Autumnale*: tàm quod his temporibus humores peccantes magis commoveantur, & citius separentur, quàm quod naturæ vires ad opus hoc adjuvandum promptiores sint, cum propter æstatem æstu nimium virtus corporis nostri resolvatur, per hyemem verò ob frigus intensius humores impacti, tenaces, immobiles, & ad evacuationem inepti reddantur.

*Quid purgandum.* — *Quibus medicamentis.* — *Quantum.* — *Quo tempore.* — *De commotionibus verno & autumnali tempore vide lib. de Scorb. pag. 2. §. 2.*

His observatis purgatio per medicamenta potest institui, sic tamen, ut ea, quæ *ante, in, & post* purgationem necessaria sunt, non intelligamus. *Ante purgationem* perpendenda sunt *corpora & peccantes humores*, ubi quidem

*Ante purgationem perpendenda.*

dem præparatio non raro requiritur: *corpora* igitur, quæ purgare volumus, fluida faciamus, viis & meatibus ad educendam materiam peccantem convenientibus laxatis & humectatis, atque materiam qualitate medicamenti purgantis actioni reſiſtentem corrigamus. Hâc de cauſa non tantùm frequenter purgantibus medicamentis propriè dictis *lenitivas evacuationes*, pro corporis præparatione, quò viæ laxiores & patentiores reddantur, per exhibitionem eorum, quæ ſuprà ſunt enumerata, præmittimus, ſed ſæpiùs etiam *digeſtivas potiones*, in radicum & herbarum decoctis vel ſuccis expreſſis, pro materiæ craſſioris inciſione, viſciditatis deterſione, fervoris extinctione & ſimiles ob cauſas præſcribere ſolemus.

*Quænam in ipſa purgatione perpendenda.*

*In ipſa purgatione* poſt præcedentia modum exhibitionis perpendimus, nimirum an medicamentum *liquidum*, vel *ſolidum* ſit exhibendum, cùm hoc ipſum plurimùm operationem variare ſoleat: etenim *liquida* per formam potionis exhibita citiùs operantur, mox omnia ſubeunt, potenter detergunt, & infarctus expediunt: contrà *ſolidiora* medicamenta diutius in ventriculo latent, undè tunc temporis magis accommodata ſunt, ubi ex locis remotioribus evacuare conamur. Notandum tamen quoſdam à potionibus, alios à pilulis, alios ab electuariis, alios à pulveribus, abhorrere, quâ de cauſâ ſæpius pro ſubjecti naturâ, quò promptior & facilior ſit evacuatio, formulæ mutantur, additis ſimul iis, quæ intentioni noſtræ convenire videntur. Hinc poſt uſum ſolidorum brodia humectantia & detergentia concedimus tunc temporis, ubi propter nauſeam in forma potionis medicamentum purgans exhibere non poſſumus.

*Quid poſt purgationem faciendum.*

*Aſſumpto medicamento* primùm ad nauſeam vitandam os vino, aqua, oxycrato, vel alio liquore jucundo eluatur, quo non ſufficiente, cochlear *j.* aq. cinam. ſorbeatur, panis toſtus aceto conſperſus naribus admoveatur, ſomnus caveatur, inprimis dum medicamentum operationem ſuam incipit, & alimentorum aſſumptio ſuſpendatur, donec pharmacum officium ſuum maximâ ex parte peregiſſe videatur. Inprimis autem finitâ purgatione reſpiciendum eò, ut alimenta ſint facilis concoctionis, deficientis potiùs quàm excedentis quantitatis, quæ vim aliquam humectandi, detergendique poſſideant, quò medicamenti reliquias natura citius eluere poſſit. Hactenus de *purgatione generatim*, jam ſequitur, ut ipſa *medicamenta purgantia* determinemus, ubi noſtri inſtituti ratio non permittit, ut doctrinam integram de medicamentorum compoſitione repetamus: ſufficit ut ſelecta quædam purgantia proponamus, eaque ad diverſas naturas accommodemus. Sit, verbi gratia, corporis conſtitutio talis, ut exacta cacochymiæ ſigna ſeſe non offerant: interim tamen præſervationis ergò, propter concoctionem debiliorem, cruditatem ventriculi, & ſuperabundantes humores circa primas vias, evacuatio requiratur; hîc ad *lenientia medicamenta* confugiendum, quæ ſæpius, additis fortioribus, acuuntur, & pro purificando ventriculo inteſtinis, venis meſaricis, & vicinis membris exhibentur. Huc pertinent ſequentes formulæ, juxta mediam doſin, diverſis humoribus & naturis accommodatæ.

*Vide Tom. 1. Diſp. 10. 7.*

*Potio de Manna.*

℞. *Mannæ opt.* ℥ij.
*Syrup. roſ. ſolut.* ℥j.
*Brodii gallinæ cochlear. xij.* miſce, fiat hauſtus, exhibeatur in ætate conſiſtente, naturis phlegmaticis.

*Pulvis.*

℞. *Pul. mechoacannæ* ʒjß. exhibeatur cum hauſtu vini, in robuſtioribus, ad pituitoſas collectiones evacuandas.

*Dilutum.*

℞. *Agarici* ʒiij.
*Zing.* ℈jß. infunde per noctem in vino: manè exprimatur ℥ij. *adde ſyr. viol. ſolutiv. oxymellis ſimpl. ana* ℥j. miſce, & exhibe pro leni evacuatione, dum pituita viſcidior in primis viis abundat.

*Pilula ad Phlegmaticos humores.*

℞. *Maſſa pilul. de Agarico* ℈iiij. cum aq. beton. fiant pilulæ num. XXI. exhibeantur cum aliquot cochlearibus brodii piſorum, pro evacuandis pituitoſis humoribus è ſtomacho.

*Potio per infuſionem.*

℞. *Rhabarb.* ʒj.
*Fol. ſenæ* ʒij.
*Sem. aniſi* ʒj.
*Spic. Ind.* ℈ß. *Affunde vini* ℥iiij. ſtent in infuſione per noctem manè colentur ℥iii. adde *ſyr. de cich. cum Rhabarb.* ℥j. fiat hauſtus, qui exhibeatur bilioſis naturis, qui facilem alvum habent.

*Vinum laxativum.*

℞. *Fol. ſenæ* ℥j.
*Rhabarb.* ʒij.
*Rad. cichor. glycyr. an.* ʒß.
*Sem. fœnic. aniſi an.* ʒß.
*Galang.*
*Macis ana* ℈j. Infunde in dimidia menſura vini: manè colentur ℥iiij. aſſumantur jejuno ſtomacho per dies quatuor pro leni bilioſorum humorum evacuatione.

*Bolus.*

℞. *Caſſiæ recent. extract.* ʒvj. *Electuar. de ſucco roſar.* ʒij. Cum ſaccharo fiat bolus, qui exhibeatur jejuno ſtomacho bilioſis naturis.

*Pilula pro bilioſis.*

℞. *Maſſ. pil. Aurearum ſine quibus ana* ʒß. *Cum ſyr. de cichor. cum Rhabar. F. pil.* XV. quæ exhibeantur una vice, cum hauſtu brodii piſorum pro naturis bilioſis.

*Elect. ad mixtos humores.*

℞. *Elect. extract. fol. ſenæ*, quod deſcribitur in libro de ſcorbuto ʒvj. *Electuar. caryocoſtini deſcript. Galeni* ʒijß. miſce F. Electuarium quod exhibeatur unâ vice, pro ſeroſis & mixtis humoribus evacuandis.

*Syrupus Laxativus.*

℞. *Syrup. roſat. ſolut. de cichor. cum Rhab. an.* ℥ij. *Electuar. Diacatholici* ʒv. Aq. Borrag. ℥jß. miſce, & fiat ſyrupus purgans, cujus pars dimidia ſumatur jejuno ſtomacho, pro laxando ventre, ſuperbibendo brodium prunorum.

Hæc & ſimilia medicamenta poſſunt exhiberi, quando vitium humorum tantum non eſt, ut manifeſta cacochymiæ ſigna ſeſe prodant; quid autem in *cacochymia bilioſa phlegmatica, vel melancholica* inſtante faciendum ſit, ex ultimis capitibus patebit: conſequês nunc eſt videamus, quomodo venæſectio ſit inſtituenda.

## APPENDIX AD CAP. IIX.

### *De tempore purgationis.*

Tempus purgationis in genere determinatum eſt hoc capite, nimirum, in iis potiſſimum evacuationibus, quæ conſervandæ ſanitatis gratiâ præſcribuntur. Vernum & Autumnale tempus præ cæteris eligendum eſſe.

esse. Additur ratio duplex; quarum prior ab ipsis humoribus his temporibus commotis; posterior verò sumitur ab ipsis corporibus, hic magis, quàm reliquis temporibus ad purgationem aptis. Hinc *Hipp. lib. 6. Aph.47* quibus venæsectio & purgatio per medicamentum confert, iis vere venam secare, aut medicamentum purgans exhibere conveniens. Præ cæteris autem Vernum tempus accommodatissimum esse ad præcavendos morbos per purgationem indè constat, quia nec æstu nimio, more æstatis, vires ad evacuationem necessarias dissolvit, nec frigore corpus ipsum, latentesque humores condensatione quâdam ineptos reddit, more hyemis, ne quid addamus de sanguinis dominatu tempore veris, ubi caloris nativi major etiam efficacia subintelligitur: in Autumno verò commodas etiam evacuationes institui posse, cùm tunc temporis quoque contenti humores commoveantur, & aëris ambientis inæqualis, calore, frigoreque temperata constitutio sit. Manifestum igitur *Hipp. lib. 4. Aph. 5.* non absque causâ dixisse, *sub cane, & ante canem*, molestas ac difficiles purgationes esse. Quemadmodum enim *idem lib. de aëre, aquis & locis*, insignes temporum mutationes Medico observandas esse docet, in exhibendis remediis, scilicet solstitium utrumque, maximè verò æstivum, æquinoctium utrumque, maximè verò Autumnale, & astrorum ortus, inprimis Canis, deinde Arcturi & Pleiadum occasus, &c. Ita in hoc aphorismo *sub cane & ante canem*, hoc est, latente illo sub radiis solaribus, & dies aliquot ante, quod ultra menstruum spacium includit, donec Sirius vicissim Heliacè oriatur, evacuatio per pharmaca prohibetur, quia non tantùm illo tempore natura est imbecillior, spiritibus æstu externo resolutis, sed insuper etiam occulta quædam vis Sirio tribuitur, unà cum aliis, spiritum & connatum calorem in canicularibus demolientibus, cujus ratione quies potius, quàm commotio humorum imperanda: observatur enim, licet æstus sæpissimè tàm vehemens non sit, nihilominus in Canicularibus naturam debilitari magis, carnes ad putrescentiam aptiores esse, panes mucescere, vina pendula fieri, canes in rabiem agi, nec non morbos periculosiores excitari. Cæterùm etiam astrorum ortus non penitus negligendos esse *Hipp.* innuit, ubi Luna potissimùm, cum *signis Zodiaci*, & aliis configurationibus occurrit. Mirum verò, quod vulgus ad superstitionem usque signa Zodiaci, quoad venæsectionem observet, penitus neglecto cœlo, quoad exhibendas purgationes, nisi quod (falsò potiùs, quàm verè, *juxta Cardanum*) Lunæ quadraturas interdum aversentur; cùm tamen ratio purgationis per pharmaca longè magis astrorum observationem indicare videatur. Longa enim experientiâ observatum fuit, quod Luna in signis ruminantibus, ut sunt *Aries, Taurus, Capricornus*, existente, pharmaca per vomitionem facilimè rejiciantur. Item in malis aspectibus Lunæ sæpiùs infelices evacuationes esse constat, ubi *Saturnus* medicinæ opus impedit, humores ingrossando, inspissando, & poros claudendo; *Mars* autem calefaciendo & siccando humores exacuit & effrenos reddit, ut hypercatharsis ad sanguinem interdum, præter causam manifestam, succedat. Ita *Ptolomæus Centiloquio prop. 19.* cavendum esse dicit in purgatione, ne *Luna* juncta sit *Jovi*, quia vim purgantis hebetari contingat; ratio additur, quia *Juppiter* naturæ amicus est, & vitæ fautor, ubi natura roborata, medicamenti vim eludet. Quum *Juppiter* & Luna junguntur atque coëunt, inquit *Carvinus dialogo 5. de sanguine*, vires naturales insigniter augentur, ut pharmaci purgantis efficaciam superent, atque medicamenta vi tractrice prædita, concoquant, undè eorum actio frustratur. Additur paulò post: Desino mirari, quibus de causis prudentiores Medici in Solis & Lunæ conjunctione purgantibus medicamentis abstinent, donec scil. Luna paulò illustrior reddita, radiis solaribus vegetior facta, vires ipsorum dirigere possit, nec non facultas expultrix suo munere promptius defungatur. Sic in aquaticis signis promptiores purgationes fieri constat, *Luna* videlicet in *Piscibus, Aquario, Cancro, Scorpione & Libra* existentibus, quanquam prædictus *Carvinus Cancrum* etiam, quod pectori præsit, facilimè vomitum excitare posse statuat. Plura de his *Hasfurtus lib. 2. de Med. ratione ex cœli positu, c. 14.* subministrat, cum quo jungatur *dialogus 5. de Jatromathematica Carvin. l. de sanguine.* Hæc & similia non immeritò diximus, observari debere tunc temporis, ubi indicatio patitur inducias, inprimisque quando tantùm in statu f. n. præservationis gratia purgationes ordinantur. Ubi morborum adest insultus, ibi postposito sæpiùs cœlo, juxta *Hipp. l. 2. Aph. 29.* incipientibus morbis, si quid movendum videtur, movere, vigentibus verò quiescere melius est, cujus tamen præcepti limitatio continetur *l. 1. Aph. 22.* ubi concocta medicari oportet, non cruda, nec in initio, nisi materia turgeat, ubi etiam eo ipso die purgans exhibendum, juxta *aph. 10. l. 4.* propterea, quod malum sit in talibus cunctari, de quibus & similibus vide doctrinam de purgatione à nobis repetitam *Tom. 1. Disput. 19. Coron. de Purgatione.*

## CAP. IX.

### *De Venæsectione.*

*Utilitas venæsectionis.*

Inter media pro superfluis tollenda necessaria frequens est *venæsectio*, cujus utilitas in genere duplex est, *sanguinis videlicet evacuatio, & ex accidenti corporis refrigeratio. Per evacuationem* sanguis bonus copia peccans *diminui*, qualitate peccans *evacuari*, motu peccans ad opposita *revelli*, & ad propinqua membra *derivari* potest. *Per corporis refrigerationem* in magnis tantùm inflammationibus, dum aliis remediis destituimur, mediante venæsectione naturæ succurrere solemus. Etsi verò manifestum sit ex his, quod quinque sint indicantia venæsectionis, potissimùm tamen respectu præsentis instituti, dum sanitatem defendendam consideramus, duo venæsectionem indicant, *sanguis videlicet copiâ tantùm, vel unà etiam qualitate peccans.* Ponamus igitur adesse colorem corporis floridum, habitum carnosum, venas turgentes, pulsus magnos, inclinationes ad morbos calidos, temperamentum calidum humidum, & similia, quæ *plethoram quo ad vasa*, indicant; vel etiam leviora sint signa, cum corporis gravitate, pulsu imbecilli, so-

*Indicantia venæsectionis.*

*Signa Plethora quo ad vasa.*

*Quo ad vires.*

mno turbato, *quæ plethoram ad vires* indicant: vel unà cum abundante sanguine simul etiam alii humores peccent: hic venæsectionem imperamus, modò nihil sit ex rebus secundum naturam, & non naturalibus, quod illam impediat, si scil. ad temperamentum calidum humidum accedat ætas conveniens, inter senilem & puerilem media, quæ tamen *non tàm annorum serie, quàm facultatum robore* determinantur: si aër ambiens temperatus sit, qui nimiâ caliditate vires non dissolvat, nec frigiditate sanguinis commotionem impediat: si crudorum succorum copiâ primæ viæ destituantur, ne vacuatæ venæ confestim crudos succos attrahant, quam ob causam venæsectionibus lenitivæ evacuationes, per medicamenta præcedentibus capitibus enumerata, præmitti solent. *Quantitas sanguinis* mittendi sumitur ex copia & qualitate peccante, dum cum viribus subjecti confertur, ubi potius in defectu, quàm in excessu peccandum est, cùm citius per vices reiteratas, quod adhuc superest, absolvere, quàm deperditas vires restaurare possimus. *Quæ autem vena sit* aperienda, dubium est, nisi primùm de indicante venæsectionis certi simus, cùm alia sit ratio, quum sanguinem ad partes remotas revellere, vel ad propinquas derivare, seu saltem minuere conamur. In præsentia verò sufficit, ut sciamus sanitatis defendendæ gratiâ commodissimè venas majores aperiri, nisi propter affectus singulares & debiles vires conservandas in naturis debilioribus extremæ manus aut pedum venas interdum eligere cogamur. Ut autem in purgatione, sic etiam in sanguinis missione quædam *ante, in, & post venæsectionem*, notanda veniunt. *Ante venæsectionem* naturæ vires crapulâ vel vehementioribus exercitiis præcedentium dierum non opprimantur, evacuationes lenitivæ, si opus est, præmittantur, die venæsectionis corpus leviter per horam unam & alteram exerceatur pro sanguinis commotione, *tempus* eligatur, in quo aër ambiens maximè juxta præscriptas notas accommodatus est, anni respectu vernum, mensis ratione quadratura secunda vel tertia, diei respectu, quod inter matutinum atque meridianum est: stomachus jejunus maneat, nisi propter orificii superioris debilitatem in quibusdam lipothymia sit facilis. *In venæsectione* perturbationes animi maximè vitentur, ne timore, excandescentiâ, vel alio quodam affectu liber sanguinis motus impediatur; sanguis emittatur unâ vice, si vires constantes sunt, vel vicibus iteratis, oppresso interdum venarum osculo, si lipothymiam timemus, in quo casu os aquâ frigida repleatur, & sæpiùs renovetur, vel acetum rosaceum faciei inspergatur. Qui verò subitò, quod sæpiùs accidit insuetis, animo deficiunt, iis nihil præsentius est, quàm ut supini mox in terram dejiciantur, ubi, musculis omnibus æqualiter quiescentibus, vires protinus recolligunt. *Post venæsectionem* aër intemperatus vitetur, cibus sit euchymus & parcus, ne cruditatibus ansam præbeat, animi affectus moderati sint, & negotia seria seponantur, ne judicium ex sanguine misso, pro conservatione sanitatis necessarium negligatur: *Hujus ratione* respectu sanguinis per venæsectionem emissi considerantur, *consistentia, & ea, quæ sæpiùs his superveniunt. Color* per superiora sanguinis emissi *rubicundus* utilis, bonique sanguinis index est: at si *citrinus, albicans* vel etiam *lividus* apparet, biliosum, pituitosum, vel melancholicum sanguinem esse demonstrat, non quidem in statu secundum naturam, sed quatenus excrementitius ejusmodi humor cum massâ sanguineâ abundat, quam ob causam in tali casu non acquiescendum; sed etiam ad appropriata purgantia progrediendum est. *Consistentia* sanguinis in ipsa fluxione consideratur, & post fluxionem. *Sanguis lentè fluens, atque picis instar digitis* adhærens, obstructionum autor est, ideoque per sudores, vel aliâ ratione naturæ succurrendum indicat, antequam in graviores morbos incidat: *tenuis autem* est, qui non tantùm promptè fluit, sed etiam tardius concrescit, in quo fibræ mox evanescunt, & corrumpuntur post concretionem, undè crudus & inconcoctus est, ac hepatis imbecillitatem indicat. Ut autem *crassus* sanguis difficilis, *tenuis* facilis est divisionis post concretionem, ita *putridus* simul atque attingitur, in partes totus dissilit. Superveniunt sanguini *spuma*, quæ, nisi per accidens fluoris impetu nata sit, fervoris signum est, & prædominantis humoris abundantiam colore suo indicat. *Serum*, cujus *modica quantitas* naturaliter sanguini convenit, tanquam vehiculum ad distributionem ejus in partes diversas inserviens; *immodica* verò, jecur infirmum, vel potum liberaliorem, aut renum debilitatem, imperfectè serositates illas separantium, indicat: *pingue quid*, quod rarius in sanguine conspicitur, in obesis signum est sanguinis ad pinguedinis generationem promptissimi; in *macilentis* autem corporis colliquationem portendit: tandem si *gravis* ipsius sanguinis *odor* sit, maximæ putredinis, corruptionisq; signum hoc meritò statueretur.

*Impedimenta venæsectionis.*

*Quæ vena sit incidenda.*

*Ante venæsectionem perpendenda.*

*Tempus venæsectionis.*

*In ipsâ venæsectione notanda.*

*Post venæsectionem quid faciendum? De judicio sanguinis per venæsectionem emissi.*

## APPENDIX AD CAP. IX.
### De tempore Venæsectionis.

QUemadmodum generaliter præcedenti capite tempus purgationis, sic etiam hîc venæsectionis respectu, vernum determinavimus, suffragante *Hippocrat. Aphorismo lib. 6. Aphor. 47. ut etiam ibidem Aphor.* 53. ubi, inquit, quibus sanguinem ex venis detrahere convenit, iis vere vena secanda est. Sed notandum hîc determinationem temporis duplicem esse, scilicet *necessitatis, & electionis. Tempus necessitatis est*, quando morbus requirit auxilium, nec inducias patitur, ut in Angina, tanquam acuto morbo, cœli constellatio non expectanda venit, ne interim æger suffocetur: sic in Hæmoptosi subitò revulsionis gratiâ, etiam in mediâ nocte venæsectio tentatur: sic morbi tempora potius in febribus, & aliis affectibus, quàm cœli constellationes observabuntur. *Electionis* autem *tempus* potissimùm locum habet, ubi in statu s. n. & ubi dispositiones præter naturam moram patiuntur, sanguinem minuimus. Hîc *vernum tempus* primum locum obtinet, respectu anni dictas ob causas: Post vernum tempus *Autumnus* etiam conceditur, utpotè cum hic etiam aër ambiens temperatus sit, corpusque sit adhuc perspirabile, imò cum adustione caloris æstuantis san-

sanguis incalescens eventilationem requirat. Electo anni tempore *locus Lunæ in Zodiaco*, cum variis aspectibus Planetarum ad Lunam perpendatur, ubi ante omnia notandum ex *Conciliatore diff.* 168. Venæsectionem magis in secundâ Lunæ quadraturâ, quàm efficit respectus ad Solem, consequenter in tertiâ, minus in primâ, minimè verò in quartâ convenire, quia quandocunque virtus est fortis, & humorum augmentum, eorumque motus ad exteriora, tunc phlebotomia magis, quàm alio tempore suadetur: at hoc principaliter fit in secundâ Lunæ quadraturâ, quia tunc virtus fortis est, propter luminis Lunæ receptionem ampliorem, ex quâ etiam augmentantur humores, & forinsecus tendunt, propter caliditatem moventem de Centro ad circumferentiam, &c. Cumque hæc etiam ex parte in tertiâ quadrâ reperiantur, minimè verò in primâ & ultimâ, præsertim in illius principio, & hujus fine: idcircò patet qualis hic esse possit electio. Mirum verò, quod vulgus, posthabita ferè manifestissimâ massæ sanguinis alteratione respectu Lunæ, potius ad signa Zodiaci tantùm respiciat, ita, ut posthabitis Lunæ quadraturis, & neglectis aliis aspectibus impedientibus, tantùm in Calendariis Sagitt. Libram, Aquar. Pisces, &c. quærant, & juxta signa ejusmodi, salutaria dicta, venæsectiones suas instituant. Imò ridiculum penitus est, quod fœminæ sæpiùs, proprio Calendario neglecto, signa ejusmodi in cœlo investigare, sanguinemque mittere soleant, non obstante, quod jam jam mensium tempus instet, vel vix absolutum sit, undè posteà mensium inordinatus motus, vel totalis obstructio, causari solet. Ubi igitur Lunæ Solisque respectu facta fuit electio, respiciendum eò, ut diminutio sanguinis in Phlegmaticis fiat Lunâ existente in Ariete & Sagittario, in Melancholicis in Libra & Aquario, in Cholericis in Cancro & Piscibus, vitando tamen eas partes, cui signa præsunt, nec non observando contrarios aspectus, qui diminutionem sanguinis dissuadent. Sic in Ariete ad capitis affectus, in Sagittario ad coxas, in Cancro ad pectus, &c. non esse Phlebotomiam instituendam Astrologi statuunt: sic impedit etiam conjunctio Lunæ & Solis, item conjunctio Lunæ & Saturni, item conjunctio Lunæ & Martis &c. de quibus omnibus videantur Autores citati.

## CAP. X.

### *De pituitosis humoribus evacuandis.*

*Ratio ordinis.* HActenus *de purgatione & venæsectione* generatim, consequens est, ut speciatim peccantes humores ulterius consideremus, ubi primùm de *pituitosis humoribus evacuandis* agemus. Ponamus igitur præcessisse ejusmodi victus rationem, vel talem concoctionis imbecillitatem adesse, quæ sufficiens sit ad pituitosorum humorum collectionem: accedente simul, quod homo sit segnis in suis actionibus, stupidus in operatione sensuum, ad somnum propensus, moribus insulsus, pulsu parvo, tardo, molli, sine sitis exacerbatione, promptus ad morbos frigidos & diuturnos, pituitosis excrementis abundans, cui causæ calefacientes & siccantes conducunt, nocentibus contra refrigerantibus & humectantibus: his, inquam & similibus signis præsentibus pituitosos humores abundare colligimus, ideòque leni præmissâ evacuatione, si fortè primæ viæ suam ablutionem requirant, ad ea procedendum, quæ pituitosos humores ad evacuationem præparant, & vias laxant. Sit ergò peccans materia pituitosa in ventriculo, propter visciditatem suam adhuc ad evacuationem inepta: hîc præscribatur ejusmodi syrupus quantitate trium vel quatuor cochlearium duabus aut tribus horis ante cibum, cujus vis in calefaciendo & detergendo sufficiens sit: quales sunt *syrupi de mentha*, *de betonica*, *de calamentho*, *oxymel simplex*, *oxymel scilliticum*, *&c.* Si non tàm in ventriculo, quàm partibus remotioribus pituitosus humor abundat, *aquis destillatis*, *vel convenientium herbarum decoctis ejusmodi syrupi diluuntur*, ut eorum operatio eò melius extendatur. Præmissâ per dies aliquot ejusmodi præparatione purgatio appropriata subsequitur, ubi primò sese offerunt simplicia purgantia, ut *Cassia*, *Agaricus*, *Turbith*, *Mechoacanna*, *Colocynth. Helleborus albus*, *&c.* ex his eliguntur mitiora, & inprimis istæ compositiones, quas experientia longo tempore confirmavit. Sit ergò exempli gratiâ in forma pulveris tale medicamentum:

*Signa pituitosorum humorum abundantium.*

*Digestio.*

℞. *Pul. Mechoacan.* ℈iiij. *Elaterii g.* ij. Misce, fiat pulvis, exhibeatur una vice cum haustu vini. In forma boli: ℞. *Elect. Bened. laxat.* ʒ. vj. *Agarici trochisc* ʒj. *Syrup. de beton. q. s.* Misce cum sacchàro, Fiat bolus, qui assumatur jejuno stomacho superbibendo brodium pisorum. In forma potionis: ℞. *Agarici* ʒij. *Zingib.* ʒß. Infunde per noctem in vino: manè colentur ℥ij. addde *Elect. benedict. laxat.* ʒijß. *syrup. diasereos purgantis* ℥jß. brodii gallinæ parum, fiat haustus. In forma pilularum: ℞. *Mass. pil. de hiera cum Agaric.* ℈ij. *Cochiarum* ℈j. *Diagrid. gr.* iij. *Cum aqua beton.* fiant pilulæ. Assumantur unâ vice, tribus vel quatur horis ante prandium, superbibendo brodium cicerum vel pisorum.

## CAP. XI.

### *De biliosis & acribus humoribus evacuandis.*

*Signa superabundantis biliosi humoris.* BIliosi & acres humores frequenter superabundant, in iis præsertim, quibus constitutio calidior, atque siccior est, ubi vigiliæ somnum superant, ubi promptitudo ad iram, aliæque corporis, animique motiones observantur, ubi pulsus velox, vehemens, sitis facilis, morbi calidi sicci frequentes, urina flava, splendida, corporis habitus gracilior, & calor acer ac mordax, aliaque similia deprehenduntur. Num autem hic, ut in pituitosis humoribus evacuandis, præparatio quædam præmittenda sit, valdè dubium est inter medicos. Etsi verò attenuatione quâdam, *respectu bilis*, non opus, cum per se satis tenuis sit, interdum tamen, *corporis respectu*, ac propter *conjunctos viscidos humores*, etiam in hoc casu præscribuntur attenuantia. Per se verò *materia biliosa, tenuis & acris*, ut eò melius

*An bilis indigeat præparatione.*

evacuari possit, ac minus partibus, quas præterfluit, noceat, suam digestionem requirit, quam ob causam leviter humectantibus, refrigerantibus, & effervescentiam cohibentibus corrigi potest. Hinc in evacuatione biliosorum humorum digestiva medicamenta præmittuntur: in forma syrupi, si materia peccans est *in proximioribus locis*.

℞. *Syr. de succo cichor. de succo acetos. an.* ℥vj. *spir. vitrioli gutt. iij.* Misce: assumatur duabus horis ante prandium, & continuetur per biduum.

Si bilis peccat in *partibus remotioribus*, in forma potionis exhibeatur digestivum per triduum vel biduum hoc modo.

℞. Decoctionis rad. cichor. in brodio gallinæ factæ ℥iij. *Syrup. de succo acetos. de succo cichor. ana* ℥ß. *spir. vitrioli gutt. iiij.* misce fiat haustus, usurpetur tribus horis ante prandium.

Hoc, vel simili modo, præparatâ materiâ biliosa, fiat evacuatio, selectis medicamentis tàm simplicibus, quàm compositis. Inter simplicia quædam lenitiva sunt, ut *Cassia*, *Manna*, *Tamarindi*, *Rosarum succus*, *Aloë*, *Myrobalani Citrini*, *Rhabarb.* quædam vehementiora, ut *Scammoneum crudum*, *Diagrid.* seu scammoneum præparatum. Sit exemdium pro evacuatione bilis in *forma boli*.

℞. *Cassiæ recent. extract.* ℥vj. *Rhabar. opt. pul.* ℥j. misce: Fiat bolus, detur cum saccharo. Pro robustioribus addantur ℥ij. *Electuarii de succo rosarum.* In *forma potionis* hoc modo procedas, idque potissimùm tunc temporis, ubi materia biliosa in remotioribus locis peccat. ℞. *Seri lactis caprini q. s.* infunde per noctem, *Rhabar. opt.* ℥ij. *cinam. elect.* ℈ß. Manè coletur cum expressione, & adde *Syrup. ros. solut.* ℥ij. *Electuar. de succo ros.* ℥jß. Misce, fiat haustus. In *forma pilularum* hoc modo parari poterit χολάγωγον. ℞. *Rhabar.* ℈iiij. *Spic. Ind. Diagryd. an. gr. ij.* Cum syrup. rosat. solut. fiant pilulæ Num. xv. Assumantur jejuno stomacho, superbibendo brodium pisorum.

## CAP. XII.

*De melancholicis humoribus evacuandis.*

MElancholicos humores in literatis frequenter abundare posse, pluribus argumentis demonstrat *Marsilius Ficinus de vita sana, c. 3. & 4.* Horum copia ne nimis superabundet, evacuatione prospiciendum est. Cognoscitur autem hujus humoris abundantia non tantùm ex causis antecedentibus, quatenus victus ratio melancholica, otium huic vitæ generi consuetum, superfluorum excretionem, & crassorum vaporum exhalationem impediens, cum intensis solitariis lucubrationibus præcessit: sed etiam ex temperamenti constitutione Melancholica, tàm ascititiâ, quàm nativâ, quæ homines taciturnos, cogitabundos, mœstos, meticulosos absque manifesta causa, reddit, accedentibus simul somniis turbulentis, atque terribilibus, flatibus inferioris ventris, stomachi ructibus, lienis inflationibus, &c. His signis abundè concurrentibus, Melancholicus succus interdum evacuandus

*Signa superabundantis atræ bilis.*

esse videtur. Cùm autem suâ naturâ frigidus, siccus & crassus statuatur, præparatio necessaria moderatè calefacientibus, humectantibus, & attenuantibus instituenda videtur. Talis præparatio fit per decoctiones *rad. polypod. glycyr. fumar. lupuli, scolopend. borrag. meliss. & similium*. additis *syrupis de fumaria, de buglossa, de lupulo, & similibus.*

Exempli gratia.

℞. *rad. polypod.*
*Glycyr. an.* ℥ß.
*Her. scolopend. Fumar. Meliss. an.* Mß.
*Sem. fœnic.* ℥ß. F. in s. q. aq. & vini ad tertias. Colentur ℥vj. adde Syrup. de fumaria. Oxymellis simpl. an. ℥j. M. fiat haustus pro duabus vicibus.

Hoc vel simili modo per dies aliquot præparatâ materiâ, purgationes appropriatæ possunt institui, selectis purgantibus medicamentis, ubi inter leviora sese exhibent *folia Senæ*, *polypodium*, *Myrobalani Indi*, *Epithymum &c.* Validiora sunt: *Helleborus niger*, *lapis lazuli*, & *similia.* Ex his interveniente præparatione & correctione prodière composita, ut *confectio Hamech*, *pilulæ de fumaria*, *Indæ*, *lucis minores*, *&c.* Notandum tamen valida purgantia cum cautione quâdam in hoc casu exhibenda esse, quam ob causam prudens determinatio medici, tum in his, tum etiam in præcedentibus exhibendis est necessaria. Qui plura desiderat, *ad tom. 1. disp. 20. Coron. 7.* confugiat.

## APPENDIX
ad
## LIBRUM SECUNDUM
De
## SCABIE ET PRURITU
Studiosorum.

FRequens hoc malum est apud literatos, inprimis dum in Gymnasiis atque Academiis studiis adhuc diligenter incumbunt.

Est autem *scabies* cutis infectio ulcerosa, cui pruritus, seu scalpendi assiduitas, ferè conjungitur.

*Scabies quid?*

Causa scabiei primitiva consistit in usu ciborum calidorum, salsorum, acrium, in tardâ vestium internarum mutatione, in attactu scabiosorum frequentiori, inprimis, respectu hujus vitæ generis, maximè huc facit, quod intempestiva exercitia post cibum suscipiantur, tempestiva verò & convenientia, quæ cibum præcedere debent, negligantur. Adde lucubrationes intempestivas post cibum, ubi digestio labefactatur, unde consequenter sanguis redditur inhabilis, ut perfectè non possit assimilari.

*Causa antecedentes scabiei.*

*Conjuncta proximior causa* dependet ab ipsis humoribus corruptis, nitrosis & acribus, ad cutis superficiem, vi naturæ transmissis, qui ab intemperie jecoris & imperfecta concoctione primâ & secundâ suam habent originem.

*Causa proxima.*

Est autem scabies ista pro ratione peccantis humoris multiplex: *alia enim pruriginosa est*, in quâ pustulæ par-

*Scabies diversa. Vide Fe-*

væ

*rest. lib. 5. obs. Chirurg. obs. 10.*

væ reperiuntur, cujus materia est *salsa* & *acris*: alia pustulas habet majores & albicantes, intus pure repletas, non admodum prurientes, cujus materia *serosa & pituitosa* est: alia pustulas habet latas in circuitu rubentes, quarum origo *sanguis crassior* est: alia *malum mortuum* dicitur, & à sanguine melancholico originem habet. Fitque potissimùm cum crusta multa in tibiis, difficulter sanatur, & sanata facillimè recrudescit.

*Curatio scabiei.*

In hoc malo *præcavendo & curando* necessarium est, ut primò *vitentur* illa, quæ causas primitivas attinent, nimirum *victus ratio* conveniens instituatur: vitentur illa, quæ serosos, acres & adustos humores producunt; sint potius alimenta facilis concoctionis & sanguinem laudabilem procreent: vinum sit tenue & aquosum absque tartaro crudo, benèque depuratum. In reliquis rebus non naturalibus diligentia adhibeatur, ne materia scabiei promptè colligatur: Sint igitur inprimis consuetæ naturales evacuationes quotidianæ, & vitentur exercitia post cibum *tàm quo ad corpus*, in deambulationibus vehementioribus, pilæ gestationibus, armorum conflictibus, &c. *quàm quò ad animum*, in studiis feriis, & lucubrationibus mox à cibo susceptis. *Quo ad curationem*, à sanguinis diminutione fiat initium, si copiâ peccans est, & scabiei materia adhuc in venis abundat, nisi ratione virium, ætatis, vel alias ob causas contraindicantia sese offerant. *Venæsectionem* justo modo susceptam *sequitur evacuatio* appropriata peccantis humoris, juxta præcepta præcedentibus capitibus proposita.

Si igitur *pruriginosa* est scabies à materia salsa & acri, necessarium est, ut primò peccans materia digeratur decocto radicum glycyrrhizæ, herbæ Borrag. Buglosf. Fumariæ, Soldanellæ & similium. Deindè fiat evacuatio per Electuarium Diacarthamum, Caryocostinum, &c. Eodem modo in reliquis scabiei differentiis medicinarum delectus necessarius est. Factâ evacuatione pro corporis habitu diaphoresis est instituenda *per appropriata sudorifera*, quæ fiunt vel *per balnea sudorifera*, in quibus primùm decoquuntur, quæ cuilibet differentiæ maximè sunt accommodata: *vel in lecto*, assumptis medicamentis per habitum corporis peccantem materiam expellentibus.

At non sufficit, ut primitivæ & antecedenti causæ succurramus, sed opus est, ut ipsam *causam conjunctam, cum parte laborante* quoque non negligamus: quocirca superest ultimo loco, ut cutim exulceratam etiam per externa remedia curemus: etenim frustra fient omnia præcedentia, nisi, quod exulceratum est, exterius in integrum vel à natura, vel ab arte restituatur; propterea, quod commoda nutritio in parte læsa fieri nequeat, nisi pristinam sanitatem recipiat. Hîc igitur balnea, inunctiones, lavacra, cum artificialibus saponibus, & similia locum habent, de quibus in specie nihil addimus, eam ob causam, quod ejusmodi medicamenta suas variationes requirant pro ratione differentiarum scabiei, quæ multiplices sunt, nec facilè ab omnibus eodem modo dijudicari possunt. Sufficiant ergò generales Canones, juxta quos, pro natura subjecti laborantis & peccantis materiæ quilibet penes Medicū peritum sibi convenientia media comparare poterit.

Faxit Deus, ut omnia, quæ dicta sunt, in ipsius gloriam, & proximi commodum vergant.

## FINIS LIBRI II. De tuenda sanitate Studiosorum.

Σὺν Θεῷ

# GREGORII HORSTII

τοῦ μακαρίτου

## CONSILIUM DYSENTERICUM

Ante Annos XXXVIII. in gratiam Vulgi germanicè conſcriptum, nunc verò tranſlatum.

## CAPUT I.

## DE DYSENTERIÆ NATURA ET CAUSIS.

*Dyſenteria quid.*

DYſenteria eſt alvi dejectio frequens & cruenta, ortum habens ab humore quodam acri, erodente & inteſtinis peculiariter infeſto, qui inteſtina erodit, atque exulcerat.

*Cauſa proxima. Dyſenteria.*

Humores autem hi acres, qui partim in inteſtinis colliguntur, partim verò ex venenoſo genere totius corporis humani affluunt, ſæpiùs malignam quandam putredinem conjunctam habent, ita ut nonnunquam rebus non naturalibus conſentientibus Urbes, Pagi, ac Regiones integræ labe hâc corripiantur, hinc ante omnia notandum, quod *Dyſenteria alia ſit maligna & contagioſa, alia verò omnis malignitatis & contagionis expers.*

*Dyſenteria maligna, alia non.*

*Dyſenteria eſt vel in Fieri, vel in Facto.*

Porrò Dyſenteria alia eſt *Fiens*, quando ſcil. inteſtina ſuperficialiter tantùm exulcerantur, & mucoſum quid exiguo admodum cruore perfuſum excernitur. Alia verò *Facta*, quando ſcilicet eroſio altius penetrat, & quaſi radicem contraxit.

*Dyſenteria eſt inteſtinorum vel tenuium, vel craſſorum, vel utrorumque. Conſideratio ſubjecti laborantis & gravium Symptomatum.*

Multum etiam intereſt ſcire, num prædicta hâc exulceratione inteſtina tenuia, vel craſſa, vel utraque, & hac ratione totum abdomen affectum ſit, obſervato diligenter ægroti temperamento, non neglectis ſymptomatibus, quæ ſæpiſſimè morbum hunc comitantur.

*Signa Pathognomonica Dyſenteriæ in Fieri, In Facto.*

Ut autem omnia hæc eò melius pateſiant & cognoſcantur, notandum eſt, quod omnis Dyſenteria cum dolore ventris ac torminibus, ut in Colica fieri ſolet, præſertim excernendi tempore, & paulò ante excretionem hominem corripiat, ad quam ægrotus ob humoris acrimoniam indeſinenter ſtimulatur, excrementa autem ſunt modò mucoſa inſtar ſpermatis ranarum cum naturalibus mixta, modo lineis & ſtriis cruentis inſignita, modo ſanguine puro & muco albo & croceo permixta. Quamprimùm autem morbus hic confirmatus eſt, excrementa ſunt purulenta, quoniam inteſtina non ſolum excoriata, ſed penè exulcerata ſunt, in quo caſu dolores acutiſſimi ægrotum, præſertim verò tempore excretionis, ut & conatus & irritatio ad excretionem, ut plurimum tamen irrita affligunt.

*Signa læſorum inteſtinorum tenuiorum. Læſorum craſſorum.*

Differentiam læſorum inteſtinorum quod attinet, acutiores ſentiuntur dolores læſis inteſtinis tenuioribus, quam craſſis, quoniam illa ob ſubſtantiam tenuiorem ſenſu exquiſitiore prædita ſunt his; dolores autem hi plerumque præcedere ſolent dejectionem excrementorum, quæ pure & cruore commixta ſunt: è contra verò craſſorum inteſtinorum dolores tam acuti non ſunt, ob rationem antea illatam, excernuntque ſeorſim excrementa naturalia, ac ſeorſim materia mucoſa, purulenta & cruenta.

*Utrorumque.*

Si verò utraque inteſtina fuerint læſa, tunc nulla excrementa naturalia & cocta dejiciuntur, ſed plerumque materia quædam corrupta, crocea, alba, nonnunquam atra & aduſta cum ramentis quaſi inteſtinorum, nunc cum pure, nunc cum ſanguine, (cum ſcilicet is à natura in totum non perfectè coquitur, vel ob nimiam eroſionem venularum nimis copioſè affluit) quam dejectionem ſemper comitantur dolores acutiſſimi, & tormina continua, in quo caſu vires ægroti requiruntur conſtantes, & Medicus fidelis ac diligens.

*Symptomata & accidentia ſupervenientia.*

Præter ſigna Patognomonica conſideranda etiam ſunt ſymptomata huic affectui ſupervenientia, qualia ſunt Nauſea Ventriculi, Vomitio, Anxietas, Lipothymia, Teneſmus, Conatus excernendi irritus, Procidentia & Exitus ani, Febris, Pervigilia, Capitis dolor, Linguæ ſiccitas & ſcabrities, Urinæ difficultas, inflationes dolorificæ abdominis, quibus omnibus remediis debitis, infra propoſitis, occurrendum.

CAP.

## CAP. II.

### *De Præservatione Dysenteriæ.*

*Præservatio in dysenteria Epidemia.*

QUi itaque ab hoc affectu periculoso eo tempore, quo grassatur & malignitatem quandam conjunctam habet, se præservare & custodire cupit, is omni diligentia eò respiciat, ut omnia ea, quæ huic malo causam præbere possunt, cane pejus & angue fugiat & evitet; ubi primo loco sese offerunt talia media, quæ externæ causæ dysenteriæ contrariantur, qualia sunt *aër ambiens temperatus*, hic enim tempore præsenti nunc frigidus, nunc calidus, nunc humidus, nunc siccus, ita ut vix suspicionis malignitatis cujusdam expers sit, quàm conjunctio Saturni & Martis in Leone præcipuè efficiunt, hinc aër temperatus, quantum possibile requiritur, Pauperes itaque manè & vesperi in cubiculis totâque domo suffitum excitent, ex incensione ligni, & baccarum Juniperi, Masticbe, Succino, Absynthio: Ditiores verò sequentem pulverem fumalem scopo huic maximè inservientem præparari curent.

*Aër ambiens qualis esse debeat?*

℞. *Benzoi*
*Thymiamatis an.* ℈ij.
*Myrrhæ.*
*Mastichis an.* ℈j.
*Rad. Ireos fl.* ℥j.
*Ligni Aloes.*
*Nucis Mosch.*
*Cinnam. an.* ʒß.
*Rorismarin.*
*Rosar. rub. an. p*ij.
*F. omnium pulvis grossus pro fumo.*

S. Rauchpulver.

Inprimis autem in gratiam sanorum & adstantium circa ægrotos mundities observetur, ac supradictis remediis aër ambiens sæpissimè corrigatur ac temperetur. Et quum contagium hujus affectus, experientiâ teste, maximè per excrementa aliis communicari poterit, ideoque talia cloacis domesticis non committantur; sed statim in loco quodam abjecto in terram abscondantur.

*Victus ratio.*

Quo ad victus rationem eò allaborandum, ne causis hujus mali suprà memoratis ansa præbeatur, hinc temperantia in assumendis cibis & potu diligenter observanda, undè cibi crassi & crudi vitandi, quales sunt caro vaccina, suilla, salita & fumo indurata, brassica capitata condita & cruda, pisces paludosi vel cœnosi, saliti, fumo & aëre indurati, quales sunt Haleces sale conditi vel exiccati, Asellus exiccatus & induratus & hujus farinæ similes; Item fructus horarii, præcipuè Pruna, Pyra dulcia, Poma, nuces juglandes, tùm temporis suspecti sunt, quoniam singulis his fructibus inclinatio singularis ad putredinem inest.

*An fructus horarii & mustum conveniat?*

Et posito, quod non rarò fructus horarii & mustum, ut & Melones, Persica, Pruna, forsân propter aqueam eorundem substantiam, acrem istum & erodentem humorem aliquo modo mitigare, & in principio etiam simul evacuare queant, ita ut nonnunquam corpus robustum maximum exindè auxilium sentiat, nihilominus tamen timendum, cum in prædictis fructibus acris quædam & tartarea impuritas cum externa dulcedine abscondita lateat, eorundem usum magis noxam, quàm commodum inferre.

Præter dicta etiam vitentur omnia illa, quæ acres & adustos humores generant, qualia sunt usus quotidianus Raphani marini, Sinapi, Cœparum, Porri, Allii & similium.

E contra verò prosunt Caro bovis juvenci, vitulina, Agnina, Vervecina, Cervina, Capreoli sylvestris, Leporina, item Gallinæ, Pulli gallinacei, Aves sylvestres, Ova recentia; Ex piscium genere Lucius, Fundulus, Trutta, Thymallus; Item Pyra matura cocta, Mala Cydonia, Cerasa Aproniana, Oryza, Mylium, Jusculà avenacea, Ptisana hordeacea, Acetosa, Cherefolium, Portulaca, Petroselinum cum radicibus, Fœniculum &c. Pauperes hâc annonæ caritate utantur jusculis ex pane confectis, quibus semper aliquid sem. Carvi addi potest, ut & Thymi, Rutæ, Cumini, Anisi, Fœniculi; Obsonia ex Avenæ farina, rapis, pisis, oryza, & alia, quæ singularis Dei benedictio ipsis concedit, similiter jam recensitis herbis & seminibus condiri queunt.

Pro *potu ordinario* pauperes utantur decocto Coriandri, vino verò assueti & ditiores eligant vinum ὀλιγόφορον & purum, non generosum, ubi cerevisia in usu, ea quoque admittitur, modo sit benè defæcata, neque acida, aut nimis vetusta, cui injiciantur Radices Helenii & Garyophyllatæ, ut & baccæ Lauri ad gratum saporem conciliandum.

In omnibus autem Dysenteriis epidemicis magno commodo præservationis E. suasi in principio prandii & cœnæ haustum vini medicati, ex Herb. Absinth. & Card. ben. confecti, quod longè efficacius fit, & malignitati magis resistit, si species seqq. in tribus vini mensuris infundantur, & vinum postmodum dicto modo bibatur.

℞. *Rad. Tormentill.* ℥ij.
*Herb. Card. ben.*
*Absinth. an. M*ij.
*Scordii M*ij.
*Menthæ M*ß.
*Nucis Mosch.* ʒjß.
*Zedoariæ* ʒij.
*Macis* ʒß.
*Incisa & contusa M. ad chartam.*

S. Specerey zu Kräuterwein.

*Plethora Venæsectionem & Cacochymia purgationem præservationis E. requirit.*

Præter victus rationem jam propositam, requiritur nonnunquam tempore Dysenteriæ Epidemiæ in Corporibus Plethoricis Venæsectio, in Cacochymicis verò Purgatio lenitiva seu laxativa, quæ summum præservativum in hoc affectu est, quam facili negotio quilibet Medicus expertus, cuivis temperamento aptam, præscribere potest. Absente verò Medico propinetur adulto ʒj. Rhabarb. tost. pulverisf. Robustiori vero ʒij. in decocto hordei tosti, vel

℞. *Flor. Acaciar.* ℥ß.
*infundantur in ſ. q. vini, ſtet in infuſ. per 24. horas in loco calido poſtmodum exprimatur & coletur, in colat. diſſolvantur Mannæ Calabr.* ℥ij. *& jejuno ſtomacho ebibatur.*

*Commotio corporis.*

Quo ad commotionem corporis ſani ad ſudorem ſeſe exerceant, exceſſus enim plus nocet, quàm prodeſt, quoniam per exercitium nimium maſſa ſanguinea nimis incaleſcit, & acris redditur, neque inconveniens erit ſi ſemel in ſeptimana ſudor eliciatur, divites utantur 5. vel 6. granis Lap. Bezoar in Aqua Card. bened. vel Flor. Acaciarum; Pauperes verò loco lap. Bezoar aſſumant ʒj. Pulv. Card. benedicti, vel C. C. uſti cum prædictis aquis.

*Animi.*

Animi παθήματα, ut ira, Pavor, Timor, Triſtitia &c. hic quantum fieri poteſt fugiantur.

*Corroboratio ſtomachi & inteſtinorum tempore dyſenteria.*

Præter dictas impuritates morbus hic maximè etiam fovetur, cum ventriculus & inteſtina debilitate quâdam laborant, undè ſummoperè neceſſarium eſt, ut præter jam memorata remedia, quæ ſolùm corpus ab impuritate liberant, ventriculum & inteſtina roborantia præſcribantur, cui ſcopo non ſolùm anteà memorata vina medicata ſatisfaciunt, ſed inſuper etiam ſingulo mane ſtomacho jejuno & veſperi duabus horis ante cœnam de ſequenti Condito, aut Rotulis aliquid aſſumatur, quæ ſimul etiam malignitati hujus affectus reſiſtunt.

℞. *Conſerv. Roſ. rub. antiq.* ℥jß.
*Borraginis* ℥ß.
*Cort. Citr. condit.* ʒiij.
*Nucis moſch. condit.* ʒij.
*Spec. arom. roſat.* ʒj.
*Diacydon. ſimpl.* ℥vi.
*Syrup. Corallin. q. ſ. F. Conditum.*

S. Magenzucker.

℞. *Spec. Liberantis ſ. aloë* ʒij.
*C. C. uſti præp.*
*Coralliorum rubr. præp. an.* ʒß.
*Extract. Zedoar.* ℈i.
*Galang.* ℈ß.
*Sacchar. in Aq. Roſar. ſol.* ℥iiij.
*add. ol. Nuc. Moſch. per deſtill. gutt. vi.*
*F. Confectio in Rotulis.*

S. Stärckzeltlein.

Maximè verò prodeſt uſus vini malvatici, quando nimirum panis triticeus prius nuce moſchata aſperſus eo imbuitur, & poſt manè jejuno ſtomacho comeditur. Panis biſcoctus ſeu Saccharatus Ulmenſis ex vino malvatico, ſemine Coriandri, Fœniculi & Aniſi præparatus, maximoperè hic commendatur, quùm nimirum irroratur vino veteri aut Malvatico, & duabus horis ante cœnam vel prandium aſſumitur: Conſerva Roſar. rub. antiqua cum Spir. Vitrioli ex Marte præparato ad gratam aciditatem quoque utilis eſt. Paupereshorum loco manè jejuno ſtomacho pauxillum Conſerv. Roſar. antiq. vel Zedoariæ, vel Calami arom. vel Radic. Helenii ore maſticent, inprimis verò eo tempore, quando cum ægrotis converſari coguntur.

## CAP. III.

### De Curatione Dyſenteriæ.

Quamprimum itaque ex ſignis ſupra propoſitis cognoſcitur hominem quendam affectu hoc laborare, ejuſdem mox in principio ratio habenda, nam quando affectus hic confirmatus eſt, maximâ patientiâ & conſilio opus eſt. Poſito itaque, ſi morbus adhuc eſſet in principio, tunc medicamenta ſunt propinanda, quibus inteſtina & primæ viæ à viſcidis & acribus humoribus liberantur, nimir. tale medicamentum purgans, quod non magis attrahat, ſed inteſtina abſtergendo purificet, & ſimul vim ac facultatem venulas minores adſtringendi habeat, ideoque ℞. Hordei integr. torref. mß. coq. in aq. font. ad mollitiem, poſt ℞. hujus decocti Cochl. X. cui admiſc. Rhab. opt. torref. pulv. pro adulto ʒj. Robuſto verò ʒjß. Puero ʒjß. ſi haberi poterit add. Syr. acetoſ. citri ℥ß. & ſic calidè ebibatur bis in die manè jejuno ventriculo & veſperi hora 4. Qui à Rhabarbaro abhorret, is in Pharmacopolio ſequentem potionem confici curet.

*In principio Dyſenteria quid faciendum? Laxativa cum abſterſione leviter adſtringant.*

℞. *Fl. Acaciæ* ℥ij.
*Cort. Myrobal. Chebal.* ʒß.
*Sem. Acetoſæ*
*Scariolæ an.* ℈i.
*Hord. toſt.* Mß.
*F. decoct. in ſ. q. pluviæ vel ſeri lactis deſtillati ad 3. in Colatura infund. per noctem.*
*Rhab. toſti* ℈iiij.
*Nucis Moſch.*
*Zedoariæ an.* ℈ß.
*Manè ebulliant & exprimantur* ℥iijß. *adde Syr. roſat. ſolut.* ℥i. *M.*

S. Laxiertränckleinim Anfang der Ruhr.

Licet autem uſu horum remediorum alvi fluxus augeatur, tamen æger non expaveſcat, quoniam impuritates abſumunt, quæ aliàs retentæ exulcerationes, & conſequenter etiam dolores augerent: Præmiſſis his potionibus bis vel ter, æger quotidiè manè & veſperi capiat hauſtum decocti hordei, cui admiſceatur Syrupus Cydoniorum & Acetoſitatis Citri, præſertim quùm Calor præternaturalis adſit ad abſtergendam & abluendam acrem & viſcidam illam materiam, quæ exulcerationi ulteriori anſam præbet. Melius tamen eſt ſi ad eundem ſcopum cum prædictis conjungantur Clyſteres, inprimis quùm inteſtina craſſa fuerint læſa, qui ſequentem in modum conficiantur: ℞. Decoct. Hord. toſt. pro adulto lib. jß. huic add. Mellis roſ. ℥ij vel iij. Vitell. ovor. N°. ij. M. & injiciatur calidè. Hic abſterget & abluet omnem acrem ac viſcidam materiam in inteſtinis hærentem, hinc omnis eroſio & exulceratio præcavetur. Si ſimul dolores conjungantur fiat clyſter ſeq. ℞. Hord. toſt. Flor. roſar. violar. Verbaſc. an. mj. & loco aquæ f. decoct. in lacte caprillo, cui deindè reliqua ſuprà dicta addantur.

*Abſtergentia & Abluentia.*

Quibus ritè adhibitis eò reſpiciendum, ut fluxus aliquo modo ſiſtatur, ita tamen, ut acrimonia humorum, quæ

*Leniter adſtringentia interna.*

quæ adhuc restat, temperetur & mulceatur, nec non incipiens & fiens erosio & exulceratio interna curetur; quod fit, quando ægrotus quotidiè aliquoties bibat haustum ptisanæ hordeaceæ, cum jusculo carnis absque aceto præparatæ, simulque quotidiè singulis tribus vel quatuor horis de Conserva seq. quantitate nucis castaneæ capiat, quæ ℞. Conf. rof. rubr. antiq. ℥j. Sem. plantag. torref. & pulverif. ℨß. C. C. usti, Croci Martis, Terræ sigill. an. ℨj. Cum Syr. Cydon. M. ad Consistentiam Conservæ. Loco Conservæ Rosar. sumi potest Diacydonium simplex, quod cum syrupo Cydoniorum ad justam mollitiem redigatur, & postmodum suprà dicta admisceantur.

Præter jam memorata remedia huic scopo summoperè etiam inserviunt Clysteres. E. gr.

*℞. Hord. tost. Mj.*
*Rad. Tormentill.*
*Bistort. an. ℨij.*
*Herb. Agrimon.*
*Perfoliatæ an. Mß.*
*Acetosæ Mj.*
*Sem. acetos. ℨiß.*
*Fiat Decoct. in s. q. aq. Chalybeat. ad. ℥.*
*Coletur* lib. j. *adde*
*Mellis rosati colati ℨvj.*
*Sacchar. rub. ℥ß.*
*Vitell. ovor. No. ij.*
*Sævi Hircin. ℥jß. M. F. Enema.*

Ad majorem dolorum mitigationem, & ulceris consolidationem utile est, si pinguedo Vervecina renibus adnata cum scobe nucis moschatæ eliquatur, & quotidiè bis ægroto Cochlearia ij. duabus horis ante pastum propinentur.

*Eleonora Hassiæ Landgravia Nata Ducissa Würtenbergensis* beatiss. memoriæ felicissimo cum successu ad hanc intentionem & scopum subditis propinabat pulverem sequentem; Exprimatur succus baccarum sambuci maturarum, tempore videlicet Autumni. Ex quo succo & farina secalina conficiatur pasta sive massa optimè elaborata, ex qua formentur exigui panes, qui in furno ad biscocti duritiem coquantur, adeò ut in pulverem tenuissimum redigi queant, si massæ admisceatur aliquid nucis moschatæ & seminis plantaginis, ex. gr. pro mensura una succi an. Cochleare j. res melius succedet. De hoc pulvere manè & vesperi quilibet Cochleare j. cum lacte caprillo chalybeato capiat.

*Vid. Quercetan. in Pharmacop. sub Tit. Tragea granorum Actes.*

*Externa corroborantia & mediocriter adstringentia.*

Externè ad confortationem abdominis & majorem constipationem, umbilico calidè applicetur crusta panis tosta & aceto calido irrorata, cui inspergatur pulvis nucis Mosch. Masticis & Caryophyl. vel sequens pulvis, sæpiusque reiteretur aceti calidi irroratio & pulveris.

*℞. Pulv. Absinth.*
*Rad. Tormentill.*
*Menthæ an. ℨj.*
*Myrtillor.*
*Acaciæ*
*Nucis Mosch.*
*Caryophyll. an. ℨß.*
*Mastic.*
*Fl. Rosar. rubr. an. ℈j.*
*M. F. Pulvis.*

S. Pulver zum gebeheten Brod.

*Quid faciendum morbo confirmato.*

Cum autem morbus confirmatus jam sit, non sufficiunt supra dicta remedia; nam tum temporis non solùm supra memorata purgatio ex Rhabarbaro tosto sæpiùs reiteranda, sed insuper etiam clysteres fortiores abstergentes & adstringentes injiciendi, qui modo sequenti conficiantur.

*℞. Hord. tosti Mj.*
*Rad. Tormentillæ.*
*Bistortæ.*
*Consolidæ major. an. ℨij.*
*Herb. acetosæ.*
*Perfoliatæ.*
*Equiseti an. Mj.*
*Fl. Rosar. rubr.*
*Thapsi barbati an. Mß.*
*Balaustior. ℨiß.*
*Sem. acetosæ.*
*Plantag. an. ℨj.*
*F. Decoct. in s. q. aquæ chalybeatæ ad ℥.*
*Colentur ℥XV. adde*
*Sevi Hircini ℥j.*
*Succi Plantaginis ℥ij.*
*Mellis rosati colati ℥iß.*
*M. F. Enema.*

Si suspicio læsionis intestinorum tenuiorum adest, quæ periculo non vacat, quùm varia accidentia eandem comitentur, sequentis Decocti usus quotidiè bis suadetur.

*℞. Hordei tosti p. ij.*
*Rad. Symphyt. majoris*
*Tormentillæ an. ℨij.*
*Herb. Plantag.*
*Acetosæ.*
*Perfoliatæ an. Mj.*
*Sem. Sumach.*
*Myrtillorum*
*Plantag. an. ℨjß.*
*Coq. in aq. Chalybeata ad ℥. Colentur ℥vij. add.*
*Syrupi Myrtini*
*Mivæ Cydonior. an. ℥j.*
*F. Potio pro duabus vicibus.*

S. Tranck uf zweymahl.

Patruus meus p. m. *Jacobus Horstius* Illustrissimorum Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium Medicus, ac Professor in Academia Julia Anno 1599. in Dysenteria Epidemica ad hunc scopum propinabat pulverem sequentem roborantem:

*℞. Pulv. Zedoariæ.*
*Ireos an. ℈ß.*
*Semin. acetos.*
*Plantaginis an. ℈ij.*
*Rad. Tormentill.*
*Cupul. glandium. an. ℨj.*
*Diacydon. simpl. ℨß.*

*M. F. Pulvis.*
*Dosis in aqua fol. querc.* ℥ß.

*An Opiata etiam locum habeant.*

Nonnunquam autem licet medicamenta supra commemorata ritè exhibeantur, dejectio cruenta frequens & dolorifica adhuc durat, in quo casu sæpissimè maximo cum ægrotorum commodo sequenti modo exhibui LaudanumOpiatum, cujus exhibitionem mox subsecuta fuit quies & sanguinis affluentis restrictio.

℞. *Conserv. rosar. antiq.* ʒij.
*Laudani Opiati gr. iij.*
*Confect. Alkerm.* ℈ß.
*Syr. Papav. err. q. s.*
*F. Mixtura.*

Quum Hæmorrhagia magis ex crassis, quàm tenuibus intestinis proveniat, tunc clysteribus admisceri poterunt pilulæ de Cynoglossâ, quæ tamen omnia non nisi à perito Medico præscribantur.

Accidit etiam non rarò, quod, licet interna exulceratio ritè fuerit purgata & abstersa, non tamen ulceris consolidatio sequatur; undè continuò humor quidam cruentus ac viscidus cum doloribus perpetuis excernitur, in quo casu felici cum successu Ceræ albæ & pulveris Tragacanth. an. ʒj. in pyro vel Cotoneo excavato frixo quotidiè bis exhibeo.

*Vid. Problemata nostra Medica Decade 6. quæst. 5. pag. 68.*

Si verò exulceratio & erosio simul in intestinis crassioribus deprehendatur, sequenti clystere utendum.

℞. *Rad. Tormentillæ* ℥ß.
*Cichor.* ʒvj.
*Herb. Equiseti*
*Quinquefolii.*
*Plantaginis.*
*Perfoliatæ an. mj.*
*Sem. Plantaginis.*
*Sumach. an.* ʒj.
*Cupul. Glandium* ʒjß.
*Flor rosar. rubr.*
*Balaust. an. pj.*
*Coq. in s. q. lactis ovilli Chalybeati ad* ℥.
*Colentur* ℥xvj. *adde.*
*Sevi Hircini* ℥j.
*Succi Acac.* ʒjß.
*Vitell. ovor. No. j.*
*M. F. Enema.*

*Victus ratio ægrotanti conveniens.*

Victûs ratio in hoc affectu sit, quantum possibile, sicca, leviter salsa, nec acida & acriter condita, conveniunt itaque oryza cum jusculo gallinaceo cocta, pultes ex farina avenacea, ex amygdalis cum aq. rosar. & fol. querc. præparatæ, pyra cocta recentia & exiccata. Ditioribus conceduntur aviculæ sylvestres variæ, caro leporina assata, capreoli sylvestres, juscula contusa ex carne & ossibus gallinarum, ut & jusculum seq. confortans: ℞. Caponem integrum ab omni immunditie liberum, indatur Cantharo simulque adjiciatur C. C. usti ʒvj. Aq. fol. querc. ℥iiij. Aq. Cinnam. ℥j. Cantharus optimè clausus ponatur in ahenum aquâ fervente plenum, ac tamdiu in eo teneatur, donec caro optimè cocta sit, post exprime fortiter jusculum, de hoc jusculo sæpiùs cum pane triticeo aliquid absorbeatur. Febre absente exhibeatur lac optimè chalybeatum ad tertias coctum, cum pane triticeo.

Cum huic morbo neque Vinum, neque Cerevisia conveniat, idcircò mox in principio aqua chalybeata sequenenti modo præparetur: Extinguatnt chalybs depuratus ignitus decies in aqua fontana, post ℞. hujus aquæ mensur. j. & adde micæ panis siliginei Mj. ac de vase in vas aliquoties effundatur. Potest etiam ægrotus pro potu ordinario uti aquâ fol. quercus vel per se, vel cum Syrupo Cydoniorum pro julepo dulcorata. Sic commendatur etiam alternis vicibus Decoctum Coriandri, ut & Decoctnm hordei tosti, in quo aliquoties chalybs ignitus fuerit extinctus. In morbi decremento vinum tenue rubrum vel acaciæ, paucissimâ tamen quantitate conceditur.

Animi & corporis commotio nimia huic morbo non conveniunt, quapropter ægrotus in lecto sese contineat, & somno, modo poterit, indulgeat.

## CAP. IV.

### *De Accidentibus & Symptomatibus Dysenteriæ supervenientibus.*

Licet non rarò morbo curato, simul etiam suâ sponte remittant symptomata & accidentia, nihilominus tamen ea sæpiùs tam vehementer affligunt, ut speciale quoddam auxilium expetant. Ante omnia autem in Dysenteria Epidemia *malignitas* ac venenata & contagiosa proprietas consideranda, hæc enim nonnunquam tàm vehemens & magna, ut non tantum intra corpus veneni instar vires cordis aggrediatur & debilitet, sed etiam extra alios venenatâ suâ qualitate inficiat, quamobrem omni tempore aliquid de medicamentis, tali malignitati resistentibus, simul cum supra memoratis exhibendum; potui itaque ordinario admisceatur C. C. ustum præpar. & Terra sigillata. Potionibus verò medicatis & Clysteribus addantur Rad. Scorzoneræ, Scordium, Cortices Citri, Zedoaria & similia. Præscribi etiam poterunt Pulveres cordiales ex Lapide Bezoar. or. Margaritis præpar. Coralliis præpar. Bolo armena præpar. & Croco Martis. Si calor præternaturalis desit Conservæ adstringentes & roborantes ex Conserv. Ros. antiq. syrupo Cydoniorum & similibus corrigantur Mithridatio, Theriaca, Diascordio, Elect. de Ovo & similibus.

*Malignitas.*

*Nausea Ventriculi & Vomitus.*

Cum Ventriculus *Nauseâ* & *Vomitionibus* perpetuis vexatur vires deficiunt, & ægroti summoperè debilitantur; in quo casu Potus ordinarius sit Decoctum masstichinum, coquantur nimir. ʒij. Masticis in Mensura j. aquæ font. postea add. C. C. usti ℥ß. quo decocto utatur æger ad extinguendam sitim vel per se, vel cum syrupo mastichino. Syrupus Masstichinus sequens cum successu exoptato præscribitur in hoc affectu ad Cochlearia 2. vel 3.

℞. *Sem. Anisi.*
*Fœniculi an.* ʒij.
*Mastic. elect.* ℥jß.
*Zedoariæ.*
*Nucis Mosch. an.* ʒjß.
*Coq. in aq. fol. quercus. & vini alb. ana. q. s. ad medietatem coletur* lib. j ß. *adde*

Sac-

*Sacchari clarificati lib. j.*
*Fiat l. a. Syrupus.*

Pauperes Conservam Rosarum cum Syrupo Myrtillorum exactè commisceant, ut & Rob Cynosbati cum syrupo Cydoniorum ad mollitiem ducant, eoque utantur. Ditiores verò confici curent sequens Electuarium, & sæpiùs de eo ʒij. capiant.

℞. *Conserv. Ros. antiq.* ℥jß.
*Troch. de Terr. sigill.*
*de carabe an.* ʒj.
*Corall. rubr. præp.* ℈ij.
*Spir. Vitrioli ex ♂te præp. gutt.* vij.
*Syrupi Corallini*
*Mivæ Cydonior. an. q. s. F. Elect.*
S. Magenzucker.

*Anxietas & Lipothymia.*

Sæpiùs in hoc affectu *anxietates cordis* & *lipothymiæ* accidunt, vel ob nimiam sanguinis evacuationem & spirituum dissipationem, vel ob materiæ malignitatem, ex quâ vapores sursum ad cor elevantur. Si à nimiâ evacuatione facta fuerint, vires ante omnia reficiendæ sunt, inprimis optima victus ratio instituenda, ac fluxus ventris pro virili, uti suo loco dictum, illicò comprimendus. Si verò dejectio tam frequens non sit, & nihilominus vires cordis deficiant, vapores maligni elevati in causa sunt, ideoque cor, partesque nobiles internè corroborentur, & à malignis vaporibus defendantur Lap. Bezoar, Terrâ sigillatâ, C. C. usto & similibus; quæ omnia sine calore malignos à corde vapores depellunt, ex quibus pulveres cordiales, aquæ roborantes & similia præparari queunt. Externè fiat Epithema ad Regionem Cordis & Pulsuum ex Aq. Rosar. Acetosæ, Melissæ cum Aceto Bezoartico & spec. Diamargar. frig. ʒj. Camphoræ & Croci or. ana ℈j. admisto. Huic scopo etiam maximè inservit Aqua pro Epithemate cordis, vel Extractum Cordiale Noribergensium.

*Tenesmus & Conatus excernendi.*

*Tenesmus* & *Conatus excernendi frivolus*, plerumque Dysenteriam comitatur, qui fit, cum in rugis intestini recti, acris, mordax & viscida quædam materia colligitur, hinc in hoc affectu maximè confert Clyster detergens, qui fit, præsertim præsente adhuc dolore ex Hordei excorticati, Flor. & Fol. Verbasci, Linariæ, Flor. Rof. rub. an. Mj. Sem. Cydonior. Fœnic. an ℥ß. Lumbricor: terrestr. Mß. in lacte caprino coct. Colatur. ℞. lib. j. add. Mellis Rosat. ℥vj. Vitell. ovor. No. ij. & injiciatur. Foveri etiam potest intestinum rectum spongiâ prædicto decocto calido imbuta, post fomentationem locus affectus illinatur Ol. Lumbricorum, Rosarum, Chamomill. & Ovorum. Parari etiam potest linimentum ad affectum hunc conveniens ex Linaria & Fl. Verbasci albi, dum scil. herbæ in butyro non salito frixentur, & postmodum butyrum per linteum exprimitur, quod cum gossypio vel lino applicandum. Utile etiam erit, si ægrotus inferiore gutture fumum recipiat ex mastice, Thure, Storace Calamita & similibus.

*Procidentia vel exitus ani.*

Sæpissimè etiam Dysenterici ab nimium excernendi conatum Ani procidentiâ molestantur, præsertim verò pueri & juvenes. Si hoc fit sine tumore & dolore insigni, coquantur Fl. & Fol. Verbasc. Fol. quercus, Urtica major, Perfoliata & Rosæ rubr. siccæ in vino rubro, quo locus affectus calidè foveatur, & paulatim iterum linteis vel spongiâ reponatur, ante fomentationem verò pulvere ex Mastice, Rosis siccis, flor. Balaustior. & Gallis vel Corticibus Granatorum aspergatur. Si verò tumor adsit addatur Floribus & Foliis Verbasci pauxillum de Flor. Meliloti & Chamomillæ, ut & Sem. Lini & Fœnugræci, hæc omnia simul in lacte coquantur, quo deinde locus affectus abluatur, spongiaque hoc decocto imbuta applicetur, & ægrotus reclinato capite in lectum reponatur, tunc intestinum rectum successivè sese in locum suum naturalem recipiet; quo facto ℞. Album. ovi admisc. terræ sigill. Sanguinis Draconis, Masticis ana ℥ß. Farinæ volatilis ℥j. & F. Linimentum, quod extendatur super linteum vel gossypium & applicetur.

*Febris.*

Porro *febris* etiam nonnunquam comitatur hunc affectum, quod si statim in principio morbi supervenerit, malum est omen, denotat enim causam morbi valdè malignam esse. Quamobrem medicamenta eò dirigenda, ut calor præternaturalis temperetur, & putredini internæ resistatur, cujusmodi sunt potio digestiva ex Aq. Acetosæ, Fol. quercus & Fumariæ, cum syr. acetos. Citri & Syr. Cydoniorum congesta, ut & lac amygdalinum sequens, quod non tantùm vires reficit, sed etiam fluxum immodicum sistit, & inflammationem sedat, ℞. Cupular. glandium mj. coq. in mensura dimidia aq. font. cum hoc decocto excorticentur Amygdal. dulc. mij. post contundantur cum Sem. Melonum ℥j. exprimatur per linteum lac, cui add. Aq. Rosar. ℥j. C. C. usti pr. ℥ß. M. pro potu. Si materia peccans adhuc dum aderit, repetenda erit evacuatio potione ex Rhabarbaro. Nec negligendi sunt pulveres cordiales pro corroboratione cordis supra præscripti.

*Pervigilia & Dolor capitis.*

Si propter vapores sursum ad caput elevatos, & ex intestinorum cum capite consensu *dolor capitis*, *vigiliæ* & *inquietudines* supervenerint, addatur prædicto lacti amygdalino ℥ß. Sem. Papav. alb. & externè fiat Frontale ex Sem. Papav. alb. cum. aq. Rosar. Nymph. Verbenæ ana conquass. Tempora illinantur Unguento Popul. & Alabastrino. Internè ad præcipitandos adscendentes vapores calidos capiat ægrotus sæpius aliquid de Conserv. Rosar. Violar. Radic. Cichor. ut & Syr. fl. Papav. err. 3. vel 4. Cochlearia.

*Linguæ siccitas & scabrities.*

*Linguæ Siccitas* & *Scabrities* accidens admodum frequens est Dysenteriæ, si nullam inflammationem conjunctam habet, coquantur Fl. Rosar. Violar. Malvæ in lacte, quo os colluatur, & post butyro recenti non salito illinatur. Si verò inflammatio conjuncta, fiat collutio sequens: ℞. Hord. Fl. Rosar. Plantag. Prunell. ana mj. coq. in mensura j. aq. fontan. Colat. add. Mellis Rosat. simpl. Rob. Diamor. ana ℥j. M. pro Gargarismo, post inung. lingua Syrupo seq. ℞. Cancror. fluviat. rec. n. 2. vel 3. contund. in mortario in aq. Rosar. & Solatri, succus per linteum exprimatur & sacchara edulcoretur.

*Difficultas urinæ.*

Multoties Dysenteria laborantibus accidit, *nihil vel parum reddant urinæ*, quæ, si sine dolore, periculo va-

cat, quoniam tùm temporis natura serositates magis per secessum evacuat: Si verò dolores affectum hunc comitantur, quod accidit, quando ureteres vel vesicæ cervix ab humoribus crassis, viscidis atque lentis obstruuntur, tunc externè imponatur sacculus sequens: ℞. Rad. & Fol. alth. Malvæ, Meliloti, Violar. Chamomill. ana mij. Sem. Lini mj. Anisi, Fœniculi, Petroselini ana ℥ß. M. & impleantur Sacculi aliquot, qui in lacte cocti alternis vicibus ad regionem vesicæ applicentur. Illiniri quoque potest locus affectus Ol. Chamomillæ, Anethino & Lumbricorum.

*Inflationes dolorificæ.*

Tandem *inflationes dolorificæ* infimi ventris ægrotos etiam nonnunquam infestant, ad quas maximè commendatur panis tostus, supra denominatus, cum aceto calido & pulvere præscripto irroratus & aspersus, itemque fieri possunt sacculi, ex herbis, ex. gr. ℞. H. Chamom. Menthæ ana mj. Fl. Rosar. rubr. Verbasc. ana mß. Sem. Anis. Fœniculi, Cumini ana ℥ß. includantur sacculo lineo, qui interpastatus coquatur in vino, & expressus calidè applicetur: Abdomen quoque calidè inungi potest Oleo Absinthii, & Cydoniorum, vel Unguento sequenti.

*℞. Ol. Masticbini.*
*Cydoniorum an. ℥j.*
*Spec. Diacymini ℨß.*
*Empl. de baccis Lauri ℨij.*
*M. lento igne cum cera pauca &*
*F. l. a. linimentum.*

S. Salb wider das reissen.

Internè Patruus meus Jacobus Horst. p. m. Anno 1599. in Dysenteria Epidemia ad istiusmodi inflationes dolorificas cum fructu exhibebat pulveris sequentis ℨj. in aqua folior. quercus:

*℞. Nucis Mosch. ℨj.*
*Rad. Tormentillæ ℨij.*
*Macis.*
*Cinamomi ana ℈j.*
*Zingiberis ℈ß.*
*Calami aromat.*
*Zedoar. an. gr. v.*
*Radic. Ireos.*
*Dictamni an. ℈ß.*
*Sem. Cymini.*
*Baccar. Lauri an. ℈j.*
*Diacydon. simpl. ℨij.*
*Sem. plantag. ℨj.*
*M. F. Pulvis per cribrum.*

S. Lindpulver.

Optimè convenit hic pulvis, si dolores ab inflationibus frigidis proveniant, quibus verò ob nimiam amaritiem pulvis hic non arridet, ii loco hujus utantur Confect. unius tunicæ sem. anisi, fœniculi, & plantaginis. Ad scopum hunc consequendum confici etiam poterunt Rotulæ sequentes:

*℞. Spec. Diarrhod. Ab. ℨj.*
*Ol. Fœniculi*
*Anisi ana gutt. v.*
*Citri gutt. iv.*
*Extract. Galang. ℈ß.*
*Sacchari in aq. fœniculi solut. ℥iiij.*
*F. Confectio in Rotulis.*

Küchlein wider das reissen.

Si verò tormina ab acribus & calidis humoribus causentur, injiciendus Clyster, qui ℞. Sem. Papav. alb. coq. in lacte Chalybeato ovillo vel vaccino, post in mortario contundatur, cujus ℞. lib. j. huic add. Sevi Cervini ℨjß. Vitell. ovorum No. iij. & calidè injiciatur. Habet hîc quoque locum Laudanum Opiatum, cum nimir. dolores exacerbantur, sed non absque Consilio Medici periti exhibeatur.

*Admonitio quoad prægnantes.*

Coronidis loco notandum, quod in gravidarum tum præservatione, tum curatione alio modo sit procedendum, talia enim remedia hîc sunt eligenda, quæ utero non contrariantur, & præservationem quod attinet, suprà præscriptum vinum medicatum ob insignes virtutes ipsis non convenit, ideòque loco hujus utantur Zedoariâ & Galangâ, quæ eâ quantitate in vinum injiciantur, ut solummodo vinum saporem quendam ex ipsis contrahat; Pro confortatione ventriculi fruantur pane triticeo Vino malvatico imbuto. Quæ etiam hoc morbo corripiuntur subitò Medici implorent auxilium, ita ut maligna & acris materia statim potionibus lenitivis & abstergentibus evacuetur, quibus feliciter peractis sæpiùs de pulvere sequenti ℨß. in aqua folior. quercus assumant:

*℞. C. C. usti ppt. ℨj.*
*Corall. rubr. ppt.*
*albor. ppt. ana ℨß.*
*Margar. ppt. ℈j.*
*Terræ sigillatæ ℈jß.*
*Zedoariæ ℈ß.*
*M. F. l. a. Pulvis.*

S. Stopffpulver.

Externè commendatur Unguentum Comitissæ, præsertim cum oleum Mastichinum admisceatur.

*Admonitio quoad infantes.*

Sæpissimè verò hoc affectu tentantur Infantes; si adhuc lactent, Nutrix Rhabarbaro purganda, & semper ipsis cum pulmentis aliquid de C. C. usto, Terrâ sigillatâ, Coralliis rubris præparatis, & similibus propinandum, pultes coquantur cum lacte Chalybeato. Externè inungatur abdomen & dorsum Ol. Cydoniorum cum Unguento Rosaceo mixto; Potest etiam fieri linctus ex Syrupo Cydoniorum & mastichino. Emplastrum de crusta panis extendatur super linteum, & abdomini imponatur. Si verò non amplius lactent, suprà dicta remedia in potu usupent, purgentur tamen in principio Syrupo Rosarum solutivo, postmodum in progressu morbi potiones, pulveres & syrupi ex præcedentibus eligantur, & præscribantur omnia habito respectu ad ætatem, vires & morbum ipsum. Deus Ter Opt. Max. quemlibet ab hoc affectu dolorifico custodiat, correptis verò patientiam largiatur, simulque his & aliis medicamentis benedictionem suam divinam concedat. Amen.

AN-

# ANGELI SALÆ
*Archiatri quondam Megapolitani*
*Clarissimi*
## TRACTATUS
DE
# PESTE
**Primum gallicè conscriptus, post latinitate donatus**
à
GREGORIO HORSTIO, D.

## *Quid pestis sit?*

*Pestis quid?*

PESTIS (prout ab omnibus Medicis Dogmaticis & Rationalibus definitur) *est febris continua, acuta & maximè formidabilis, ab infectione aëris maximè maligna & venenata proveniens, quæ temporis circuitu jam hanc, jam illam regionem afficit, partem hominum, & principaliter illos attingens, qui per defectum naturæ, vel sympatheian occultam ad eandem suscipiendam subjecti atque dispositi sunt:* eodem modo, quo verbi gratiâ, pravas nebulas atque pruinas, decidentes in sylvas, certas tantummodò species arborum, sine nocumento reliquarum offendere videmus. Ratione contagii sui veteribus *Pestis Epidemia* dicta fuit, quasi dicas morbus popularis, quamvis hoc nomen aliis etiam impositum sit, qui ordinariè populum communiter invadunt, ut sunt variolæ, morbilli, diarrhæa, dysenteria & alii, qui quanquam etiam à malignitate proveniant, nihilominus cum sint alius generis, nolumus eosdem cum verâ, propriéque dictâ peste confundere, de qua tantùm impræsentiarum nobis tractandum.

*Pestis Epidemia cur dicatur.*

### *De respiratione & necessitate ejusdem.*

*Respirationis necessitas.*

RESpiratio vel aëris attractio tàm necessaria est hominibus, ut sine eadem vivere nequeamus. Necessitatis hujus duplex causa est; primò, cum homo sit ex quatuor elementis compositus, necessarium est, ut iisdem, tanquam à matrice ac nutrice suâ, nutriatur & conservetur; quia quidlibet per simile conservatur: altera causa est Cor, quod cum singulari providentiâ tanquam Sol parvus, in corpore conditum sit, per subtiles spiritus, qui in eodem ex sanguine generantur, mediantibus arteriis, calorem, vitam ac vigorem omnibus partibus majoribus ac minoribus communicet, respiratione, & aëris refectione indiget, quo calor ejus excedens temperetur, & in operatione suâ perfectus & integer conservetur. Si enim ob accidens aliquod, renovatio & humectatio, quàm habet à respiratione, deficiat, protinus præter naturam inflammatur, undè substantiam solidam, & laudabiles corporis humores, consumit & exsiccat, sicuti videmus in phthisicis, hecticis & aliis ægrotantibus. Respiratio si cui deficit, protinus debilitatur, & calor ejus inflammatur, sicuti fit in igne claro, qui in medio furno destillatorio solet accendi, quò plura vasa & instrumenta majora minoraque calefaciat, cui spiracula obstruuntur, quò minus aëris eventilatione gaudere possit. Hanc ob causam summus Architectus corporis nostri, videns respirationis necessitatem, pulmones cordi conjunctos fabricavit, qui sunt de substantia totaliter spongiosâ & perforatâ, more calamorum cartilagineorum, & se dilatando magnam aëris copiam per fistulam gulæ trahunt, more follis, quibus se cor cum spiritibus suis recreat ac renovat: postea sese claudendo & demittendo vapores fuliginosos & adustos à calore vehementiori prodeuntes rejiciunt, ut hâc ratione cor pulmonum respiratione non tantùm temperetur ac refocilletur, sicuti diximus, sed consequenter etiam omnes spiritus vitales, qui prodeunt ab eodem tanquam rivuli, seseque per totum corpus distribuunt, per beneficium hoc, mediantibus arteriis immiscentur, utpote cum illæ quoq; per dilatationem aërem frigidiorem attrahant, & vicissim sese contrahendo calidas fuligines expellant, qualis motus est pulsuum, quos hinc & inde diversis in partibus nostris percipimus.

### *Quomodo aër pestilentialis nos inficiat?*

*Aer pestilentialis quomodo nos inficiat?*

QUemadmodum verò aër nos ambiens purus & benignus respiratione ordinariè per pulmones, & transpiratione per arterias attractus, prædictos bonos effectus producit, nimirum recreationem cordi concilians, & spiritus vitales, per quos vita nostra defenditur ac conservatur, restaurans: Ita contrà aër in sua natura alteratus, & per malignam subolentiam admistam vitiatus, contrarios effectus producit. Ponamus enim vitales spiritus tàm subtiles, claros atque puros, ut minima res iisdem contraria mox eosdem offuscet atque perturbet, quemadmodum vapores terrestres claritate aëris, & minima etiam immundities puritati & sapori transparentis cujusdam aquæ destillatæ facere solent: tanto magis eosdem causa maligna, violentaque, qualis est infectio pestifera, corrumpet & alterabit, quæ per inspirationem cordi communicata protinus ipsum inficit. Quod si contrà robustiores & vegeti (quemadmodum uni magis quàm alteri accidere potest) dictam materiam malignam repellant à corde, separando eandem ad alios humores & partes corporis, fit pugna, diversis symptomatibus obortis, ubi spes aliqua curationis & administrationis remediorum oritur: at si spiritus aliter dispositi sunt, & infectio vires eorum superat, suffocantur, & mors primâ, secundâve die, cum urina bona, totaliter sanorum urinis simillima, sequitur. Malignitas enim solùm cor occupat, non attingens alios humores, qui

urinas continent, & à quibus urinæ ſeparantur, undè ſequitur, quod naturalis permaneat, nec ullum ſignum affectus periculoſiſſimi demonſtret.

### *Cauſæ, quæ communiter aërem corrumpunt & inficiunt.*

*Cauſa aerem corrumpentes & inficientes Caleſtes.*

CAuſæ, quæ faciunt ad aëris infectionem diverſæ ſunt, nimirum cœleſtes, & terreſtres, & utræque mixtæ. Per *cœleſtes* malas influentias Planetarum intellige, quæ in res ſublunares impreſſionem faciunt: ut enim gubernatio Reipubl. totaliter legibus ſubjecta eſt, ſic etiam omnes actiones inferioris mundi corporum cœleſtium curſui & motibus ſubjiciuntur, quæ per fauſtos concurſus & aſpectus fertilitatem & abundantiam bonorum, concordiam, ſanitatem & proſperitatem, per infauſtas conſtellationes annonæ caritatem, bellum, morbos & alia mala portendunt. Non ergo mirandum, quando motus & operationes internas corporis humani (quod à Philoſophis Græcis Microcoſmus, vel parvus mundus dicitur) & particulariter naturam ſeptem membrorum principalium, quæ ſeptem planetas repræſentant, obſervamus (quamvis hæc Philoſophia calumniatoribus quibuſdam ridicula videtur) certiores reddimur, quando Lien, quem Paracelſus Saturnum appellat, vapores de vitioſo ſuo humore extra ſuam regionem & curſum naturalem emittit ad cor, quod ille ſolem appellat, vel ad cerebrum, quod ipſi luna eſt, illud ipſum cauſare timorem, debilitatem, anxietatem, triſtitiam, phantaſticam impreſſionem & imaginationem, memoriæ perturbationem & diverſa alia accidentia. Sic etiam Fel, Martis nomine ab eodem inſignitum, ſuas ſuperfluitates & vapores præter naturæ motum ad cerebrum, quod habet rationem Lunæ, transmittens, cauſa eſt cephaleæ, Maniæ, furoris, rabiei, & aliorum morborum, quemadmodum, ubi ſeſe ſupra jecur (quod Jovis nomine venit) effundit, febres, ardores, aliaque accidentia producit, quod etiam in aliis partibus corporis accidit, ubi contra naturæ curſum movetur. Jam verò ſi tales alterationes corpora noſtra prehendere poſſunt, ob inordinariam influentiam & operationem prædictarum partium, planetas in parvo mundo repræſentantium, idcircò non difficulter perſuaderi poſſumus, quod conjunctio & concurſus Martis atque Jovis, Saturni cum Luna, & aliorum malignorum Planetarum cum bonis, ſpiritus noſtros alterare poſſint, reddendo nos ægros & morientes, cum elementa ſecunda noſtri corporis, ſpiritus atque ſenſus ab iis dependeant, quemadmodum caro & ſanguis ab alimentis, quibus per nocumentum aliquod corruptis & depravatis loco nutritionis & refectionis contrarii effectus producuntur. Quod hoc ita ſit, ſicuti diximus, omnes Philoſophi, Aſtrologi, rerum naturalium ſcrutatores & prudentes Medici confirmant, experientiâ concordante, & continuò idipſum demonſtrante, ut nulla contradictionis occaſio relinquatur. Non tamen ejuſmodi regimen planetis eſt attribuendum, quaſi rebus ſublunaribus abſque conditione, abſolutè imperent, quod Ethnici crediderunt, & eos inſtar Deorum adorârunt; quia ſunt tantùm cauſæ ſecundæ, quæ dependent à motu primæ, quæ eſt DEUS ille, qui creavit ipſos, utpote qui nullo modo ſe commovent, abſque ductu Creatoris ſui, qui per admirabilem ſuam providentiam illos gubernat, & ſecundum ſuum beneplacitum in æquitate & juſtitia diſponit.

*Cauſa ſublunares aerem inficientes.*

Inter *cauſas ſublunares aërem inficientes*, eſt vehemens & inuſitatus calor, qui ſummam humiditatem ſequitur, qualem per annum hunc in tota hac regione vidimus: ſicut etiam ventus meridionalis frequenter regnans, quamvis hæ duæ cauſæ à quibuſdam etiam ad cœleſtes referantur. Porrò aquæ corruptæ ſtagnantes de fœtidis paludibus ad inferiores cauſas etiam pertinent, quæ manifeſtò faciunt ad aëris infectionem: cloacæ quoque publicæ, quibus totius civitatis immundities colligitur: fœtida quoque exhalatio cadaverum non ſepultorum, quod interdum poſt cruenta bella, crudeleſque ſtrages fieri conſuevit: maxima hominum congregatio conjunctim facta, quod in bello, navibuſque ſæpius accidit: vapor fœtidus lini vel cannabis, quando macerantur & humectantur in aquis ſtagnantibus: ſpurcities macelli publici: congeries fœtida fori piſcium: ſuperfluitates coriariorum: cadavera beſtiarum & carnes putridæ, in aquis vel campis propè civitates relictæ, & aliæ immundities: finaliter verò prava nutrimenta, quibus pauperes ac milites uti ſæpiùs coguntur, qui crudis aut aliis impuris ac ſordidis rebus veſcuntur, & aquas inſalubres bibunt, quâ ratione ſanguis iiſdem corrumpitur, & ſpiritus inficiuntur, undè morbi maligni contagioſi, nec non ipſa peſtis oritur, quæ poſtmodum paulatim ſeſe extendit, & ſæpè divites etiam, & qui pro voluntate ſuâ vivunt, invadit. Sic interdum etiam provenit à veneficis, ſagis, quæ cum non poſſunt malitioſam voluntatem nocendi ad actum traducere, protinus ictu quaſi primo, pulveres venenatos per prata ſpargunt; quibus pecudes inficiuntur, undè paulatim poſtea magnum contagium hominibus etiam communicatur. Idipſum etiam abſque culpa talium malitioſorum hominum accidere poteſt. Scilicet, quando pecudes ob cauſam depravati vaporis terreſtris, aut pruinæ venenatæ, quibus herbæ campi corrumpuntur, venenum hauriunt, cujus rei exemplum in hac regione ſub initium Maji menſis vidimus. Tunc enim, quando poſt exceſſum caloris circa meridiem copioſi vapores è putido ſolo aſſurgunt, qui aërem turbant, & inferius per aquas atque prata fumare ſolent, inſtar craſſarum nebularum autumni, protinus infectio pecudum ſubſequi ſolet. Sæpè contrarium accidit, ut cauſæ inferiores & cœleſtes conjunctim operentur, ubi peſtis magis univerſalis & pernicioſior eſt. Atque hæc de cauſis peſtis in generali, quæ nihil aliud ſunt, quàm cauſæ ſecundæ & inſtrumentariæ.

*Cauſa caleſtes & ſublunares ſæpè conjunctim agunt.*

*Peſtis cauſa vera & antecedens.*

Vera enim cauſa antecedens & originalis peſtis eſt Ira DEI, inflammata ſuper nos ob grandia & horribilia peccata noſtra, & plus quam beſtialem ingratitudinem beneficiorum, nobis præſtitorum, qui DEUS nos caſtigando & corrigendo per motum cauſarum ſecun-

cundarum operatur, instar fulminis cœlestis, quod sylvam aliquam tangit atque incendit, quod ipsum absolutâ quoque potestate DEUS faceret, si placeret, absque adjumento rei cujusdam intervenientis.

*De signis & præsagiis, quæ pestem futuram denunciant.*

*Signa & præsagia pestem denunciantia?*

INter causas supradictas aërem inficientes inveniuntur, quæ etiam indicia pestis futuræ dici possunt, sicut est excessus caloris, cum subsequente humiditate continuata, & venti meridionales diu flantes. Inter Prognostica pestis est etiam cometes, jaculum, & aliæ figuræ ardentes, diutius in suprema aëris regione subsistentes, quæ communiter subjacentibus regionibus status mutationem, aut crudelem interitum minantur. Similiter signum infallibile pestis est copia ranarum, bufonum, locustarum, serpentum, limacum, murium, erucarum & similium insectorum hinc & indè sparsorum: Sicut etiam extraordinaria copia piscium, tam in mari, quàm in fluminibus. Eodem modo variolæ, morbilli, dysenteriæ grassantes sæpissimè sunt præcursores internuncii pestis, sicut etiam alia signa naruralia, quæ brevitatis causa hic omittimus.

*De præservatione contra pestem.*

*Præservatio contra pestem.*

QUia verò (juxta commune proverbium) facilius & minori negotio domus aliqua defenditur ab incendio, quam tunc temporis, ubi interius flamma jam grassatur: adeoque facilius etiam est, ut homo sanus pestem fugiat, quam ut curetur, qui jam infectus est; idcircò proposito conveniens videtur, ut primò de præservatione, postea de curatione pestis agamus. Dum autem tanquam Christiani nobis in animum revocamus, ante causas omnes pestis primariam esse Iram & Indignationem DEI contra nos, sicut diximus; primarium ac præcipuum præservativum erit iram DEI placare, sine quo remedio reliqua omnia frustrà nobis adhibentur. Medium verò, quo placamus & averruncamus iram divinam, sunt lachrymæ cordis contriti, cum ferventibus precibus, ad obtinendam peccatorum remissionem. Hinc igitur ante omnia quilibet (quando ita DEO peste populum aliquem visitare placuerit) sollicitus sit de se ipso, & quamprimum ad medium illud recurrat, ea propter ut per preces nostras, in merito Salvatoris nostri JESU CHRISTI fundatas, misericordiam à DEO Patre obtineamus, quò propter infinitam clementiam suam pœnam hanc à nobis auferat; vel ad minimum, si ita placuerit eidem, nos castigare, ne illud ipsum fiat in condemnationem & destructionem nostrûm, sed ut corrigamur, ad eundem convertamur, & quoad animum perficiamur; ut à malo liberati, gratias eidem in perpetuum agamus, eidemque magis obedientes reddamur. Quod si placuerit eidem, nos ex hoc mundo avocare (quemadmodum necessariò semel vel peste, vel aliâ ratione moriendum est) ut animam nostram in regnum cœleste gloriosum recipiat, quod fidelibus suis præparavit, ubi nec Diabolo, nec morti, nec peccato, nec ulli corruptioni quidquam potestatis; ubi possidemus verā quietem, perfectum gaudium, nos in præsentia nostri creatoris unicè delectando. Quicunque taliter se præparabit & constanter resolvet, illi idipsum certissimum remedium contra pestem erit; eapropter quod timidiores & consternati plerumque sub initium contagionis afficiantur. Et posito, quod pestis unicum tantùm hominem occidere, reliquis autem in republica quâdam parcere debeat, nihilominus nullus tam ignavus sit in eo, quod cuivis accidere potest, id quod eò magis nos incitare debet, quando locum aliquem occupatum ab infectione videmus, ubi rarissimè quarta pars inquilinorum alicujus domus intacta remanet, quæ non occidatur & absorbeatur, ubi contagium præhenditur. Quod sufficiat hâc in parte dictum, ut satisfiat meo officio, quantum attinet admonitionem illam, ubi quod superest ad fideles Ecclesiæ Ministros & Pastores, atque consolatores ægrotantium remitto, procedendo ulterius in discursu nostro ad ea, quæ propriè Artem meam concernunt.

*De aëre, & quomodo tempore pestis corrigatur.*

*Aër ambiens quomodo tempore pestis corrigendus.*

FActâ reconciliatione cum DEO nostro, & spe nostrâ fundatâ super misericordiâ & clementiâ suâ paternâ, veniendum erit ad media naturalia, ubi præcipuum ac primarium præservativum contra pestem est, omnem occasionem ac formidinem ejus fugere, nec non, si fieri potest absque incommoditate, damnoque proximi, protinus ab infecto aëre longissimè, quantum fieri potest, secedere, & in loco sano commorari tamdiu, donec infectio totaliter desierit. Verùm ubi Respubl. nostram præsentiam requirit, vel etiam aliàs conditio & status minimè permittit, ut abeamus; aut si malum undique totam regionem occupat, ita ut vix locus aliquis securus inveniatur, tunc animosi simus, & ad voluntatem divinam nos conformemus, inquirendo media præservativa optima, inter quæ primo loco cogitandum de correctione & alteratione aëris, quæ inconvenientiis ejus resistat. Ut autem hoc exequamur, ante omnia (quibus possibile est) habitationem eligant amplam, amœnam & puram, quæ sit in loco perspirabili, remoto ab omni immunditie, & à domibus mechanicis, in quibus candelæ, coria, sapones & similia conficiuntur. Porrò si pestifera lues grassatur, à parte orientis, vel occasus, necessum est, ut fenestræ ab ea parte claudantur, oppositis apertis versus septentrionem: si contagium hic oritur, contrarium faciendum, ubi tamen semper ventus meridionalis suspectus sit, tanquam fovens & promovens aërem pestiferum, ob superfluam suam humiditatem cum calore conjunctam, ad correctionem suam contrarias qualitates requirens, nimirum frigiditatem & principaliter siccitatem, utpote cum siccitatis sit humiditatem consumere, quæ unica corruptionis & putredinis omnium rerum causa est. Hoc optimè perpendens Hippocrates, aërem Athenis & in Græcia per accensos ignes purificavit, ex lignis odoriferis continuè in medio platearum & do-

& domuum conflagrantibus, quam ob causam Athenienses eidem Statuas erexerunt, & divinos honores attribuerunt. Hinc ad aëris contagiosi purificationem nihil melius flammâ, maximè quando per balsamicam & odorabilem materiam alitur. Quod ipsum Excellentiores Medici, qui de peste scripserunt, observare voluerunt, dum jubent frequentes ignes in cubiculis excitandos esse, simul etiam curiosè res ipsas combustibiles seligendo, undè volunt, ut verno tempore comburamus salviam, lentiscum, surculos vitium, myrti, santalum album & alia ligna frigidioris qualitatis: Item quod hinc indè per cubicula flores violarum, rosarum, folia vitis, flores Nymphææ, aqua rosar. flores arantiorum spargendi sint, aliis etiam simplicioribus & compositis effumationibus refrigerantibus excitatis. Porrò hyberno tempore flamma fiat foliis & lignis Lauri, Arantiorum, Cupressi, Cinamomi, Juniperi, Sabinæ, Rosmarini, Lavendulæ aliisque aromaticis: fumus itidem excitetur Benzoino, Styrace cal. Ladano, Thymiamate, Ambra, Moscho & aliis rebus odoriferis calidis, quas omnes enumerare tædiosum esset. Sed nos (qui in nullius juravimus verba Magistri) potius essentiam & rei necessitatem, quàm externum apparatum respiciendo, medium præscribimus ad aërem infectum purificandum, quod maximè efficax erit, quodque omnibus in locis, ubi sunt pharmaceutices officinæ, pro divitibus & pauperibus præparari poterit, cujus usus absque discrimine cunctis conveniens erit, quod hoc modo conficitur.

*Trochisci contra pestem pro fumo.*

## *Trochisci contra pestem pro fumo.*

*℞. Flor. Sulph. vel ejus loco Sulph. flavi crudi ℥j.*
*Benzoini el.*
*Myrrhæ el. ana ℥s.*
*Caryophyll. ℥j.*

Fiat subtilissimus pulvis ex his omnibus, ubi primò caryophylli, tanquam duriores præ reliquis pulverisentur: postea cum s. q. mellis Juniperini, hoc est, substantia baccarum juniperi per ebullitionem cum aqua extracta, post expressa & ad consistentiam mellis cocta, fiat massa in mortario, de qua parvi trochisci formentur, qui exsiccentur, & ad necessitatem reserventur.

*Candela pro fumo contra pestem.*

## *Parvæ candelæ pro fumo contra pestem.*

*℞. Carbonum salicis vel coryli ℥ij.*
*Fl. Sulph. ℥j.*
*Benzoi opt.*
*Myrrhæ el. ana ʒß.*
*Caryophill. ℈ß.*

Similiter ex hisce fiat pulvis subtilissimus, & cum glutine Ichthyocollæ fiat massa, pro formandis candelis parvis, more earum, quæ ad odores bonos excitandos alio tempore formantur.

*Acetum compositum pro fumo excitando tempore pestis.*

## *Acetum compositum pro fumo excitando tempore pestis.*

*℞. Rosar. rub. exiccat.*
*Absinthii Rom.*
*Cort. exter. citri exic.*
*Myrtillorum ana ℥ij.*
*Rad. Carlinæ.*
*Santal. el. odoriferi ana ℥j.*
*Camphoræ ʒj.*
*Aceti vini potentiss. Mens. I.*

Incidenda incidantur, & contundenda contundandantur grosso modo, & infundantnr omnia in vase vitreo benè clauso, digerantur per 40. horas, deindè colentur & ad usum reserventur.

*Suffumigiorum usus.*

## *Usus præcedentium suffumigiorum.*

Tempore pestis regnantis nihil melius est, quàm ignem luculentum in cubiculis alere, juxta modum suprà dictum. Hinc ergò curam habeamus ignis accensi, minoris ac majoris, pro ratione temporis, & amplitudine cubiculorum, ex ligno quercino, fagino, vel alio, quod nobis suggeritur. Postea singulis diebus matutino tempore, postquam è lecto levati sumus, & vesperi, priusquam cubitum eamus, clausis fenestris (egrediendo conclavia) in medio ipsorum prunis ardentibus injiciatur prædictorum Trochiscorum pro fumo pauxillum, vel de candelis præparatis duæ accendantur, quæ carbonis instar comburantur, fumo dissipato rursus ingredere, & sic permutatione facta, totius domûs cubicula purificentur. Postea per totum diem leviter effumatio fiat hinc & indè in tota inhabitatione per acetum compositum, ubi in promptu sint ignitabula parva vitreata, quæ sint instar parvarum fornacum, locum primo cum crate tenentium, cui carbones accensi immittantur, cui subsit spacium ad cineres defluentes recipiendos, item foramen vel perspiraculum, ad alendum ignem, & superius catinum parvum, cui aceti prædicti uncia una immittatur una vice, quorum ignitabulorum tria vel quatuor hinc & indè calefacta ponantur in angulos hospitii, simul observando, quò semper eò usque ignis immissis carbonibus alatur, qui ad cooperationem subtilem aceti, sine manifesta ebullitione sit sufficiens, ut nihil, præter effumationem, percipiatur. Quod pauperes concernit, qui commoditatem plurium cubiculorum non habent, & qui semper in uno conclavi communi coguntur, cum suis, his sufficiat, ignitabulum unicum cum prædicto aceto, possuntque sulphuris fumos excitare, quanquam in habitatione permaneant, collocando suffumigium in locum illum, ubi maxima pars excitati fumi per caminum evolat, transpirationem cubiculis concedendo, vel apertis januis, vel fenestris, donec crassior sulphuris odor sit dissipatus, & quis absque noxa, nauseaque perferre possit. Sin autem pauperum indigentia tanta, divitumque charitas tàm minuta, ut etiam tali suffumigio destituantur, tunc loco trochiscorum & candelarum prædictarum sulphure crudo, nec non loco aceti compositi, simplici tantùm utantur, ubi vicem ignitabuli simplex etiam terreus catinus prunis ardentibus superpositus sufficiet, ut aceti exhalatio fumosa fiat. Quod si superciliosus quispiam & arrogans

gans objiciat, sulphuris substantiam esse satis calidam & fœtentem, & quod potius temperatis sit utendum, iisque aromaticis, odoreque nobis gratissimis? huic respondemus, quod tempore pestis non principaliter eò respiciendum sit, ut temperata & benè odorata adhibeantur, eapropter quod sit ejusmodi infectio maligna ac vehemens, quæ non magis per odorem rosæ, violarum, arantiorum, Iridis, Storacis, Santali, cinamomi, moschi, Ambræ, Ziberhi, & aliarum rerum odoriferarum domatur, quàm fortitudo vel rabies Leonis per agni resistentiam, vel propriè magis loquendo, maximum venenum Arsenici per usum Sacchari Candiæ, perpendendo, quod non hîc intentio sit; aërem ob simplicem aliquem fœtorem corrigere per odorabilia, sed potius resistere subtili vapori, vel spiritui venenato, qui non domatur aut corrigitur, nisi per spiritum seu vaporem alterius rei suæ naturæ contrariæ, cui respectu ipsius sit prædominium. Hinc inter omnes res naturales nulla hîc supra sulphur, quod (instar ignis actualiter omnem humiditatem consumentis) potentissimè omnem corruptionem & venenum alterat, & sicuti liquor ipsius omnes aquas viscosas, putridas, ipsumque vitium turbatum atque corruptum purificat, vicissim clarificando, sic etiam vapor atque spiritus ejus effumans in accensione præcipitat & abigit omnem aëris corruptionem eundem clarificando, purificando, nec non de eodem omnem noxam abigendo, quam ob causam usus ejus meritò magnifit, qui propter calorem minimè damnatur, eo usque ut ipsa quoque flamma ignis inter ea, quæ aëris infectionem corrigant, à nobis primo loco ponatur. Adde simul, quod sulphur, licet calidum sit in sua integritate, resinæ modo ardens, non tamen affirmari possit, quod spiritus ejus, vel vapor iste acidus, qui ab eodem separatur, & sese in aërem ardendo resolvit, qualitatis sit calidæ: Si enim cum omnibus Philosophis & Medicis classicis confiteri debemus, res acidas frigidas esse, sit per se, vel ex accidenti, simul idipsum etiam de vapore sulphuris pronunciandum erit, qui secundum artem vitreis instrumentis collectus sese in liquorem coagulat; quem communiter oleum sulphuris nominamus, quod hodiè, sicuti notum est omnibus Medicis, frequentis usus est in febribus calidis & ardentibus, tàm ut humorum putredini resistat, quàm ut excessum caloris febrilis extinguat, & sitim sedet: & verè dicimus, quod quemadmodum vinum optimum in integritate sua permanens calefacit, idque in acetum alteratum refrigerat, sic etiam idipsum verum est de sulphure, suâ tamen graduum distinctione, juxta naturam sibi convenientem. Cum autem plurimum tribuamus aceto, tàm ad spiritus admodum incalescentes in lipothymiis alterandos, quàm etiam in devehendis medicamentis confortantibus cordialibus, in corrigendis venenatis, & aliis usibus: certum recursum etiam habeamus tempore infectionis malignæ ad usum spiritus sulphuris, qui est verum acetum Philosophorum, Rex omnium liquorum acidorum, acidorum, & verum Elixir, quod res omnes à corruptione defendit. Quod si alicui sulphuris odor in accensione ingratus & abominabilis est, ille potest idipsum corrigere, prout diximus, & in accensione parumper secedat, sicuti docuimus: & quamvis cubiculum aliquid odoris redoleat, tempori patienter & necessitati sese accommodare oportet, utpote cum impossibile sit, ut nasum quotidiè rosis admovendo sanitatem conservemus. Tantùm de fumo sulphuris tempore pestis.

*Sulphuris fumus commendatur tempore pestis.*

Sed ut redeamus ad propositum nostrum, præter sollicitudinem istam, quam de purificatione ambientis nos aëris in habitatione nostra habere debemus, quemadmodum monstravimus, necessarium erit, ut etiam similiter curam instituamus diligentem, quò corporis nostri aër purificetur, vel ut exactiùs loquamur, quo in statu suæ integritatis conservetur per odorem subtilium Medicamentorum Bezoarticorum, qui per instrumenta respirationis, pulmones potissimùm, cordi communicetur, & per arteriarum motum dilatationis atque contractionis per omnes spiritus distribuatur, adeoque consequenter omnes humores facultatem balsamicam, & virtutem veneno resistentem nanciscantur. Hoc fine antecessores nostri remedia infinita consignarunt: sed longum discursum abrogando, & in colligendis quam plurimis confusionem evitando, tantùm ea proponam, quæ magis efficacia & necessaria cognovi.

*Aër corporis quomodo in statu integritatis conservandus.*

*Acetum Bezoarticum, vel Acetum compositum, quod aëris infectioni resistit.*

*Acetum Bezoarticum.*

℞. *Aceti vini potentissimi.*
*Succi Citrii Hispanici, h. e.*
*Succi de Citris, qui ex Hispania in vasculis adfertur ana Mens. ij.*

Hi duo liquores in bal. Mariæ destillentur, & collecta ferè media parte phlegmatis, vel substantiæ magis aquosæ, sumatur liquor remanens in cucurbita, qui magis efficax & virtuosus est, cui infundantur.

℞. *Carlinæ*
*Vincetoxici*
*Valerianæ*
*Zedoariæ*
*Angelicæ*
*---Cort. exter. citri in umbra sicc.*
*Her. Scordii*
*Diptami Cret.*
*Absinth. Rom.*
*Fl. Rosf. rub.*
*Fr. Myrtill.*
*Cinam. electiss.*
*Santali el. odoriferi an. ℥j.*
*Ol. Sulph. rectif. ℥iij.*
*Camphoræ ℥j.*

Vitro benè clauso (quod ultra dimidium repletum non sit) ut nihil expirare possit, omnia in Bal. Mar. aquæ ebullientis macerentur per 40. horas, & postea liquor coletur cum expressione, qui ad usum asservetur. Acetum hoc Bezoarticum duobus modis usurpatur; primo quotidiè matutino tempore parum naribus, temporibus atque pulsibus illinatur: deindè secum ge-

geſtetur hinc indè per civitatem ambulando, ſæpiuſque odore percipiatur, quod fieri poteſt phiolâ vitreâ parvâ, cui ſit oſculum amplum, in qua particula ſpongiæ ſit immiſſa, quod obducatur poſt membrana foraminibus parvis pertuſa, per quæ contentum acetum tranſſudet, cui uſui pomum aureum, argenteum (ſed deauratum) eburneum, ligneum, foraminibus pertuſum cum ſpongiâ commodum etiam inſervire poteſt.

*Balſamum Bezoarticum extenius uſurpandum.*

*Balſamum Bezoarticum, ſeu Balſamum cordiale, reſiſtens aëris infectioni.*

℞. *Ol. Sem. citri per expreſſ. extracti, ceræ flavæ ana* ℥j.

CEra in ol. citri ſolvatur ſubjectis cineribus calidis, poſtea remotis ab igne & inſtar unguenti refrigeratis, adjungantur primò ſequentia:

*Gelatinæ citri vel ſucci citri condenſati* ℥j.
*Ol. citri deſtill.*
*Angelicæ.*
*Abſinthii ana* ʒß.
*Ol. Thymi Roſmarini Caryophyl. ana.* ℈j.
*Camphoræ ſubtiliter pulv. vel in dictis oleis diſſolutæ gr. XV. Miſce.*

Balſamus hic eodem modo conveniens eſt, ut manè ſurgentes nos in prædictis partibus inungamus, ſive exeamus ſive domi maneamus.

*Pomambra.*

*Pomambra pro ditioribus, qui rebus odoriferis delectantur.*

QUamvis verò animus nobis non erat, quidquam remediorum proponere, quod non *directè* & *ſpecificè* contra *Peſtem* dirigatur, ſine reſpectu hujus aut illius odoris: nihilominus perpendendo quoſdam penitus *aſſuetos* ad *odores ſuaves*, ita ut alios penitus ferre nequeant, commotus ſum, quo & ipſis ſatisfaciam, ut ſequentem *compoſitionem* conſcriberem.

℞. *Roſar. rubr. exicc.* ℥ij.
*Styrac. calam. Aſæ dulc. ſive Benzoini ana* ℥j.
*Santali albi odorif. Cinam. electiſſ. Ligni Aloës. reſ. ana* ℥ß.
*Ambræ gryſeæ opt.* ʒij.
*Moſchi Alex.* ʒj.
*Zibethi Arab.* ʒj.

Roſæ ſuâ naturâ humidæ ſeparatim ſiccentur, ſicut etiam ſantalum, lignum Aloës & Cinamomum, quæ ſunt ingredientia duriora; poſtea Benzoi & Storax leviter terantur, ne mortario adhæreant; hique pulveres miſceantur: Sumantur deinde Ambra, Moſchus & Zibethum, prædictique pulveris uncia adjungatur iiſdem, & in mortario benè ſubigantur per horam & ultra, tandem quod ſupereſt pulveris addatur, donec omnia benè mixta fuerint, tandem cum ſufficienti quantitate *Balſami Peruviani* odoratiſſimi fiat maſſa in mortario cum piſtillo, parumper antea calefacto, tamdiu benè commovendo, donec maſſa pellucida pulchraque reddatur, ex quo *Poma* vel *Pilæ* formentur pro lubitu, quas ſindone vel ſerico quis obducat, vel potiùs pomis ex auro, argento, ebore perforatis includat, *tàm* propter odoris conſervationem, *quàm* etiam ne manuum calidarum attactu continuato nimis molles reddantur, quantumvis hanc ob cauſam deteriores non ſint, quia *Pomum Odoriferum* ejuſmodi *mollius* & *apertum* melius eſt, quàm induratum & omninò clauſum, quemadmodum ſunt illa, quarum *maſſa* cum *Gummi Tragac.* conficitur, quæ ſæpiùs ita indurantur, ut odorabilium rerum qualitas ſuffocetur & exhalare nequeat.

*Pomum odoriferum commune.*

*Pomum odoriferum ſpecificum, contra infectionem aëris, cuique conveniens.*

℞. *Rad. Angelic. reſinoſæ, Valerian. Carlin. Cort. exter. citri in umbra ſicc. Zedoar. Myrrh. el. & Succini alb. ana.* ℥j.

OMnia pulveriſentur ſubtiliſſimè, poſtea cum ſ. q. *Gummi Ammoniaci in aceto roſar.* ſoluti, colati & ad conſiſtentiam viſcoſam decocti fiat *maſſa* in mortario, pro *pomis* formandis, ſicuti antea dictum, quæ quamvis non ita ſuaves ſint, non tamen minorem aliis efficaciam poſſident.

*Acetum pro pauperibus.*

*Acetum compoſitum pro pauperibus.*

PAuperes qui his & ſupra dictis remediis deſtituuntur, utantur ſequenti *Aceto.*

℞. *Granor. Juniperi recent. Abſinthii ſicci, Rutæ ſiccæ ana* ℥iiij.
*Thuris, Myrrhæ ana* ʒij.

Incidantur grana Juniperi cum herbis tenuiter, groſſo modo reliquis pulveriſatis, quibus optimi aceti vini vel cereviſiæ 2. menſuræ affundantur in vaſe terreo, cum ſubere benè occluſo; reponatur in loco calido, vel ad angulum ignis, ut materia ſemper calefacta ſit per biduum vel triduum, poſtea exprimatur & ad uſum ſervetur eodem modo, ſicut ante de *Aceto Bezoartico* dictum fuit.

Tandem etiam infectionis tempore Magiſtratus ſollicitus ſit, ut civitates atque oppida ab omni ſpurcitie purificentur, & ubi magis infectio graſſari conatur, hinc & indè publicis in quadriviis ignes accendant ex *pice nigrâ* cum *ſulphuris* parte dimidia permiſta, ſi non de die, quando per plateas homines ambulant, ad minimum tamen noctu, dum ad lectum quilibet ſe confert, tunc temporis ſcilicet ubi propter malignas exhalationes à terra prodeuntes, aër tempore peſtis magis noxius eſt. In *ſpecie* quilibet habitationem ſuam ab omni impuritate liberam conſervet, latrinis benè tectis, gutturniis cum ſubjectis carinis ritè purificatis, linteis benè lotis, ſed non cum ſapone fœtido, qui de oleo vel pinguedine piſcium confici ſolet: *odor fœtidus* piſcium, halecum arefactorum, caſei putridi, brodii braſſicæ, raparum & omnium aliarum rerum, quæ fœtorem ſpirant, vitetur. Caveant inſuper, ne ſemper *in abluendis pavimentis* cubiculorum laborent, quod pleriſque fœminis in his regionibus in more eſt,

& hinc

& hinc ædes per affusionem aquæ plurimùm humectatas habent, instar navium in aqua subsistentium, & in ædibus sic producunt aërem humidum, qui non tantùm tempore pestis noxius est, sed aliàs etiam catarrhos nocentes, aliaque symptomata producere solet, quæ postea malè aëri exterius irruenti adscribunt. Fieri enim potest, ut nihilominus puritas ædibus constet, etiamsi lotiones ejusmodi noxiæ toties non instituantur. Ante omnia caveat sibi quilibet, ne domi suæ *canes rusticos impuros* alat, qui fœtore domum replent; & particulariter *illos*, qui carnibus & interaneis animalium demortuorum nutriuntur, qui halitum fœtidum expirantes sufficiunt etiam ad villæ alicujus pestiferam infectionem: quâ ratione formidabilis etiam est fœtor excrementorum atque urinæ *felium*. Et hoc modo diligenter omnia sunt observanda, propterea quod nihil sit in Universo, quod ita pestem ad se trahat, quàm *immundities & fœtor*, quod ipsum exemplo maximè confirmatur. Quando enim pestis regionem aliquam invadit, eadem à pauperibus & sordidis, qui more porcorum cumulatim in angustioribus ædibus vivunt, plerumque sumit exordium. Et hæc *de aëris correctione* dicta sufficiant.

*Motus & quies.*

*Motus & Quies quomodo tempore pestis instituí debeant.*

Exercitium vehemens ac violentum communiter tempore pestis formidabile & noxium statuitur, quia corpus cholericum reddit, illudque inflammat, pulmones laxat, & respirationem frequentem & coactam producendo cor calefacit & debilitat, ipsosque spiritus vitales dissolvit, undè postea sequitur, ut ipsum corpus ad infectionem recipiendam habilius reddatur. Quocirca qui sese tempore pestis exercere cupit, ille faciat hoc ipsum matutino tempore post ortum solis, in horto, sylva, vel campo, tempore æstatis, cœloque sereno, minimeque nubiloso, nec admodum ventis agitato, postea domum sese conferat. Somnus post prandium maximè suspectus est hoc tempore, pravasque dispositiones producere potest, præsertim in iis, qui ad eundem minimè adsueti sunt. Hinc igitur omnis occasio vitanda, quæ lassum atque somnolentum hominem reddit, adeoque potius diversiones quærendæ per honestos ludos, & animi gratia institutas conversationes, audiendo Musicam, & jucundas historias legendo, eousque donec calor intensior pomeridiani temporis remittat, ubi vicissim deambulatio, sicuti dictum, fieri poterit, ita tamen ut in tempore priusquam advesperascat, domum nos conferamus. Hic modus æstatis tempore notetur. Sed hyemali tempore paulo aliter procedendum, juxta temporis necessitatem.

*Somnus meridianus vitandus.*

*Medici quomodo se gerere debeant in visitatione ægrorum.*

Medici, quibus ægrotorum curatio commissa est, similiter etiam (si commoditas idipsum permittit) suos ægrotantes visitare debent matutino tempore, post solis exortum in umbra, nec non vesperi, quando sol ferè in occasu est, maximeque solliciti sint, ne pestem in domos proprias adducant, infectionem pro viribus à vicinis suis abigendo, quod sæpiùs iis Medicis accidisse vidi, qui potiùs lucri quàm charitatis erga proximum causâ sese periculo tali commiserunt, quales non tantùm rarò propriam vitam suam periculo committunt, sed simul etiam omnes illos, qui ipsos frequentant, quam ob causam iidem, instar pestis ipsius, fugiendi, quam sæpius in vestibus suis de domo in domum portare solent. Hanc ob causam quilibet Magistratus Christianus benè constitutus plurimùm in Throno DEI, (qui eundem ad dignitatem elevavit, eidemque authoritatem tribuit, quò diligentem curam habeat hujus rei, non tantùm propter personam propriam, sed etiam propter populum in universum, cujus ipse pater constitutus est) obligatur, ne Medicos ordinarios totius Reipublicæ domos infectas ingredi patiatur, sed certos quosdam Medicos atque Chirurgos constituat, homines pios, boni judicii, animosos & expeditos, quibus salarium & sustentatio sufficiens largiatur, quò tempore pestis inservire possint, qui signum aliquod infectionis tempore gestent, quò cognoscantur, quibus sub pœna interdicatur, ne alios ægrotantes visitent. Dixi, quod tales Medici & Chirurgi bonæ famæ & judicii esse debeant, quia maximus est casus conscientiæ, vitam multorum pauperum peste laborantium negligere, eamque Empiricis & Idiotis committere, quemadmodum inveniuntur præsumptuosi audaculi, qui pestiferorum curam gerere conantur, & magis in arte Medica non profecerunt, quàm simiæ. Perturbati, maximamque temporis partem ebriibestiarum instar, ægrotos visitant, & Medicamentis atque præscriptis Medicorum utuntur cum ejusmodi discretione rationis, sicuti facit asinus in pulsandis fidibus musicis, vel surdus in Instrumenti musici directione. Nam absque consideratione causæ morbi, symptomatum, indicationum, differentiæ corporis, ejusque complexionis aut temperamenti, repletionis & inanitionis illorum, prædominii humorum, partis principaliter infectæ, sexuum, ætatum, & sine aliis quam plurimis observandis, quæ in ægrotantium curatione necessaria sunt, medicamentis abutuntur, sine omni doseos & vehiculorum discretione: sudorem imperant, quando primò purgandum, vel sanguis mittendus; purgant, quando cibus præbendus, venam secant, quando confortandum; laxant & aperiunt, quando corroborandum; corroborant, quando vacuandum; nutriunt, quando jejunandum, & breviter his & similibus absque intellectu utuntur: si patiens convalescit, fortuitus est casus, quamvis honorem & remunerationem expetant, si moritur, excusatio talium Medicorum præstò est, quia nullus est, qui processum curationis eorundem observat. Quocirca, cum Magistratus condolentiam erga subditos habere debeat, huic defectui succurrendum erit, quia non sufficit, ut quis optima, specifica nec non utilia medicamenta possideat, quæ veneno, malignitatique pestis resistunt, sine exceptione constitutionis ac temperamenti corporis laborantis, non tamen hoc obstante requiritur, ut juxta discretionem artificiosam applicentur, quia non sufficit, ut mali causam principalem expugnemus, sed pedetentim etiam eò curatio dirigenda venit, ut non negligantur accidentia supervenientia, quæ mortis causa esse possunt, aut ita corpus laborantis debilitant ac

*Magistratus quid observare debeat in eligendis Medicis pestilentialibus.*

lædunt, ut per totum vitæ tempus habeant, de quo conquerantur, quo reparetur ac restauretur in integrum illud, quod ardore pestilentiali corruptum fuit, id quod Idiotarum cognitionem & intellectum excedit.

### *Diæta, vel regimen cibi potusque.*

*Diata vel Regimen cibi potusque tempore pestis.*

QUod attinet diætam vel regimen particulare, cibum, potumque concernens, hoc est, electionem certorum alimentorum, & rejectionem minùs convenientium, respectu eorum, qui sani sunt tempore pestis, quo seipsos tantò melius in statu sanitatis defendant, & ab infectione liberiores sint, diversæ sunt Medicorum opiniones. Quidam fundamenti loco diversas alimentorum & potulentorum qualitates considerant, & approbant illa, quæ quandam alterationem corpori introducere putant, quæque corpus in integritate sua conservare queant. Alii potius ad consuetudinem respiciendo, quam prædictam conjecturam observando, statuunt, quod homo sanus liberè consuetis alimentis ac potulentis uti queat, juxta varietatem anni temporum oblatis, tàm irruente infectione, quàm etiam aliàs, quorum opinio priori meritò præfertur. DEUS enim singulari providentia res omnes alimentares eo fine creavit, ut ad nutritionem & conservationem hominis inserviant, modo temperanter, & cum gratiarum actione sumantur, ubi simul ordinavit, ut in sanitatis conservationem cedant, ea ratione, ut radices herbarum crudarum vel fructus arborum quibusdam conveniant eodem modo, sicut aliis panis è frumento benè coctus: caro bovina similiter quibusdam, sicut aliis caro pullorum & perdicum: his caro porcina, sicut aliis caro vitulina vel vervecina: his pisces maris crassi, haleces, aselli exsiccati, sicut aliis auratæ, vel alii pisces delicati saxatiles: his caseus & butyrum, sicut aliis delicata condita & confectiones: & quoad potulenta, ut fontis aqua cruda quibusdam tàm sana sit & conveniens, sicut aliis cerevisia, aliis hydromel, aliis succus pomorum & fructuum depuratus: & aliis cerevisia, sicut aliis vinum Hispanicum, Gallicum, Rhenanum: quibusdam aqua vitæ, calida fortissima, sicut aliis potus benè temperatus, sicut & alia vitæ genera, quæ ratio instituti enumerare non permittit. Hinc sanguis illorum, qui pane secalino, fabarum, milii & aliis crassioribus cibis vescuntur, & qui aquam, lac aut cerevisiam bibunt, æquè ruber, bonus ac pulcher est, quàm eorum, qui panem, ciboque delicatos ac leves comedunt, & vinum optimum bibunt. Hoc modo non video rationem ullam, cur Medici diætam aliam introducere, vel mutationem alimentorum ad pestis præsertionem instituere debeant, in consideratione, quod talis variatio potius robur corporis alterare, quàm idipsum confortare vel conservare possit. Hoc verum est, quod illi periculosum sit, qui quotidiè pullis gallinarum, perdicibus, pane Martio & similibus usus fuit, si postpositis consuetis, subitò carne bovina, porcina, pane bis cocto nautico vivere velit: similiter & ille sanitatem periculo committet, qui cibis crassioribus assuetus, delicatis ac levibus alimentis sese satiare conabitur. Sed quid dicamus ulterius? non ne videmus personas crassioribus alimentis assuetas ordinariè robustiores ipsique infectioni minus obnoxias esse, quemadmodum delicatè viventes? non quidem quasi hoc ipsum cibis, quibus vescantur, attribuendum sit, sed potiùs propter naturæ robur, quod ejusmodi alimentis conservari vult. Quod si caro bovina, porcina, item pisces & caseus sunt materia magis accommodata pro recipienda infectione pestifera, generatione sanguinis impuri vel spirituum alteratione, præ cibis aliis, caveant sibi populi Angliæ, Westphaliæ & Hollandiæ, quia primi eorum carne bovina, secundi pernis porcinis, tertii piscibus, caseis & butyro maximam partem, & non solùm vulgares, sed illi, qui sunt alicujus autoritatis & existimationis, quotidiè ferè vescuntur. Interea, si quis exactè idipsum perpendat, non magis penes hos populos pestem grassantem, quàm apud aliter viventes observabit. Hoc ipsum tamen dictum volumus respectu corporum sanorum, quæ probè suas functiones peragunt, aliter sentiendo ratione illorum, quibus stomachus debilis est, vel penitus ægri, quandoquidem his conveniens diæta præscribenda, juxta præcepta, quæ docet ars medica. Nihilominus tamen non negamus, quin esculenta quædam tempore pestis minimè vel rarissimè sint concedenda, sicuti sunt cibi satis evidenter alterantes & perniciosi, quales sunt, caro porcina recens, aprugna, taurina, anserum, anatum, aliorumque volatilium aquaticorum: inter pisces anguillæ, tenchæ, salmo recens, haleces recentes & similes, qui sunt extremè dulces ac pingues, quique facilimè corrumpuntur, & febres generant. Sic etiam cibi in sartagine frixi, nimis pingues, artocreas & ollaria vitentur; quemadmodum finaliter copia fructuum atque confectionum dulcium non immeritò fugienda, quorum loco non tantùm melius, sed etiam utilius est, rebus acidis uti, quæ specialiter infectioni pestiferæ resistunt. Quod alios cibos, quilibet pro libertate & consuetudine sua sese gerat, sicut etiam in potulentis, eò potissimùm respiciendo, ne abusus accedat, assumendo solùm quantitatem convenientem, quæ corpus non alterare vel aggravare possit. Sic etiam necessarium est tempore pestis, ut matutino tempore, priusquam domo exeamus, jentaculum assumamus, quod certum est præservativum contra pestem: dùm enim virtus concoctrix stomachi laborat in concoctione, de centro ad partes externas alimentum ac vapores mittuntur; pariter ubi non habet quod agat, contrarium accidit, ut stomachus à cibo vacuus attrahat humores interius, unde corpus ad infectionem recipiendam habilius redditur. Patet hoc exemplo: dùm enim matutino tempore jejuno stomacho propè fossam aquæ corruptæ & putrescentis ambulamus, vel ubi aliàs res fœtentes & immundæ continentur, protinus fœtor iste caput nobis occupat, quod non tàm facilime fit, ubi cibum potumque sumpsimus, undè non inconveniens, ut quilibet parumper assumat, priusquam manè egrediatur. Cùm autem inveniuntur homines, qui tantùm ad prandium, atque cœnam assueti sint, ita ut si quid cibi potusque matuti-

no.

no tempore sumant, per diem integrum deterius habeant, idcircò monstrabo, quâ ratione massa confectionis siccæ sit præparanda, de qua ejusmodi personæ singulo mane parumper sumere poterunt, quod loco jentaculi sufficiet, absque ulla alteratione.

*Confectio sicca pro cordis & stomachi confortatione.*

## *Confectio sicca pro cordis & stomachi confortatione.*

℞. *Panis triticei bis cocti Sacch. albiss. ana lib. 1.*
*Amygdal. dulc. excort. Cort. citri virid. cond. ana lib. ß.*
*Gelatinæ cydon. ℥iiij.*
*Zingib. chinæ* } *ana ℥ij.*
*Myrobal. condit.* }
*Nucis mosch. cond.* }
*Cinamomi el. ℥js.*
*Croci opt. ʒß.*
*Ambræ gryseæ Moschi Alex. ana ℈j.*
*Aquæ rosar. q. s.*

Bis coctum & Saccharum, separatim quodlibet, pulverisetur: amygdalæ in mortario lapideo terantur, sicuti fit in pane Martio: sic etiam cortices citri, cum Zingibere & nuce moschata, quæ per setaceum extrahantur, sicut fit in cassia: cinamomum pariter pulverisetur, & bis coctum in mortario satis amplo optimè misceatur, deinde adde Cinamomum, cui per triturationem moschus & Ambra primum incorporentur. Pulveribus omnibus conjunctis addatur conditum expressum, gelatina cydoniorum, jus corticum citri, & pedetentim rebus siccis cum humidis permistis cum pistillo ligneo convenienti benè terantur omnia, eousque donec omnia benè contemperata & unita esse videantur, pro massa, quæ si paulò durior fuerit, cum aqua rosarum fragantissima parum irroretur, eousque, quo commodè vel morsuli, vel placentulæ formis consuetis formari queant, quæ postea lenissimo calore, tantùm ad superfluam humiditatem exiccandam, siccentur, & ad usum serventur. Hæc confectio diligenter præparata non solùm maximè cordialis est & corroborans, sed etiam tàm delicata & jucunda gustui, vix ut similis habeatur, viris principibus digna. Quibus Moschus & Ambra non conveniunt, in illorum gratiam absque iis confici poterit. Non intermittere volui, quin etiam Magistratum adhorter, ut quantum concernit venditionem carnium, volatilium & piscium, non solùm constituant certas personas, per quas primò visitentur, ne quid morbosum in foro publico sit, sed diligenter etiam interdicant, sub comminatione pœnæ, consuetudinem antiquam, quam lanii & pullarii quidam observant, quando carnem vitulinam, vervecinam & volatilium quorundam inflare solent, halitum oris per tubulum immittendo, quo pulchriores atque succulentæ magis appareant: præterquam enim, quod verendum, ne per morbosam constitutionem illius, qui carnes inflat, malignus & perniciosus halitus inspiretur; etiam optimè sani hominis inspiratio nocere potest, quando talis halitus cavitati carnis alicujus inclusus ad corruptionis generationem sufficiens est. Porrò præter observatam victus rationem tempore pestis, maximè diligens sit quisque, quò noxias animi passiones vitet, uti sunt ira, odium, anxietas, timor, melancholia, quibus spiritus admodum alterantur, & corpus ad infectionem facilimè recipiendam præparatur, quam ob causam fugiendi sunt ejusmodi animi affectus, quantum fieri potest.

*Adhortatio ad Magistratum.*

*Animi παθήματα tempore pestis sunt fugienda.*

### *De usu Balnei.*

QUod usum balnei sudatorii & aquæ calidæ, minimè tempore pestis idipsum convenit, præcipuè debilioribus, qui etiam aliàs assuefacti sunt, ut frequenter eodem utantur, nisi tantùm ad sordes corporis abstergendas: eapropter quod corpus ipsorum inflammet, spiritus cordis vitales dissolvat, atterias totius corporis pedetentim relaxet, ut aër pestilentialis aditum faciliorem ac liberum inveniat. Quocirca ejusmodi homines corpus à sordibus & sudoribus abstergere satagant, & spongiâ novâ cum aqua tepida sequenti modo inebriata sese lavent: Recipe aquæ fontanæ mens. ij. aceti vini rubri mens. dimidiam, aluminis ℥ij. Misce & leviter ebulliant, postea iisdem utere dicto modo paulò antequam ad lectum te conferas; præterquam enim, quod aqua dicta totum corpus à sordibus & immunditie purificat, simul omnia membra corroborat, quod tempore pestis maximè desideratur. Quibus odorifera magis exoptatur, illi pauxillum aquæ rosarum & lavendulæ commisceant. Verùm quibus consuetum est, ut singulis septimanis balnea aquæ dulcis & sudatoria frequentent, qui robustiores sunt, pleni humoribus, quique benè comedunt atque bibunt, illi consuetudinem suam continuent, eapropter, ne abstinentes in morbosam aliquam dispositionem incidant, cui occasionem præbere poterit, retentio & superfluitas humorum pravorum, qui aliàs per transpirationem evacuantur. Hinc igitur, in iis, quibus assueti sumus longo tempore, prudenter procedendum, & nihil temere statuendum, nec subitò, nec pedetentim, naturam aliis mediis juvando, quò præserventur ab iis accidentibus, quæ tales mutationes introducere queunt.

*Balneum sudatorium & aquæ dulcis num tempore pestis conveniat?*

### *Evacuatio seminis & actus venereus.*

VOluptates venereæ inordinatatæ semper sunt noxiæ, maximè tempore pestis, eapropter, quia corpus inflammant, ejusque vires debilitant. Dico inordinatæ: quia moderatus veneris usus, quo corpus à semine superabundante exoneratur, quantum natura requirit, sine coactione, & secundum leges matrimonii, non tantùm innoxius est, sed etiam sanitati plurimùm confert, maximè, quando conjugum uterque sanus est. Contra penitus intermittere, nec non totaliter exercitium præter dictam istam necessitatem refrenare, gravium ac formidabilium accidêtium causa esse potest, quia semen genitale retentum admodum incrassatur aut

*Actus Venereus num tempore pestis conveniat?*

corrumpitur in vasis, undè secundum Galenum similiter symptomata generari possunt, sicuti aliàs venenum aliquod introducere solet. Nihilominus tamen non ita studendum sanitati, ut in peccatorum sordes incidamus, dictum exercitium illegitimè, & contra divina præcepta instituendo, quia nobis propositum est medium licitum & honestum, quod est conjugium.

*Præservatio tempore pestis per medicamenta.*

*Præservatio tempore pestis per medicamenta.*

POstquam diximus de causis infectionis pestiferæ generaliter, quomodo homines inficiant, quomodo quis animam suam reformare, & sese ad beneplacitum ac voluntatem divinam disponere debeat; deindè quomodo corpus suum in usu rerum non naturalium dictarum regere debeat, porrò, juvante DEO, qui Medicum creavit, & medicinam è terra produxit, quique medicinam gubernat & dirigit ad omne bonum opus, accedam ad enumerationem remediorum eorum, quæ per DEI gratiam juxta cognitionem & experientiam in rebus naturalibus mihi comparatam præ cæteris excellentiora & fortiora pestifero veneno resistendo statuo, spe bona, quod Pater gratiæ, & fons omnis benedictionis parvum hunc meum laborem propitiaturus sit, ut cedat in ipsius gloriam, in proximi utilitatem, & conscientiæ meæ satisfactionem, ut hâc ratione contra gravissimum hunc morbum solatium atque quietem inveniendo, amplissimam occasionem habeamus, ut humiliemus nos ante ipsum, ipsique gratias agamus, agnoscendo quod omne bonum ab ipsius divina bonitate procedat, & quod ipsi soli gloria & honor debeatur.

*Pestis unum corpus facilius ac gravius, quam alterum prehendit.*

Jam verò Pestis, quemadmodum experientia, mater scientiarum & artium testatur, facilius atque gravius unum corpus quàm alterum prehendit, sequendo dispositiones diversas, quas in iisdem reperit, secundum magis & minus, ut ipsum venenum: & hæc est causa varietatis symptomatum & accidentium, quæ in infectis observamus. Maxima pars Medicorum statuit, quod non multum afficiat illos, qui sunt robustioris complexionis, quique peccantibus humoribus destituuntur, inprimis ubi pori corporis sunt rari & aperti, qui si peste detineantur, non tàm facilè succumbunt, sicuti debiliores, qui cutim habent occlusam, duram, rigidam, undè difficulter perspirant, nec vapores pestilentes, & humores vitiosos, quibus replentur, separant, quod non absque ratione statuitur. Alii quo ad diversitatem complexionum aliter sentiunt: hi enim statuunt, quod pestiferum malum facilius in corpore puro, sanoque radicetur, quàm in impuro. Sed cuivis opinionem suam relinquendo, consilium nostrum est, ut robustiores non confidant suæ fortitudini, nec cacochymici & impuriores suis impuritatibus aliquid tribuant, sed unusquisque recursum habeat ad remedia probata, quæ clementer à DEO nobis concessa sunt, ut iisdem corpus muniamus & spiritus balsamo quasi reficiamus, iis scilicet rebus, quæ subtili corruptioni venenatæ resistere possunt. Ut enim is, qui nimium tribuit naturalibus mediis, suum creatorem tentare potest, sic eodem modo peccat, qui posthabitâ ratione media negligit, quemadmodum faciunt homines levissimi, quasi DEUS medicinam frustrà creaverit, ejusque cognitionem quasi supervacaneum quid largitus fuerit. Quocirca præservationis ergò, priusquam perveniamus ad usum cordialium & specificorum alexipharmacorum, eò allaborandum, ut corpus purificetur & præparetur: quemadmodum enim balsamum excellens, quod in vas aliquod impurum ac rancidum immittitur, odoris fragrantiam deperdit; sic etiam subtile Bezoarticum & cordiale, quod exhauritur à corpore corruptis & vitiosis humoribus repleto, robur atque efficaciam suam perdit, & eo ipso minus efficax est, ut cordi succurrere, ejusque spiritus confortare possit. Hinc ergò necessarium est, ut repletio malitiosorum, peccantium, putridorumque humorum evacuetur per appropriata medicamenta, secundum differentiam naturarum atque qualitatum. Si Plethoricæ naturæ sunt, sanguis per venæsectionem minuatur. Quoad evacuationem, potissimùm eò respiciendum, in quâ corporis parte superabundent humores evacuandi, qui si maximam partem in ventriculo & pectore latent (quod indè colligitur, quando quis à cibis nauseam habet, os amarum est, odor inimicus exhalans quasi piscium putridorum, aut vitelli ovorum nimis cocti, ructus acidi, somnus post cibum, gravitas & dolor capitis) proxima, brevissima nec non naturalis via est, in iis, qui eandem perferre possunt, *vomitio*. Quod si peccantes humores potissimùm in cavitate jecoris, lienis, mesenterii, ventris, & breviter, in partibus infra ventriculum (quod indè colligitur, quando quis habet punctionem vel dolorem in hypochondriis, flatus ibidem ac murmurationes in abdomine, inclinationem ad alvi excretionem & calorem in imis visceribus) tunc bonum erit corpus purgare per eandem viam, nimirum *per alvum inferius*.

*Præservatio quomodo instituenda.*

*Quoad vomitionem.*

Quo ad *vomitoria* tempore pestis unum maximè specificum contra malignitatem, quod facilimè sumitur & absque vehementia operatur, est sequens liquor.

*Oxysaccharum vomitivum contra pestem.*

*Oxysaccharum Vomitivum contra Pestem.*

℞. *Vitri Hyacinthini more Matthioli pp. & subtiliter pul.* ℥j.
*Cinam. el. Zedoariæ Ligni Aloës resinosi opt.*
*Sem. Angelicæ ana* ʒij.
*Croci Anglici opt.* ʒß.
*Aceti rosacei* ℥xviij.

OMnia mittantur in vitrum cum subere benè clausum, ne quid odoris expirare queat: postea in B. M. per 24 horas digeratur. Balneo refrigerato, liquor coletur vel per chartam emporeticam filtretur, si opus est, ut optimè clarificetur. Deindè cum aq. rosar. tantùm Sacchar. solvatur, quantum est pondus liquoris prædicti; & coquatur simul ad consistentiam, quæ requiritur in confectione Manus Christi, quod saccharum solutum in calidum, prout ab igne sumitur, cum prædicto liquore pedetentim misceatur, quo facto, servetur ad usum; longo enim tempore conservatur.

Dosis

*Dosis pro debilioribus* est ℨij. vel ℨiij. *qui prompti sunt ad vomitionem*, usque ad iiij. 5. vel 6. *pro aliis*, imò ℥j. *pro robustioribus*, & *qui difficulter moventur.* Quod si superciliosi quidam, antimonii hostes sine ratione & experientia hoc uti nolunt (de quo ego DEUM testor, quod etiam infantibus, ubi necessarium est, absque omni timore præberi potest) illi hujus loco utantur Asaro, Gratiola, Nicotiana vel aliis vomitoriis, quæ placuerint.

*Quoad Purgationem.*

Quoad *purgationem* tempore pestis, necessarium est, ut idipsum etiam fiat medicamentis benignis, quæ corpus non admodum commovendo alterant. Hoc fine maximè commendantur pilulæ, quas omns officinæ præparant, Pilulæ Ruffi dictæ, quibusdam pestilentiales, quæ componuntur ex Aloë, Myrrha, Croco, quæ tria maximè balsamica sunt & corruptionibus resistunt, undè consequenter utilissimæ erunt contra pestem. Sic etiam excellentes sunt pilulæ nostræ Angelicę dictæ, quarum descripto talis est.

*Pilulæ Angelicæ.*

## *Pilulæ Angelicæ.*

℞. *Fol. senæ orient. mund.* ℥iiij.
*Rhabar. electiss.*
*Agarici albi troch. ut mox docebitur ana* ℥ij.
*Succi borrag. depurati lib. ij.*
*Infundantur per h. xxx. in expressione addantur*
*Aloës lucidæ* ℥ij.
*Coq. lentiss. igne in vase terreo vitreato ad consistentiam picis. deindè addantur:*
*Resinæ rad. Angelicæ Myrrhæ Troglod.*
*Croci Anglici*
*Salis Card. ben. ana* ℨij.
*Sp. Salis comm. g. 30.*
*F. Massa s. artem.*

*Per Agaricum trochiscatum* intelligo sumendum esse Agaricum albissimum & pulchrum, qui minutim incisus humectetur cum decocto absinthii pro conficienda massa, benè terendo in mortario, donec trochisci minores confici queant, qui siccentur & ad usum serventur.

*Per resinam Angelicæ* hoc volo, nimirum sumantur radices angelicæ recentes non cariosæ nec à vermibus corruptæ, quæ minutim incisæ spiritu vini vel aqua vitæ infundantur ad supereminentiam duorum vel trium digitorum: reponatur ad digestionem in loco calido per horas 40. deindè coletur, postea fiat exhalatio per destillationem vel aliâ ratione, donec in fundo materia remaneat, quæ subsistentiæ ratione sit instar gummi vel resinæ, & consistentiam talem nanciscatur, ut inde pilulæ formari queant, lavetur aqua rosarum semel atque iterum, & ad usum prædictum servetur.

*Spiritus Salis* intelligitur de liquore, qui igne fortiori, ex sale communi extrahitur, est tàm clarus, ut aquam repræsentet, & acidus instar spiritus sulphuris qui invenitur apud eos, qui in chymia laborant, si laborem destillationis subterfugere placuerit. *Dosis istarum pilularum est* ℈j. usque ad ℨj. unâ vice: purgant benignè crassos & tartareos humores ventriculi, vicinarumque partium, obstructiones aperiunt, flatus inclusos dissipant, stomachum roborant, & corruptioni resistunt. Si quis actionem eorum acuere cupit, quando purgandi sunt robustiores, & qui difficulter moventur, cuilibet dosi tria vel quatuor grana Diagrydii addantur, quemadmodum etiam in usu pilularum Ruffi fieri potest, quando cum iis agendum, qui benignioribus non laxantur. Porrò cum non semper occasio purgandi per pilulas sese offerat, sicut exempli gratia penes eos, qui fluxui hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium ac faucium subjecti sunt, item qui sunt extenuati, melancholici obstructionibus obnoxii, & calidiores, vel etiam ubi humores viscosi & tenaces, quibus Aloë & alia calidiora, quæ pilulas ordinariè ingrediuntur, contraria sunt, tali purgante quis uti poterit, quod sequitur.

*Electuarium Diasena.*

## *Diasena nost.*

℞. *Fol. senæ mund.* ℥iiij.
*Rhabar. electiss.* ℨij.
*Aq. è succo cichor. destill. q. s.*
*Infundantur 24. hor. in colatura addantur*
*Sacch. albiss.* ℥viij.
*Cassiæ recent. extr.* ℥v.
*Pulpæ Tamarind.* ℥ij.
*Coq. lentiss. igne ad consist. elect. deindè addantur*
*Crem. Tartari subtil. pulv.* ℨij.
*Ol. sem. anisi g. xij.*
*Caryophyll. g. iiij. Misce.*

Electuarium hoc gustui jucundum est, & blandè calidos atque adustos humores evacuat, & bilis evaporationes, quæ ad cerebrum, cor & alias partes distribuuntur, atque febrium internarum aliorumque symptomatum causæ fiunt, dissipat ac minuit. Quare qui ob dictas causas pilulis uti nequeunt, illi securè prædicto Electuario sese purgare possunt. *Si quis validè purgari vult*, ille manè jejuno stomacho tres, quatuor vel quinque aut sex drachmas juxta roboris naturæ differentiam assumat, & post tres horas parum de brodio carnis vitulinæ vel vervecinæ sorbeat, parumper cum buglossa vel borragine alteratum, si temporis occasio idipsum permittit. Verùm *ubi quis præparationis gratia*, seu pro laxatione tantùm eodem uti cupit, qui alias ad obstructionem alvi plurimum inclinant, his sufficit, ut quotidiè, vel alternis diebus dimidia hora ante prandium quantitate ℨj. & ultra sumatur.

Sic etiam potiuncula formari potest, quæ sequitur.

*Potio purgans.*

℞. *Fol. senæ mund.* ℥ij.
*Crem. Tartari* ℨj.
*Cinam. el.* ℈j.
*Aq. fumariæ* ℥iiij. *Infundantur per horas ij. vel iij.*
*In colat. dissolve Mannæ Calabr.* ℥j. *& clarificetur cum albumine ovi.*

Hæc

Hæc potio rectè præparatur pro dosi unica, clara est, jucunda, facilisque operationis, quæ cunctis hominibus, quocunque tempore, sine timore, præberi potest. Pondus fol. senæ, pro ratione roboris illorum, quos purgare convenit, minui vel augeri poterit, cui etiam aliquid Rhabarbari vel Agarici adjungitur, juxta differentias abundantium humorum, semper quantitatem eandem observando cum reliquis ingredientibus, & sicuti dictum est clarificando. Hâc forma potionis hactenus per multos annos successu felici utor, in omni genere morborum, ubi benigna medicamenta purgantia in forma liquida requiruntur, & ubi minimè convenit Scammonea, Colocynthis, Turbith & alia catarctica, nimis calida & acria, alterantia & omnes humores ex remotioribus partibus attrahentia, quibus medicamentis penes omnes (ut quidam sentiunt) præsertim tempore pestis, ubi omnes alterationes vehementiores & magnæ commotiones humorum sunt noxiæ, minimè utendum. Hæc de purgantibus.

*Quoad Sanguinis missionem.*

Quod missionem sanguinis attinet, illa fiat secundum regulas artis medicæ consilio prudentis & discreti medici, plus, minusvè sanguinis emittendo, una vel altera vena aperta secundum differentias repletionis, vel sedis principalis, per quam sanguis magis corruptus derivari potest, vel secundum differentiam necessitatis urgentis, sive revulsionis gratiâ, propter affluxum sanguinis copiosum ad partem quandam, ut aliò derivetur; sive propter eventilationem ad inhibendam ebullitionem sanguinis; sive propter aliam causam, quæ diligentissimè considerentur, priusquam concludamus de corpore quodam, cui missio sanguinis adhibenda, nec non de vena, quæ incidenda.

*Antidotorum Descriptio.*

Nunc tandem veniam ad descriptionem Antidotorum, quibus uti quis potest, ubi corpus purgatum & detersum est, juxta necessitatis leges: non enim necessarium est, ut omnes generaliter purgentur, sed illi tantùm, de quibus diximus.

*Antidotus Cordialis.*

## Antidotus Cordialis.

℞. *Cort. citri virid. cond. contus. & per setaceum transmiss.*
*Gelatinæ Cydonior. ana lib.ß.*
*Sacch. albiss. lib.j.*
*Succi Borrag. depurati lib.ij.*
*Melissæ depuratæ lib.j.*
*bulliant in lentissimo igne in vase terreo vitreato semper agitando ad consistentiam Elect. deindè addantur*
*Bezoartici Corallini ℥js.*
*Essentiæ Fl. Solarium, sive tincturæ Hyperici som. ℥ß.*
*Cinam. elect. Ligni Aloës resinosi Santali albi odorif. Sem. citri excort. ana.ʒiij.*
*Ol. sem. Angelicæ g. 10.*
*M. & in vase vitreo ad usum serventur.*

Hæc Antidotus est excellentissima & specifica pro corroboratione cordis, refectione spirituum & resistentia vaporum malignorum; contra sanguinis & bilis ebullitionem. Hinc igitur est efficax præsidium contra pestem, & in specie pro illis, qui sunt timidi, debiles & melancholici, *Dosis matutino tempore* ℈j. vel ʒß. quotidiè continuando, quamdiu durat infectio.

*Bezoartici Corallini Præparatio.*

*Bezoarticum Corallinum*, quod Antidotum ingreditur, hoc modo præparatur. Recipe sex uncias Corall. rub. præpar. hoc est, tritorum subtilissimè in marmore cum aq. rosar. quod pharmacopæis in usu est; mittantur in cucurbitam vitream, affundantur mensuræ duæ succi citri clarificati, ubi mox ebullire, & spumam elevare incipiet, idque continuetur per horas 24. absque igne: postea dictum vitrum ponatur in balneum digestorium tamdiu, donec spiritus acidi succi citri coralliorum substantiam penetraverint, eadem in pulverem album permutando, liquore claro reddito, sine ebullitione ulteriore, qui sapore fit insipidus, & acrimoniam suam perdiderit. Tunc igitur vitrum eximatur ex balneo, & liquor per inclinationem à Coralliis separetur, & abjiciatur, remanentia bis terve aqua simplici lavetur, postea in sole, vel aliter siccetur, & habebis pulverem album, levissimum & subtilissimum, in quo nulla acrimonia, sed levis tantùm adstrictio, quamvis non negari potest, quin acidi spiritus citri eidem adhæreant, quod indè apparet, quia primum pulvis iste magnam efficaciam habet in corde roborando, & corruptioni resistendo, quàm simplex corallium in corpus adsumptum, sicuti in aliis potionibus cordialibus fieri solet; & deindè, quia permistus cum electuario quodam, fermentationem producit, quod non fieri potest nisi per spiritus succi citri inclusos, quod optimè notandum, sicut etiam differentia proprietatum, quas acidi liquores possident, cum succus citri, sicut diximus, corallia præcipitet in pulverem, & acetum dissolvat eadem in liquorem transparentem, quod etiam in Margaritis præstat. Hinc possumus dicere, quod succus citri plurimùm cum natura spiritus sulphuris & vitrioli conveniat, qui etiam Corallia, Margaritas, oculos cancri & similia in pulverem præcipitent, sicut etiam facit succus citri: contra spiritus nitri res istas in liquorem dissolvit, quemadmodum quoque de aceto diximus. Hoc obiter dicere volui in gratiam illorum, qui arte Chymica delectantur, & opera naturæ diligenter contemplantur.

*Tinctura florum solarium quomodo fiat.*

*Per Tincturam Florum Solarium*, intelligo Extractum vel Essentiam summitatum Hypericonis florentium, quæ planta verè solaris est, propter proprietates incredibiles, quas obtinet in dissipandis vaporibus Saturnianis vel Melancholicis in corpore, nec non quod cor præ reliquis vegetabilibus omnibus admodum confortet, sicut frequenter experientia edocti sumus. *Extractum istud fit hoc modo:* recipe summitates benè florentes herbæ Hypericonis, quæ declinante lunâ colligantur, summo manè, ante solis ortum, postea minutim incisæ in aquam vitæ rectificatam immittantur, eousque donec optimè imbibantur, quo facto in balneo Mariæ (clauso vase ne spiritus vini expiret) per triduum macerentur: postea infusio exprimatur, quæ in balneo destilletur eousque donec aqua vitæ separata sit, & in fundo

do spissa substantia remaneat instar mellis obscurè rubri, quæ est tinctura Hypericonis, quam ad præcedentem Antidotum addimus.

*Diahyacinthum Aureum.*

*Diahyacinthum aureum.*

Est pulvis pretiosus pro cordis confortatione contra contagiosam infectionem.

℞. *Lap. Hyacinthi orient.*
*Boli Orizei, sive auri præparati, ut sequitur ana ʒvj.*
*Gem. Rubini Saphyri cærulei, Chrysolithi, Topazii, Smaragdi, Margarit. Oriental. Splendid. Corallii rub. rutilantis ana ℥iiij.*
*Spir. Salis rectif. ʒvj.*

Margaritæ, Corallia & lapides pretiosi pulverisentur in martario ferreo purissimo; vel si commoditas idipsum permittit, in mortario vitreo satis spisso, cemento quodam in lignea capsula ad id accommodata comprehenso, blandè tundantur, donec in pulverem abeant, postea cum auro præparato super amplam tabulam è marmore, vel alio lapide durissimo ponatur, deindè sumatur succi citri benè depurati cum spiritu salis permixti, quantum scilicet videtur, & cum eo pulvis prædictus humectetur, qui propter spiritus acidos protinus ebulliet, propterea in substantiam Coralliorum & Margaritarum agat, ubi necessarium est, ut spatula argentea benè deauratâ, vel eburnea moveatur eousque, donec ebullitio cesset. Consequenter teratur ab homine robusto, plus minus, per spacium quatuor horarum pedetentim humectando, quantum idipsum ad tritionem requiritur, cum aqua rosarum fragrantissima. Benè tritâ verò massa, ut digitis apprehensa sit impalpabilis, & linimenti instar lenis, quod deprehenditur, ubi parum dentibus absque alia durioris substantiæ resistentia masticatur, formentur tabellæ parvæ, sicuti consuetum est pharmacopæis in Coralliorum, Magaritarum & aliis durioribus præparandis, & in loco sicco siccentur super charta pura, custodiendo, ne quid impuritatis accedat, denique in vitro ad usum serventur. Iste pulvis hoc modo compositus maximè cordialis & magnæ efficaciæ est, contra infectionem contagiosam maximeque convenit Principibus, Magnatibus, & omnibus iis, qui sunt delicatæ naturæ, quibus sanguis maximè subtilis, ventriculus exquisitioris sensus, quique non odorem, multò minus saporem medicamentorum admodum aromaticorum calidorum, & odorabilium, ut sunt alexiterica vegetabilia, perferre queunt; item pro prægnantibus atque infantibus. De hoc pulvere matutino tempore, jejuno stomacho in cochleari syrupi de citro, berberum, vel juniperino, vel quoad personas frigidioris constitutionis, in pauxillo Malvatici vel vini Hispanici, *Dosis est* à tribus granis ac duodecim, plus vel minus, pro data occasione, &c. Cum additione de pulvere prædicto fieri potest sequenti modo

*Confectio de Hyacintho aurea.*

*Confectio de Hyacyntho aurea.*

℞. *Pulpæ cort citri virid. conditæ per setaceum extractæ.*

*Tomus tertius.*

*Pulpæ cort. arant. eodem modo extractæ.*
*Conf. Fl. violar. Fl. borrag. ana ℥j.*
*Sacch. albiss. ℥iiij.*
*Syr. de suc. citri. Aq. rosar. opt. ana ℥ij.*

Coq. lentissimo igne in Porcellana, vel alio vase terreo vitrificato ad consist. electuarii liquidi: deindè addantur

*Pulveres Diahyacinthi aurei supradicti ℥j.*
*Ligni Aloes resinosi Cinam. electiss. Santal. citrini fragrantiss.*
*Sem. Angelicæ Rad. Carlinæ*
*Doronici*
*Scordii, Croci Anglici opt. an. ʒj.*
*Pulverisentur omnia, & misceantur s. ar.*

*Dosis* istius confectionis vel Electuarii est à scrupulo ad ʒj. Sumitur autem tempore matutino, sicut alia medicamenta præservativa; non habet saporem ingratum, & est insigne alexipharmacum. De prædicto pulvere solida quoque confectio parari poterit, informa tabellarum, quæ sequitur.

*Rotulæ Cordiales.*

*Rotulæ Cordiales.*

℞. *Sacch. albiss. pul. ℥js.*
*Pul. Diahyacinthi aurei ʒß.*
*Croci subtiliter pul. ʒß.*
*Ambræ gryseæ gr. viij.*
*Ol. Cinam. de cort. citri, Angelicæ an. g. v.*
*Gum. Tragacanth. in succo citri dissol. ad consist. gelatinæ q.s. F. pasta in mortario s.a.*

Ex prædictâ massâ parvæ rotulæ ponderis scrupuli dimidii formentur, in forma trochiscorum pro fumo, quæ siccentur in umbra; & in pyxide clausæ serventur, de quibus omni mane, priusquam domo exeamus, vel etiam ubi domi manemus, una, duæ, tres, plus, minus, prout necessarium videbitur, sumantur.

*Boli Orizei vel Auri Præparati confectio.*

Bolus Orizeus, vel aurum præparatum pro pulvere Diahyacinthi supradicti conficitur hoc modo. ℞. Aurum præcipitatum (quod Chymici vocant Aurum sclopetarium, cujus descriptio est in Basilica Chymica Crollii, Tyrocinio Beguini & aliis libris) Unciæ unius pondere, Florum sulphuris, oleum vel spiritum salis, qui sit fortis, an. ʒß. Optimè tria ista misceantur, & postea materia ista extendatur ad latitudinem amygdalæ in crucibulo quodam satis magno, quem collocabis in ignem carbonum benè accensum, ut sulphur optimè comburatur & effumare queat, donec sub finem materia residua rubra glutinosa remaneat: postea removeatur protinus ab igne, & aurum invenietur grumosum in particulas minimas, quasi limonum vel terræ per solem siccatæ, colore boli, quod in puro mortario vitreo pulverisari debet, ut inserviat prædictis usibus. Quo ad lapides pretiosos, qui ingrediuntur prædictam compositionem, non aliam intelligo præparationem ab ea, quæ dicta fuit. Nolo enim hic sequi multorum Chymicorum opinionem, qui, dum putant sese lapides pretiosos optimè præparare velle pro medicina, vehementi igne vel solitariè vel cũ nitro calcinant, ubi loco meliorationis, totaliter ipsorum tincturas cor-

*Lapidum pretiosorum præparatio.*



rum-

rumpunt, eorúmque magneticas proprietates, verèque specificas virtutes destruunt, quibus cor confortare debeant.

*Antidotus pestilentialis specifica.*

### *Antidotus pestilentialis specifica.*

℞. *Magist. Corall. vitriolati* ℥ʃs.
*Essentiæ opii cum succo citri extr.* ℥j.
*Croci Anglici electi.*
*Rad. Carlinæ, Angelicæ, Hirundinariæ, Doronici, Dictamni,*
*Petasitidis, Tormentillæ, Zedoariæ.*
*Sem. citri excort. an.* ℨvj
*Benzoini Amigdaloidis Styracis Calamitæ opt. an.* ℨß.
*Mellis odorif. despum. lib. iij.*
*Vini Malvat. opt. lib. j.*

Radices omnes conjunctim pulverisentur, crocus separatim, ut etiam Benzoi & Styrax per modum triturationis, quia dum contunduntur sese coagulant, & in mortario agglutinantur: postea sem. citri cum radicum pulvere contundatur subtiliter, quantâ fieri potest. Pulverem cum vino Malvat. infunde, & digere in vitro benè clauso in B. M. per quatriduum: quo facto materia ista eximatur, & cum melle misceatur in vase terreo benè vitreato, adjecta essentia Opii, lento igne coquatur, semper movendo donec consistentiam electuarii acquirat. Postea cum removetur ab igne, & ubi ferè refrigeratum est, incorporetur cum Magisterio Corallorum, Croco, Benzoino & Styrace, quibus omnibus, benè mistis in terreo vase benè vitreato, satis capaci pro fermentatione reponantur, ubi quotidiè semel permistio fiat, donec fermentatio cesset. Electuarium hoc est excellens Antidotus contra pestem: si quis enim omni mane quantitatis fabæ, vel etiam plus, pro robustioribus, sumpserit, cor confortabit, ipsumque proprietatibus suis alexipharmacis replebit, ita ut nulla infectio vel venenum iisdem nocere possit. *Usus* esse poterit mox post octiduum à confectione. Conservari potest longo tempore, quam ob causam in quantitate sua magna præparari, & ad usum conservari poterit.

*Magisterii Corallorum Vitriolati Præparatio.*

*Magisterium Corallorum vitriolatum* ad prædictam intentionem hoc modo præparatur. ℞. Corall. rub. pulverif. & pp. ℥ij. immittantur in vitrum, & adde Aquæ rof. ℥ij. cum qua ℥ij. optimi Spiritus vitrioli sint permistæ, & statim videbis spiritus acidos in corallia agere, causando ebullitionem & spumæ commotionem, quam ob causam vitrum debet esse sat capax, quod etiam claudendum non est, donec ebullitio penitùs cesset, postea ponatur in B. M. ibique relinquatur eo usque donec spiritus vitrioli non amplius operetur, ipseque liquor sit clarus super residentia vel sedimento, ita ut nihil bullarum ulterius ascendat, quod signum erit spiritum operationem suam absolvisse. Sumpto igitur vitro, è Balneo, per inclinationem liquor à sedimento separetur, qui erit insipidus, instar aquæ fontanæ, ipsumque sedimentum in fundo relictum colligatur, siccetur & habebis pulverem albissimum, gustu parum astringentem, sed sine acrimonia, Coralliorum scil. spiritu vitr. insignitorum, qui servetur ad usum.

*Opii essentia præparatio.*

*Essentia Opii* pro dicta Antidoto fit hoc modo. ℞. Opii exempli gratia, libram dimidiam, incidatur minutim, ponatur in laminam ferream ad lentum ignem carbonum, & instar picis fundatur, move cum spatula diligenter observando, ne comburatur, & ita plurimùm de crassis suis vaporibus exhalare sinas, eo usque donec remoto igne siccetur, ut pulverisari queat. Postea sumatur idipsum Opium, pulverisatur, & affundantur succi citri optimè depurati & clari lib. iiij. per 24. horas in Balneo, vel alio loco calido digeratur, coletur postea per inclinationem liquor obscurè rubeus, vel per chartam bibulam filtretur, ut purissimus fiat ab omni terrestreitate superflua, postea fundatur in patinam vitream, vel in cavitatem cucurbitæ fractæ, & in arenam calidam ponatur ad fornaculam, vel alio in loco, tantùm caloris excitando subtus, ut phlegma succi citri leniter exhalet, & ut spiritus ejusdem acidi cum Opii substantia permisti relinquantur, inventa materia nigra, picis instar spissitudine mellis, quâ refrigeratâ ferè pilulæ formari possunt, quæ est essentia Opii nostro instituto serviens. Supra residentiam Opii relictam iterum succus citri potest affundi, cujus tamen extractio multo debilior est præcedenti.

*Aqua Theriacalis optima.*

### *Aqua Theriacalis optima.*

℞. *Theriacæ Andromachi* ℥vj.
*Rad. Carlinæ, Vincetox. Tormentillæ, Petasitidis ana* ℥j.
*Aq. vitæ vini Gallici per B.M. rectif. lib. iij.*
*Suc. Cydonior. depurati citri an. lib.* ß.
*Ol. sulphuris rectificati* ℨj.

Infundantur omnia in vase vitreo benè clauso per hor. 40. in calore lento, deinde separetur subtile à spisso per inclinationem. In colatura addantur Sacch. albiss. pulverisati ℥viij. & ad usum reserva. Hæc aqua Theriacalis est etiam bona Antidotus contra pestem, maximèque convenit tempore frigido, potissimùm iis, quibus spiritus vini, tum etiam potiones fortiores non nocent. *Dosis* est cochlear. j. matutino tempore tam diu, quàmdiu necessarium esse videbitur.

*Elixir Citri.*

### *Elixir Citrii.*

SEu liquor è substantia Citri compositus, qui facilimè præparatur iis in locis ubi naves his fructibus onustæ adveniunt, quod in Hollandia fieri solet, insignis contra pestem Antidotus.

℞. Corticum citri recent. demptâ maximâ parte pulpæ albicantis interius l. 4. minutim incide, postea in 4. mensuris aq. vitæ simplicis per 23. horas infunde; deinde per vesicam cupream cum suo refrigeratorio spiritum omnem istius infusionis (qui dimidia pars forsan erit, vel paulò plus, quatenus fortior vel debilior expetitur, istius liquoris affusi) destilla. Ut autem intelligas, totum spiritum per destillationem exiisse, chartulam quandam destillato liquore profluente madefacias, & flammæ candelæ vel alii igni committas: si

si protinus inceditur, bonus est liquor, & destillatio continuanda est; at si flammam non concepit, extemplo recipiens removeatur, cum eo quod exiit, & ipse ignis subjectus extinguatur. Hunc spiritum destillatum odoratissimum cum dimidia drachma croci optimi tingatis, admistis duabus libris syrupi de succo citri, qui fieri poterit ex iisdem fructibus, è quibus cortices ablati fuerunt. Hæc optimè mista conjunctim in vitro clauso custodiantur. Liquor hic jucundissimus, maximè cordialis & infectioni aëris resistens prædicatur, cujus *dosis est* cochlear j. matutino tempore, sicut etiam de aliis dictum est.

### *Theriaca Pauperum.*

*Theriaca Pauperum.*

*Excellens Antidotus, quæ pro pauperibus præparari potest.*

POstquam hactenus docuimus, quomodo excellentissimæ & pretiosissimæ Antidoti præparari debeant, inter quas priores ob facultates suas temperatas Regib. ac Principib. inservire queunt, necessarium est, ut quantum fieri potest, pauperibus etiam succurramus, iisque, Antidotos ordinemus, quæ ipsorum naturæ, facultatibusque conveniant, queîsque facillimè subveniri queant. Sit ergò primum medicamen Theriaca, quæ sic præparetur.

℞. *Her. Veronicæ, Scordii Card. ben. exicc. an.* ℥ij.
*Fæculæ Aronis*
*Fl. Sulphuris an.* ℥j.
*Zedoariæ*
*Rad. Imperatoriæ, Helenii, Hirundinariæ, Carlinæ,*
*Valerianæ, Myrrhæ el. ana* ʒvj.
*Ol. Vitrioli* ℥j.
*Mellis odoriferi despumati lib. iij.*
*Mellis Juniperini, sive extr. bacc. Juniperi lib.* ß.

Herbæ subtilissimè pulverisentur, & separatim quoque radices: Radix Aronis præparata separatim quoque trituretur subtilissimè. Deinde Mel & Extr. de baccis juniperi in ollam benè vitreatam mittatur, subjecto igne lento, quo tantùm materia calefiat, non autem bulliat, postea pulvis herbarum, Aronis præparati & radicum admisceatur, fortiter pistillo lingneo movendo, donec in formam Electuarii redigantur, ubi ab igne removeatur, & ferè refrigeratis adde Flores sulphuris, Myrrham, & oleum vitrioli: tandem in vas terreum vitreatum ponatur ad fermentationem, sicut de aliis Antidotis dictum fuit.

Theriaca hæc optima est pro pauperibus, præter id enim quod Autidotum contra pestem constituit, simul etiam consumit omnes superfluitates frigidas corporis, purificat pectus & phlegma tenax & viscosū consumit: similiter conducit stomacho propter impuritates ejus, quæ sæpiùs ibidem ob victus rationem crassam sanitati noxiam colligūtur, flatus dissipat, putrefactioni humorum maximè resistit, & per consequens à multis morbis præcavere potest. *Dosis est* à ℈j. ad ℥j. juxta varietatem corporum, quæ eodem utuntur.

*Facula Aronis quid. & quomodo præparetur.*

*Fæcula Aronis* est substantia levis, alba, quæ extrahitur ex recentibus radicibus Aronis, eo modo, quo idipsum docet M. de la Violeta in sua Pharmacopæa. Cum autem non ubique sufficientem quantitatem illius herbæ reperiamus, ad faciendam prædictam fæculam, monstrabo, quomodo aliâ ratione fieri possit. ℞. radices (vel bulbos) Aronis siccatas unius anni, quæ penes Materialistas inveniuntur: si exterius sunt impuriores, optimè aq. calida laventur, & vicissim exiccentur, & subtilissimè pulverisentur: pulvis in vas terreum vitreatum immittatur, affuso vino albo Gallico, vel alio tantæ quantitatis, ut duobus vel tribus digitis superemineat: stet in infusione per diem naturalem, postea vinum abjiciatur, affuso alio, idque tertia vice reiteretur, pulvere qui in fundo est vicissim exiccato, qui erit Arum præparatum, pro Theriaca dicta.

*Mellis juniperini præparatio.*

*Mel juniperinum* hoc modo præparatur. ℞. granorum juniperi recentium, grosso modo in mortario contundantur: coquantur in aqua eousque, donec videatis glutinosam substantiam separatam, postea expressa decoctione, quantum fieri potest, coquatur tam diu, donec in consistentiam mellis reducatur, quod erit dulcissimum & fragrantissimum. Rustici circa Noribergam, Augustam & alias regiones Germaniæ Mel istud juniperinum in copia præparant, quo non tantum instar Theriacæ utuntur, sed etiam in abundantia illud ipsum dieb. nundinarum in civitatibus vendunt. Hoc est quod intelligo per Mel vel extractum juniperinum.

*Aqua Epidemica.*

### *Aqua Epidemica.*

DUabus de causis Aquam hanc Epidemicam voco, quia primò proprietate suâ Bezoarticâ & facultate mundificativa non solùm pesti resistere, sed etiam homines ab aliis morbis Epidemicis seu popularibus dictis præservare potest; deinde quia est medicamentum facilis præparationis, idque in magna quantitate, sine magnis sumptibus, quod pauperibus servit, & toti alicui populo conducit, scil. pro pauperibus & vulgaribus, qui ordinariè reliquos superare solent, quique communiter populi nomine veniunt, quando Medici de Morbis Popularibus loquuntur, qui etiam ordinariè penes illos incipiunt, ob paupertatem, quæ non permittit, ut sese purificent, victus rationem laudabilem observent, ab extremis exercitiis abstineant, pluvias, ventos, tempestates frigidas & calidas fugiant, & pro necessitate sese vestire queant. At Aqua ista sic præparatur.

℞. *Rad. Angelicæ*
*Carlinæ ana lib. iij.*
*Absinthii Rom. Fol. Card. ben. exicc. Dictamni Cretici,*
*Scordii, Fol. Rosmarini, Thymi an. lib. j.*
*Aq. Comm. poc. 40.*

Herbis tenuissimè incisis & radicibus conquassatis, omnia infundantur in aqua ad vesicam cupream vel vas destillatorium, quo aqua vitæ solet destillari. Maceren-

cerentur 24. horis, fiatque destillatio per serpentinum refrigeratorium, ut semper profluat usque dimidia pars destillata sit, quod accidit tempore brevi. Postea admisceantur Aquæ vitæ juniperinæ pocula iiij. olei vitrioli rectificati ad acetum, hoc est, eo usque ut repræsentet ferè succum citri, quibus optimè permistis fiat conservatio in lagena vitrea vel terrea, vel alio vasculo benè clauso. Aqua hæc non est magni pretii, quia mensura non constabit ultra duos solidos, & eam ob causam proposito dicto plurimum inserviet. Hanc ob causam tempore pestis præparari poterit, ut inter pauperes distribuatur, sicut etiam in militia terrestri atque navali, quò milites incolumes serventur, præcipuè quando pestis & alii morbi Epidemici grassantur inter eos, quo in casu facilimè persuaderi possunt sani, ut utantur medicamentis præservativis: at quamdiu sunt sani, non admodum medicamenta curant, quod militibus in consuetudine. Dicta aqua non solùm præservationi, sed etiam curationi servit: pro præservatione quotidiè matutino tempore cochlear. j. sumitur; at si quis infectus fuerit, dosis auctior esse debet, quemadmodum postea, quando de cura pestis agendum erit, pluribus dicemus. Diu durat, nec facilimè corrumpitur, quâ de causâ per mare & itinera longa inservire poterit. Notandum v. quod non in vase quodam metallico sit conservanda, sed in vitro vel vase terreo vitreato, vel ad minimum vase ligneo, quia aliàs corrumpitur & qualitatem suã deperdit, ut noxia potiùs quàm utilis sit.

*Nota.*

Aqua vitæ juniperina fit hoc modo: ℞. grana juniperi recentia quatuor libras, conquassentur & in 8. mens. aquæ vitæ simplicis sive ex vino, sive frumento (quod parum importat) destillata sit, infundatur, postea per refrigeratorium destilletur, ut tantùm spiritus ardens separetur, qui servetur, ut cum aqua prædicta misceatur.

*Aqua vitæ juniperinæ præparatio.*

Oleum vel liquor acidus vitrioli, sicut etiam Sulphuris pariter etiam excellens est contra pestem, febres ardentes, pleurisin, fluxum ventris, dysenteriam, & morbum illum, qui in mari, maritimisque locis regnat, quem scorbutum vocant, ut & alios affectus, qui ab infectione aëris, aut humorum corruptione proveniunt: etenim si quis manè tres vel quatuor guttas in cochleari vini, cerevisiæ, vel aquæ sumat, taliter stomachum roborat, purificat, & à corruptione defendit, ut impossibile sit, naturaliter loquendo, ut utens eodem prædictis morbis affici queat. Et hæc sunt etiam medicamenta, quæ facilimè comparari queunt, præsertim cum libram olei vitrioli rectificati sex florenis communis monetæ quis comparare sibi possit, cum tamen uncia per annum integrum eidem sufficere queat. At qui usurpat, sibi caveat, ne vestib. & pennis affundat, quia res ejusmodi corrumpit: sic etiam quando quis bibere vult, in vitro, & non alio vase misceatur optimè cum illo liquore, quo sumitur, quia guttæ fundum petunt propter gravitatem suam: post usum vitrum cera rursus diligenter occludatur, quod vitrum sat fortè, cum angusto collo, versus orificium coangustatum instar tintinnabuli, quò guttatim aliquid effundi queat, absque perditione, quod fieri solet, ubi collum amplum atque breve est: nec etiam in iis vitris retinendum, in quibus orificium stanno clauditur, quia protinus corrodit idipsum, pedetentim saporem ingratum & noxiũ à metallo acquirens, id quod etiam oleum sulphuris facit. Hoc in gratiam illorum additur, qui liquorum istorum naturam non intelligunt.

*Oleum seu Liquor acidus Vitrioli.*

*Cautio.*

### *Bezoarticum vitriolatum.*

*Bezoarticum vitriolatum.*

Cum oleum vitrioli tantæ sit efficaciæ contra pestem, maximèque conveniens pro iis, quibus res angusta domi, quique non multum pro medicamentis expendere possunt, qui tamen nihilominus curiosi diligentesque sunt in conservanda sanitate, quantum fieri potest, considerando, quod sit liquor talis, cujus translatio, propter causas dictas, formidabilis esse possit, præsertim inter milites, tabellarios & peregrinantes, quibus ejusmodi commoditas non est, qualis requiritur, medium inveni, quo iisdem corpus aridum, siccum, sine alteratione vel perditione virtutis suæ donare queant, quod quis secum portare queat absque vitro in pura pyxide, vel charta instar terræ sigillatæ, vel boli armeni, quod fit hoc modo.

℞. C. C. usti calcinati albi, quantum placet, pulverisetur, & in catino vitreo, vel porcellana misceatur cum ol. vitr. rectificato pedetentim humectando, & cum pistillo vitreo parvo, vel spatula argentea deaurata, benè miscendo, donec fiat pasta, ex qua protinus Rotulę formentur, vel tabulæ sicut in terra sigillata: postea siccentur à seipsis, quod fit in brevi tempore, ob ariditatem cornu cervi calcinati, quod in continenti liquorem vitrioli attrahit, ut siccentur, quò pulverisari queant. Quo facto tabulæ istæ in pyxide quâdam serventur, & ita compositionem siccam habebitis, non solùm commodissimam, ut eandem secum quis portet, sed etiam maximè bezoarticam & corruptioni resistentem. Si quis usurpare conabitur pro Antidoto, pauxillum radatur cum cultello, pisi instar ad 5. vel 6. grana pro dosi, plus minus, juxta robur personarum, & quatenus eędem magis minusvé sensibiles sunt (semper n. dosis minor esse debet respectu eorum, qui debiliores & exquisitioris sensus sunt, quàm in aliis) idque sumatur manè, stomacho jejuno cum cochleari vini, cerevisiæ, vel aquæ claræ tempore æstatis, aut in casu necessitatis, in defectu aliorum, continueturque remedium hoc, sicut de aliis dictum fuit, toto isto tempore, quo pestis & alii morbi Epidemici grassantur, contra quos medicamentum hoc singulare & utile est, quamvis non sit tam magnæ existimationis, ut aliæ compositiones.

Hæc sunt præservativa, quæ contra pestem tam pro divitibus, quàm pro pauperibus, adeòque diversarum qualitatum hominibus, proponere voluimus. Quod si quis commoditate præparationis destituitur, vel etiam eadem præsidia non desiderat, nec iisdem delectatur (quia semper homines suis opionibus gaudent) ille utatur compositionibus aliis cordialibus & alexiteriis, quæ ordinariè in officinis dispensantur; ut est Confectio Alkermes, de Hyacintho communis,

Elect.

Elect. de Gemmis, Diambræ, Diamagar. frig. & cal. Lætificans Gal. Diarrhodon Abb. &c. Inter Alexiteria Theriaca And. Mithridatium, Aurea Alex. Elect. de ovo, aq. vitæ compos. Matth. & aliæ Antidoti, quæ laudabiles etiam & excellentes sunt. Porrò qui neque his etiam vult, vel potest uti compositionibus, ille simplicibus sit contentus: non n. Creator noster voluit, ut sanitas hominis necessariò dependeat à consiliis, receptis & compositionibus Medicorum, ita ut undique hominem, sive propè sive longè absit à Medicis & Pharmacopæis, gratiâ suâ circumdet, dum infinitum numerum excellentium simplicium tam in propriis nostris hortis, quàm in campis, pratis, rupibus ac montibus exhibet contra omnis generis morbos, inter quas maxima copia est earum, quæ tempore pestis serviunt, ut sunt exempli gratia Ruta, Absinthium, Carduus benedictus, Abrotanum, Majorana, Thymus, Salvia, Hyssopus, Melissa, Allium, Theriaca rusticorum dicta. Item Herba Hypericonis, Veronica, Scabiosa, Chamædrys, Origanum, Marrubium, Millefolium, quod in omnibus pratis & viis enascitur, cujus singularis est efficacia contra pestem. Item Radices Angelicæ, Imperatoriæ, excellentis & regalis Carlinæ, Valerianæ, Hirundinariæ, Morsus Diaboli, Aristolochiæ. Item fructus citri, aurantiorum, granatorum, bacc. juniperi, Berberorum, in mediis sepibus & hinc indè crescentium, & alia quamplurima simplicia, ne quid dicam de delitiis Aromatum, Balsamorum, substantiæ animalium, Resinarum, liquorum, salium, Terrarum, lapidum pretiosorum, quæ misericors Pater omnium nobis donat, de quibus quodlibet sumptum quantum convenit omni mane, simulque bonum regimen in diæta servando tempore pestis Alexiterium constituere potest.

*De Amuletis Autoris Opinio.*

Præter usum internorum medicaminum sunt ex Medicis, qui plurimum tribuunt ad pensis ad cordis regionem, vel sub axillis, iisque ex rebus venenatis, utpote Arsenico, sublimato, bufonibus siccatis, scorpionibus & similibus confectis, quæ vocant Amuleta, quasi dicas hostes pestis: sed præterquam quod ejusmodi assertio ratione firma careat, quæ ad experientiam incerta & cui parum fidendum, nihil quicquam ulterius hâc de re addam. Potiùs istius loco probarem olea & unguenta bezoartica, & alios liquores bezoarticos, administratos eâ ratione, sicut superiùs de aëris correctione dictum fuit. Cùm enim negari non possit, quod spiritualis atque subtilis essentia dictorum per respirationem & occultam transpirationem ad cerebrum, cor & sanguinem deducatur, idcircò sequitur, quod impraegnando quasi spiritus multò melius corpus nostrum à malignitate defendant, quam venena prædicta circa collum gestata. Sed de utroque remedio quivis eligat, quod placuerit, quod pro præservatione sufficiat.

*Signa & indicia pestis in genere.*

### *Signa & indicia Pestis in genere.*

PEstis crudeles atque malignos suos effectus in hominibus dupliciter exequitur, nimirum vel internè tantùm, vel tàm internè quàm externè. Si igitur pro intentione nostra distinctionem aliquam requirimus, cum Paracelso pestem aliam internam, aliam externam vocare possumus, quamvis utraque suam essentiam atque causam in ipso corpore habeat. *Signa pestis interna* sunt duplicia, suspecta, & obscura vel totaliter occulta. *Suspecta signa*; subitaneus, levis horror intra cutim atque carnem, conatus vomendi, somnus profundus, lassitudo totius, subitaneum delirium & furor, totius inflammatio, oculi scintillantes, facies rubicunda, vel sublivida, cephalæa, pulsatio arteriarum, palpitatio cordis, punctiones laterum cum insigni calore, pulsus in carpo celerrimus, vel extremè debilis, urina transparens, mali odoris. Hæc signa suspecta dico, quia non tantùm sunt indicia demonstrativa & infallibilia Pestis, sed possunt etiam prædicere, vel indicare morbos alios, nempe febres continuas, Synochum putridam, Causum seu febrem ardentem, febrem pestilentialem malignam, quæ præcedit, vel conjungitur, cum variolis & morbillis, multum à peste (de quo hic agimus) differentibus. Item pleuritidem, febrim tertianam, quartanam, aut alias febres atque morbos chronicos sine contagio, quorum peccans materia in prima commotione, juxta differentiam complexionum atque naturarum corporum eorum, quæ præhendunt, ejusmodi symptomata producere potest, quemadmodum omnes exercitati & periti Medici testari possunt. *Signa obscura* sunt, quando quis subitò subtili spirituum alteratione præhenditur, ita ut in seipso corporis harmoniam interruptam sentiat, interim tamen dicere nequeat, de quo conqueratur, nec etiam Medicus observare possit idipsum signo quodam, excepto quod parum intuitus aberrare, sermoque inconstans ac dubius videatur, at si totaliter sanus ac benè dispositus sit, quem tamen nihilominus pestis subitò jugulat, non aliter ac leo fame laborans in tenerum atque debilem agnum incidens, vel fodina seu mina pulveris tormentarii sub pedibus alicujus inscientis, quæ subitò accensa protinus illum attollit, & in instanti removet ab illo loco quicquid adest, antequam quis observare possit periculum unde veniat, quare dicere possumus cum *Propheta David Psal.* 91. quod pestis ambulet in tenebris, quia non observatur, & interitus qui perdit in meridie; est enim ejusmodi latro, qui non curat claritatem vel populi commotionem, homines tam in meridie quàm alio tempore occidens. *Signa pestis externa* sunt ex parte suspecta, ex parte evidentia: *suspecta* sunt & talia, qualia diximus, à principio, antequam natura venenum à centro ad circumferentiam propellat: postea sunt evidentia, quando præter alia signa dicta, laborans tumorem quendam post aures, sub axillis, circa pubem, carbunculum, vel furunculum inflammatum, pustulas vel exanthemata lentium instar rubra, livida, vel nigra sub cute monstrat, quibus apparentibus pronunciari potest eum hominem peste præhensum esse. Tantùm quoad differentias atque signa crudelis infectionis pestiferæ: non autem credendum, more aliorum, quod pestis homines omnes eodem modo adoriatur, & quod natura robustior malignitatem extra corpus propellat, quæ in debilioribus interius maneat; est autem hæc falsa imagi-

*Signa pestis interna.*

*Signa pestis externa.*

maginatio; quia sæpius observatum fuit, pestem regnasse, quam nos internam diximus, quæ abstulit omnes quotquot aggressa fuit, aliquos subitò per plateas ambulantes, quosdam in tribus quatuorvè horis, quosdam in diei spacio, vel ad summum tertiâ die, sine omni signo exterius expulso, neque in debilibus, neque in robustioribus, nisi post mortem stigmata livida sese ostentent in quibusdam, quâ ratione non negabimus, quod pestis, quam nos internam diximus, certas ob causas in corpore retineatur, ut exire nequeat. Quod si causam istius differentiæ inquirimus, credo quod melior ratio reddi nequeat, quam quod prima pestis hoc sibi proprium habeat, quod statim ictu primo cor petat, & interius spiritus vitales ac substantiam aëream ac Mercurialem corporis inficiat. Ubi jam homo debilis, & infectio magna, statim, vel in paucis horis jugulat; at ubi robustus est, vel ubi probata remedia in promptu sunt, per insensibilem transpirationem consumitur, secundum naturam subtilitatis suæ, sine propulsione materialis impuritatis ad externas partes. Contra pestis altera (externa dicta) propriè & directò sanguinem & alios humores inficit, qui sunt materia tumorum, apostematum, pustularum, macularum, ac scabiei communis, ubi robustum hominem adoritur, natura superat similiter, & malignitatem ad externas partes propellit, easque potissimùm, quæ sunt molliores, rariores & apertas, quibus in partibus jam tumorem, jam carbonem, jam pustulas vel maculas format, secundum diversitatem humorum prædominantium & magis ebullientium, quos invenit, quæ similiter sicuti peccans materia maligna sunt, periculosa & mortalia.

*Methodus curandi generalis in peste.*

### *Remedia & Methodus curandi generalis respectu eorum, qui peste præhensi sunt.*

Quamvis Pestis duplici modo, sicut dictum est, homines invadat, non tamen hoc obstat (exceptis accidentibus externis, quæ ad Chirurgiam pertinent) quin curatio physica vel interna, tam respectu unius, quàm alterius, principaliter tribus remediis perficiatur, nimirum per sudorifera Bezoartica, per vomitoria, & per phlebotomiam. Boni effectus, quos Bezoartica sudorifera producunt, triplices sunt, 1. Statim in primo insultu venenum pestilentiale domare: 2. Sanguinem ab omni corruptione & putredine purificare, quam per sudorem, per urinas, & per occultam transpirationem expellunt, vel avocando & secernendo longè à corde, ad locum aliquem externum corporis, ubi per remedium aliquod locale vel externum evacuari potest: 3. & cor atque calorem nativum confortare. Vomitorii effectus tres quoque sunt, 1. ventriculum & præcordia inanire ab humore bilioso & alia materia calida excrementitia, quæ corrumpuntur, antequam purgari possint, quæ malignitati pestiferæ junguntur, eamque vehementiorem ac periculosam magis reddunt: 2. abigere vapores corruptos, qui cursu suo aliàs venas petebant: & 3. quod præcordia purificent à dicta colluvie, corpus consequenter aptum & habile reddendo, quò eò melius auxilium & succursum Bezoarticum recipiat, quæ in stomachum purum recepta facilius, & magno cum successu prædictos suos effectus perficiunt, quod non fieri potest, ubi ventriculus & vicinæ partes immunditie plenæ sunt. Boni effectus venæsectionis sunt etiam triplices: 1. corrigere & temperare magnam effervescentiam & ebullitionem sanguinis admodum abundantis & calidi: 2. evacuando venas repletas plurimum, ipsisque aërem communicando, superstes sanguis plus spatii habet, ut agitetur & purificetur per Bezoartica: & 3. quo parti cuidam externè laboranti solatio sit, quæ plurimum sanguinis recipiens ad extremam inflammationem pervenire potest, ut timendum sit de gangræna, quæ sufficiens mortis causa esse poterit, cui ut succurratur, necessariò phlebotomia tentanda.

*Bezoarticorum sudoriferorum effectus.*

*Vomitoriorum effectus.*

*Venæsectionis effectus.*

Quod *Medicamenta Bezoartica*, prædictasque Antidotos attinet, omniaque remedia, quibus ad præservationem utimur, si dantur in majori dosi simul etiam ad curationem inservire possunt, semper tamen perpendendo, magnam esse differentiam, corpus aliquod à peste præservare, & quod jam infectum est, curare. Nam Antidoti, quibus ad præservandum utimur, pedetentim per quotidianam continuationem corpus integerrimè balsamica quasi virtute robore spiritusque ejus essentiâ suâ alexiteria, quo infectioni resistant, præmunire debent. At ex altera parte curare quendam jam infectum, requirit non solùm Medicamenta, quæ sua natura sunt bezoartica, sed etiam essentialia, subtilia, penetrantia & in suis operationibus efficacissima, quò realiter, sine longâ morâ in stomacho, mox in venas, arterias & habitum corporis extendant, sese spiritibus immisceant, purificando ipsos ab omni vapore maligno, non aliter, quàm sicuti flamma ignis aërem ab omni sorditie purgat eo usque, quo sese vis ejusdem extendere potest. Quocirca, si quis pestiferos curare conabitur, necessarium erit, ut sibi provideat de ejusmodi liquore Bezoartico, sicut est sequens.

*Medicamenta Bezoartica.*

*Admonitio circa hoc medicamentum.*

### *Diaphoreticum pestilentiale nostrum.*

*Diaphoreticum pestilentiale.*

℞. *Granor. juniperi recent. lib. ij.*
*Herb. Dictamni Cretici*
*Scordii Montani Cretici.*
*Rad. Angelicæ*
*Cort. citri exicc. an. lib. j.*
*Aq. vitæ simpl. poc. viij.*
*Aq. comm. poc. iiij.*

Omnia mittantur in Instrumentum destillatorium ex cupro, quod vesicam vocant, tantæ magnitudinis, ut tantùm ad dimidiam partem repleatur, postea apposito pileo, juncturæ sigillentur, ut nullus vapor expiret, & posito sub tubulum vel canalem magno recipiente vitreo pro recipiendo liquore destillando, subjiciatur ignis parvus, ut materia calefiat pro digestione & emollitione ingredientium, quo spiritus eorundem eò melius separetur, quem calorem per triduum continuabis. Postea eodem modo destilletur, sicut etiam aqua vitæ

vitæ destillari solet, donec omnis spirituosa & inflammabilis substantia separata sit, quæ circiter poc. iiij. erit, vel aliquid ulterius, ubi observetur, quod supra dictum est de Aqua Theriacali, quo quis certus sit, spirituosam substantiam extractam esse. Postea ad quodlibet poculum istius spiritus adjunge.

*Rad. Carlinæ* ℥iiij.
*Vincetox. Zedoariæ an.* ℥js.
*Succi Veronicæ condensati*
*Croci Anglici el. an.* ℥ß.
*Camphoræ* ʒj.

Digerantur in Baln. M. in vitro benè clauso, ne quid spirtuum exhalet, per quatriduum, sed nota quod vitrum capax esse debeat, quo vapores ascendentes circulentur, & vicissim super materiam descendant. Elapso hoc tempore & Balneo refrigerato per inclinationem liquor infusus separetur, & superstites materia exprimatur quantum fieri potest, & finaliter ad ℥xxiij. *adjunge syr. papav. Rhæad.* ℥viij. *Spir. salis. rectif. g.* xl.

*Admonitio circa hoc medicamentum.* Quæ commista diligenter in phiola vitrea custodiantur instar liquoris pretiosi, quia est ex numero præstantissimorum Diaphoreticorum vel sudoriferorum & aperientium, quæ quis præparare potest contra pestem, de quo perindè securè quis uti potest in omnibus, qui mediocres vires adhuc obtinent, ubi necessitas idipsum requirit. Interim obiter hoc moneo, non timendum esse prædicti medicamenti usum, propter calefacientem atque penetrantem facultatem, quod arrogantes quidam Medici facere poterunt, qui respiciendo potius ad circumstantias quasdam, quàm veram essentiam morbi, lubentius utuntur medicamentis frigidis vel temperatis, in respectu excedentis caloris, qui ordinariè cum dicto morbo complicatur, & interim non pugnant contra causam morbi, adeoque principalem hostem, contra quem sese armare necessum est. Est enim alia ratio domare venenum ejusmodi periculosum & vehemens, quod homines jugulat neque per caliditatem neque per frigiditatem, sed per occultam subtilissimam malignitatem, quod fieri debet per remedium aliquod specificum & efficax, sicuti suprà dictum fuit; alia etiam est ratio cuidam intemperiei calidæ vel frigidæ resistere. Adde insuper, quod medicamentum hoc, fortiter contra venenum pugnando, seipsum consumat atque transpiret durante sudore, sine ulteriori inflammatione vel alteratione partium; imò veneno expugnato, corpus ipsum alterari potest, prout sese occasio offeret, remediis convenientibus. *Dosis istius liquoris est* à ʒij. ad ʒvj. aut plures. Quod si quis admodum debilis & naturâ extenuatus sit, vel admodum delicatè vivat, ita ut vix pauxillum Theriacæ deglutire queat, ipseque spiritus vini odor ferè totum corpus commoveat, sicuti reperiuntur, inprimis inter tenellas atque blandas puellas nobiles, ut etiam illi, qui hypochondriaco malo obnoxii sunt; prægnantes itidem, senes & infantes: his loco prædicti liquoris pulvis Diahyacinthi, descriptus in capite de Antidotis, vel Bezoarticum metallicum, quod à Crollio, Quercetano & Beguino describitur, exhiberi potest, quod est pulvis candidissimus, sine omni odore & sapore, qualitatibus suis temperatus, sufficiens bezoarticum pro talibus personis, exhibendo de hoc vel illo cum aq. veronicæ vel card. ben.

*Vomitoria quænam exhibenda.* Quoad *Vomitoria*, consilium meum est, præ cæteris eligendum liquorum Antimonii, cujus antea facta fuit mentio, qui (præterquam quod absque difficultate stomachum ab humoribus & impuritatibus prædictis eluat) singularem proprietatem habet, qua pesti resistit, super alia Empirica, quam ob causam omnibus dari potest, qui ad vomendum habiles sunt, toties, quoties necessitas idipsum requirit. Quod si quispiam Medicorum abhorret ab usu medicamenti prædicti, propter defectum cognitionis Antimonii, cujus naturam, proprietatem & operationem ignorat; is legere dignetur Anatomiam meam Antimonii, & autoritati multorum Doctorum Christianorum, sicuti paganorum subscribat, certè secundum rationem & experientiam confiteri cogetur, omne dubium, quo ad prædictum medicamentum sibi sublatum.

*Venæsectio quando administranda.* Quoad *Venæsectionem*, quilibet scit, quid dicere debeat. Pro tempore, quo quisque sciat, quomodo cum ordine convenienti juxta tria remedia, nimirum in usu Bezoarticorum, vomitoriorum & phlebotomiæ sese gerere debeat in curatione pestis, sequentes regulæ sunt observandæ.

*In Curatione Pestis observandum I.* I. Si quis tempore pestis ad ægrotantem subitò morbo correptum vocatur, primùm diligenter eò allaborandum, ut cognoscat, an peste præhensus sit vel non, tam examinando signa apparentia, nec non penes ægrotum tum inquirendo constitutionem corporis naturalem; quàm etiam observando, quæ exterius apparent. Et posito quod nihil signorum manifestorum sese offerat, quod infectus sit, ita ut dubitare cogamur, symptomatibus videlicet æquivocis apparentibus, quæ tam alterius cujusdam morbi, quam pestis indicia esse queant, sicuti suprà dictum. In hoc casu, si quis methodicè procedere vellet, aliquamdiu expectandum esset, antequam medicamenta præscribantur, donec, qualis morbus sit, appareat, ad quem postea curatio dirigatur. Sed ubi consideramus occulta stratagemata, quibus pestis frequenter invadit, quibus in paucis horis aliquem jugulat, priusquam idipsum observetur, item quod tempore contagii regnantis alii morbi, suam originem à corruptis humoribus habentes, propter malam astrorum constellationem, & subsequentem aëris alterationem, facilimè in febres malignas & pestilentiales mutari queant; tutius erit, in continenti Bezoartici cujusdam dosin administrare, nempe pulverem nostrum, vel confecti Diahyacinthi aurei, vel aliud supra dictorum: per hoc enim medium cor confortatur & facultas expultrix excitatur, undè fit ut mox peccans materia occulta propellatur, & per alia signa manifestetur, quæ si pestifera est, corrigitur, ut effectus malignos non edat; si alius est morbus, eò allaboratur, ne malignus & pestilentialis fiat; ita ut in hoc negotio Bezoartica sint instar experimenti, quo morbus in principio occultus, manifestatur. Neque hoc solum, sed memorabile etiam est, quod interdum accidat,

cidat, ut sumpto Bezoartico sub initium alicujus morbi natura confortata miraculosè sese liberet à materia sibi contraria, per evacuationem quandam non cogitatam, ita ut morbus abeat, sine ulteriori remedio. Hinc igitur, oblata hâc occasione, multo tutissimum ad Bezoartica refugium est.

II.

II. Si laborans, qui Medicum expetit, nullum dolorem vel signum pestis habet in externis corporis partibus: Item si pulsus est ordinatus, urina laudabilis: si non adest dolor capitis, neque extraneus calor: si venæ non sunt tensæ, si nulla adest purgatio vel alvi subductio extraordinaria, sibique penitus sanus videtur, excepta levi lassitudine interna, & parva cordis debilitate, quam sentit: si oculi sunt scintillantes, & non rubicundi, plus justo lætiori, vel tristiori sese gerente ægro præter consuetudinem, vel aliàs contra naturam sese ostentante: protinus & in continenti bona dosis optimè conveniens, pro ratione virium, de Diaphoretico pestilentiali, vel si est ex numero delicatulorum, dosis bezoarticorum dictorum cum aq. Veron. vel card. bened. exhibeatur. Postea in conclavi calido sese ambulando exerceat si potest, per dimidium horæ, cum tunicâ nocturna circumdatus, quo facto lecto sese contineat calido, & frictionibus extremorum cum linteo calefacto sudorem promoveat, plus, minus, prout ferre poterit. Post sudorem, frigus fugiat, & observet, quid medicamentum operari velit. Quod si patiens se sentit liberatum à priori dispositione (excepta levi alteratione, quæ ordinariè sudorem habitum sequitur, præsertim in personis debilibus) nihil aliud tentandum, quam ut domi sese per biduum vel triduum contineat, bonam diætam observet, & si ventris constipatio urget, clysterem emollientem adhibeat. Si interim nihil mali supervenerit, exire & aërem liberiorem, pro more suo haurire poterit. At si vix dimidia ex parte post primum sudorem symptoma remissum videtur, post octo horas alia paulò minor dosis Bezoartici reiteretur, quo facto, si benè sese habet, dicto modo gubernetur. Contra si nihil juvamenti sentit ab usu Bezoarticorum, si debilior, & tristior apparet, & urina, pulsus, facies nullam alterationem exhibent, nec etiam natura quædam indicia morbi monstrat, sæpiùs cordi per cordialia succurrendum erit, attendendo, quod malignitas per modum criseos naturæ exierit, sine tentata venæsectione vel purgatione, utpote quod absq; periculo fieri non potest, nisi necessitas evidens illud urgeat.

III.

III. Si patiens peste laborans sese offerat, qui dolorem capitis, soporem, punctionem præcordiorum & appetitum ad vomitum habeat, cui ventriculus bile repletus & aliis viscidis humoribus infectus: huic statim in principio vomitorium aliquod supradictum præbeatur: postea stomacho purgato (quod fit in 2. 3. vel 5. horis, vel pluribus) Bezoarticum ad sudorem sumat, sicut antea dictum fuit. Sit autem, ut aliquod signum externum pestis appareat (posito, quod ventriculus repletus sit, uti dictum) nihilominus curatio per vomitorium incipienda est, subsequente Bezoartico: ventriculo n. à vitiosis humoribus liberato, nec non veneno plurimùm à corde propulso & fugato, multo felicius aliquis in cura procedet cum particularibus remediis, juxta varietatem accidentium; quæ post usum medicamentorum generalium apparere possunt, sicut postea docebitur.

IV.

IV. Si quis incidat in ægrum pestiferum, qui per totum corpus ardeat, capite doleat, occulos rubentes ac flammeos, linguæ, fauciumque inflammationem, sitim intolerabilem, difficilem respirationem, pulsum extremè frequentem & venas atque arterias tensas habeat: protinus absque mora venæsectio instituatur, emittendo bonam quantitatem sanguinis, pro respectu plenitudinis, sine parsimonia, quamvis in lipothymiam incidat: in tali n. casu, nisi quis corpus à superabundantia sanguinis ebullientis & inflammati liberet, frustrà laborabit. Verùm tamen est, si conveniens minimè videtur ejusmodi magna evacuatio simul & semel tentata, propter impedimentum vel difficultatem aliquam, ut eadem duabus vicibus perficiatur, modo fiat spacio 4. vel 5. horarum, ubi interim, antequam secunda missio sanguinis fiat, aliquid cordialium medicamentorum pro confortatione præbeatur. Factâ venæsectione, Bezoarticum exhibeatur, quo venenum pestiferum expellatur.

V.

V. Si patiens sese offerat, qui habeat febrim acutam, calorem excedentem, & capitis insignem dolorem, cui simul etiam exanthemata rubra, livida, vel alterius coloris, protinus ad Diaphoreticum pestilentiale recurrendum, & pro viribus sudor provocandus, quod paulò post secunda vice propinetur, si necessarium videbitur, eousque, donec cordis vires recolligi, febrim minui, & exanthemata evanescere appareat. Diligenter igitur hic perpendendum an in ejusmodi cura per vomitorium, aut per venæsectionem sit incipiendum, utpote quæ nunquam admittenda, nisi post malignitatem separatam & expulsam, continuatio fervoris ab ebullitione vel copia sanguinis depræhendatur.

VI.

VI. Si quis peste præhendatur cum febre lenta, sopore & dormiendi inclinatione, cum dolore post aures, circa collum, sub axillis &c. sine glandularum apparentia, nec etiam indicio aliquo tumoris istius loci; statim dosis Diaphoretici pestilentialis exhibeatur, sudore provocato, sicuti dictum fuit, reiterando idipsum semel atque iterum, donec febris consumatur, & dolor evanescat, vel si dictis in partibus tumor aliquis oriri incipiat, qui ad perfectionem perveniens toxicis curetur, ut postea dicam.

VII.

VII. Tandem oblato patiente, cui prima vel secunda die carbunculus aut tumor, vel exanthemata supervenerint, in hoc casu medicamenta generalia juxta regulas sequentes observentur. Primò si patiens est Plethoricus, & si in parte, quam occupat, carbunculus vel tumor, aut pustulæ, inflammatio magna & intolerabilis dolor oritur, protinus venæsectio instituatur, sicut ante declaratum fuit: postea detur eidem Bezoarticum cordiale, quod esse poterit nostra confectio de hyacintho, vel similis, non tantùm ad sudorem provocandum, quàm ad cordis corroborantionem, & ejusdem à veneno defensionem, quod duabus vel tribus vicibus iteretur singulis quinque horis, prout necessarium videbitur. Quod si patiens non admodum

modum sanguineus est, & inflammatio atque dolor mediocritatem observant, venæsectio intermittatur, & bezoarticum exhibeatur, eo fine, quo venenum longè à corde propellatur, eousque, donec carbunculus, tumores & furunculi per externa remedia curati sint.

Hoc sufficiat de generalibus remediis pro curatione naturali vel interna, tam ad consumendum atque fugandum totaliter venenum. Pestis per sudorem atque insensibilem transpirationem in principio; & quando adhuc essentialis est morbus, quàm ut à centro ad circumferentiam & superficiem corporis venenum expellatur tunc temporis, ubi per conjunctionem alicujus humoris, cum quo jungitur & unitur, materialis redditur.

*Curatio accidentium & causarum particularium pestis.*

### *Curatio accidentium & causarum particularium pestis, quæ exterius intra carnem atque cutim superveniunt.*

Affectus atque symptomata particularia pestis, quæ ad curationem chirurgicam pertinent, principaliter tria sunt: primò est abscessus vehementer inflammatus, rubeus, lividus, viridis vel niger, quem vocant Carbunculum, ob vehementiam ardoris & doloris, quam producit, ferè eo modo sicut carbo ignitus carni impressus: secundò est tumor carbunculo major, sed minus acutus, qui non ita dolet ut anthrax vel carbunculus, quamvis sæpè sit etiam admodum venenatus & periculosus: tertiò sunt parvæ glandulæ sæpe duriores atque mobiles, quæ in diversis corporis partibus inter cutim atque carnem oriuntur, quæ etiam sunt perniciosæ, quamvis non in ejusmodi summo gradu, nec tanti momenti cum prædictis. Hæc sunt accidentia externa, quæ curam chirurgicam requirunt, quæ ab aliquibus causæ secundæ, & ab aliis causæ particulares potiùs quam accidentia appellantur, idque duas ob causas; primò quia sæpiùs persistunt ejusmodi symptomata, nec cedunt ad curationem generalem vel internam, quam ob causam oppugnanda sunt remediis toxicis vel particularibus; deinde quia sæpiùs observatum fuit, quod tempore pestis homines subitò præhensi fuerunt carbunculis, tumoribus vel glandulis, more sagittæ subitò inflictæ, priusquam signum aliquod aliud, vel alteratio corporis observata fuerit, quibus si quis particularibus remediis toxicis non succurrat, venenum ipsorum cordi communicatur, ferè modo eodem, sicuti venenum morsus viperæ, vel alterius animalis venenati. Sit autem ut quis accidentia vel causas nominet, pro lubitu, curationem juxta sequentem processum accommodatam inveniemus.

*Carbunculi curatio triplicem intentionem requirit.*

Pro curatione Carbunculi, sit in quacunque corporis parte, triplex intentio principalis requiritur: prima consistit in eo, ut materia virulenta, extremè corrosiva, quæ intus est, evocetur: deinde ut resistamus vehementi ardori & dolori, quem in parte laborante producit; tertiò ut ulcus mundificetur, & ad perfectam consolidationem perducatur. Jam verò ut virulenta materia tutò & citò suppuretur, necessarium erit, ut Emplastrum præparatum sequenti modo sit in promptu.



*Emplastrum attractivum ruptorium Pestilentiale.*

### *Emplastrum attractivum ruptorium Pestilentiale nostrum.*

℞. *Gum. Sagapeni, Ammoniaci, Galbani an.* ℥ij.
*Terebinth. coctæ, Ceræ virg. an* ℥iiijs.
*Magnetis Arsenicalis subtil. pulv.* ℥ij.
*Rad. Aronis pul.* ℥j.

Gummi depurentur cum aceto scyllitico, & ad consistentiam Emplastri coquantur, & postea ponderentur: deindè cum rebus aliis fiat Emplastrum lege artis, quod excellentissimum atque specificum est ad extrahendum virus pestiferum ex profunditate ad extrà, præcavendo, ne vicissim ad interiora regurgitet & cor ipsum suffocet, ut credam, inter omnia toxica simile remedium non inveniri. Hoc Emplastro carbunculus obducatur, quod paucis horis venenum extrahet.

*Linimentum ad inflammationem vehementem.*

2. Ad vehementissimam inflammationem linimentum sequens præparetur.

℞. *Minii* ℥j.
*Aceti Sambucini* ℥v.

Infundantur in Bal. M. per hor. iij. vel iiij. deinde colentur per inclinationem: colaturæ addantur.

*Ol. Sambucini*
*Rosati completi an.* ʒvj.
*Santali rub. pul.* ℈iij.
*Croci opt.* ℈ß.

Misceantur in Mortariario plumbeo, vel in patina vitreata terrea, usque dum acquirant consistentiam unguenti. Hoc unguento vicinæ partes circa carbunculum inungantur.

*Magnetis Arsenicalis præparatio.*

### *Præparatio Magnetis Arsenicalis anteà dicti.*

℞. *Arsenici Crystallini.*
*Sulburis vivi*
*Antimonii crudi an. part. æqual.*

Hæc tria in mortario ferreo pulverisentur, in vase fortissimo vitreo ponantur ad ignem arenæ, donec vitrum optimè incalescat, & prædicta solvantur atque liquentur instar picis, quod observabitur, quando filum quoddam immittatur ad fundum, quod extractum postea instar Terebinthinæ trahetur, ubi satis coctum erit. Postea remove vitrum ab igne, & ubi refrigeratum est, rumpe, & subtiliter petram istam rubicundam, quam invenis, pulverisa, quam ad usum serva. Præparationem hujus pulveris scripsi quoque in Anatomia Vitrioli & Ternario Bezoarticorum: ut autem illi, quibus fortè desunt libri isti, processum præparationis habeant, idcircò eundem & hîc repetere placuit, utpote cum remedium hoc maximè tempore pestis commendatum sit.

*Vnguentum mundificativum.*

3. Anthrace vel Carbunculo aperto, tumor qui restat, resolvatur, ulcus mundificetur, & curatio sequenti modo continuetur.

*℞. Succi plantag. Scabiosæ Rosar. rub. Nicotianæ veræ an. ℥ij.*
*Mellis virginei crudi ℥iij.*
*Terebinth. laric. ℥j. Vitell. ovor num. ij.*
*Farinæ Hordei ℥ß.*

*Emplastrum exterius imponendum.*

Coq. lentiss. igne, semper agitando ad consistentiam Unguenti.

Hoc ipso interius ulcus curetur, & exterius sequens addatur Emplastrum.

*℞. Picis navalis, Resinæ pini Gum. Ammoniaci depurati.*
*Ceræ virginis, an. ℥js. Asphalti ℥j.*
*Mellis adusti, ad nigredinem subtil. pulv. ℥ß.*
*Camphoræ in ol. succini dissol. ʒj.*
*F. Emplastrum, quod linteo extendatur ad usum.*

Quod si Carbunculus post apertionem cum magna inflammatione & duritie labiorum continuetur, appositis prædictis remediis, tota pars tegi potest cataplasmate emolliente & refrigerante, quod fiat ex foliis Malvæ, Altheæ, Violariæ, plantaginis, Rad. Altheæ, & similibus, cum pauco croco & loco oleorum & pinguedinum, melle rosato, Mercuriali & vitellis ovorum adjectis: oleosa enim poros cutis constipant, & humoris calidi & maligni transpirationem impediunt, qui totaliter inclusi & retenti continuatæ inflammationis causam constituunt, quod experientia sæpè testatur, magna cum jactura patientium.

*Curatio tumorum & abscessuum pestilentialium.*

### *Curatio tumorum & abscessuum pestilentialium.*

Tumores prædicti duplici modo tractantur, primò per resolutionem, absque apertione, tunc temporis, ubi tantùm apparere incipiunt, quando laborans nihil doloris, nec quidquam inflammationis percipit, quibus indicatur, nihil adhuc malignitatis interius esse; deinde per apertionem & suppurationem, tunc temporis, ubi dolor interius & aliquid inflammationis adest. Primus modus absolvitur per unguentum vel cataplasma quoddam resolvens & digerens, quorum juxta suam experientiam hoc vel illo quilibet utitur, semper tamen eò solicitè respiciendo, quò Bezoartica interna præmittantur, tùm ut malignitas cordi non appropinquet, quàm etiam ut sudor provocetur, ad poros cutis partis etiam affectæ magis aperiendos, quâ ratione materia peccans citius transpirat, ipseque tumor facilius dissolvitur. Hinc igitur medicamenta repercussiva frigida fugienda, quam ob causam utiliter oleum sequens adhibebitur:

*Oleum resolvens.*

*℞. Ol. Resinæ Elemi per vesicam destill.*
*Bacc. Juniperi an. ℥iiij.*
*Succini rectif. ℥ij.*
*Rorismarini, Styracis liquidæ an. ℥j. M.*

Hoc oleo singulis horis quinque tumor calidè inungatur. Quod si prima secundavè inunctione videtur dissipari, dictum remedium continuetur.

*Apertio tumoris quibus mediis tentanda.*

Quod si loco resolutionis tumor augeatur, & patiens de majori dolore conqueratur, concurrente aliquâ inflammatione, protinus recurrendum ad alterum curationis modum, & sine dilatione tentanda est apertio, licet perfectè maturus non sit, quamprimum fieri potest. Hoc ipsum aliqui cauterio actuali perficiunt, h. e. aperturam faciunt ignito ferro, postea sublimati Mercurii quidpiam immittendo: sunt alii, qui caustico quodam potentiali utuntur, quod ex lixivio forti præparant, eousque coquendo idipsum, donec aquea substantia penitus exhalet, in fundo sale maximè corrosivo superstite, simulque inungunt maturativum aliquod oleum, similisque facultatis Emplastrum addunt, ut tumor ad perfectam digestionem perveniat, & materiam instar aliorum abscessuum reddat. Hæc remedia maxima pars Medicorum approbat, ubi nihil difficultatis obstat, præterquam quod escharam & crustam duram atque siccam introducant, quæ sæpè diutius hæret, quantumvis digestiva & humectantia simul adhibeantur, & materiæ exitum atque transpirationem impedit. Hoc movet quosdam, ut statim in principio, temporis lucrandi causa, cauteriis utantur: item alios, ut non super ipsum tumorem, sed in circumferentia ejusdem imprimant, maturativis simul appositis. Potest autem Causticum minerale sat efficax ad hunc usum præparari modo sequenti.

*Causticum minerale.*

*℞. Aq. fortis opt. ℥iiij.*
*Ol. Vitriol. potentiss. ℥j.*
*Sublimati veneni ℥ij.*

Ponatur iu Urinali ad B. M. cum alembico, & destilletur, donec nihil amplius humiditatis exeat, postea refrigerentur vasa, & in fundo urinalis liquor oleosus invenietur, maximè corrosivus, qui in phiola vitrea benè clausa conservetur. Liquor hic subitò operatur sine magno dolore; crustamque mollem producit, quæ facilimè separatur, quemadmodum etiam malignitati veneni resistit, & ulcus relinquit benè paratum, ubi facilis consolidatio subsequitur. Quando quis eodem utitur, necessum est, ut tumor Emplastro satis tenaci, quod parvum foramen in medio habeat, operiatur, postea fiat globulus ex linamento vel raso linteo, qui dicto liquore imbibatur, & in foramen istud immittatur, alio Emplastro super addito, sicut aliàs moris est, & brevi tempore suam operationem perficiet, sicuti dictum.

Alii Medicorum, quibus Cauteria displicent, tumores ejusmodi per medicamenta non solum calida & maturantia, sed quæ simul etiam vim attractivam, cum acrimonia quadam caustica possident, aperire conantur, undè pars ipsa beneficio talis medicamenti calefacta & irritata affluxum humorum attrahit, & tumor citius ad maturationem & repletionem pervenit. Huic intentioni commendatur cepa excavata & Theriaca atque croco repleta, postea cinerum calore leni cocta, con-

contusa, subacta, & instar cataplasmatis calidè apposita, singulis sex horis permutata. Eodem modo maximè conveniens est tale cataplasma.

*Cataplasma attrahens & maturans.*

℞. *Pulpæ Corian. per setaceum extractæ.*
*Mellis crudi an. ℥ij.*
*Rad Bryoniæ ℥j.*
*Aronis ℥ß. Hell. nigri ℥ij.*
*Theriacæ Andromachi*
*Ol.Scorpionum an. ℥js.*
*Decoct. Scabiosæ q. s.*
*F. Cataplasma secundum artem, cujus usus ut ante dictum.*

Quidam etiam aliis utuntur, cum radicibus Esulæ, cum cantharidibus, cum Euphorbio & aliis rebus causticis, juxta cujuslibet experientiam: imò solum etiam è simplicibus, nempe de Scabiosa, chelidonio, cicuta & aliis herbis, recenter contusis & exterius adhibitis. Sunt etiam Empirici, qui salvâ reverentiâ, excrementa hominum & animalium aliorum apponunt, quibus scil. vis inest putrefaciendi subitanea, cujus beneficio dicti tumores maturantur & protinus rumpuntur. Jam verò si fidendum medicamentis ruptoriis, auderem dicere, quod nostrum Emplastrum pestilentiale attractivum superius dictum, omnia simplicia & composita medicamenta, quotquot mihi cognita, longè superet: nam præter id, quod ratione compositionis & ingredientium, judicio omnium Medicorum dogmaticorum, idipsum Pestis attractivum specificum sit, & quod emollire, digerere, maturare & aperire bubones valeat, simul etiam experientia patet idem confirmari. Sic etiam glandulosis scrophulis circa collum, bubonibus venereis incipientibus, induratis eò usque ut per tres & quatuor menses communibus adhibitis remediis instar lapidum nihil quicquam emolliantur, ita conveniens est, ut in 20. horis intumescant, materia repleantur, & cum admiratione Chirurgorum suppuratione rumpantur. Quocirca si tàm præsentem effectum & operationem in prædictis tumoribus, potissimuùm scrophulis, aliàs diuturnis & rebellib. præstat, non dubitandum, quin multo facilius idipsum perficiat in tumoribus malignis & acutis pestiferis. Hoc ipsum admonere volui, spem certam fovendo, Medicos integritate & humanitate præditos, quando tractatum hunc legent, eò allaboraturos, ut prædictum Emplastrum in usum veniat, quò pauperibus ægris ejusmodi crudeli hoste pestifero detentis succurratur. Ecce! quod attinet apertionem dictorum tumorum: qui a. aperti sunt, supradictis medicamentis postea curantur, quæ dicta sunt in curatione Carbunculi, vel etiam aliis, prout Chirurgo discreto placuerit: non enim hæ curæ penitus indoctis & ignorantibus Empiricis committendæ, qui ratione & naturalium rerum cognitione destituuntur.

*Cautio quoad Cauteria.*

Tandem quoad cauteria actualia & potentialia Chirurgus diligenter observet, ut in partib. carnosis & musculosis imprimantur: at si bubo vel carbo circa nervosas vel cartilaginosas partes occurrat, eò allaboret, ut in vicinia cuidam parti opponatur, quæ satis robusta sit absque læsione pro sustinendo remedio, supra tumorem Emplastrum vel cataplasma maturativum adhibendo. Quod si spes nulla quo ad materiam peccantem à prima sua sede movendam, sese exonerando in partem aliam, veniendum est ad Emplastrum nostrum supradictum loco Cauterii usurpandum, quia minus formidabile, nec penetrat admodum cum calore, nec tam profundam escharam producit, ut cauteria, sed tantùm in cute suam operationem perficit.

*Glandularum parvarum mobilium intra cutim & carnem curatio.*

Pro tertia specie supradictorum accidentium externorum, quales sunt parvæ glandulæ mobiles intra cutim atque carnem, illæ resolvendæ sunt inunctione olei supradicti, vel in forma Emplastri adponatur Gummi Ammoniacum, cum aceto scillitico depuratum, ut artis est. His mediis (ægro quotidiè sumptis bezoarticis sudorem provocantibus) prædictæ glandulæ disparere solent.

*An pestis initio curari possit helleboro nigro.*

Præter dicta remedia, sunt ex Medicis, qui statuunt, quòd pestis curari possit, mox in principio beneficio hellebori nigri, nimirum cutim hinc & inde in extremitate musculorum brachiorum & femorum perforando, radicemque hellebori immittendo, quo non tantùm veneni cursus ad cor inhiberi, sed illudipsum etiam pedetentim attrahi & evaporare statuunt, non permittendo generationem carbonis vel tumoris alicujus pestilentialis: imò si circa caput, cor vel alias partes in medio corporis apparere quidpiam inciperet, per idem medium revulsionem fieri posse statuunt, à dictis membris malignitatem derivando, quo in locis à centro remotioribus transpiret & exhalet.

Quamvis autem hic curandi modus minus respectu hominum, magis a. apud plebejos respectu boum & equorum peste corruptorum in usu sit, ubi satis mirabiles effectus interdum apparent: nihilominus, meo judicio, talis est hæc curatio, ut frequenter etiam in hominibus sanandis admiranda videatur, quum fieri solet. Possum enim hoc laudis helleboro nigro tribuere, quod inter omnia simplicia & composita, quæ novi, cujuscunque generis vel speciei sint, nihil habeatur, quod ejusmodi magneticâ & attractivâ qualitate præditum sit, pro facienda revulsione peccantis alicujus humoris, ad partem aliquam ruentis; & pro ducenda materia in partem distantiorem, quàm Helleborus niger, ita ut experientia edoctus eodem in diversis morbis usus sim, potissimùm in Cachexia fœminarum & virginum, ob retentionem menstruorum inveteratam, & aliis dispositionibus, quibus adhibitis miracula præstitit, omnes curas ordinarias aliaque medicamenta superando, de quibus plura non patitur præsentis instituti ratio. Non autem opinetur quispiam Helleborum tale quid operari suâ acrimoniâ, vel facultate mordicante, quam possidet, quemadmodum disputari posset, dicendo quod omnia facultatem mordicantem habentia vel parumper adurentia, & quæ partis alterationem producunt, applicata calorem præter naturam in parte generent, & juxta Medicorum axioma, ubi calor, ibi attractio, consequenter Helleborum calefaciendo alterando talem attractionem per-

perficere; quemadmodum videmus veficatoriis fieri, rebufque caufticis, quæ partes inflammando fluxionem & concurfum ferof
orum humorum in iis efficiunt: qui enim hoc modo difcurrit, feipfum fallit, quia Helleborus non producit ejufmodi inflammationem, neque concurfum ferofitatum provocat, quibus pars intumefcat, ficuti fit veficatoriis & evidenter adurentibus, fed abfque veficis excitatis fine inflammatione attrahit humores vitiofos & corruptos: imò verum pus & materiam apoftematum è profundo corporis educit, quamvis applicetur in locis ab iifdem remotis, eaque minimè tangentibus, inftar veri fpecifici naturæ. Non quidem nego, quin actio ejufdem cum aliquo calore fiat, cui tamen eadem fimpliciter attribui non poteft. Hinc ego credo, quod caufa vehementioris commotionis inter alia purgantia, quando interius helleborus fumitur, non fit alia, quàm prædicta proprietas attractiva, cujus ope peccantes humores in partibus à centro remotioribus commoventur, & fuperfluitates ac impuritates in venis latitantes attrahendo, vehemens alteratio fubfequitur. Sed redeundo ad noftros Medicos, autor fum omnibus, quibus officium hoc incumbit, ut ægris peftilentialibus præfint, quò familiarem reddant ufum hujus fimplicis, ut occafione datâ convenientem ufum fciant, quia coram DEO obligamur, ut quotidiè difcamus, & laboremus, quo magis magifque perfectam rerum medicarum cognitionem adipifcamur, utpote cum medicamenta Clemens DEUS nobis communicet, ut iifdem proximo inferviamus, inprimis ubi crudeli ejufmodi morbo, qualis peftis eft, refiftere cogimur.

*Symptomata quæ pefte laborantibus accidunt eorumque remedia.*

### *Symptomata ordinaria, quæ laborantibus durante curatione prædicta folent accidere, cum fuis remediis.*

Pofito, quod causâ mali fublatâ, confequenter etiam accidentia fuâ fponte ceffent: hoc tamen non obftante frequenter fieri folet, ut nifi quis fymptomatibus fuccurrat, fruftrà laboret in exterminanda causâ. Nam, exempli gratiâ, laboret aliquis ulcere quodam maligno, cujus ratione dolor vehemens, inquietudo, anxietas, & excedens partis dolentis inflammatio laborantem affligit: hîc fanè conceditur, quod prædicti ulceris curatio confiftat in correctione depravatæ difpofitionis corporis laborantis, à quâ fuam ducit originem, non neglectis toxicis, quibus carne bonâ repletur & confolidatur; certum tamen eft, nifi quis eo allaboret, ut patiens ad quietem perveniat, dolorem & inflammationem per anodyna leniendo, namque Chirurgus curationem fuam ex voto perficiat, quod etiam fimiliter in aliis multis morbis accidit. Hinc igitur in curatione peftis tàm principalibus & vehementioribus fymptomatibus fuccurrendum particularibus fuis remediis, quam contra caufam malignam prædictis univerfalibus pugnandum effe videtur. Jam autem fymptomata, quæ pefte laborantibus his vel illis, pro ratione fubjecti differentis accidunt, & non obftante cura generali, continuari poffunt, funt virium naturalium imbecillitas; cordis anxietas; vehemens internus calor cum fiti; gravitas capitis vel maximus torpor, vehemens dolor capitis cum inquietudine & pervigilia; linguæ & faucium inflammatio; cruditas atque vomitio ftomachi; infignis dolor & punctio laterum; alvi obftructio, & fæpiùs etiam ejufdem contrarium, feu fluxus. His accidentibus fequenti modo fuccurrendum.

*Imbecillitas virium naturalium.*

I. Quoad *virium naturalium imbecillitatem*, neceffarium eft, ut iifdem fequenti modo fuccurratur. Ægrotanti fæpiùs jufculum aliquod reftaurans caponis vel optimæ carnis vitulinæ præbeatur, cui parumper fl. borrag. bugloffæ, rad. pimpinellæ, incoquatur, addito vitello ovi recentis & pauxilli fucci limonum vel arantiorum: Item hordeum mundum in brodio carnis coquatur, & pofteà per fetaceum coletur, additis emulfionibus amygd. dulcium, fem. Melonum, cucurbitæ &c. cum aq. rofarum præparatis: item panis tritus & in brodio quodam diu coctus, ac poftea cum amygdalino lacte paucoque faccharo permiftus. Quibus autem miftura cum amygdalis & faccharo difplicet, his fingulis vicibus, quando quidpiam de reftaurativis brodiis exhibetur, aliquid gelatinæ cydoniorum vel citri poterit admifceri, quâ ratione non tantùm jucundus fapor conciliatur, fed fimul etiam cor roboratur, & malignitati refiftitur. Infuper & hoc modo reftaurativum infigne præparatur: Recipe caponem optimè nutritum & carnis vitulinæ lib. j. remotis inteftinis, pinguedine, collo, alis, pedibus extremis omnia minutim cum carne vitulina incidantur, & in vitream cucurbitam immittantur cum

*Reftaurativum infigne.*

*Aq. fucci Meliffæ Succi Borrag. Bugloffæ Acetofæ ana ℥ij.*

Poftea clausâ cucurbitâ coq. in Balneo Mariæ per horas 10. vel 12. coletur liquor in linteo carnem fortiter exprimendo, quò tota humiditas exhauriatur: deinde adde

*Galatinæ cydonior. tranfparentis Galatinæ citri, Syr. violar. cærul. an. ℥js.*
*Aq. citr. ℥j. Mifce.*

*Modus reftaurandi ægrotos.*

De hoc reftaurativo laborans fingulis diebus tribus vel quatuor vicibus fumat quatuor vel quinque cochlearia, vel etiam plus, juxta neceffitatem, ubi femper aliquid pulveris corall. & perlarum addi poterit. Quod fi ventriculus ægrotantis, aliquid folidius defiderat, nec febris admodum affligit, caro magis albicans de pectore caponis cocti fumatur & in mortario lapideo contundatur, parum de brodio caponis adfpergendo: poftea per fetaceum exprimatur fubftantia pultis inftar, in qua de Gelatina cydoniorum vel citri quidpiam diffolvatur, & urgente neceffitate laboranti præbeatur. Quidam ex rebus nutrientibus & reftaurantibus aquam deftillatam componunt: fed notandum, quod nihil afcendat, nifi tantùm aquofa pars earundem, fubftantiâ nutriente & re-

ftau-

ſtaurante inferius relictâ. Melius igitur erit, ut juxta dictum modum procedamus, niſi quis fallere velit ægrotantes, ut credant, quod aqua nutrire & ſuſtentare poſſit. Quoad potum ille ordinariè ſit ptiſana vel decoctum hordei cum Tamarindis, parumper cinamomo conditum. Interim aliquid etiam vini albi, vel clareti, ſi febris non magna eſt, cum aqua pimpinellæ, borraginis, acetoſæ, vel cum pauxillo ſucci citri & ſaccharo temperatum concedi poterit, utpote quibus additis actio ſubitanea vini ſpirituoſi corrigitur & alteratur. Et hic eſt modus reſtaurationis in ægrotante euſque, donec vehementiam morbi ſuperaverit, ubi poſtea liberalius cibari, & pluribus ſolidioribus cibis refici poterit.

*Cordis anxietas.*

II. Contra *cordis anxietatem*, ſeu pro viribus ejus conſervandis, quo curatio generalis eò felicior procedat, remedium hoc uſurpetur:

*Conditum.*

℞. *Conſ. fl. bugloſſæ Gelatinæ citri an. ℥vj.*
*Magiſt. Margarit. ʒß.*
*Croci ſubtil. pul. gr. viij.*
*Ol. Cinam. g. ij.*

de hac compoſitione duabus vel tribus vicibus in die, vel ſolitariè, vel cum deſtillatis cordialibus. Sic etiam iſtius conditi loco Julapium uſurpari poterit, quod Rec.

*Iulapium.*

*Aq. ſtill. ex ſuc.*
*Borrag. Acetoſæ Bugloſſæ Meliſſ. an. ℥vj.*
*Syr. Bugloſſ. Borrag. Acetoſæ de ſuc. citri ana ℥ij.*
*Ol. Sulph. rectif. g. xxx.*
*Miſceantur & Aromatiſ. cum aq. cinam. vel cum Spir. Santali Citrini.*

*Epithema exterius.*

De hoc Julapio ſimiliter in die tribus vel quatuor vicibus [illegible] matur, ut dictum eſt antea de conſerva. Sic etiam exterius Epithema fieri poteſt.

℞. *Fl. Calendulæ Roſar. rub. Borrag. exicc.*
*Fol. Meliſſæ Santali Citrini Ligni Aloës cort. exter. citri an. ℥ij.*
*Camphoræ ℈j.*
*F. pulvis ſubtilis.*

Hic pulvis cum bombace comprehendatur in ſacculis ex ſindone rubro paratis & interpaſtatis æqualiter, poſtea cum aceto roſaceo & ſucco citri aſpergatur, & regioni cordis paululum calefaciendo applicetur per vices, ſemper exiccato uno ſacculo, viciſſim altero appoſito, idque tamdiu continuando, quamdiu idipſum neceſſarium eſſe videbitur. Imò naribus etiam eadem compoſitio ſerviet, quia odorem ſpirat reſtaurationi cordis & ſpirituum maximè convenientem, quando quædam anxietas vel à febri, vel ab habito ſudore poſt medicamentum diaphoreticum adhibitum.

*Æſtus Internus cum intenſa ſiti.*

III. Contra *maximum æſtum internum cum intenſa ſiti* bibat æger de ptiſana dicta, quantum placuerit, quo ſi calor non temperatur, neque ſitis extinguitur, ſequens remedium conveniens erit.

℞. *Aq. Borraginis per baln. deſtil. lib. iij.*
*Sacch. albiſs. ℥ij.*
*Salis Nitri præp. ʒjs.*
*M. & aromatiſetur ad Cinamom.*

De hac potione detur patienti duabus vel tribus vicibus indies, ſed advertendo, ne dum hoc remedio patiens utitur, alia vitriolata, vel cum oleo ſulphuris acido præparata concedantur, quia nitrum & vitriolum minimè conveniunt nec in una ſede ſine pugna morantur. Quod ſi tantus ſit ardor, ut prædicto liquore temperari nequeat (obſervatis regulis generalis curæ ſuperius dictis, & ubi venenum peſtiferum jam evictum videtur) ſequenti quoque remedio licet uti.

℞. *Aq. ſperm. ranar. per baln. deſtil. ℥j. vel ij. pro ratione caloris & ſubjecti laborantis, Croci pul. parum, Miſce*

& exhibe manè, veſperi, vel etiam quâcunque hora diei, requirente neceſſitate, quo medio, vaporibus calidiſſimis per ſudorem & occultam tranſpirationem evacuatis, calor qui non poteſt extendi, quippe fixus manet & in corpore vigens, domabitur & expugnabitur. Sed nota refrigerantibus ejuſmodi ſic utendum eſſe, ne quis præjudicium ſibi creet, tàm quo ad materiam expellendam, quàm etiam quo ad calorem nativum. Imò pertinent huc etiam plura, quibus quilibet pro lubitu & indigentia uti poterit.

*Gravitas capitis & Sopor p. n.*

IV. Contra *gravitatem capitis & ſoporem præter naturam*, quando patiens tantùm dormire cogitur, ubi fruſtrà conamur eundem ſermonibus, vel etiam capitis commotionibus excitare, ſequens remedium covenit:

℞. *Majoranæ Salviæ cort. arantiorum*
*Fl. Scorpioidis an. ʒß.*
*Fl. pulvis ſubtilis coquatur cum aceto roſac. ad conſiſt. pultis.*

Extendatur in linteo duplici, & fronti calefactum apponatur: ubi refrixerit viciſſim aceto vini calefacto humectetur & applicetur, prout erit neceſſarium, ſi ſufficiens hoc non eſt, aliud ſuperaddatur.

℞. *Sem. Amaraci, Thymi an. ʒj.*
*Rad. Angelicæ vitrioli albificati an. ʒß.*
*F. pulvis.*

De hoc pulvere parum calamo ſcriptorio vel tubulo, quo fumum nicotianæ vel tabaci bibunt, naribus ad excitandum ſternutamentum inſpiretur.

V. Contra *dolorem capitis, cum æſtu, delirio & pervigilia.*

*Dolor capitis cum æstu, delirio & pervigilio.*

℞. *Fl. Sambuci exicc. Nymphææ al. Ros. rubr.*
*Hordei mundi an.* ℥ß.
*Succini al.* ʒij.
*Croci Anglici* ℈j.
*Camphoræ*
*Opii Thebaici an.* ℈ß.
*F. pulvis subtilissimus, deindè addantur ol. Nymphææ*
*Amygd. amar. an.* ʒvj.
*Aceti Sambucini Aq. rosar. opt. an. q. s.*

Coq. in formam Cataplasmatis, quod usurpetur modo prædicto.

Quod si remedium istud ad effectum speratum non sufficiens fuerit, resolutio fiat in exhibendo Laudano opiato, quod ritè præparatum sit, & in cochleari syrupi violarum exhibeatur, de quo remedio præparationem hic non describo, quia plenius de eodem in Opiologia mea tractavi, quod medicamentum extremos dolores lenit, vehementissimos ardores mitigat, & naturalem quietem, absque noxa, producit, maximè quando post evacuationes universales eodem utimur. Pro ratione necessitatis idipsum secunda vel tertia vice reiterari potest, sed diebus diversis.

*Lingua fauciumque inflammatio.*

VI. Contra *linguæ fauciumque inflammationem.* Quia enim accidit, ut præter curam generaliter susceptam lingua & paulatum intumescant & inflammentur, ita ut gangræna videatur invadere, necessarium est, ut properetur ad remedia, ne in periculum ægrotantis vita perveniat. Huic effectui succurretur, præter venæsectionem in brachio, per apertionem venarum sub lingua, sanguinem emittendo, donec suâ sponte subsistat, ita tamen ut modum etiam non excedat. Juniores Medici & Chirurgi non perturbentur hoc accidente, quia factum fuit, quamvis rarò, ut sectis ejusmodi venis sub lingua tam vehemens fluxus sanguinis sequeretur, qui bombacem oleo vitrioli parum humectatum incisuræ protinus adhibendum requireret, cujus facultas escharotica & astringens extemplo fluxum sistit, quo neglecto periculum vitæ subsequeretur. Facta tali venæsectione patiens mox gargariset, & os sæpiùs eluat liquore quodam, linguam radat & purificet à superfluitatibus, quæ ibidem colliguntur.

℞. *Ros. rub. Fl. Sambuci Sem. Scabiosæ. Auriculæ Iudæ an.* ʒj.
*Aq. Caprifol. vel plantag. lib. j.*
*Bulliant parum: in colatura addantur*
*Diamori S.* ℥ij. *Aluminis mundi* ℈j. *Misce.*

Exterius: ℞. *Farinæ Hordei* ℥ß.
*Pul. Rof. rub. Glycyr. an.* ℈ij.
*Sacchari albi præp.* ʒj. *Croci subtil. præp.* ℈j.
*Mellis rosar.* ℥j. *Ol. amygd. dul.* ℥ß.
*decoct. auriculæ Iudæ, vel spongiæ Sambuci q. s. F. Cataplasma.*

*Nausea & Vomitio.*

VII. Contra *nauseam & vomitionem.* Cum sæpiùs accidat, ut tam vehemens atque continuum sit hoc symptoma, evacuatis etiam vitiosis humoribus, ut nihil ægro præberi queat, sive sit medicamentum, sive sit alimentum, mox omnibus per vomitum rejectis, providendum fomentatione.

℞. *Sem. Absinthii Majoranæ Fol. Menthæ crispæ.*
*Fl. Thymi Ros. rub. Fr. & Fol. Myrtill.*
*Rad. Galangæ an.* ℥ß.

Omnia crasso modo conjunctim pulverisentur, & in sacculo oblongo quadrato comprehendantur, asperso aceto rosaceo calido pro regione ventriculi, reiterando, quoties opus erit. Præterea conveniet cochlear liquoris stomachalis.

℞. *Syr. de mentha Cydonior. Meliss. de succ. citri an.* ℥j.
*Aq. Cinam.* ʒj. *Ol. Sulph. rectif. g. xij.*
*Misce.*

*Dolor & punctio laterum.*

VIII. Contra *dolorem & punctionem laterum*, cum calore & æstu.

R. *Mucilag. ex sem. Cydon. cum aq. ros. extr.* ℥iiij.
*Aceti rosacei* ℥ij. *Ol. rosat. compl.* ℥is.
*Boli Armen.* ℈ij. *Santali rub. subtil. pulv.* ʒj.
*Camphoræ* ℈j. *Misce.*

Hoc ipso duplex linteum humectetur, quod tepidè parti affectæ mox applicetur: si verò maximus est dolor, una etiam dosis laudani opiati præbeatur.

*Ventris obstructio.*

IX. Contra *ventris obstructionem.* Nihil hîc tutius & utilius est Enemate, quod similium qualitatum cum sequenti:

℞. *Herb. Borrag. Violariæ an. Manip. j.*
*Polypod. q.* ℥ß. *Brodij vitulini q. s.*
*Bulliant ad* ℥x. *in colatura addantur Mellis rosati* ℥ij.
*Vitell. ovor. num. ij. Butyri recentis* ℥j. *M. pro Clystere.*

Hoc toties repetatur, quoties necessarium esse videbitur, & si non sufficienter laxat, Medicus alia purgantia poterit adjungere, semper cavendo, ne calida & acria misceantur. Quemadmodum etiam, si necessarium videbitur, infusio Rhabarbari vel Senæ fieri potest cum manna, per os assumenda: vel sumi poterit lenitivum aliquod ex iis, de quibus in præservatione dictum est, queis absque periculo quis uti poterit.

*Ventris fluxus.*

X. Contra *ventris fluxum*, qui sæpius hunc vel illum ægrum præhendit.

Quando patiens symptomate tali præhenditur, necessarium est, ut Medicus sit vigilantissimus, & observet, num evacuatio sit bona & necessaria vel non, quò vel juxta rationem fluxum istum ad certos usque limites permittat, vel suo tempore eundem astringat ac sistat: si enim quispiam ægrotantem in vitæ discrimen

men deducit, relinquendo peccantem materiam in corpore, quæ necessariò separanda venit, sanè similiter & ille nocebit, qui separari sinit illud, quod conservari debebat. Quando itaque necessarium est, ut fluxus ventris in ægro sistatur, sequens remedium convenit.

℞. *Ol. Cydonior. Mastich. de nuce mosch. per express. an. ℥ij. Misce.*

Hoc unguento venter bis tervè quotidie inungatur, & si necessarium videbitur, dosis Laudani Opiati exhibeatur, cum pauxillo syrupi violarum. At si remedia dicta non sufficerent, propter vehementem exulcerationem & debilitatem intestinorum, sequenti modo procedatur. Recipe caput ovillum recens crudum, secetur in partes duas, cui abscindatur lingua, unà cum cerebro coquatur in s. q. aquæ donec ab ossibus caro separetur: postea coletur brodium, & mox infunde summitatum hypericonis duos vel tres manipulos, rad. Tormentillæ crasso modo incisarum ℥j. ponantur ad cineres calidos per tres vel quatuor horas, posteà coletur & in forma clysteris manè vesperique sine rebus aliis additis ægro adhibeatur, & effectum videbis notabilem, quia liquor iste superat alia omnia, quo ad fluxiones desperatas, & maximè tunc temporis, ubi vehementiores punctiones in intestinis deprehenduntur. Tantùm de accidentibus præcipuis.

### *Modus & ordo generaliter observandus in venæsectione tempore pestis.*

*Modus in Venæsectione observandus tempore pestis.*

CUm superius venæsectio referatur inter generalia remedia pro curatione pestis, juxta alios omnes Medicos, ubi tamen in specie non determinatum fuit, quomodo debeat usurpari; videtur necessarium, idipsum hîc annotare, quo lector eadem conjungendo cum prioribus methodum perfectam curandi pestem assequatur. Priusquam verò venæsectionem instituamus cum aliquo peste præhenso, necessarium est, ut diligens examen instituatur, an sit necessaria, vel non, ne sine discretione quicquam faciamus. Quod si necesitas venæsectionis urget, sequenti modo procedamus.

1. Data venæsectionis indicatione, nullo signo externo in ægrotante sese offerente, nec etiam dolore lateris unius vel alterius urgente, sed febre totum corpus affligente, mediana dextri brachii secetur, & sanguinis q. s. emittatur.

2. Si signum externum circa collum, post aures, vel propè mentum, vel in alia parte capitis, lateris dextri appareat, vena cephalica dextri brachii secetur: si ex altera parte, sinistri brachii cephalica aperiatur.

3. Si signum est supra frontem, vel sub mento, venæsectio fiat sub lingua, simul, ubi patiens est plethoricus, mediana brachii dextri aperta.

4. Si signnm est sub axillis, vel circa locum istum, mediana laborantis partis aperiatur, vel etiam vena propè digitum minorem.

5. Si signum supra scapulas, cor & pectus, mediana dextri brachii secetur.

6. Si signum est in medio corporis, & dolor magis unum, quàm alterum latus affligit, basilica brachii istius lateris aperiatur, ubi dolor major est.

7. Si dolor testiculos affligit, saphena pedis aperiatur lateris dolentis.

8. Si circa regionem genuum aliquid apparebit, vena propè digitum minorem in pede secetur.

9. Si accidat, ut nihil quidquam appareat, maxima tamen gravitas in partibus superioribus deprehendatur, cephalica lateris dextri secetur; & si pars inferior magis quàm superior gravatur, saphena lateris ejusdem aperiatur. Hæc breviter sufficiant quoad venæsectionem, quæ non tentanda, nisi tunc temporis, ubi occasio determinata antea, cum de cura pestis generatim ageretur, sese offerat.

*Num Cucurbitulæ conveniant.*

Tandem laudant quidam ventosas, præsertim in senibus, debilibus & fœminis gravidis; sed verisimile videtur, ubi necessitas venæsectionis non est, easdem etiam intermitti posse. Quod prægnantes attinet, si maxima necessitas urgeret, venæsectio quoque debito & opportuno tempore posset administrari, tàm peste laborantibus, quàm tunc temporis, ubi interdum in pleuritide, febre ardente, continua & aliis morbis idipsum requiritur. Quanquam verò ventosæ non videantur evacuare, quod est in venis, sed solum, quod inter cutim atque carnem est, nihilominus non nego, quod ad particularem eventilationem vel evacuationem, ad liberandam partem admodum inflammatam respectu plenitudinis, ob carbunculum, vel tumorem pestilentialem, ventosa justo loco adhibita, cum profundis scarificationibus levamen quoddam gignat.

Tantùm de aliis rebus, quibus juxta temporis & opportunitatis rationem quispiam uti potest, semper tamen oculis intellectus eo respiciendo, quod Bezoartica sint vera basis & fundamentum verum ipsius curationis, ubi reliqua remedia secundum locum obtinent: Etenim in casu necessitatis solis Bezoarticis aliquis infectus curari potest, quod venæsectione, vel purgatione sine bezoarticis non absolvetur, si revera quispiam infectus est. Interim utraque conjunctim adhibita cum discretione tendunt ad eundem finem, & intentionem nostram adjuvant. Ecce! Lector Amice, breviter habes, quæ succinctè tàm de præservatione, quàm curatione pestis dicere volui, sine discursu prognosticorum, crisium & aliarum observationum, quæ in hoc morbo curiosæ magis quàm necessariæ, scilicet in hoc morbo acuto, fraudulento & stratagematis pleno, qui sæpiùs Medicos sagacissimos fallit in suis prædictionibus, dum potius promptè laborantibus

cum

cum bonis & excellentibus remediis præstò esse cupiunt, eosque donec corpus eorum levamen aliquod percipiat, quod ego semper; & in hoc meo libro intendo, & hoc modo cor meum DEO æterno (qui radix est omnium bonorum & verus animę corporisque Medicus) subjiciens, gratias ago pro beneficiis per gratiam mihi concessis, & humiliter peto, ut benedicat laboribus meis, in sui gloriam, & proximi emolumentum & animæ meæ consolationem; & ut dirigat actiones meas per reliquium vitæ in timore suo, finem faciam.

# F I N I S.

HER-

# HERBARIUM HORSTIANUM

*seu*

## *DE SELECTIS*

# PLANTIS ET RADICIBUS

## *LIBRI DUO,*

Olim Medicinæ Candidatis in Academia Julia Anno M.D.LXXXVII. à Celeberr. Medico Dn. D. JACOBO HORSTIO p. m. propositi,

*IN COMPENDIUM REDACTI, PLURIBUSQUE SIMPLICIBUS enumeratis ac declaratis aucti, suisque Auditoribus ante multos annos in Academiâ communicati*

per

GREGORIUM HORSTIUM, D.
p. t. Reipublicæ Ulmensis Archiatrum.

Accessit

*Prædicti Dn. D. JACOBI HORSTII Opusculum de vite vinifera.*

*Ad*

# GREGORIUM HORSTIUM D.

edentem

## HERBARIUM HORSTIANUM.

*Non tibi Aristotelis sapientia, non tibi Coi,*
*Socratis, Euclidis, Pergameiq; senis*
*Sufficit, Hinc Phœbus, Musæ mirantur & ipsæ,*
*Iamque alio metuunt abs Helicone sibi.*
*Quæ Syrus, Indus, Arabs, Latium, quæ Græcia, Teuton,*
*Quæque Dioscorides possidet, unus habes.*
*Nil Argenterii stimulus quondam Medicorum*
*Obtinet: his dubiis Conciliator ades.*
*Tu scis, quod cæcis clausum est penetrale tenebris*
*Naturæ: hæc placidos pandit amica sinus.*
*Quid mirum est ergo quod te Germania solem*
*Æstimet, ut lucem, qui ferat in tenebris*
*Dogmatico, Hermetico; mens enthea vivida* μνήμη *es,*
*Nec sal, nec sulphur, Mercurius ve latent.*
*Credo quod Hippocrates Genium tibi credidit artis,*
*Horsti, cui famâ, cui par es ingenio:*
*Non tibi quas tanto solvat pro munere grates*
*Romanus, quamvis maximus orbis habet.*

Philippus Persius à Lanstorf, Med. D.
Comes Pal. Cæsar. &c.

---

Dn. GREGORIO HORSTIO, Archiatro Ulmensi celeberrimo, meritissimoque.

*Samuel Clossæus Phil. & Med. Doctor apud Mediomatrices.*

Horsti, deliciæ secli, patriæ decus, Ulmæ
Publica laus, artis lumen Apollineæ;
Post varios fluctus, post tot monumenta laborum
Quos in Pœonio passus es Oceano,
Clarior emergis tandem, scopulisque relictis
Naturæ, morbi, praxeos, historiæ,
Littora subductis gaudes attingere velis,
Hortensique placet basia ferre solo,
Sic patruo monstrate viam, sic stemmate, quando
Antiquum Horstiadum nomen uterque gerit:
Dignus uterque polo; patruus quem tanta cupido
Impulit & Medicæ laudis honestus amor,
Ut si quid rarum procul, hinc mirabile si quid
Colligat ignotis navita marginibus,
Protinus in tabulas id consignarier omne
Jusserit, inque unam surgere Botanicam:
Sed magis illustris, me judice, fama nepotis
Qui tantùm extremo pollice tersit opus;
Nam quæ mille locis passim confusa jacebant,
Agmina plantarum, contulit in methodum;
Quæque domi, quæ nata vadis, quæ fusa per agros,
Et quæ multi-jugo vertice luxuriant,
Junxit, sicque duplex operâ morientibus unâ
Reddita vita libro, reddita vita patri est.
Dic mihi jam quis sit genitor tàm fertilis horti?
Nostraque num simili flore triumphet humus?
Nec tantùm flores lactucam aut sectile porrum,
Turbit & helleborum continet iste liber:
Naturæ sed pandit opes, armaria, vires,
Atque recalcatus Maurus Arabsque subest.
Parce igitur, Lector, liber hic non amplius Horsti
Est hortus, sed Eden, sed Paradisus erit.

## AD EUNDEM.

*Non vernant Zephyri tot elegantûm*
*Florum germina vividas ad auras,*
*Quot flores capit hic novus libellus:*
*Non mordent teneros repente Vere*
*Tot cacumina graminum umbilicos*
*Pratorum, nemorumque montiumque,*
*Nec tam multiplici arbores lepore*
*Tot gemmas oculosque puncturillant,*
*Quot gemmas agit* HORSTII *libellus.*
*Nec Jasmina, rosæ, vel Iris Afra*
*Narcissusve tot atque tàm suaves*
*Sicco sub Cane spiritus anhelant,*
*Quot sunt Ambrosiæ* HORSTIO *libello:*
*Nec tantùm decus est, honosque tantus*
*Lauri, barbaricæ Thyæ, Lilacis,*
*Aut Belgæ Tulipantis, aut Fritillæ,*
*Molyve, hemerocallidosve, Regum*
*Quæ jam nobilibus feruntur hortis;*
*Quantus splendor inest huic opellæ,*
*Et quantus nitor hujus est libelli:*
*Ergò quos calamo politiore*
*Flores, gramina, gemmeos lepores,*
*Et dulcem Ambrosiam rosas olentes,*
*Et Laurus, Tulipamque seminasti,*
*Tumet ex proprio seca vireto,*
*Atque ex his tibi fabrica corollas.*

---

## IN HERBARIUM HORSTIANUM,

opera Excellentiss. *καὶ τῦ μάλα περίφρονος τηρῆτηρος* Dn. GREGOR. HORSTI, &c. recentatum.

Quod vitalis agit Zephyrus, cùm Vere reverso
Purpureo tristes germine vestis agros:
HORSTIUS hoc PATRUI scriptis cultissimus affert,
Quæ donat Vitæ semi-sepulta face.
Fallor? an (& prisci Æoleiâ coluêre:) revenit
Pallas ad *Horstiacos* Diva Anemotis agros?

*Patrono suspiciendo extillabat ocyus M. I. B. Hebenstreit, P. N. PP. Gymnas. Vlmens.*

---

## IN AUREOS LIBELLOS,

*De Plantis & Radicibus selectis & de Vite viniferâ*

# D. JACOBI HORSTI,

*à Clarissimo Viro*

D. GREGORIO HORSTIO Ulmensium Archiatro, compatre suo honorando in lucem datos.

*Avdeat arcanas naturæ inquirere sortes,*
*Qui studium herbarum mente calente fovet.*
Heic *sunt illecebræ, sunt heic bona commoda Vestæ,*
*Et sunt lautitiis semina pura suis.*
*Terra suas aperit (quanta heic opulentia!) gazas;*
*Heic habet omne Sophos, quod sapienter amet.*
Horstius *illa, olim statuit quem Pallas ad Elmum,*
*Ingenio exclusit dona probata suo.*
*E quibus heic plantas radicumque aurea cernis*
*Surcula; Vesta, tuis non malè promta bonis.*
*Adde & viniferæ nectar spirabile vitis;*
*Jupiter in cœlis vix ita dulce bibit.*
*Ista olim* Helmstati *tibi, gens studiosa,* Jacobus
*Proposuit doctis* Horstius *articulis.*
*Nunc eadem quasvis Musarum spargit in aulas*
Horstius Ulmani doctus Apollo chori.
*Quis non hæc pulchris ferat edita munera dextris!*
*O quàm Dædaleæ sacra Reperta manus!*
*Reddite vos grates;* Illi *super æthera lato,*
*Huic vivo in terris cui superesse datur.*
At tu felici da talia pluria dextrâ;
Sic seclum ætati donet Hygeia tuæ!

*Marpurgi faciebat M. Conradus Bachmannus Milsungensis Hassus, Poëtices Professor.*

# IN HERBARIUM HORSTIANUM.

## ΠΡΟΟΙ'ΜΙΟΝ.

*Quemadmodum ubique locorum magni naturæ parentis, Dei optimi maximi, vis ingens & admirabilis apparet; ita maximè Plantarum elegantia, diversitas, & utilitas eandem comprobat, ut verè*

Præsentem mõnstret quælibet herba DEUM.

*Etsi verò nulla, imò ne minima quidem frustrà condita, sed quælibet suis viribus insignibus prædita sit; nihilominus tamen omnium efficacia nobis non eodem modo manifesta est, propter intellectus nostri imbecillitatem, quâ sensuum adjumento res omnes addiscere cogimur.* Hinc *oritur distinctio inter* Plantas *selectas vel usitatas, & inusitatas, quarum illæ quotidiè nobis vitæ præsidia, morborumque remedia præbent, tùm quod naturam earum exactius cognitam habeamus, tùm quod earundem efficacia & virtus experientiâ quotidianâ confirmetur: hæ verò rariùs, vel nunquam usurpantur, propterea, quod earudem natura penitus nondum cognita, vel quod virtus illarum experientiâ conclamante nostris affectibus curandis sufficiens esse nequeat. Nos pro ratione præsentis instituti selectissimas herbas & radices considerabimus, tùm ratione naturæ propriæ, quam obtinent respectu substantiæ & temperamenti, tùm etiam respectu virium & remediorum, ad sanitatem hominis tuendam, vel recuperandam, inservientium, tàm ratione, quàm experientiâ, tàm nostrâ, quàm præstantissimorum Medicorum, præsertim verò* Celeberrimi viri *JACOBI HORSTII,* Medici Professoris Helmstadiensis, *p. m.* Practici *felicissimi, patrui nostri æternùm honorandi, confirmatorum. Distinguam verò totum tractatum de re* Herbaria *in duos libros, quorum prior considerabit* Herbas *selectas, quarum usus quotidianus est in multis partibus; posterior de* Radicibus *usitatis & selectis tractabit.*

### LIBER PRIMUS.

#### *DE HERBIS SELECTIS, QUARUM Usus est in multis partibus.*

Herbæ selectæ impræsentiarum nobis non sunt exoticæ rariores, vel respectu externæ formæ elegantiores, sed illæ, quæ maximè utiles, nostrisque morbis accommodatissimæ existunt. Inter has eas primariò considerabimus hoc libro, quarum usus quotidianus est in multis earundem partibus, foliis videlicet, floribus, radicibus, succis, &c. quas plenariè declarare conabimur eo ordine, quo singulis mensibus prodeunt, ubi tamen in quolibet mense breviter quoque colophonidis loco reliquas rarioris usus, & minùs usitatas enumerabimus.

### SECTIO PRIMA.

#### *DE IIS PLANTIS, QUÆ PRODEUNT in Martio.*

Quamvis in *Januario* & *Februario* paucissimæ quædam plantæ oriantur, de iis tamen peculiariter non agimus, propterea, quod partim selectæ non sint, partim etiam incrementum suum perfectè in *Martio* habeant. Incipimus igitur à *Martio*, ubi jucundissimus *Violarum flos* vernum tempus nobis aperit, de quo meritò primò agimus.

### CAPUT I.

#### *DE VIOLA.*

*Viola* Lat. & Offic. Græcis ἴον πορφυροῦν, Lobelio, Viola Purpurea vel Martia, Germ. blau Violen / oder Mertzen Violen. Vide *Matthiol. pag.* 821. *sub Titulo Viola purpurea*

*Violæ substantia* est manifesta & occulta. *Manifesta* sequitur *temperamentum*, de quâ rectè scribit Galenus, quod sit aquea & subfrigida. *lib.6. de simpl. Med. facult. Occulta substantia* est, quæ sequitur immediatè formam, ideoque à nobis non nisi à posteriori, nimirum per experientiam cognoscitur, & ad qualitates manifestas reduci nequit.

*Temperamentum* est frigidum & humidum. Nota tamen, quod flores recentes, nec non succus, Syrupus, Julepus, & Conserva, magis humiditate & frigiditate abundant, ita ut sint frigida in fine primi, & humida in fine secundi gradus: at flores & folia exsiccata minus frigida, scilicet in initio primi gradus, & humida in initio secundi gradus dicuntur.

*Vires à tota substantia* sunt 1. quod viola prosit contra morbum Comitialem. 2. quod sit flos cordialis, undè quatuor floribus cordialibus præscriptis intelliguntur flores *Rosarum*, *Borraginis*, *Buglossæ*, *Violarum*: interdum scribuntur quinque, ubi adduntur flores *Melissæ*, vel etiam sex, additis floribus *Tunicæ coronariæ*. 3. quod leniter & sine noxa purget, undè est solutivum primi generis, nimirum succus violarum & Syrupus infusionis multiplicis.

*Vires respectu temperamenti* sunt 1. refrigerare & humectare. 2. incrassare. 3. tussim à tenui destillatione sanare.

*U S U S.*

Usurpatur hæc planta in foliis & in floribus. Folia usurpantur recentia, cum, vel sine floribus, ad aquæ destillationem; sicca ad decoctiones. Flores recentes utiles sunt ad præparandos succos, syrupos, julapia, conservas & acetum: exsiccati sæpiùs ad decoctiones & infusiones præscribuntur.

*REMEDIA PROBATISSIMA.*

1. *Conserva violarum, hoc est, flores Violarum incisi, & saccharo conditi, comedendo, vel Syrupus Violarum lambendo adhibitus, acres humores, eosque calidos & salsos, corrigit.*

2. *Raucedinem sanat Julapium Violarum, h. e. aqua Violarum cum saccharo cocta, cochlearia duo, vel tria lambendo.*

3. *Flores decocti & epoti, vel Syrupus lambendo sumtus, vel conserva sola, aut cum conserva rosarum quantitate nucis Castaneæ devorata, efficax est remedium contra tussim.*

4. *Folia Violarum cocta instar polentæ apposita, inflammationes sanant.*

5. *Syrupus Violarum, conserva & Juleb febribus pro alteratione conveniunt.*

6. *Violarum aqua destillata, vel acetum, capitis dolori à caliditate confert.*

7. *Odor violarum, vel lotio pedum ex herba, sive foliis, somnum conciliat.*

8. *Sitim æstuantem in febribus biliosis optimè lenit Julapium, quod ℞. Aq. Violar. lib. j. Syrup. Violac. ℥iij. Syr. acetos. citri, ℥j. Spir. Vitrioli rectificati ℈j. Misce.*

## C A P U T II.

### *DE ASPARAGO.*

Ἀσπάραγος Latinis *Asparagus*. Germanis Spargen. Vide *Matthiolum pag. 373. sub Titulo 1. Asparagus.*

*Substantia* hujus plantæ tenuium est partium, quæ aliquid alimenti & medicamenti in se continet.

*Temperamentum* est siccum in primo gradu, sed in caliditate & frigiditate temperatum.

Hinc ergò vires hujus plantæ *ratione substantiæ* sunt, quod nutriat quodammodo, & ita semen augeat, undè magnatibus verno tempore sæpiùs apponitur. *Ratione temperamenti* 1. modicè exsiccat. 2. abstergit. 3. semen auget.

*U S U S.*

Usus ejus est in summitatibus, & in radice. Summitates sunt tenelli caules primò erumpentes, unde *Galenus* & plerique Græci omnes herbarum tenellas excrescentias asparagos appellare consueverunt, ut patet ex *lib. 2. de Alim. facult. cap.* 58. & usurpantur cocti cum oleo & butyro pro mensarum delitiis. Radices & semina siccantur in Officinis, & Medicis usui sunt, vel ad decoctiones, vel ad pulveres, vel ad electuaria.

*R E M E D I A.*

1. *Asparagi tenelli surculi cum oleo conditi & sæpiùs comesti, prosunt novellis maritis, ubi vinum generosum superbibunt.*

2. *Radix Asparagi vel decocta sola, vel cum radice Petroselini, obstructiones renum & epatis aperit, si manè & vesperi ebibatur.*

3. *Eodem modo usurpata per aliquod tempus, hydropi confert, præsertim si misceatur cum radice cichorei, & aliis convenientibus.*

4. *Semen & radix decocta, modò cum aqua simplici, modò cum aqua Petroselini, modò cum vino, stranguriæ medetur, epota jejuno stomacho.*

5. *Recentes cauliculi comesti alvum molliunt, & urinam provocant.*

6. *Radix Asparagi decocta, & aliquot diebus epota, febrim tertianam notham, & Icterum sanat, universalibus præmissis.*

## C A P U T III.

### *DE ASARO.*

Græcis ἄσαρον, Latinis & Officinis communiter *Asarum*: quibusdam Vulgago, Perpensa, Nardus rustica, & Sanguis Martis vocatur, sicuti videre licet apud Dorstenium pag. 14. Germ. Haselwurtz. Vide *Matthiol. pag. 36. sub titulo 1. Asarum.*

*Occultâ substantiâ* purgat: *manifestâ* verò, inprimis quoad radicem, est tenuium partium.

*Temperamentum* tùm herbæ, tùm radicis calidum est in secundo, & siccum in tertio gradu. Licet revera folia minùs etiam sint calida, atque adstringens aliquid habere videantur.

*A tota substantia* vomitum movet, & per sedem purgat bilem & pituitam, teste Mesue, licet manifestius bilem; imò experientiâ quoque teste bilem atram evacuat. *Respectu temperamenti.* 1. calefacit & exsiccat. 2. attenuat. 3. urinam movet & menses provocat, ac partum in fœtu mortuo excludendo adjuvat.

*U S U S.*

Usus Asari est in foliis, & in succo ex foliis expresso & in radicibus. Folia usurpantur recentia, quando succus exprimitur; aut etiam sicca ad decoctiones. Radices

dices verò frequenter in usu sunt exsiccatæ, quomodo vel ad decoctiones, vel ad pulveres usurpantur. Observandum hic, radices leniter esse decoquendas, aliâs ubi diu fervent, facilè vim amittunt: sicuti quoque in pulverisatione non multum contritionis ferre possunt.

R E M E D I A.

1. *Succus ex recentibus foliis Asari XXX. in vino maceratis, 24. horis, expressus & epotus, purgat tùm per vomitum, tùm etiam aliquantulum per alvum, & per urinam.*

2. *Radix quantitate ℥ß. vel sola, vel cum Acoro Dioscoridis in vino fortissimo albo cocta, & aliquot diebus manè & vesperi epota, febres quartanas & diuturnas juvat.*

3. *Radix asari decocta cum aqua & vino partibus æqualibus, & sæpius epota hydropem sanat, & scirrhosos tumores hepatis & lienis tollit.*

4. *Pulvis ejus quantitate semidrachmæ insigniter vomitum provocat in febribus coctis, & materiâ præparatâ. Sed nota, tutiùs procedere nos, ubi ad grana XVIII. vel XX. pulverem radicis Asari jungimus cum spec. Diaturbith. ʒß. vel ℈ij. qua ratione votitum quidem promovet, sed simul etiam per inferiora purgat.*

5. *Exterius folia Asari decocta in lixivio, cum quo caput lavetur, cerebrum & memoriam corroborant.*

6. *Vinum recens, vel mustum, radicibus Asari conditum, secundum Mesuen, post tertium mensem optimè contra hydropem, & splenis affectiones, bibitur.*

## C A P U T IV.

### DE HEDERA TERRESTRI.

GRæcis χαμαίκισσος, *Hedera terrestris* Latinis & Officinis, Cordo *Chamæclema*, Lobelio *humilis hedera*, & *Corona terræ*. Germanis Gundelreb. Vide *Matthiol. pag. 467. sub Titulo 111. hedera terrestris.*

*Substantia* ejus est partium tenuium, *temperamentum* calidum & siccum in gradu secundo.

*Vires* ejus 1. calefacere & exiccare modicè. 2. attenuare, incidere crassos humores, aperire obstructiones. 3. urinam movere, menses citare, & calculum frangere.

U S U S.

USurpatur hæc herba in foliis tùm recentibus, tùm siccis. Recentia folia aut miscentur cum ovis frixis, & contunduntnr; aut destillantur, undè aquæ hederæ terrestris; aut infunduntur in vino sublimato, & ad Solem ponuntur: undè aqua hederæ terrestris cum vino sublimato. Sicca folia vel ad decoctiones pro potu, vel ad pulveres præscribuntur. Quoad flores utimur hâc herbâ in conficienda conserva hederæ terrestris.

R E M E D I A.

1. *Conserva hederæ terrestris quotidiè matutino tempore quantitate castaneæ nucis sumpta, obstructiones jecinoris, & Hypochondriacos dolores tollit.*

2. *Herba decocta & epota manè & vesperi 7. diebus Icterum emendat & expurgat.*

3. *Pulvis hederæ terrestris ʒj. vel ʒij. pondere usurpatus, eodem modo contra icteritiam valet, teste Dioscoride.*

4. *Aqua cum vino sublimato destillata calculum frangit & expellit, trium, vel quatuor cochl. quantitate sive manè, sive ante ingressum lecti usurpata.*

5. *Aqua destillata idem facit, nisi quod non adeò vehementer moveat, neque adeò calefaciat.*

6. *Herba cum vino albo decocta menses movet, sive sola, sive cum aliis commixta, & manè vesperique epota.*

7. *Herba cum Allio spiritu vini infusa, probatissimum dat antinephriticum, sæpiùs semicochlearis quantitate liquore sumto.*

## C A P U T V.

### D E S A L I C E.

Ἰτέα Græcis, *Salix* Latinis & Officinis, à saliendo *Festus* dictam putat, propterea, quod eâ celeritate crescat, ut salire videatur. Germ. Weiden / oder Felber. Salix, *Matthiolus pag. 175.*

Varias habet species, inter quas maximè commendatur rubra.

*Substantia* hujus plantæ est tenuior; temperamentum verò frigidum, modicè ad siccum declinans, præsertim respectu corticis.

*Vires* ejus sunt. 1. Refrigerare, aut etiam cortice leviter exsiccare. 2. modicè adstringere. 3. somnum conciliare.

U S U S.

USus salicis est in foliis, cortice, & succo. Folia recentia pro calore temperando usurpantur in febribus exteriùs, sicca ad decoctiones. Cortex verò in usum venit tantùm recens. Succus colligitur, ubi dum floret, fit incisio, ejusdemque collectio.

R E M E D I A.

1. *Folia & cortex salicis in aqua decocta, utilia sunt, si quis ex eis balneum contra febrim hecticam instituat.*

2. *Foliorum salicis decoctum pro lotione pedum & manuum adhibitum, somnum, quotidiè bis usurpatum, conciliat.*

3. *Recentia folia salicis substrata lumbis & dorso, & subindè renovata, itidemque manuum & pedum volæ alligata, febris ardentis calorem tollunt.*

4. *Folia salicis, imprimis cum cortice decocta cum aqua, & decima parte aceti vini, Erysipelata etiam exulcerata, & similiter quoque herpetes sanant, si iisdem sæpiùs laventur.*

5. *Corticis decoctio cum aqua prodest contra Podagram, quia lotio talis inflammationem & dolores lenit.*

6. *Succus salicis, si eo laventur oculi, claritatem pupillæ adfert.*

C A-

## CAPUT VI.

### DE VITICE.

Græcis ἄγνος, Latinis *Vitex*, Agnus castus, quibusdam *Amerina salix*. German. Keuschbaum. 1. *vitex. Matthiolo pag.* 173.

*Substantiâ* constat admodum tenui, *temperamento* calido & sicco in tertio gradu, teste *Galeno*.

*Vires* ejus sunt respectu *substantiæ* semen minuere & corrumpere: respectu *temperamenti*. 1. calefacere & exsiccare. 2. attenuare, aperire obstructiones viscerum, incidere crassos humores, & flatus discutere. 3. movere menses.

#### USUS.

Usus ejus est in foliis, & in semine, pro potionibus, lotionibus, electuariis, &c.

#### REMEDIA.

1. *Folia & semina recentia comeduntur contra ardorem venereum, quia extinguunt, minuuntque semen.*
2. *Lotio ex decocto florum circa pudenda & lumbos contra gonorrhæam prodest.*
3. *Pulvis seminis viticis vel solus, vel cum aliis sumtus, flatus ventris egregiè discutit.*
4. *Folia & semen viticis decocta & epota manè atque vesperi in congressu lecti (ubi tamen citius instituenda est cœna) contra Melancholiam hypochondriacam prosunt.*
5. *Semen viticis cum vino decoctum, & aliquot diebus epotum hydropem sanat.*
6. *Potio decocti seminis viticis, vel solius, vel cum aliis similibus, mulieribus atque virginibus menses movet, & contra suffocationem matricis, eamque imprimis, quæ à retentione seminis fit, adjumento est.*
7. *Folia ejus substrata dorso & lumbis contra libidinem & viris, & mulieribus prosunt.*
8. *Semen coctum cum aqua, & in formam Cataplasmatis præparatum atque redactum, illitumque ano, rimas sedis mitigat.*

## CAPUT VII.

### DE JUNIPERO.

Ἄρκευθος Græcis, *Juniperus* Latinis, German. Wacholder / oder Wachandel. Dioscoridi duæ sunt species, major & minor, sub qua posteriori proculdubio continetur etiam illa, quæ nobis hodiè in usu est. *Huc pertinet pag.* 110. Junipern.

*Substantia Juniperi* est alexipharmaca: *temperamentum* verò est calidum & siccum, gradibus diversis, pro diversitate partium, quia *gummi seu vernix* in primo gradu calidum & siccum est: *fructus seu grana* sunt calida in 3. & sicca in secundi gradus initio: *lignum* calidum est & siccum in ordine secundo: tandem *aqua & oleum* caliditatem & siccitatem in gradu tertio obtinent.

*Vires ejus respectu substantiæ*, sunt venenum pestiferum, & malignum aërem corrigere. *Ratione temperamenti*, 1. calefacit & exsiccat. 2. valdè attenuat, incidit glutinosos humores, & obstructiones aperit. 3. urinam mediociter movet, & simul etiam calculum. Nota tamen, quod aliquo modo offendat & repleat caput.

#### USUS.

Usus ejus existit in foliis, in lignis, in baccis, & in gummi, quod aliàs vernix, vel gummi Sandaracha appellatur, in aqua destillata, & in oleo.

#### REMEDIA.

1. *Grana juniperi macerata in aceto, pauperum Alexipharmacum esse possunt contra pestem, si quotidiè manè jejuno stomacho cochlearis quantitate sumatur, quo modo prosunt etiam tunc temporis, ubi cum ægris pestilentialibus instituenda est conversatio.*
2. *Vulgo dicta Theriaca domestica tùm à* Dioscoride, *tùm à* Galeno, *tùm à multis etiam aliis commendatur.*

℞. *Grana juniperi, Num. XXVI. Folia Rutæ, Num. XX. Caricar. Num. ij. Nucum jugland. ex cortic. & purif. Num. iij. in aceto vini macerentur, contundantur ad formam Electuarij, quod avellanæ quantitate quotidiè contra pestem sumitur.*

3. *Grana juniperi nec non folia, lignumque accensa, aërem venenatum & pestilentialem optimè corrigunt.*
4. *Suffitus juniperi serpentes abigit, teste* Dioscoride.
5. *Grana accensa suffitu suffocationem matricis leniunt, tolluntque, quod sine dubio fit, quia odor granorum juniperi totâ substantiâ venenatis vaporibus ex corrupto semine, vel humoribus in matrice ad cor caputque ascendentibus, resistit.*
6. *Grana juniperi cum foliis betonicæ decocta in aqua, & epota manè & vesperi, tormina colicæ frigidæ tollunt.*
7. *Grana juniperi cum Betonica, Melissa & Pulegio decocta, obstructiones matricis sensim aperiunt.*
8. *Oleum juniperi de ligno, vel granis, guttis tribus vel quatuor in vino & cerevisia usurpatum, calculum comminuit, difficultatemque anhelitus, ex obstructione hepatis & renum, tollit.*
9. *Oleum juniperi majori quantitate fortius quidem aperit, sed simul calefacit, dolores capitis, & aliquando Epilepsiam parit.*
10. *Pocula ex ligno Juniperini conveniunt iis, quæ suffocatione matricis laborant: commodè quoque tempore pestis usurpantur.*
11. *Grana juniperi contusa cum herba Petroselini, Parietaria vera, Betonica, Agrimonia, Mercuriali, Bismalva, decocta, ac more cataplasmatis imposita calidè lumbis & ureteribus, calculum emolliunt, sæpiusque adhibita movent, ac tandem expellunt.*
12. ℞. *Gran. junip. M. ij. Absinth. Mj. ß.*
*Menthæ, Pulegii, ana Mj.*

*Baccar.*

*Baccar. Lauri, M. ſ. Mixta & compacta in ſacculos linteos duos, atque decocta in vino, præſertim rubeo, ac ſæpius regioni ventriculi & ſplenis impoſita calidè in ipſo paroxyſmo, quartanam tollunt.*

13. *Gummi juniperi mamillis inflammatis ex affluxu humorum prodeſt, dolores lenit, & ab exulceratione præſervat.*

14. *Idem cum albumine ovi, temporibus, fronti & naribus contra hæmorrhagiam applicatur.*

15. *Idem incenſum ſuffitu ſuo prodeſt contra icterum.*

16. *Spiritus juniperi cum Rob ejuſdem ad ſaturatam tincturam digeſtus & decantatus, optimum præſervativum contra renum ſabulum & arenas conſtituit.*

## CAPUT VIII.

Tot ſunt Plantæ, quarum uſus eſt in multis partibus ſimul, Martio Menſe erumpentes, quæ præ reliquis meritò obſervantur, quod viribus efficaciſſimæ, tutiſſimæque ſint.

Sunt præterea menſis hujus aliæ plantæ, quarum quædam uſitatæ ſunt in una quadam parte, meritoque ſelectæ quoque dicuntur; aliæ plures ſunt rarioris vel nullius uſus in officinis.

Uſitatæ plantæ reſpectu unius partis Menſe Martio prodeunt.

*Petaſites*, Peſtilentzwurtzel / cujus radix tempore peſtis in uſu eſt, quam ob cauſam vulgò Peſtilentialis dicitur.

*Helleborus niger*, *flore herbaceo*, *item fl. albo*, Chriſtwurtzel / cujus radicis effectus cum aliis vide lib. ſequenti.

*Squilla Marina*, Meer zwibel / cujus radix ad inciſionem craſſorum humorum uſurpatur.

*Chelidonium minus*, Scharbockskraut / cujus folia cum ſucceſſu contra Scorbutum præſcribuntur.

*Populus alba*, cujus gemmæ unguentum Populeonis ingrediuntur.

*Larix*, cujus gummi communiter pro Terebinthina propriè dicta ſumitur.

*Trifolium aureum*, gülden Leberkraut / quo olim pro Epatica nobili in officinis uſi ſunt.

*Ariſtolochia rotunda vulgaris*, Fumaria bulboſa, Holwurtz / cujus uſus, quo ad radicem frequens in conſolidando.

*Arum*, teutſcher Ingwer cujus radix torrefacta & pulveriſata (ſicut etiam fæcula ejuſdem) in craſſis & tenacibus pectoris humoribus incidendis commodùm uſurpatur.

*Primula veris*, cujus flores ad condituram & deſtillationem uſurpantur in capitis affectibus.

*Bellis minor*, ſyl. & hortenſis, cujus folia contra intemperiem calidam jecoris commendantur.

Porro rarioris, vel etiam nullius uſus in officinis ſunt.

Helleborus albus.
Pſeudohelleborus.
Leucoium bulboſum.
Narciſſus lateus præcox.
Aconitum hyemale.
Crocus vernus.
Buxus.
Avellana fl.
Paronychia Alſine folia Lob.
Thymelæa fl.
Ulmus montana fl.
Corylus fl. ſativus.
Saxifragia aurea Dodonæi.
Vinca pervinca.
Pulmonaria maculoſa.
Jacea, viola bicolor arvenſis.
Cornus fl.
Uva ſpina ſativa fl.
Chamæciſſus.
Hyacinthus botryoides.
Amygdal. fl.
Viſcum.
Alſine vulgatior.
Alſine foliis hederaceis.
Tithymallus ſylvaticus verno tempore rubens.
Moſchatella cordi.
Pulſatilla.
Prunus ſyl. fl.
Senecio.
Alſine minor.
Anemone alba.
Tuliparum variæ ſpecies.

De his & ſimilibus, qui plura deſiderat, ad Botanicorum commentaria ſeſe conferat: noſtrum eſt ut ad menſem ſubſequentem nos convertamus.

## SECTIO II.

# DE PLANTIS QUÆ *NASCUNTUR IN APRILI.*

## CAPUT I.

## *DE ACETOSA.*

Græcis ὀξαλις, Acetoſa Latinis, Germanis Sauerampffer / Dioſcoridi quarta ſpecies Rumicis dicitur, quemadmodum *Lobelius inquit, pag. 19. Adverſar.* Vide *Matthiol. pag. 353. ſub Titulo* III. *Oxalys ſeu acetoſa.*

Hujus *plantæ ſubſtantia* eſt partium diverſarum quia reſpectu foliorum magis aquoſa; at reſpectu ſeminis magis terreſtris eſt.

*Temperamentum* frigidum & ſiccum in ſecundo gradu ſtatuitur, quod verum eſt de ſemine: ſed folia frigida quidem in ſecundo gradu manent, veruntamen in ſiccitate & humiditate temperata.

*Vires Acetoſæ ſunt.* 1. refrigerare ſine omni ferè ſiccitate, reſpectu foliorum, ſyrupi de ſucco Acetoſæ & conſervæ; refrigerare & exſiccare parùm, reſpectu ſeminis. 2. adſtringere; & reſpectu foliorum ſimul digerere, *teſte Galeno.* 3. menſes ſiſtere, quoad ſemen; calculũ frangere, & menſes quodammodo movere, in calidis ſcili-

scilicet complexionibus, ubi adustus sanguis est causa obstructionis, quoad folia.

### USUS.

Usurpatur hæc planta, quoad folia, recens ad acetaria, ad succum exprimendum, & ad aquam destillandam; sicca, ad decoctiones, electuaria, &c. Semen acetosæ usurpatur ad pulveres, decocta, electuaria, &c. undè inter semina quatuor frigida minora subintelligitur. Radix interdum ad decoctiones, cum herba, præscribitur.

### REMEDIA.

1. *Radix Acetosæ unà cum foliis & Plantagine decocta in aqua, & percolata, utiliter contra febres bibitur; ac sæpè sola hæc potio febres ardentes puras, præmissis universalibus, tollit.*

2. *Eadem radix contra sitim in febribus ardentibus decoctum jucundum constituit, hoc modo:*

℞. *Radic. Acetosæ, ℥j ß. Scorzoneræ, ℥ß. C. C. usti præp. ʒvj. Sacchar. optimi ℥ij. Aquæ, Mens. iij. fiat decoctum ad casum quartæ partis: adde Syrupi acetos. citr. q. s.*

3. *Succus Acetosæ in acetariis sæpè sumtus, & æstuantem ventriculum in biliosis corroborat, teste Galeno, & bilem flavam adolescentiæ calidioris temperat.*

4. *Folia Acetosæ sicca decocta & epota, febres, & Icteritiam levant.*

5. *Aqua Acetosæ fluxiones erysipelatodes tollit & lenit.*

6. *Aqua Acetosæ alias quoque fluxiones capitis tenues ac periculosas ad inferiora temperat & inhibet, adeoque à suffocatione præservat.*

7. *Aqua Acetosæ in febribus tertianis, & æstuantibus, contra sitim, atque æstum, utiliter bibitur.*

8. *Syrupus de succo Acetosæ sive solus lambatur cochl. ij. sive cum aquis appropriatis dilutus, potionis instar, dolorem capitis à bile tollit.*

9. *Idem eodem modo usurpatus, prodest febribus tertianis puris & ardentibus.*

10. *Syrupus de succo Acetosæ, cum aqua Acetosæ, contra dysenteriam cum febri plurimum prodest.*

11. *Syrupus de succo Acetosæ aliquoties epotus cum aquis appropriatis, inflammationes erysipelatis sedare solet.*

12. *Semen Acetosæ aut pulverisatum, & mixtum cum aliis in electuario; aut decoctum & epotum, omnem alvi fluxionem, mimirùm dysenteriam, diarrhæam, & alias, imprimisque dysenteriam, sistit ac tollit.*

13. *Semen Acetosæ aut pulverisatum, & cum vino adstringente epotum; vel aliis commixtum in electuariis, imprimisque Acaciæ, ac manè & vesperi usurpatum, fluxum mensium immodicum sistit.*

14. *Aqua Acetosæ, unà cum aceti rosacei septima parte mixta, ac linteo madefacto dextro hypochondrio imposita, contra inflammationem jecoris prodest.*

15. *Aqua acetosæ, cum aceto vini rosaceo septimâ parte, & spec. diamoschu, trium santalor. decimâ parte, boli armeni duodecimâ parte mixta, atque epithematis more, hepatis regioni imposita, fluxum sanguinis immodicum per nares, vel alias partes, & tunc temporis, ubi cætera adstringentia frustà adhibentur, tollit.*

16. *Aqua Acetosæ cum aqua Plantaginis & aceto vini rosaceo mixta, ac fronti applicata cum linteo, quâvis horâ, dolores capitis à bile, vel à febrili calore, mitigat, & vapores ad caput adscendentes reprimit.*

## CAP. II.

## DE ACETOSELLA.

Acetosella Officinis, Latinis Trifolium acetosum; aliis Alleluja, vel panis Cuculi dicitur, Germanis Sauerklee / species est Trifolii. Hujus *substantia* parumper aquosa est, ex *temperamento* frigido & sicco in gradu secundo. Vide *Matthiol. pag.* 608. *subtitulo*, 11. *Trifolium acetosum.*

*Vires* Acetosellæ *respectu substantiæ* nullæ sunt, nisi quod nutriendi facultatem aliquo modo possideat, quatenus ejus usus est vel in acetariis, vel etiam lactucæ modo. *Respectu temperamenti* 1. refrigerat & exsiccat mediocriter. 2. adstringit. 3. fluorem sanguinis sistit.

### USUS.

Usus ejus est in foliis & floribus. *Folia* recentia usurpantur ad acetaria & aquæ destillationem; sicca, ad decoctiones pro potionibus, vel gargarismis. *Flores* sacchаro condiuntur, undè conserva Acetosellæ.

### REMEDIA.

1. *Folia recentia inprimisque in Aprili, & principio Maji, vel sola, vel cum floribus decerpta, atque præparata cum aceto, butyro, vel oleo, simul nutriunt, & ventriculum debiliorem atque laxum à nimia humditate corroborant: hoc est, exsiccant, & mediocriter adstringunt.*

2. *Folia sicca, vel decocta sola, vel cum aliis adstringentibus, atque percolata, gargarismum optimum contra fluxiones capitis & internorum musculorum inflammationes constituunt.*

3. *Aqua Acetosellæ prodest contra oris ulcera, si sæpiùs eâdem os proluatur.*

4. *Decoctum foliorum Acetosellæ in gargarismo cum aliis contra squinantiam prodest.*

5. *Folia sicca decocta & epota, sensim fluxiones biliosas, vel etiam pituitosas cum bile mixtas, sistunt ac tollunt.*

6. *Decoctum foliorum Acetosellæ prodest contra inflammationes erysipelatis magnas.*

7. *Folia sicca decocta, maneque & vesperi epota mensium fluxum mediocriter adstringendo sistunt.*

8. *Aqua Acetosellæ ℥iij. cum syrupo Acetosæ, vel syrupo de Myrto, ad ℥j ß. mixta, potionem optimam efficit contra fluxiones immodicas mensium, ac etiam contra alias fluxiones catarrhales.*

9. *Conserva Acetosellæ stomachum dissolutum corroborat.*

10. Con-

10. *Conserva Acetosellæ manè usurpata omnibus biliosis, præsertim æstate, prodest.*

## CAPUT III.

### DE BENEDICTA.

Benedicta, aliâs Caryophyllata Officinis, fortè ab odore radicis, qui caryophyllis assimilatur, quibusdam Sanamunda quoque dicitur, Germanis Benedicten Wurtzel. Vide *Matthiol. pag. 697. sub Titulo 1. Caryophyllata.*

*Substantia* Radicis est aromatica: *Temperamentum* calidum & siccum ordine secundo.

*Vires ejus respectu substantiæ* sunt, quod suâ virtute balsamicâ membra principalia, inprimisque cerebrum corroboret, minùs principalia, potissimum nervos & carnem, eximiè confirmet: undè sanandorum vulnerum facultates eidem quoque tribuuntur.

*Respectu temperamenti* 1. Calefacit & exsiccat mediocriter. 2. dissolvit, discutit, digerit, & obstructiones tollit: 3. Menses parumper movet.

### USUS.

Usurpatur hæc planta in foliis & in radice. Folia recentia rariùs à quibusdam adduntur acetariis: vel unà cum radice ad condiendas cerevisias infunduntur. Radicis usus frequens est, ut ex sequentibus apparebit.

### REMEDIA.

1. *Radix Benedictæ decocta in aqua, & manè vesperique epota, vel sola, vel cum similibus, apoplexiæ præservandæ causâ convenit.*
2. *Eadem decocta & epota Paralyses diuturnas lateris, & spasmos cynicos faciei dissolvit.*
3. *Eadem in vino decocta & epota, flatus discutit, dolorem ventriculi, & tormina intestinorum tollit.*
4. *Eadem eodem modo contra hypochondriacam passionem efficacissimum est remedium, præsertim si in vino fortiori decoquatur.*
5. *Eadem radix pulverisata, ac sumta cum calida cerevisia, quantitate ℈ij. vel decocta in vino, potaque contra matricis suffocationem prodest.*
6. *Pulvis radicis sumtus cum aqua Lavendulæ vel Tiliæ, pondere ʒß. vel j. contra Epilepsiam & apoplexiam prodest.*
7. *Pulvis ejusdem aut solus, aut cum corticibus aurantiorum mixtus, & in cochlearibus cerevisiæ calidæ assumtus, colicos dolores à frigida causa lenit.*
8. *Decoctum radicis, vel etiam foliorum unà cum radice, epotum, vulnera externa atque maligna sanat.*
9. *Vulnera elota exteriùs decocto hujus radicis faciliùs sanantur.*

## CAPUT IV.

### DE COCHLEARIA.

Quidam Telephium Græcorum *Cochleariam* esse contendunt, in quorum numero quoque est Lacuna. Sed frustrà: quia cochlearia nostra cum descriptione Telephii non convenit. Est autem Cochlearia in Saxonia & maritimis locis herba notissima, Germanis Löffelkraut/quę ob dotes suas meritò laudibus ad cœlum usque effertur. Vide *Mathiol. pag.* 380. *sub Titulo 6. Cochlearia folio subrotundo.*

*Substantia* ejus occulta est, quòd mirificè contra Scorbutum præ aliis omnibns simplicibus efficax sit.

*Temperamentum* ejus est calidum in primo, & siccum in secundo ordine.

*Vires* ejus sunt 1. Calefacere & exsiccare. 2. incidere crassa, imprimisque atram bilem emollire & abstergere 3. movere sudorem, aut insensibilem exhalationem.

### USUS.

Usurpatur hæc planta in foliis, in radice, in floribus & in aqua destillata, quemadmodum apparebit in ipsis remediis.

### REMEDIA.

1. *Cochlearia infusa in vino, & macerata aliquot horis, deindè succus ejus expressus & epotus ℥ij. vel ℥iij. sudorem elicit.*
2. *Cochleariæ succus præparatus eo modo, quo diximus, ℥ij. vel ℥iij. epotus quotidiè bis vel ter, duabus, vel tribus horis ante cibum, & rursus ante ingressum lecti, Scorbutum sanat. Nota tamen, quod usus hujus succi per 10. dies continuandus sit, post universalia.*
3. *Quod si succus hoc modo usurpatus non sufficit, 6. vel 7. die balneo sudorifero ex fomento herbarum Betonicæ, Chamomillæ, Origani, Bismalvæ, Cochleariæ, & similibus juvandus est, ita, ut ante balneum ebibatur, quo fortiùs atrabiliarios humores incidat & expellat.*
4. *Cochleariæ succus aliquando etiam miscetur cum aliis, quæ humores melancholicos incidunt & Scorbutum rectiùs sanant, cujus generis hæc potio laudabilis existii, si unâ vice medietas ejus usurpetur.*

   ℞. *Numular. Nasturt. aquat. Anagall. aq. Cochlear. an. Mij. Comar. absinth. virid. Rutæ, sedi minor. an. Mß. incidantur & conterantur lapideo mortario, succus exprimatur, & affundatur serum lactis caprini, colentur ℥viij. adde aq. cinamom. ʒj. M. f. Potio pro duabus vicibus.*
5. *Succus Cochleariæ in Scorbuto non adeò magno, & in corpore non repleto, solus interdum sufficit: sed in Scorbuto majori & corpore Cacochymico non usurpetur, nisi evacuatio universalis præcesserit ad hunc modum.*

   *Primò, potio purgans atram bilem sumatur hæc, quæ*

   ℞. *Asparag. fœnic. liquirit. an. ʒij. Polypod. ℥ij.*

*Herb. Fumi terræ, Mß. Fol. scolopendr. Num. ij. Coq. in s. q. aquæ ad ℥. post colentur ℥iij. & addatur Confect. Hamech. ℥vj. Syrup. de succo borrag. ℥ß. M. f. Potio, quæ una vice 3. hor. ante prandium pro evacuandis crassis humoribus, universaliter sumatur, atque statim subsequatur aliis duobus diebus potio digestiva manè & vesperi, hoc modo:*

℞. *Radic. liquirit. Cichor. an. ℥ij.*
*filicis, borrag. an. ʒjß.*
*Sem. anis. fænic. pæoniæ,*
*Cortic. fraxini medii, Capparor. an. ʒj.*
*Herb. fumiterr. scolopendr. an. Mß. Cochlear. Mj. Acetosæ recentis, absinth. pontic. ana. Mß. Flor. borrag. P. iij. Epithym. P. ij. Cinnam. ℈jß. Macis, ℈j. Coq. in jusculo Gallinac. sine sale & pinguedine q. s. postea coletur* lib. j.

℞. *Colaturæ hujus ℥ij. & adde Syrupi de betonic de fumoterr. de Epithym. ana ℥ß. M. f. Potio.*

*Quarto die adhuc iterum purgatio atræ bilis instituenda est, formâ potionis sequentis, quæ*

℞. *Seri lactis caprini, ℥iiij.*
*Folior. Senæ, ℥ß. ʒij.*
*Epithym. Thymi, an. ʒj.*
*Semin. anisi, ʒij. Zingib. ℈ß.*

*Stent in infusione per noctem, manè bulliant bis, & colentur: adde syrupi de fumoterræ ℥j. M. f. potio, quæ leniter Melancholiam purgat, quam ob causam in quibusdam, qui alvi obstructioris sunt, dosis foliorum senæ augenda venit.*

*Non desunt ægri scorbutarii adeò Cacochymici, ut pluribus purgationibus per vices egeant, cujus discretio artifici Medico relinquitur. Jam præmissis his universalibus, rectè sequitur quotidianus usus potionis contra Scorbutum, vel ex cochlearia sola, vel ex cochlearia mixta cum aliis, ut anteà dictum est.*

6. *Aqua destillata ex foliis & radicibus non tàm efficax est, quàm succus, sed tamen in delicatis contra Scorbutum aliquando bibitur.*

7. *Gargarismus ex decocto foliorum Cochleariæ vel tantùm, vel cum aliis appropriatis, ut Numularia, Plantagine, floribus balaustiorum, rosarum rubrar. radice Pyrethri, Aristolochiæ rotund. Serpentar. Aluminis, & Diamoron, gingivarum putredinem in Scorbuto sanat, si eo os sæpè proluatur.*

8. *Folia cochleariæ unà cum Nasturtio cocta, & addito butyro præparata, utiliter comeduntur contra Scorbutum, & humores melancholicos in musculosis partibus valdè expellunt.*

9. *Conserva Cochleariæ ℥j. mixta cum conserva Nasturtii minoris ℥ß. additis syrupo menthæ, & syrup. cortic. citri q. s. utiliter in Scorbuto usurpatur.*

## CAPUT. V.

## DE LACTUCA.

Θρίδαξ *Græcis*, Lactuca *Latinis*, Lattich / oder Sallat / Germanis. Hîc sola sativa Lactuca intelligatur, quæ Aprili quoque Mense primùm provenit, & in omnibus suis speciebus, sive sit tenuifolia, sive crispa, sive capitata, laudabilis existit. Vide *Matthiolum pag. 399. sub Titulo Lactuca florescens.*

*Substantia* hujus plantæ quodammodo nutrit, & aquea est, propter *temperamentum* frigidum & humidum in 3. gradûs principio.

*Vires ejus respectu substantiæ* sunt, quod ex parte nutriat: *respectu temperamenti* 1. refrigerat & humectat: 2. incrassat sanguinem ac tenues humores, ideoque bilem mitigat. 3. somnum conciliat, & semen genitale minuit.

### USUS.

Usus Lactucæ est in foliis, & in semine, modis diversis, ut apparebit ex ipsis remediis.

### REMEDIA.

1. *Lactuca recens à cœna sumpta, somnum in siccis cerebri constitutionibus conciliat.*

2. *Aqua Lactucæ ad ℥iij. cum syrup. de Papav. ℥iß. mixta, constituit potionem probatissimam ad somnum conciliandum in per vigiliis acutarum febrium & Phrenesi.*

3. *Aqua Lactucæ ℥ij. cum syrup. de Nymph. vel de Papav. ℥j. mixta, ac per intervalla usurpata, quantitate cochl. ij. vel iij. sub ingressum lecti, & de media nocte, insomnium ex Melancholia tollit.*

4. *Lactuca recens mulieribus lac auget.*

5. *Aqua Lactucæ cum linteo imposita Erysipelata & phlegmonas mitigat.*

6. *Aqua Lactucæ, vel succus ejus mixtus, cum lacte muliebri, contra adustiones & maculas infantum ex imaginatione ignis efficacissimè illinitur.*

7. *Lactuca ante reliquos cibos sumta sanguinis fervorem reprimit, atque hepatis cordisque intemperiem calidam mitigat.*

8. *Lactuca nimiùm usurpata semen minuit, & venerem extinguit, nisi quis vinum generosum superbibat.*

9. *Lactuca in fine cœnæ medetur ebrietati ex vino.*

10. *Lactuca calidis herbis, ut Nasturtio, Dracunculo esculento & similibus commixta minùs nocet semini, minusque somnum conciliat.*

11. *Folia lactucæ sicca vel sola, vel cum foliis salicis, violariæ, & capitibus papaveris decocta, atque ad lotionem manuum pedumque usurpata, multum ad somnum conciliandum prosunt.*

12. *Semen Lactucæ vel comestum, vel in potionibus usurpatum, venerem omnem maximè frangit, & semen minuit.*

13. *Aquæ Lactucæ usus complexionibus frigidis, imprimisque mulieribus, maximè nocet.*

## CAPUT VI.

## DE PLANTAGINE.

Αρνόγλωσσον Græcis, Plantago Latinis, Wegbreit / Germanis, plures habet species, inter quas

quas præfertur major *Septinervia* quoque dicta. Vide *Matthiol.pag.375.sub Titulo Plantago major.*

*Substantia* hujus plantæ occulta est, quod à tota substantia contra febres prosit: manifesta verò mixta est, partim aquea, partim terrea.

*Temperamentum* frigidum & siccum statuitur in 2. gradu, idque maximè verum est in semine.

*Vires respectu substantiæ* sunt omne febrium genus lenire: *respectu temperamenti* 1. refrigerare & exsiccare modicè, respectu foliorum; magis verò respectu seminis. 2. modò digerere & aperire obstructiones viscerum, respectu foliorum, modò adstringere, respectu seminis. Calculum aliquantulum movere, renumque obstructiones aperire; rursus autem sanguinem sistere, & menses cohibere.

## U S U S.

Usus Plantaginis est in foliis, in semine, & in radice.

### R E M E D I A.

1. *Folia Plantaginis commodè ingrediuntur gargarismos in febribus ardentibus contra linguæ & faucium affectus, ut:*

℞. *Herbæ Plantag. Prunellæ cum floribus, Agrimon. ana M j ß.*
*Radic. bistort.* ℥ß. *Coq. in s. q. aq. ad 3. pòst coletur.*

℞. *Colat.* ℥*xv. adde Alumin.* ℈ß.
*Rob. nucum, diamor. ana* ℥ß. *M. & f. Gargarismus.*

2. *Aqua Plantag.* ℥*iij. cum syrup. de Betonic.* ℥*j ß. fluxiones tenues, nimiumque mobiles, cohibet & sedat.*

3. *Aqua Plantag.* ℥*j ß. cum syrup. de succo Acetosæ* ℥*j ß. febres tertianas mitigat: interdum cum syrupo de Endivia, vel duabus radicibus in tertianis nothis miscetur.*

4. *Aqua Plantag. cum aqua Prunellæ commixta, lenit ariditatem linguæ summam in febribus ardentibus.*

3. *Aqua Plantag. vel sola, vel cum aliis repercutientibus mixta, & linteo madefacto fronti Epithematis more imposita, dolores capitis lenit in febribus, & vapores adscendentes reprimit.*

6. *Semen Plantaginis pulverisatum commodè contra dysenteriam usurpatur, quotidiè ter quaterve in Electuar. aut alio modo exhibitum.*

7. *Idem cum vino decoctum, sanguinis excretiones sistit.*

8. *Aqua Plantaginis & Prunellæ contra gingivas sanguinolentas prodest.*

9. *Eadem aqua Plantag. exteriùs imposita, inflammationes Erysipelatis mitigat ac tollit.*

# C A P U T VII.

## D E S A X I F R A G A A L B A.

SAxifraga communiter omnis planta dicitur, quæ urinam movet ac calculum frangit, ut sunt Filipendula, Asplenum, Adianthum, &c. in præsentia verò cum adjectione Saxifraga alba tantùm intelligitur, Germanis Weisser Steinbrech. Vide *Matthiol. pag. 694. sub Titulo V. Saxifragia IV.*

Hujus *substantia* est partium tenuium.

*Temperamentum* est calidum & siccum in initio tertii gradus.

*Vires ejus* sunt 1. Calefacere & exsiccare: 2. aperire, incidere, & abstergere: 3. urinam movere, calculum frangere, & menses parumper ciere.

## U S U S.

Usus ejus est in foliis tàm recentibus, quàm exsiccatis, & in radice.

### R E M E D I A.

1. *Folia decocta in vino & epota, urinam movent & renum ac vesicæ calculum expellunt, idque citiùs, si ante & post balneum adhibeantur.*

2. *Aqua destillata vel sola, vel cum aliis diureticis idem præstat.*

3. *Folia decocta in aqua, crassos humores incidunt ac præparant.*

4. *Granulæ radicis tusæ ac devoratæ, urinam cient.*

5. *Saxifraga alba cocta & epota, stranguriæ medetur, & menses retentos aperit.*

6. *Eadem cum radice Rhodia cocta, fortiùs menses movet, & calculos impactos expellit.*

7. *Saxifragæ albæ pulvis mixtus cum speciebus Aromatic. rosat. vel Diagalang. & in cerevisia calida* ℨ*j. pondere assumtus, crassos humores digerit, & ad evacuationem præparat.*

# C A P U T VIII.

## D E U N G U L A C A B A L L I N A.

GRæcis Βήχιον, Ungula Caballina, Farfara, vel Tussilago Latinis, Germanis Hufflattich / Brandlattich / Roßhub. Vide *Matthiolum pag. 614. sub Titulo 1. Tussilago.*

Hujus plantæ *temperamentum* est humidum in secundo, & frigidum in primo. Nota tamen quod folia, præsertim exsiccata, quoad humiditatem & siccitatem temperata videantur.

*Vires* ejus sunt 1. Humectare (imprimis recentis) & refrigerare modicè. 2. emollire. 3. laxare alvum, & emollire pectus ad expuendum. Usurpantur autem folia, flores, & radices.

### REMEDIA.

1. *Flores Ungulæ caballinæ decocti cum passulis, & epoti, tussim leniunt, & alvum laxant.*

2. *Flores iidem in aqua decocti & epoti, una cum syrupo de Farfara, fluxiones salsas, destillantes ad pectus, atque ad asperam arteriam, emendant & solvunt.*

3. *Folia Ungulæ caballinæ recentia exteriùs imponuntur inflammatis partibus ex Erysipelate. Sed cavendum ne nimis diu hæreant, aliàs emollitione sua partem inflammatam ad ulcerationem perducunt.*

4. *In inflammationibus scabiei, folia & radix hujus plantæ utiliter adhibentur.*

5. *Aqua Ungulæ caballinæ rectè contra tussim siccam bibitur.*

6. *Folia sicca accensa fumum convenientem contra tussim constituunt.*

## CAPUT IX.

### DE VIOLA LUTEA.

GRæcis λευκόιον; Latinis Viola lutea, seu citrina, Arabibus Keiri, Germanis gelb Violen. *Matthiol. pag. 632. sub Titulo 11. Leucoium aureum.*

Variat quidem λευκόιον Græcorum in floribus, cum albos, purpureos & luteos proferat: sed posterioris usus est in Medicina præ reliquis, teste Dioscoride, & experientiâ.

*Occulta* violæ luteæ *substantia* esse videtur, quod vivo fœtui noceat, & ad abortum inserviat: *manifesta* verò tenuium est partium, idque propter *temperamentum* calidum & siccum secundi gradus.

Quapropter vires ejus sunt 1. Calefacere & exsiccare mediocriter: 2. abstergere, præsertim respectu florum exsiccatorum. 3. obstructiones nervorum, cerebrique aperire, menses movere, & secundinam expellere.

### USUS.

Usurpantur autem flores & folia, licet rariùs, ubi scilicet aqua destillatur ex iis, quæ tamen est deterior illâ, quæ fit ex floribus.

### REMEDIA.

1. *Aqua Violæ luteæ sæpiùs usurpata Apoplexiam & Paralysin diuturnam sanat.*

2. *Flores decocti & epoti menses movent, & fœtum mortuum expellunt.*

3. *Idem decoctum florum Podagricis, Apoplecticis & Paralyticis prodest.*

4. *Decoctum florum cum foliis exteriùs adhibitum fomentatione scirrhosos tumores tollit.*

5. *Oleum Keirinum inunctum contra Paralysin & podagricos dolores prodest.*

## CAPUT X.

### DE BERBERI.

Ὀξυάκανθα Galeno, Crespinus Matthioli, Arabibus Amirberis, Officinis corrupto nomine Berberis, Germ. Berberißbeer/Erbsich oder Sauerauch/arbor est sylvestris, quæ in multis regionibus in hortis alitur. Vide *Matthiol. pag. 149. sub titulo 11. Oxyacantha Dioscoridis.*

*Substantia* radicis est crassarum partium, sed fructus est tenuior secundum Galenum.

*Temperamentum* est frigidum & siccum in secundo gradu.

*Vires ejus sunt* 1. refrigerare & exsiccare mediocriter: 2. quoad radicem, adstringere; sed quoad fructum, modicè incidere cum quâdam adstrictione: 3. corroborare, quod fit commistione incidentis & adstringentis facultatis: 4. sistere fluxiones.

### USUS.

Usurpatur hæc planta quoad radicem, & quoad fructum. Radix exsiccatur, & ad potiones & lotiones præscribitur. Fructus sæpissimè in usu est, recens ad destillationem, undè aqua berberorum; aut ad conditum; aut ad succum exprimendum, undè Rob Berberis: Siccus usurpatur ad decoctiones.

### REMEDIA.

1. *Radix decocta cum vino rubro mensium fluxum sistit.*

2. *Eadem decocta in aqua omnes alias fluxiones corrigit.*

3. *Eadem pulverisata utiliter medicamentis aperientibus & incidentibus miscetur, ad conservandum robur Epatis.*

4. *Berberis fructus decoctus & epotus, imbecillitatem stomachi, præsertim in febribus, corroborat, & ardorem febrium ardentium temperat.*

5. *Rob. Berberis febrium sitim mitigat.*

6. *Idem Rob Berber. & Berberis fructus conditus, vomitum biliosum, in ardentibus febribus, temperat & lenit.*

## CAPUT XI.

HActenus de Plantis selectis, quarum usus est in multis partibus, tempore Aprilis provenientibus egimus: jam sequitur, ut pergamus ad eas, quas Herbilega juventus hoc eodem mense meritò simul observare debet, ubi primum sese offerunt quædam, quarum usus est frequens in unâ tantùm parte, ut sunt.

*Ranunculorum* variæ species, quarum radix usurpatur, ubi cutis excorianda, vel etiam valdè siccandum est juxta *Galen.*

*Numularia*, cujus herba commodum potionibus Scorbuticis adjicitur.

*Chærefolium*, cujus herba stomacho fastidioso succurrit.

*Aquilegia*, cujus semen ad expellendas variolas præsens remedium est.

*Taraxacon*, vel dens leonis, cujus radix & folia contra jecoris intemperiem calidam usurpantur.

*Nasturtium aquaticum*, cujus herba contumacibus obstructionibus lienis & mesenterii convenit.

*Ribes*, cujus baccæ vim refrigerandi possident.

*Consolida media*, vel *Bugula*, cujus herba vulneraria est.

*Polygonum*, quoad herbam in adstringendo conveniens.

Aliæ simul etiam provenientes hoc tempore sunt rarioris usus, ut sunt

Colchicum, quod hoc tempore foliis, Autumno verò floribus erumpit.

Ornithogalum luteum, vel bulbus agrestis.

Geranii variæ species, inter quas in vulneribus & ulceribus malignis succo suo plurimùm commendantur.

Satyrii variæ species, quarum radices Venerem stimulare dicuntur, inprimis majoris, quibus humidam calidam temperaturam Galenus attribuit.

Gallion.
Viola matronalis.
Dapherides.
Caltha palustris.
Allium ursinum.

Alliaria, quæ Scordii succedaneum esse potest in casu necessitatis.

Lactuca agnina, Lemmerlattich/ olim Helmstadii propter dichotomiam, quâ dividitur, herba Ramistica dicta, cujus usus est verno tempore in acetariis, Germ. Ackersallat.

Phu minimum.

Alsines variæ species, ut hispida major & minor C. Ban. item parva recta, foliis veronicæ, &c.

Ornithopodium.
Urtica mortua.
Tithymallus Cyparissius.
Helioscopius.
Spergula saginaria.
Cauda muris.
Asarina.
Orobus vernus sylvaticus Thalii
Trifolium palustre.
Alnus.

De his & similibus herbis hoc mense prodeuntibus nihil addimus ulterius, quia præsens institutum requirit, ut solum agamus de iis, quæ maximè sunt selectæ, ita ut quotidianus ac tutus eorundem usus sit in partibus pluribus. Hinc igitur ad ipsos libros Botanicorum vicissim diligentem rei herbariæ remittimus, & ad mensem subsequentem nos convertimus.

## SECTIO III.

### *DE PLANTIS PROVENIENTIBUS in Majo.*

### CAPUT I.

### *DE ABSINTHIO.*

GRæcis ἀψίνθιον, Latinis *Absinthium*, German. Wermuth. Hujus duæ species maximè usitatæ, adeoque meritò selectæ sunt, nimirùm *Absinthium* sine adjectione, ubi intelligitur *Absinthium vulgare*, & *Absinthium Romanum*, vel *ponticum*. Vide *Matthiol. pag.* 508. *sub Titulo* 1. *Absinthium.*

*Substantia Absinthij* est occulta & manifesta: illius respectu hepar corroborat, & bilem per urinam purgat, hujus ratione partim est terreum, partim igneum.

*Temperamentum* est calidum in primo, & siccum in tertio gradu. Sed tamen hoc magis de Absinthio vulgari, minùs de Absinthio Romano, omnium maximè de succo, & oleo per destillationem verum est.

*Vires* in Absinthio, *teste Galeno* 2. *Meth. med.* mixtæ sunt, ideoque partim digerendi, partim adstringendi facultatem obtinet.

### *USUS.*

Est autem usus ejus in foliis, in coma, & in semine: Folia recentia usurpantur ad destillationes aquæ & olei; item ad infusiones cerevisiæ, vini, olei communis: item ad succi expressionem: Sicca, ad decoctiones, pulveres, species & Emplastra præscribuntur: item ad salis præparationem, &c.

### *REMEDIA.*

1. *Absinthium in vino infusum tertianæ febri nothæ prodest, post diem septimum frequenter usurpatum.*
2. *Absinthium cum calamintha decoctum in aqua, post septimum diem, contra febrim tertianam puram & notham ℥iij. vel ℥jv. manè & vesperi bibitur.*
3. *Absinthium cum calamo aromatico & calmintha decoctum in vino fortissimo, contra quartanam per septimanam integram manè & vesperi bibitur.*
4. *Absinthium in aqua & vino decoctum, contra quotidianas febres prodest.*
5. *Absinthii coma, vel semen, quotidiè hora* 1. *ante cibum deglutiendo sumptum à nauseabundis, appetitum restituit, & concoctionem imbeciliorem confortat.*
6. *Absinthii caliditatem, & vim aperiendi majorem Rosæ simul decoctæ optimè temperant.*
7. *Absinthij decoctum, aut vinum Absinthites, Phthisicis nocet.*
8. *Vinum Absinthij, ejusdemque decoctum, vermes necat, materiam, ex qua generantur, consumit, & vermes etiam expellit.*

9. Oleum

9. *Oleum Absinthij exterius umbilico, & toti regioni ventris illitum, vermes interficit & expellit.*

10. *Conserva Absinthij manè ʒß sumitur contra Hydropem.*

11. *Vinum Absinthij somnum conciliat, quatenus caput replet.*

12. *Idem menses quoque movet, ubi frequenter bibitur.*

13. *Absinthium in aqua decoctum & epotum Icteritiam sanat.*

14. *Pulvis Absinthij vel solus, vel cum aliis aromatibus mixtus, & cum cerevisia calida ʒj. pondere epotus, menses movet.*

15. *Pulvis Absinthij cum Mentha, Caryophyllis, Nuce moschata, rosis rubris, & cumino mixtus, & in forma Emplastri ventriculo cum pane & aceto applicatus, vomitum sedat.*

16. *Aqua Absinthij prodest in suffocatione matricis.*

17. *Aqua Absinthij exterius cum aceto vini mista, & linteo humectato regioni jecoris imposita, valdè corroborat jecur.*

18. *Syrupus de Absinthio & in mensibus movendis, & in febrium chronicarum declinationibus prodest.*

19. *Sal Absinthij cum ʒj. Theriac. vel Mithridat. gran. iiij. vel V. utiliter contra pestem ab infectis sumitur.*

20. *Idem in febrium declinationibus commodissimè sæpius adhibetur.*

21. *Oleum Absinthij vel solum, vel mixtum cum aliis appropriatis, cum ceræ s. q. optimum unguentum stomachale constituit.*

## CAPUT II.

### DE ABROTANO.

Ἀβρότονον, *Abrotanum*, Germ. Erbriſt / oder Stabwurtz / duarum est specierum, quia datur Abrotanum mas & fœmina. Vide *Matthiolum pag.* 512. *sub Titulo I. Abrotanum mas. Item pag.* 513. *II. Abrotanum fœmina.*

*Substantia* Abrotani tenuium est partium.

*Temperamentum* est calidum & siccum in tertio gradu.

*Vires ejus sunt* 1: calefacere & exsiccare: 2. incidere, & digerere: 3. menses movere, vermes enecare, & stomacho nocere.

### USUS.

Usurpatur autem tota planta; & in foliis, & in semine.

### REMEDIA.

1: *Abrotanum decoctum, & manè vesperique epotum contra febres putridas prodest.*

2: *Abrotanum decoctum in aqua & epotum aliquot diebus contra tertianas nothas prodest.*

3. *Abrotanum decoctum in vino bibitur aliquot diebus contra quartanam.*

4. *Abrotanum in aqua & vino æqualiter decoctum, prodest efficaciter contra quotidianas.*

5. *Idem decoctum Abrotani contra vermes prodest.*

6. *Abrotani oleum contra vermes utiliter ventri inungitur.*

7. *Abrotanum tritum cum farina hordeaca, & decoctum, atque emplastri loco adhibitum, tubercula discutit.*

8. *Oleum Abrotani sive solum, sive cum oleo amygdalarum & similium mixtum, & illitum, rigores, accessionesque febrium mitigat, & expulsionem variolarum adjuvat.*

## CAPUT III.

### DE AGRIMONIA.

Græcis εὐπατόριον, Lat. *Eupatorium*, sed cum adjectione *Dioscoridis* (quia datur adhuc aliud Eupatorium Avicennæ, & aliud etiam Mesuei) Officinis *Agrimonia*, Germanis oder menig / oder Bruchwurtz / Vide *Matthiol. pag.* 717. *sub Titulo* 1. *Eupatorium.*

Hujus plantæ duæ sunt species ejusdem facultatis & usus: prior usitata est, omnibus nota; altera paulò subtilioribus foliis, eâdem tamen formâ constat, quæ propè Lipsiam nascitur.

*Substantiâ* occultâ Agrimonia est locale jecoris, illudque maximè corroborat: manifestâ verò est tenuium partium, cum aliqua mixtione terrestrium, eâque valdè modicâ.

*Temperamentum* est siccum in secundo, sed in caliditate & frigiditate temperatum, ita ut modicè calidum & frigidum sit.

*Viribus* igitur *à tota substantia* corroborat hepar. Respectu *temperamenti* 1. exsiccat mediocriter: 2. incidit, abstergit, & modicè adstringit: 3. Obstructiones jecinoris expurgat, & robur visceri addit.

### USUS.

Usus ejus est in floribus, foliis, & semine.

### REMEDIA.

1. *Herba Agrimoniæ vel sola, vel cum similibus decocta & epota, crassos humores extenuat, obstructiones epatis aperit, & hypochondriorum tensiones demolitur.*

2. *Agrimonia in vino decocta, fluxiones hepatis diuturnas in senibus corrigit.*

3. *Herba Agrimoniæ cum aliis, frigidis vel calidis medicamentis decocta, dirigit vim medicamentorum ad jecur.*

4. *Herba Agrimoniæ decocta in vino & aqua prodest in dysenteria, præsertim ubi alia adstringentia adduntur.*

5. *Agrimoniæ decoctum, in Hydrope epotum, est saluberrimum.*

6. *Aqua*

6. *Aqua Agrimoniæ epota vel sola, vel mixta cum aliis, iisdem morbis medetur, quibus herba convenit.*

7. *Semen Agrimoniæ decoctum in vino, Dysenteriam, & fluxiones jecoris sanat.*

8. *Semen Agrimoniæ utiliter aliis ingredientibus in electuariis epaticis miscetur.*

## CAPUT. IV.

### DE BETONICA.

GRæcis Κέστρον, vel ψυχότροφον, *Betonica*, vel *Vetonica* Latin. Germ. Betonienkraut / oder braun Betonien. Vide *Matthiol. pag. 672. sub Titulo* I. *Betonica.*

Hujus *substantia* occulta est, quod capiti maximè prosit, quam ob causam à quibusdam capitalis herba dicitur: imò & jecori, & ventriculo, & matrici, & articulis ac nervis singulari qualitate amica est. *Manifesta substantia* quodammodo mixta videtur, quia tenuium est partium, & parumper adstringens terreaque.

*Temperamentum* est siccum in primo ordine, sed in caliditate aut frigiditate aut certè temperatum, aut mixtæ qualitatis. Quamvis dissentiant hîc Botanicorum libri, qui plerumque Betonicam calidam ac siccam in tertio ordine statuunt.

*Vires* Betonicæ sunt 1. calefacere & exsiccare parùm, imò verò refrigerare quodammodo: 3. modicè incidere, aperire, sed tamen cum quâdam adstrictione: 3. menses movere, & calculum frangere, ac vulnera consolidare.

### USUS.

*Usus* hujus plantæ est in foliis, floribus frequenter, & in radice rariùs.

### REMEDIA.

1. *Betonica in vino decocta, contra quartanam utiliter in principio paroxysmi ebibitur.*

2. *Betonica cum Plantagine decocta febribus tertianis puris prodest, si vel in initio paroxysmi, vel aliâs quotidiè bis, manè scilicet & vesperi ebibatur.*

3. *Aqua Betonicæ ℥ij. cum aq. Plantag. ℥j. syrup. de succo Acetosæ ℥jß. mixta ac bis quotidiè epota, prodest contra easdem febres.*

4. *Betonica cum Pulegio decocta in aqua, & epota, febres quotidianas, vel tertianas nothas sanat.*

5. *Potio ex syrupo de Betonica ℥j. Oxymel. ℥jß. aq. Fœnic. ℥ij. mixta & quotidiè bis usurpata, prodest contra easdem febres.*

6. *Conserva Betonicæ quantitate Castaneæ nucis matutino tempore assumta, & capiti & ventriculo imbecilliori, & in matricis suffocatione, & in Hydropicis valdè commendatur.*

7. *Folia Betonicæ vel recentia, vel sicca, decocta in aqua, & fronti imposita, doloribus non tantùm capitis, sed & oculorum, imò & aurium prosunt.*

88. *Betonica cum aqua & vino vel sola, vel cum foliis Origani, Chamomillæ floribus, & aliqua parte radicis Ireos & Pyrethri cocta, prodest contra dentium dolorem, scilicet a fluxionibus frigidis, si sæpiùs illo decocto os proluatur.*

9. *Conserva florum Betonicæ sæpiùs usurpata, convenit Phthisicis & Asthmaticis.*

10. *Conserva Betonicæ à cœna Nucis Castaneæ quantitate sumta, coctionem juvat.*

11. *Eadem, ut & vinum de Betonica, prodest iis, qui ructus acidos patiuntur.*

12. *Betonica cum radice cichorei decocta in aqua, prodest ictericis, quotidiè bis usurpata.*

13. *Betonicæ pulvis ad ℥j. pondus cum aqua ejus aliquoties assumtus, menses ducit.*

14. *Betonicæ folia in aqua decocta, si manè, vesperique ebibantur, menses movent.*

15. *Idem decoctum manè vesperique percolatum, utiliter bibitur ad renes expurgandos, & calculum frangendum.*

16. *Aqua Betonicæ vel ante ingressum balnei, vel aliàs epota contra calculum auxilio est.*

17. *Betonica decocta in vino, vel vinum Betonicæ, colicas passiones sensim tollit.*

18. *Betonica contrita & decocta in aqua, atque exterius imposita, tumores & inflammationes dissolvit.*

19. *Eadem decocta, & manè vesperique epota, comitialibus & Apoplecticis auxilio est.*

20. *Aqua Betonicæ salubris est in omnibus capitis fluxionibus.*

21. *Syrupus de Betonica vel solus lambendo sumtus, vel in forma potionis ad ℥jß. cum aqua Melissæ & similibus ℥ij. mixtus, obstructiones in Apoplexia & Epilepsia aperit, & fluxiones cohibet.*

22. *Betonica, ejus aqua & Syrupus, contra podagram, imprimisque illam speciem Arthritidis, quæ Ischiatica dicitur* (Hüfftwehe) *efficax est.*

23. *Betonicæ folia, & semen fœnugræci, atque caro similaginis, decocta in lacte vaccino in forma pulmenti, & postea pauco croco aromatisata & imposita, tertiâ quaque horâ cum linteo, vel panno, idque calidè, summos dolores Podagræ mitigat.*

24. *Betonica in vino decocta, sanguinem exscreantibus convenit.*

25. *Folia Betonicæ contrita, vel succus foliorum recentium vulnera sanat.*

26. *Betonica contra venena quodammodo membra nostri corporis conservat.*

## CAP. V.

### DE CALENDULA.

CAlendula quibusdam, Latinis Caltha, German. Ringelblumen. Vide *Matthiol. pag.* 894. *sub titulo V. Caltha.*

*Substantia* constat tenuium partium.

*Temperamentum* est calidum & siccum in tertio gradu.

*Vires ejus sunt* 1. calefacere & exsiccare mediocriter: 2. attenuare, discutere & aperire: 3. menses movere, & morbillos variolasque expellere.

## USUS.

Usus hujus plantæ est in foliis & in floribus.

### REMEDIA.

1. *Calendula vel in aqua, vel in rubro vino decocta & manè, vesperique epota, morbillos & variolas expellit.*
2. *Calendula cum semine raphani, & frigidis majoribus, nec non radice liquiritiæ decocta in aqua & epota, idem præstat fortiùs.*
3. *Calendula cum floribus in vino decocta, & per hebdomadam epota, menses movet.*
4. *Calendula suffitu matricem frigidam & humidam calefacit & exsiccat.*
5. *Calendula arida, suffitu usurpata, mirificè secundinam expellit.*
6. *Calendula recens cum floribus contusa, & tuberculis imposita, verrucas tollit.*

# CAPUT VI.

## DE CHELIDONIO.

Χελιδόνιον μέγα, *Chelidonium* sine adjectione, vel *Chelidonium magnum*, Germ. Scheelwurtzel. Vide *Matthiol. pag.* 468. *sub titulo* 1. *Chelidonium majus.*

Herba vulgò notissima, cujus *substantia* est tenuior; *temperamentum* calidum siccum in tertio gradu.

*Vires ejus sunt* 1. calefacere & exsiccare multùm: 2. attenuare, incidere, & crassos humores discutere; 3. Oculorum obscuritatem acuere.

## USUS.

Usus Chelidonii est in foliis, & in radice.

### REMEDIA.

1. *Aqua Chelidonii vel sola, vel mixta cum aliis collyriis, nubeculam crassam, obscuritatemque oculorum discutit, si quis ea sæpiùs oculos lavet, vel guttulam in pupillam instillet.*
2. *Succus Chelidonii vel cum saccharo clarificato, vel cum melle illitus, omne, quod crassum est in pupilla, discutit tollitque.*
3. *Herba Chelidoniæ cum Artemesia rubra in calceis sub planta pedum gestata, sanguinem attrahit, & per revulsionem hæmorrhagiam narium nimiam sistit.*
4. *Eadem, eodem modo adhibita, menses aperit, quando sanguis nimiùm ad superiores partes vergit.*

# CAPUT VII.

## DE BORRAGINE.

Græcis Εὐφρόσυνον, Latinis *Borrago*, German. Borragen/oder Buretsch. Vide *Matthiol. pag.* 825.

Ejus duæ sunt species, una sylvestris, quæ est nostra Buglossa, de qua paulò post: altera sativa, quæ est nostra Borrago, & verum Buglossum Dioscoridis.

*Substantia* occulta Borraginis est, quod memoriæ prosit, & floribus cordialibus annumeretur.

*Temperamento* constat calido & humido in primo gradu.

*Vires ejus sunt* 1. calefacere & humectare parùm: 2. abstergere, emollire: humores melancholicos alterare: 4. Corroborare viscera, & memoriam confortare.

## USUS.

Usus Borraginis est in foliis, floribus & radicibus, modis diversis, pro ratione remediorum subsequentium.

### REMEDIA.

1. *Folia & Flores Borraginis in vino vel cerevisiâ quotidiani potus usurpata, tristitiam melancholicam alterant, & memoriam corroborant.*
2. *Conserva Borraginis manè quantitate nucis castaneæ usurpata, memoriam quoque confirmat, & melancholicas imaginationes lenit.*
3. *Eadem in forma subscriptâ conditum efficax contra Melancholiam constituit.*

℞. *Cons. Borrag.* ℥ij.
*Bugloss.* ℥j.
*Rosarum* ℥jß.
*Veronicæ Coronar.* ℥ß.
*Nucis Mosch. cond.* ʒj.
*Spec. latif. Galeni* ℈j.
*Caryophyllorum.*
*Gran. Paradysi. ana* ℈ß.
*M. & cum syrupo de succo Borraginis fiat Conditum de Borragine.*

4. *Eadem conserva Borraginis in febribus tertianis ægrorum imbecilliorum valdè prodest.*
5. *Aqua Borraginis & cor & cerebrum, adeoque memoriam, corroborat.*
6. *Aqua Borraginis* ℥iij. *cum syrupo de succo acetosæ* ℥j. *mixta in forma potionis, & manè ac vesperi usurpata, febres tertianas tollit.*
7. *Aqua Borraginis* ℥iij. *cum syrupo de Absinthio* ℥jß. *mixta, febrem quartanam digerit, & sensim tollit.*
8. *Syr. de succo Borraginis cor corroborat, ejusdemque tremorem curat.*
9. *Idem cum syr. vel aqua Acetosæ, sitim in febribus optimè lenit.*
10. *Juleb de succo Borraginis ad* ℥ij. *cum lib. j. aquæ simpl.*

*simpl. vel aq. Acetosæ, utilem constituit potum iis, qui tempore æstatis in calidioribus regionibus peregrinari coguntur.*

11. *Radices Borraginis in aqua decoctæ, contra melancholiam, manè vesperique utiliter ebibuntur.*

## CAPUT VIII.
### DE BUGLOSSO.

Βούγλωσσον, Lat. Buglossum, Off. Buglossa, German. Ochsenzung. Vide *Matthiol. pag.* 825.

Estque illa species buglossæ, quæ Mesuæo Sylvestris dicitur: hodiè apud nos in hortis colitur Buglossa Italica, quæ hujus loco, si haberi potest, commodè usurpatur. Quoad *occultam substantiam* buglossa cordialis est flos: temperamento verò constat calido & humido in primo gradu. *Vires ejus sunt à totâ substantiâ*, cor corroborare: deindè *à temperamento*: 1. calefacere & humectare modicè: 2. emollire & abstergere: 3. biliosos humores temperare, nec non etjam aliquâ ex parte melancholicos corrigere. Usurpatur autem buglossa potissimùm quoad folia, & flores.

### REMEDIA.

1. *Syrupus de succo buglossæ, vel solus, vel cum aliis, sitim in febribus lenit, cor corroborat, & tristitiam depellit.*

2. *Aqua buglossæ suâ humiditate febribus succurrit, & cordi prospicit.*

3. *Aqua buglossæ & Plantag. ana ℥jß. mixta cum syrupo de succo acetosæ ℥j. syr. de succo Granat. ℥ß. potionem utilem constituit contra febres ardentes malignas, manè & vesperi usurpandam.*

4. *Conserva buglossæ manè sumpta q. s. præsertim æstatis tempore, cor corroborat, sitim lenit, & biliosos humores mitigat.*

5. *Eadem cum conserva Rosarum & borraginis vires cordis in febribus reficit.*

6. *Herba buglossæ decocta vel sola, vel cum floribus in vino, contra febres quotidianas aliquo modo valet.*

7. *Buglossæ flores in vino infusi tristitiam melancholicam paulò minus, quam borrago, alterant.*

## CAPUT. V.
### DE BRANCA URSINA.

Ἄκανθος, Lat. *Branca Ursina*, quibusdam *pes Ursinus*, Germ. Beerenklau oder Beerentap. Vide *Matthiol. pag.* 777. *sub Titulo Sphondylium.*

Hujus plantæ duæ sunt species: Una Romana, quæ tantùm in hortis colitur: altera sylvestris, quæ passim suâ sponte nascitur, & hodiè apud nos in usu est. *Substantia* Brancæ Ursinæ est tenuium partium, *temperamentum* est calidum & siccum in primo gradu. *Vires ejus sunt* 1. calefacere & exiccare sed modicè: 2. incidere crassa: 3. digerere mediocriter. Usus est frequens in foliis, rarior in Radice.

### REMEDIA.

1. *Folia brancæ Ursinæ in clysteribus, aut sola decocta in aqua, aut cum aliis herbis emollientibus, alvum subducunt, & intestina à biliosis humoribus erosa mirificè sanant.*

2. *Eadem quoque materiam pituitosam incidunt ac digerunt, præsertim si cum discutientibus flatus, aliisque attenuantibus misceantur & coquantur, cujus generis est hoc lenissimum Enema:*

℞. *Herbæ Mercurialis.*
*Bismalvæ ana Mjß.*
*Brancæ Ursinæ Mj.*
*Pulegii.*
*Origani.*
*Fol. lauri ana Mß.*
*Senæ ℥j.*
*Fl. Chomomill. pij.*
*Sem. Anisi ℥jß.*
*Cumini ℥ij.*
*Coq. in s. q. aquæ, vel jusculi Gallin. ad tert. post coletur lib. j. adde olei communis ℥iij.*
*Salis ℈ij. F. Enema.*

3. *Folia Brancæ Ursinæ imposita exterius Erysipelati pedis, aut alterius membri, dolorem leniunt, & inflammationem sedant.*

4. *Rad. brancæ Ursinæ cum furfure cocta in vino, contusorum ossium dolorem lenit.*

5. *Folia Brancæ Ursinæ, & multò magis Radix cocta in vino, vel sola, vel cum furfure, luxatis membris imposita, multùm conveniunt.*

## CAPUT X.
### DE CHAMÆDRI.

Χαμαίδρυς Officinis & Græcis, Lat. *Trissago*, Germ. Gamenderlein. Vide *Matthiol. pag.* 597. *sub titulo* 1. *Trissago seu Chamædrys.*

Ejus duæ sunt species, una vera, altera vulgaris, quarum illa meritò usurpatur. *Substantiâ* constat hæc planta tenuibus partibus: *temperamento* secundum Galenum calido & sicco in tertio ordine, quamvis experientia nostri seculi potiùs in secundo gradu constet. *Vires ejus sunt* 1. calefacere & exiccare multùm: 2. Attenuare & incidere: 3. Movere menses & urinam. Usus ejus frequens est in foliis, rarior in semine.

### REMEDIA.

1. *Recens herba cum cochleariâ decocta Scorbutum sanat, & lentum viscidumque humorem, vel per sudorem, vel per insensibilem transpirationem tollit.*

2. *Decocta vel sola, vel cum Mercuriali & Bismalva in aceto, & exteriùs imposita regioni lienis, scirrhum quoque lienis emollit.*

3. *Eadem herba decocta vel sola, vel cum aliis aperitivis obstructiones lienis & jecoris resolvit, & per consequens contra icterum quoque prodest.*

4. *Eadem eodem modo usurpata hydropem in principio sanat.*

5. *Eadem herba decocta in vino vel sola, vel addito*

*dito pulegio, & aliquot diebus ante mensium mulierium fluxum epota, contra retentionem mensium optimè valet.*

6. *Vinum Chamædryos Ictericis & hydropicis convenit.*

7. *Idem quoque retentionem mensium in principio sanat.*

8. *Semen Chamædryos decoctum in Aqua, utile est, ad abluendos oculos suffusos, eorumque caliginem extergendam.*

## CAPUT XI.

### DE FUMO TERRÆ.

Καπνὸς Fumus terræ, vel fumaria, quibusdam Capnion, Germ. Erdrauch / Taubenkropff / wilde Rauten. Vide *Matthiol. pag.* 807. *sub nomine* I. *Fumaria.*

Herba satis elegans, ac vulgò notissima. *Substantia* ejus occulta est, quod mirificè Epati prosit, & sanguinem præsertim Melancholicum, cum quadam facultate purgandi, mundificet. *Manifesta substantia* est quodammodo mixta, maximâ tamen ex parte, tenuium partium, alicujus astrictionis simul particeps. *Temperamentum* est calidum & siccum in 2. gradu. *Vires ejus sunt* 1. Calefacere & exiccare multùm: 2. attenuare & aperire obstructiones, cum quadam tamen astrictione: 3. Roborare epar, & aliquantulum tùm urinas movere, tùm alvum subducere, inprimis respectu syrupi de fumo terræ. Usurpatur autem in foliis, in floribus, & in succo.

### REMEDIA.

1. *Fumaria cum Epate vituli destillata aquam reddit valdè salubrem ad roborandum hepar in ἀτροφίᾳ vel tabe jecoris.*

2. *Aqua Fumariæ hepaticis, scabiosis, hydropicis, saluberrima est, si manè & vesperi vel sola, vel cum syrupo de Endivia bibatur.*

3. *Aqua Fumi terræ epota obstructiones jecoris abigit, ac difficultatem anhelitus ex ea tollit.*

4. *Aqua fumi terræ commixta cum speciebus diarrhod. abb. 12. horis, & postea percolata, ac epota interdiu bis, cachexiam ex hepatis imbecillitate, & leucophlegmatiam virginum sanat, ac meliorem habitum atque colorem reddit.*

5. *Aqua Fumariæ cum Aquâ Fragariæ & Veronicæ epota, sanguinem optimè mundificat, & scabiem tutò sanat.*

6. *Syrupus de fumo terræ & Melancholicum succum & biliosos atque acres humores, sive lambendo sumptus, sive cum Aqua Scabiosæ vel Endiviæ epotus, tùm alterat, mundificatque, tùm etiam evacuat, mixtus cum aliis purgantibus.*

6. *Herba fumariæ in vino infusa, vel etiam in vino decocta & epota, epar corroborat, magis astringit, nec quicquam purgat.*

8. *Herba fumariæ cum Endivia, & Rad. Cichorei, aut similibus decocta aperit obstructiones Epatis, ac bilem assatam ac Melancholiam digerit.*

9. *Conserva Fumariæ aut sola, aut mixta cum conser. Rosar. manè sumpta, epar corroborat, & sanguinem mundificat.*

## CAPUT XII.

### DE PRUNELLA.

Prunella, nonnullis Consolida minor non immeritò dicta, Germ. Brunellen. Vide *Matthiol. pag.* 684. *sub nomine* VII. *Consolida minor.*

*Substantia* ejus videtur alia occulta esse, quod scilicet ad vulnera carnis, & ad ulcera, inprimis oris, consolidanda mirificè prosit. *Manifesta* autem ejus substantia est glutinosa. *Temperamentum* est calidum & siccum in primo ordine. Vires ejus sunt 1. calefacere & exiccare modicè: 2. abstergere & conglutinare: 3. carnem generare.

### USUS.

Usus hujus plantæ est in foliis ad destillationem & decoctionem: atque in floribus.

### REMEDIA.

1. *Aqua Prunellæ vel sola, vel cum aliis aq. vulnerariis, scilicet Alchimillæ, Saniculæ, & Tormentillæ mixta, ac epota manè & vesperi, mirificè vulnera alias insanabilia consolidat.*

2. *Herba Prunellæ, aut cum aliis vulnerariis, scilicet Alchimilla, Sanicula & Tormentilla cocta, & epota, vulnera sanat.*

3. *Succus Prunellæ expressus, & cum aceto rosaceo mixtus, & cum linteo madefacto fronti impositus, vehementes dolores capitis sedat.*

4. *Aqua Prunellæ aut sola, vel cum alumine pauco, & aliis aquis mixta, & calidè pro gargarismo usurpata, Aphthas oris optimè corrigit.*

## CAPUT XIII.

### DE PORTULACA.

Ἀνδράχνη, Græc. *Portulaca*, Lat. & offic. Portzelkraut / Germ. Vide *Matthiol. pag.* 332. I. *Portulaca domestica.*

Hujus duæ sunt species, una hortensis, altera sylvestris, quarum illa in usu est potissimùm.

*Substantia* hujus est aquea cum aliqua terrestreitate conjuncta, ac aliquid alimenti in se continet, licet parum, undè recens Portulaca vel cocta, vel cruda, in delitiis ciborum à primatibus habetur. *Temperamentum* frigidum est in tertio ordine, & humidum in secundo.

*Vires ejus sunt* 1. Refrigerare nimis, & humectare multùm: 2. incrassare, & aliquantulum adstringere: 3. Reprimere fluxiones.

### USUS.

Usus ejus est in foliis, & in semine.

RE-

### *REMEDIA.*

*1. Portulaca comesta stuporem dentium ab usu acidorum contractum sanat.*

*2. Herba cocta & imposita mammillarum inflammationes sanat, rubedinem ac dolorem earum lenit.*

*3. Eadem recens cocta & inter cibos usurpata bilem fervidæ adolescentiæ mitigat, & fluxiones à tenui humore hinc & indè vagabundas sistit.*

*4. Semen præparatum & pulverisatum vel solum, vel cum sem. Acetosæ mixtum, fluxiones alvi cum febribus optimè sanat.*

*5. Semen pulverisatum cum cornu C. V. in syr. acetosæ sumptum vermes enecat & expellit.*

*6. Aq. Portulacæ epota sanguinem & Epar refrigerat, ac sitim tùm in æstu canicularium, tùm in acutis febribus mitigat.*

*7. Aq. Portulacæ sputo sanguinis à tussi calida, vel à biliosa erosione orto, sæpiùs epota medetur.*

*8. Succus Portulacæ illitus exteriùs verrucas tollit.*

## CAPUT XIV.

### *DE ROSMARINO.*

Λιβανωτὶς στεφανωμάτικη: Libanotis coronaria vulgò & offic. *Rosmarinus.* Germ. Rosmarin. Vide *Matthiol.* 575. *sub nomine Rosmarinum coronarium.*

Sæpiùs à recentioribus Libanotis dicitur sine adjectione, quamvis veteribus alia Libanotis fuerit. Ejus species una tantùm habetur, nisi quod Valerius cordus marem se vidisse scribit.

*Substantia* hujus *occulta* est, quod sit alexipharmaca, quia à pestilentia præservat: *Manifesta* videtur partium tenuium. *Temperamentum* est calidum & siccum in secundo gradu. *Vires ejus sunt* 1. Calefacere & exiccare multùm: 2. Abstergere.

### *USUS.*

Usus Rosmarini est in foliis, & floribus.

### *REMEDIA.*

*1. Herba Rosmarini decocta in Aqua & epota manè & vesperi calidè, Icteritiam sanat.*

*2. Rosmarini vinum epotum initio prandij frigidum ventriculum ac matricem calefacit, quod etiam Rosmarini cerevisia sed paulò minus, præstat.*

*3. Herba in vino decocta, & manè ac vesperi epota, flatus discutit, & plurimùm contra pleuresin notham prodest.*

*4. Eadem decocta, vel sola, vel cum aliis appropriatis in Aqua, & fomentatione usurpata, matricem frigidam & humidam sanat, ac sterilitatem mulierum ex nimia frigiditate & humiditate curat.*

*5. Aqua Rosmarini manè & vesperi epota calidè, matricem debilem ex frigida humidaque constitutione corroborat.*

*6. Eadem eodem modo usurpata obtusum ingenium, ac cerebrum humidum, frigidumque curat, & alacrius reddit.*

*7. Aqua Rosmarini septem diebus epota mulieribus menses movet.*

*8. Eadem Paralysin linguæ & Apoplexiam corrigit.*

*9. Anthos conserva manè quantitate nucis castaneæ sumpta cor & cerebrum corroborat.*

*10. Eadem cum conserva Lavendulæ, Borraginis, castorei & spec. diamosch. amar. præsentissimum est remedium contra Apoplexiam.*

## CAPUT XV.

### *DE ROSA.*

ROsam Græci ῥόδον vocant, aliàs quibusdam κυνόσβατον, Cynosbatum vel Arbutus dicitur, German. Rosenstrauch. Vide *Matthiol. pag.* 166.

Hujus duæ sunt species: Sylvestris & Hortensis: Illa duarum est specierum, una procerior frutex, altera humilior, chamærodos dicta, quod humi repat, German. Erdrosen/quarum hæc præfertur. Hortensis autem dignitate omnes sylvestres superat; cujus multæ sunt species, & florum differentiæ, quæ tamen maximâ ex parte ad albas & rubeas reducuntur, quarum hæ digniores, nisi quis albas Hetruscas Damascenas intelligat, quarum mentionem facit Matthiolus; Inter Rubeas puniceæ & magis odoratæ primas tenent.

*Substantia* rosarum consideranda est *occulta & manifesta. Occulta* triplex invenitur; Una in corroborando corde, undè ex floribus cordialibus præcipua est: altera alexipharmaca est, teste Valer. Cordo, & experientia nostrum, in morbis pestilentialibus; tertia purgandi bilem.

*Manifesta* autem *substantia* quodammodo videtur constare ex contrariis partibus: Una enim pars rosæ existit tenuioris & aëreæ quodammodo substantiæ: altera est terrea & crassior, cujus ratione magis adstringit, atque ideò hepati familiarissimum remedium redditur, quod jecur & à nimis astringentibus, & à multùm discutientibus vehementer lædatur; ab aliis verò discutientibus, quibus modica astrictio inest, plurimum juvatur. *Temperamentum* est frigidum & siccum præsertim in foliis rosarum exiccatis, magis autem ferè in radice: contra rursus in succo & syrupo, ubi magis aqueum redundat; ideoque plus frigidum, minus siccum.

*Vires ejus sunt à tota substantia:* 1. Corroborare cor: 2. Pestilentibus morbis & venenis resistere: 3. purgare bilem respectu succi & syrupi. *Quoad Temperamentum,* 1. Refrigerat leniter & exiccat parum, maximè tamen radix plantæ; minus aqua & oleum rosarum: 2. Astringit, incrassat, & nonnihil simul aperit: 3. sistit aliquantulum sanguinolentas fluxiones, inprimisque conserva rosarum antiqua, aut siccæ rosæ.

### *USUS.*

Usus hujus plantæ dignissimus est in omnibus

ferè partibus, nimirum in radice, in floribus, in semine, in fructu, in succo, & aqua destillata. Radix rarius ad decoctiones & fomentationes usurpatur. Flores recentes requiruntur ad conservam, ubi saccharo condiuntur, ad confectiones, undè morsuli rosarum, ad succum exprimendum, ad syrupum rosarum, ad aquæ destillationem, ad acetum rosaceum, ad oleum rosatum, ad unguentum rosatum: Sicci vel pro coctionibus ad potiones, gargarismos, vel lotiones præscribuntur; vel pulverisantur pro speciebus aromaticis conficiendis, quas ingrediuntur. Semen rosarum, quod anthera dicitur à Mesue, est pars florum interior lutea, quæ trochiscos de terra sigillata ingreditur, ut habet Cordus in dispensatorio. Fructus rosarum German. Hanbutten vocantur, qui vel recentes comeduntur, vel etiam decoquuntur. Aqua rosarum usurpatur frequenter, sed nota quod triplex haberi debeat, scilicet ex sylvestribus, quæ magis adstringit: ex rosis albis hortensibus, & tandem ex rosis rubris benè odoratis in balneo destillata.

## *R E M E D I A.*

1. *Radix rosarum decocta in aqua, & manè vesperique epota, sistit tùm alvi, tùm mensium fluxiones.*

2. *Rosæ in coronis gestatæ æstum capitis & inflammationes febriles tollunt, sed cerebrum frigidum offendunt, & destillationibus obnoxium reddunt.*

3. *Cataplasmata ex rosis aridis post destillationem, fronti imposita minùs, quàm coronæ rosaceæ, æstum capitis temperant.*

4. *Rosæ in coronis Apoplecticis, Epilepticis, & mulieribus suffocatione matricis laborantibus nocent.*

5. *Conserva rosarum recens magnitudine quasi castaneæ, aut paulo plus, sumpta, hora una, ante cibum, bilem in adolescentibus calidioribus mitigat, & in æstate prodest.*

6. *Conserva rosarum antiqua phthisicis in sputo sanguinis convenit.*

7. *Conserva rosarum recens sæpiùs usurpata phthisicis quoque præscribitur.*

8. *Conserva rosarum recens mixta cum conserva violarum & speciebus diamoschu dulcis, ac sæpiùs interdiu gustata, phthisicis commodùm exhibetur.*

9. *Conserva rosarum antiqua hepaticum fluxum sanat, vel sola, vel cum diacydonio assumpta, vel cum aquâ fol. quercuum diluta, & multoties ebibitâ.*

10. *Conserva rosarum antiqua optimum est remedium contra fluxum album mulierum.*

11. *Conserva rosarum recens cum Aqua simplici trita & ebibita, multùm valet contra febriles ardores & hepatis incendium, si modò ventriculus cruda ferat.*

12. *Succus rosarum cum saccharo in rotulis confectus magis, quàm conserva, phthisicis convenit.*

13. *Succus rosarum, & macis in rotulis confectus, medetur doloribus capitis ex consensu calidioris jecoris.*

14. *Succus rosarum in Elect. de succo rosarum propter diagrydium fortiter bilem purgat, & cautè usurpandus est.*

15. *Syrupus rosatus solutivus in febribus acutis, & tempore pestis saluberrimus est, quia corroborat, & pestifero veneno resistit.*

16. *Syrupus rosarum solutivus, nec adulteratus, leniter bilem purgat, & febribus tertianis atque Erysipelati medetur.*

17. *Syrupus rosatus non solut. erysipelata, aliasque biliosas fluxiones sedat, & epar calidum corrigit.*

18. *Idem sitim in febri lenit, & syncopen tollit, si sæpiùs lambatur.*

19. *Aqua rosarum destillata & epota, vel sola, vel cum aliis, febribus, quæ adjunctum fluxum alvi habent, medetur.*

20. *Eadem aqua cum linteo fronti admota, dolores capitis in febribus acutis mitigat.*

21. *Aqua rosarum sola, vel cum emulsione seminis papaveris albi mixta, & fronti ac temporibus cum linteo applicata sæpiùs, noctu somnum conciliat.*

22. *Aqua Rosarum eodem modo Phreneticis succurrit.*

23. *Jusculum Papaveris albi, parumper mixtum cum Aqua Rosarum & lactucæ, magis adhuc somnum conciliat & phreneticis prodest.*

24. *Aqua rosarum cum alumine & thure mixta, vapores in febribus acutis ascendentes ad caput fortius repercutit, & simul somnum conciliat.*

25. *Aqua Rosarum lib. ß. cum albumine ovi unius & Aq. Fœniculi ℥ß. mixta conquassataque tùm oculorum inflammationem, tùm etiam hordeola palpebrarum tollit, si linteo purissimo & subtilissimo sæpiùs adhibeatur.*

26. *Aqua rosarum mixta cum Aqua forti vim erodentem mitigat, & cauterisantia leniora reddit.*

27. *Aqua rosarum cum albumine ovi, & aluminis parum, mixta, fluxiones Erysipelatodes initio statim tollit repercussione, quæ tamen periculosa est in plethoricis & cacochymicis.*

28. *Aqua rosarum vel sola, vel cum aceto mixta, ac cum linteo madefacto naribus & pulsibus adhibita, syncopen tollit, ac vires vitales perbellè corroborat.*

29. *Aqua rosarum mulieribus dispositis ad suffocationem matricis nocet.*

30. *Aqua rosarum sylvestrium, cum Aceto rosaceo & aqua fol. quercuum, ac speciebus hepar corroborantibus mixta, efficax est epithema hypochondrio dextro applicandum contra immodicum fluxum sanguinis per nares.*

31. *Aqua rosarum cum aceto & spec. diarrhodon & diatrionsantalon mixta salubre epithema constituit, contra jecoris inflammationes, evacuato tamen priùs corpore.*

32. *Aqua rosarum vertici capitis post lotionem aspersa cerebro calidiori prodest, frigidiori nocet.*

33. *Aqua rosarum albarum, præsertim sylvestrium, optimum est lavacrum contra faciei morphæam rubeam.*

34. *Juleb rosarum lambendo sumptus faucium erosionem ex acribus humoribus lenit.*

35. *Juleb ℥j. cum Aq. Borrag. lib. ß. Cinam. Aq. ℥ß. Margarit. præp. ℈j. ac syr. granat. ℥. ß. mixtam potionem cordialem optimam, vulgò* Perlenwasser / *efficit, ac vires tùm in acutis febribus, tùm etiam in syncope reficit.*

36. *Ju-*

36. *Juleb rosarum in febribus acutis sitim inexplebilem mitigat.*

37. *Acetum rosaceum naribus adhibitum Syncopen tollit.*

38. *Acetum rosaceum Epithematibus ferè omnibus in febribus acutis, propter penetrationem, utiliter miscetur.*

39. *Acetum rosaceum in condimentis ciborum omnibus biliosis & calidioribus naturis salubre est.*

40. *Oleum rosarum, cum Aqua rosarum & aceto, fronti cum linteo applicatum, dolorem capitis & inflammationem lenit.*

41. *Idem cum lacte, similagine & croco ad formam polentæ coctum, dolores podagræ maximos, applicatum articulis tutò lenit.*

42. *Idem partibus inflammatis aut aliàs imbecillioribus inunctum, robur addit, ne affluxum majorem recipiant.*

43. *Exterius inflammationes vulnerum ac præcipuè capitis sanat.*

44. *Unguentum rosatum* Mesues *Phlegmonas, Erysipelata, & omnes inflammationes exterius inunctum sanat.*

45. *Unguentum rosatum Mesues, inunctum lumbis, dyscrasiam calidioris jecoris, & frigidi ventriculi corrigit.*

46. *Unguentum rosatum Mesues inunctum lumbis & hypochondrio dextro, inflammationem Epatis & renum tollit.*

47. *Idem eo modo usurpatum febres intermittentes & acutas optimè lenit.*

48. *Idem cum oleo scorpionum & amygdalarum dulcium mixtum, & inunctum lumbis & hypochondriis, calculum in inflammatione renum ad expulsionem promovet.*

49. *Unguentum rosatum cum oleo de Capparibus, & cum unguento dialtheæ mixtum, utiliter contra inflammationes splenis & melancholiam inungitur.*

50. *Unguentum rosatum mixtum cum oleo Chamæmelino, Amygdalarum amararum, & similibus, atque inunctum lumbis, & imo ventri infra umbilicum, contra colicam cum inflammatione prodest.*

51. *Rosæ decoctæ & epotæ epar corroborant.*

52. *Eædem decoctæ in gargarismo inflammationem faucium leniunt.*

53. *Pulvis rosarum & florum Malvæ arborescentis, & aluminis parum, mixta unà cum mellis quantitate sufficiente, ad formam Electuarij mollis, præsentissimum est remedium contra gingivarum putredinem, præsertim in scorbuto.*

54. *Trochisci de rosis vel soli, vel mixti cum speciebus diarrhodonis, incipienti hydropi medentur.*

55. *Fructus cynosbati decoctus & epotus ante balneum calculum movet & expellit.*

56. *Idem hoc præstat, si quis illum comedat, & postea vinum generosum superbibat.*

## CAPUT XV.

HÆ sunt plantæ, quas in Majo præ reliquis seligendas esse duximus, propterea quod usus earundem frequens sit in multis partibus: cum his conjungetur etiam cognitio aliarum hoc tempore provenientium, inter quas primas tenent illæ, quæ suut usitatæ respectu partis cujusdam, ut sunt *Cæpa*, cujus usus in alimentis & medicamentis, ubi calefaciendum, siccandum, incidendum & aperiendum.

*Sigillum Salomonis*, cujus radix postea declarabitur, ut etiam
*Enulæ*,
*Quinque folii*,
*Bistortæ*,
*Raphani*,
*Polygonatum* angustifolium, quod earundem virium cum latifolio respectu radicis.

*Consolida major* } de quibus postea.
*Iris domestica* }

*Herba Paris*, *seu Uva lupina*, cujus baccæ alexipharmaca ingrediuntur, ut patet in pulvere Saxonico.

*Perforata*, *seu hypericon*, cujus flores frequenter usurpantur, undè oleum hypericonis.

*Frangula*, cujus cortex interior loco Rhabarbari pro purgatione præscribitur.

*Dictamnus albus*, cujus radix aperit, attenuat & ex alto provocat.

*Rhabarbarum Monachorum*, cujus radix in duplo à quibusdam pro Rhabarbaro præscribitur.

*Eryngium*, cujus radix aperit & urinam movet.

*Myrtillus*, cujus fructus exiccatus in adstrictione servit.

*Anagallis aquatica*, cujus herba tàm intra corpus quoad succum & aquam destillatam in Scorbuto, quàm etiam exteriùs fomentatione contra tumores hydropicos commodùm usurpatur.

*Lilium convallium*, cujus flores in affectibus capitis commendantur.

*Millefolium*, cujus herba vulneraria est.

Sunt aliæ plures rarioris quidem usus, sed nihilominùs circa tempus hoc observandæ, nimirum
Gramen Leucanthemon.
Plantago aquatic.
Porrum sectile.
Chamæiris.
Ophrys Plinii.
Martagon.
Aparine lævis & aspera.
Lagopus, pes leporis.
Pes anserinus.
Scrophularia.
Chamædrys vulgaris.
Staphylodendrum.
Orobanche.
Thlaspi.
Myrrhis.

Rubea

Rubea Sylvestris.
Rubus Idæus.
Ophioglossum.
Sambucus aquatica.
Sedum minus.
Lysimachia spicata rubra.
Oxylapathum.
Hippolapathum.
Ranunculus fluviatilis Tabern.
Viola aquatilis altera Dod.
Asphodelus.
Fraxinella.
Astragalus Sylvat. Thalii.
Geranium lupinum, pes columbinus.
Lunaria botroites.
Holostium caryophyll. arvense Tabern.
Gramen floridum majus Tabern.
Aizoon acre minimum.
Aizoon insipidum minimum.
Penthaphyllum Petræum.

## SECTIO IV.

### *DE PLANTIS IN JUNIO PROvenientibus.*

## CAPUT I.

### *DE BISMALUA.*

HIc mensis cum Majo maximam habet convenientiam, quam ob causam plurimas quoque plantas profert inter quas selectiores primùm videbimus. Initium facimus à Bismalva, quæ Græcis ἀλθαία, ἀπὸ τοῦ ἀλθαίνειν, à medicando dicitur, ut ita, teste Dioscoride, à multitudine remediorum nomen acceperit: Latinis Ibiscus, Officinis Bismalva vel Althæa, German. Ibischpappeln. Vide *Matthiol. pag. 662. sub nomine 1. Althæa.*

Olim species sylvestrium malvarum habebatur; at hodiè solùm in hortis colitur. *Substantia* ejus tenuium est partium, cum modicâ astrictione, magis autem in Radice & Semine, quàm in foliis. *Temperamentum* est calidum & humidum in 1. gradu, quoad herbam: at semen excedit in secundo. *Vires ejus sunt* 1. Calefacere & exsiccare parùm: magis tamen quoad semen & radicem: 2. digerere, laxare, detergere, & modicè astringere: 3. phlegmonas levare, dolores mitigare, tumores concoquere, & calculum frangere.

### *USUS.*

Usus althææ est in foliis recentibus, & siccis, in semine, & in Radice.

### *REMEDIA.*

1. *Semen althææ decoctum & epotum, vel ante balneum, vel aliàs, manè vesperique, mitigat dolorem calculi, ipsumque frangit.*

2. *Herba decocta in aqua, vel in jusculo gallinaceo aut sola, aut cum aliis discutientibus flatus, eâque colaturâ lib. j. cum oleo communi ℥iij. & salis parùm applicatâ Enematis formâ, alvum laxat, & colicos, nephriticosque dolores optimè levat.*

3. *Herba bismalvæ decocta in Aq. & vino, ac foris imposita paulo ante usum prædicti enematis, adhuc magis convenit.*

4. *Eadem herba cum Pulegio, Origano, Baccis lauri, in forma sacculi calidè imo ventri applicata, flatus & dolores vehementes discutit.*

5. *Eadem Herba cum Mercuriali & Artemisia decocta in aqua & vino, suâ fomentatione uterum flatuosum, nimisque humidum, corrigit, & fertilitatem adjuvat.*

6. *Herba bismalvæ cum Betonica, Agrimonia, & similibus decocta in aqua & vino, & exteriùs applicata, pleuriticos dolores lenit.*

7. *Herba bismalvæ cum Mercuriali & Agrimonia decocta, & pectori imposita, fluxionem suffocativam lenit.*

8. *Decoctum herbæ cum oleo lini epotum, ingentes dolores pleuriticos in vera pleurisi lenit.*

9. *Mucilago rad. Bismalvæ medetur ambustis igne, si vel sola, vel cum mucilagine sem. cydon. illinatur.*

10. *Mucilago althææ vel sola, vel cum aliis oleis mixta, lumbis & dorso inuncta, aut etiam imo ventri, calculi dolores mitigat, eumque ad expulsionem præparat.*

11. *Aqua Bismalvæ calculum comminuit & nephriticos dolores mitigat.*

12. *Unguentum dialthææ & ad colicos dolores, & ad nephriticos, & contra luxationem mirificè prodest, tùm simplex, tùm etiam compositum.*

13. *Unguentum dialthææ, sive solùm, sive cum oleo de capparibus, omnes obstructiones lienis digerit emollitque.*

## CAPUT II.

### *DE CHAMOMILLA.*

Ἄνθεμις Græcis; *Chamæmelum* Lat. *Chamomilla*, Officinis, Germ. Chamillen vocatur. Vide *Matthiol. pag. 649. sub nomine 1. Anthemis sive Chamæmelum.*

Hodiè duarum est specierum, una vulgò nota, sylvestris, quæ in Officinis omnibus potissimùm in usu est. Altera odorata, aut etiam Italica, vel Romana dicta, quæ in hortis colitur, & majoris est efficaciæ. *Substantia* Chamomillæ est tenuium partium; *temperamentum* calidum & siccum in secundo gradu. *Vires ejus sunt* 1. calefacere & exiccare parum: 2. digerere, rarefacere, laxare, & emollire: 3. movere urinam, calculumque, & flatus discutere.

USUS

## USUS.

Usus ejus est in floribus, in herba, & in radice. Flores autem omnium maximè in usu sunt, utpote cum herba non sine floribus, nec radice sine herba utamur.

### REMEDIA.

1. *Chamomillæ flores in Aqua decocti, & in febribus epoti, post materiæ concoctionem, manè & vesperi, contra tertianas & quartanas optimum remedium constituunt.*

2. *Flores Chamomillæ decocti, & in Clystere applicati, tùm calculo, tùm colicis affectibus prosunt.*

3. *Flores Chamomillæ vel soli, vel cum Betonica & Bismalva decocti, atque cum spongia aut sacculo applicati, tumores emolliunt & discutiunt.*

4. *Flores Chamomillæ unà cum baccis lauri, gran. Juniperi, herb. Absinthii in sacculum congesti, ac in vino decocti, temporeque paroxysmi applicati regioni ventriculi & lienis calidè, febres quartanas tollunt.*

5. *Chamomilla in sacculo hypochondrio sinistro adhibita contra Melancholiam hypochondriacam valet.*

6. *Chamomilla in balneo usurpata universam Melancholiam in habitu corporis discutit, & sola initiò morbum Melancholicum curat.*

7. *Aqua Chamomillæ vel sola, vel cum syrupo de Endivia epota, contra febres concoctas valet.*

8. *Oleum Chamomillæ exteriùs illitum cutis densitatem rarefacit, & morbillos, aliaque ejus vitia evocat.*

9. *Oleum Chamomillæ omnes fluxiones obstructas in musculosis partibus digerit ac tutò tollit.*

10. *Oleum Chamomillæ in Enemate flatus discutit, & contra calculum, colicam, & suffocationem matricis prodest.*

11. *Idem oleum cum oleo Scorpionum & modica cera Unguentum contra calculum efficit, si inungatur lumbis & infimo ventri.*

12. *Oleum idem vel solum, vel cum oleo de Capparibus, obstructiones lienis & Melancholiam Hypochondriacam solvit.*

## CAPUT. III.

### DE CICHOREA.

Σέρις Græcis, Intybus Latinis, & Officinis & vulgò Cichorea vel Cichoreum, Germanis Wegwart dicitur. Vide *Matthiol.* 388. *sub nomine V. Cichoreum sylvestre.*

Est autem duarum specierum, videlicet Cichorea hortensis & sylvestris, quarum hæc à Dioscoride præfertur, & communiter etiam in Officinis usurpatur. *Occulta vis aut substantia Cichoreæ est*, quod specificâ quâdam virtute malignitatem in morbis totius substantiæ corrigat. *Manifesta* verò *substantia* est tenuium partium cum quâdam terrestreitate. *Temperamentum* est frigidum & siccum in primo ordine. *Vires ejus sunt* 1. refrigerare & exiccare parum: 2. astringere cum aliqua facultate aperiendi: quâ ratione omnes Medici rectè sentiunt, quod hepati prosit: 3. Parumper urinam ac menses movere.



## USUS.

Usus ejus est in herba, radice, & floribus.

### REMEDIA.

1. *Conserva Cichorei cum conserva acetosæ, vel etiam sola, manè sumpta, à contagione Morbi Gallici præservat.*

2. *Conserva Cichorei vel sola, vel cum cond. citri sumpta, manè, à contagione tùm morbillorum, tùm etiam pestis aliquo modo præservat.*

3. *Conserva Cichorei manè sumpta hora 1. ante cibum colorem bonum & meliorem habitum reddit. Nota verè conservam ex Radicibus recentibus illi, quæ ex floribus fit, præferendam esse.*

4. *Herba Cichorei decocta jecoris vitiis prodest.*

5. *Radix Cichorei condita idem facit.*

6. *Radix Cichorei condita hora 1. ante cibum sumpta, hepar calidum temperat, corroboratque.*

7. *Decoctum radicis in Aqua manè & vesperi aliquot diebus epotum, hyprope m sæpè sanat.*

8. *Radix in vino decocta & eodem modo epota, hydropi à causa frigida, & leucophlegmatiæ quoque confert.*

9. *Radic. Cichorei decoctum epotum, sanguinem mundificat, & scabiem ab acribus humoribus, & ab adustione hepatis ortam, sanat.*

10. *Rad. Cichorei decoctum epotum bilem temperat.*

11. *Rad. Cichorei condita post febres sumpta, appetitum ac somnum restituit.*

12. *Aqua Cichorei vel sola, vel cum syrupo de succo Acetosæ in forma potionis, febribus convenit.*

13. *Aqua Cichorei cum syrupo de succo granatorum mixta, efficax est in febribus pestilentialibus, & in peste ipsâ.*

14. *Aqua Cichorei, & Decoctum Cichorei Gallicâ lue infectos sensim emendat, si manè & vesperi frequenter ebibatur.*

15. *Radix Cichorei decocta, Podagricis à fluxionibus biliosis, utilis est.*

16. *Syrupus de succo cichorei cum Rhabarbaro Epilepsiam in febribus malignis sanat, si lambendo 2. cochl. quant. frequenter sumatur.*

17. *Syrupus de cichorio cum Rhabarbaro suffocationem matricis, & obstructiones mensium sanat, sive solus lambatur, sive etiam cum aliis in forma potionis misceatur.*

18. *Idem vel solus, vel cum syrupo de duabus radicibus, icteritiam tollit.*

19. *Idem maximè quoque contra hydropem valet.*

20. *Syrupus de cichorio simplex, omnibus quibus hepar malè affectum est, & in potionibus, & in elect. componendis utiliter miscetur.*

## CAPUT IV.

### DE ENDIVIA.

INtybus sativus, Officinis & veteribus Endivia dicitur. Vide *Matthiol.* 386. *sub nomine* I. *Intubus major.* *Substantia* hujus ferè est eadem, quæ Cichoreæ, nisi quod minùs tenuis sit, undè vires ejus sunt: 1. Refrigerare multùm, & humectare parum: 2. aperire cum modicâ attrictione: 3. obstructiones jecinoris tollere. Usurpatur autem quoad herbam, & radicem.

### REMEDIA.

*Medicamenta hic præscribuntur eadem ferè quæ in cichoreo inveniuntur nisi quod Cichoreum* occultâ substantiâ *magis sit alexipharmacum: Endivia autem qualitatibus manifestis magis epar corroborat; & in febribus biliosis magis prodest.*

## CAPUT V.

### DE FOENICULO.

Μάραθρον Græcis, Latin. & Offic. *Fœniculum*, German. Fenchel. Vide *Matthiol. pag.* 568.

*Substantia* hujus plantæ *occulta* est, quod mirificè ventriculum confortet: quidam etiam huc referunt, quod lac gignat. *Manifesta* est tenuium partium. *Temperamentum* pro diversitate partium diversum existit. *Semen* & radix sunt calida in tertio gradu, & sicca in primo. *Herba* verò calida in secundo & in humido & sicco temperata est. *Vires fœniculi sunt*: 1. Calefacere multum, exiccare parum: 2. Attenuare, obstructiones aperire, & crassa incidere: 3. Urinas & menses movere.

Usurpatur autem quoad herbam, radicem, & semen.

### REMEDIA.

1. *Syrupus de* 2. *rad. sæpè sumtus lambendo quantitate ij. cochl. icteritiam tollit, ac infantibus ac muliierculis delicatis conveniens est remedium.*

2. *Syrupus de quinque rad. fortius Icteritiam solvit, sed plures evaporationes ad caput gignit, easque tantas, ut aliquando Epilepsiam produxisse compertum fuerit.*

3. *Syrupus de* 2. & 5. *radicibus obstructiones jecinoris aperit & tollit, præsertim quando cum decocto refriger. rad. Cichorei, vel earum aqua miscetur.*

4. *Herba vel folia fœniculi recentia, vel sola, vel cum semine comesta, lacte mammas replet.*

5. *Semen cum ptisanâ decoctum, idem facit.*

6. *Confect. sem. fœniculi sæpè gustata, prodest mulieribus prægnantibus & lactantibus.*

7. *Coma fœniculi cum sem. in aceto macerata, est salsamentum salubre ventriculi & per annum integrum servatur.*

8. *Radix decocta in vino vel aqua, hydropicis convenit.*

9. *Aqua fœniculi utilis est ad collyria in ophthalmia & suffusionibus oculorum.*

10. *Aqua fœniculi, vel sola, vel cum Aqua Endiviæ epota, febres tertianas nothas tollit.*

11. *Oleum fœniculi discutit flatus & colicam, inprimisque frigidam, si guttæ tres cum calidâ cerevisiâ in cochleari mixta ebibantur.*

12. *Confectio sem. Fœniculi ventriculum corroborat, & flatus in eo discutit ante cibos sumpta.*

13. *Sem. Fœniculi unà cum Rad. Rhodia in nodulo ligatum & infusum in vino, tempore mensium, mulieribus constituit potum aperientem, & sensim muliebria ducentem.*

14. *Balsamus Fœniculi ex oleo, tinctura & sale præparatus insigne est cephalicum, quantitate pisi sæpiùs usurpatus.*

## CAPUT VI.

### DE MERCURIALI.

Λινόζωστις Græc. *Mercurialis* Latin. & Offic. quibusdam Herba Herculis & Unguentaria, Germ. Bingelkraut Vide *Matthiol.* 890.

Duarum est specierum Mas & Fœmina. Discernitur Foliis & Floribus. Mas folia habet tenuiora & Flores minores dependentes: Fœmina verò flores longiusculos, & folia densiora profert. *Substantia* Mercurialis occulta est, quod leniter bilem purget, & quod pro diversitate sui sexûs fertilitatem mulierum augeat. *Manifesta* est tenuium partium. *Temperamentum* est calidum & siccum in secundo gradu. *Vires ejus sunt* 1. calefacere & exiccare parum: 2. attenuare, emollire, digerere: 3. Obstructiones tollere, & repleta inanire. *Respectu substantiæ occultæ* bilem parumper evacuat, mulieribusque fertilitatem conciliat, ac prolem secundum sexum sibi similem efformare juvat. Usurpatur autem tota herba cum foliis, & floribus, tàm recens, quàm exiccata.

### REMEDIA.

1. *Mercurialis mas decoctus in vino & epotus, manè & vesperi, à mulieribus post conceptionem, facit ad maris efformationem. Quod si calidiores sunt mulieres, fiat decoctio in aqua. Contra Mercurialis fœmina eodem modo usurpata, fertilitatem juvat, & fœminam producit.*

2. *Mercurialis decoctum, vel solum, vel cum malva lib j. & olei communis ℥iij. salisque parum, lenissimum constituit enema, ac parumper purgat, ac ventrem semel aut bis laxat.*

3. *Mercurialis cocta cum Bismalva, Agrimonia, Betonica ana Mij. Pulegio, origano, baccis lauri ana Mj. fol. senæ ℥j. Fl. chamomillæ Mß. percoletur lib. j. & misceatur cum ol. com. ℥iij. & salis parum: efficax est enema contra colicam, calculum, & Melancholiam hypochon-*

*pochondriacam, ac bis, aut ter ad summum leniter purgat.*

4. *Herba decocta in Aqua, vel sola, vel cum herba Petroselini, & Bismalva, ac foris imposita imo ventri, calculum emollit, inprimisque ante enematis usum adhibita, plurimùm convenit.*

5. *Herba decocta in vino & aqua, vel cataplasmatis more imposita, vel per fomentationem adhibita, fertilitatem mulierum adjuvat.*

6. *Eadem decocta & exteriùs usurpata, fluxiones suffocativas pectoris, quæ sunt absque inflammatione, sanat, quod magis præstat, ubi cum Agrimonia vel Bismalva miscetur.*

## CAPUT VII.

### DE MELILOTO.

Μελίλωτος, Græcis, Latin. Sertula Campana, Offic. Melilotus vel Melilotum, quibusdem Corona regia. Germ. Steinklee. Vide *Matthiol. pag. 535. sub nomine* I. *Melilotus seu sertula campana.*

*Substantia* hujus plantæ est diversarum partium teste Galeno, propterea quod non tantùm habeat aliquid astringens, sed etiam digerens & concoquens.

*Temperamentum* est ferè temperatum parumper ad calidum declinans. *Vires sunt* 1. Servare omnia talia, qualia acceperit, aut calefacere parum: 2. digerere, concoquere, emollire, & modicè astringere: 3. dolores sedare, anodynum esse, & maturare apostemata.

### USUS.

Usus ejus est in herba, & in siliquis.

### REMEDIA.

1. *Herba Meliloti decocta in aqua & vino dolores in musculosis partibus lenit.*

2. *Eadem cum Mercuriali, Agrimonia, Bismalva decocta, & cataplasmatis more imposita, suffocativas fluxiones mitigat.*

3. ℞. *Herb. Meliloti.*
*Parietariæ veræ ana Mij.*
*Betonicæ Mj.*
*Bismalvæ Mjß.*
*Flor. Chamomill. Mß. M. & F. decoctio in Aqua ac sæpiùs pectori imponatur, vel cum spongia madefacta applicetur contra Pleuresin.*

4. *Herba Meliloti Mj. Parietariæ; Betonicæ an. Mjß. Bismalvæ Mij. decocta & applicata suppurationes omnes emollit.*

5. *Emplastrum de Meliloto flatus hypochond. dissolvit.*

6. *Emplastrum de Meliloto bis quotidiè usurpatum scirrhos hepatis, lienis, renum, & aliarum partium emollit.*

7. *Idem bubones attenuat, emollit, & discutit.*

## CAPUT VIII.

### DE NYMPHÆA.

Νυμφαῖα, Lat. *Nymphæa*, Offic. & Arab. *Nenuphar*, Germ. Seeblumen. Vide *Matthiol. p.* 643. I. *Nymphæa alba* II. *Nymphæa lutea.*

Duarum est specierum, respectu florum: alba una, citrina altera. *Substantia* Nymphææ in partibus diversis, diversa est: Scilicet in floribus & foliis aquea magis: at in radice terrea. *Temperamentum* flor. & fol. frigidum in tertio, & humidum in secundo gradu est: at radicis est frigidum in tertio, & siccum in secundo. *Vires ejus sunt* 1. Flor. & foliorum est refrigerare: sed radix simul exiccat: 2. Fol. & flor. incrassant & emolliunt: at radix astringit. 3. Fol. & flor. biliosos humores digerunt: at radix sanguinem sistit & muliebrem fluxum cohibet. Usurpatur autem hæc herba in foliis, floribus, semine & radice.

### REMEDIA.

1. *Fol. Nymphææ in febribus ardentibus subjecta lumbis & dorso, vehementer refrigerant, & æstum febrilem leniunt.*

2. *Eadem capiti & temporibus apposita in febribus acutis, somnum conciliant.*

3. *Syr. de Nymphæa vel solus, vel cum syrupo de Papav. & Aq. Lactucæ mixtus, & sæpe die noctequ lambendo sumptus, idem præstat.*

4. *Idem in febribus acutis sitim mitigat.*

5. *Idem dolores capitis à bile & febribus ortos lenit ac tollit.*

6. *Idem convenit etiam in Melancholiâ Hypochondriaca, quia inflammationem lienis extinguit, & evaporationem ad caput atque insomnia inquieta mitigat.*

7. *Syr. de Nymphæa compositus obstructiones viscerum una cum inflammatione tollit, & in intermittentibus valdè prodest.*

8. *Ol. de Nenuphare fronti & temporibus illitum somnum conciliat.*

10. *Idem in dyscrasia jecoris & ventriculi regioni jecoris & lumbis utiliter inungitur.*

11. *Ol. de Nymphæa lumbis & dorso inunctum mitigat febres, & sæpè in infantibus prorsus tollit.*

12. *Ol. idem imo ventri inunctum ac genitalibus Gonorrhæam curat, sed venerem minuit, ac non raro prorsus tollit.*

13. *Sem. decoctum in aqua vel solum, vel cum aliis & epotum idem præstat.*

14. *Flor. Nymph. decocti in aqua & epoti, gonorrhæam minuunt, nec Veneri admodum nocent.*

15. *Radix Nymph. candida, cum butyro diu cocta, & postea percolata, efficit unguentum ad pilos pulchriores & prolixiores reddendos.*

## CAPUT IX.

### DE POEONIA.

ΠΑιώνια vel γλυκυσίδης, Græcis, Pœonia Latinis & Officinis, quibuſdam Herba caſta, vel Roſa benedicta, German. Pœonien. Vide *Matthiol. pag.* 655.

Ejus duæ ſunt ſpecies, mas & fœmina, quarum hæc communiter in Hortis habetur, ſed multò efficacior mas, licet rariſſimè inveniatur. *Subſtantia occulta* multis videtur, quod Epilepſiæ proſit, quam tamen alii ad manifeſtas qualitates reducere conantur, quatenus eſt calida & ſicca, atque ita ratione contrarietatis medetur Epilepſiæ frigidæ & humidæ. *Manifeſta verò ſubſtantia* eſt tenuium partium cum aſtrictione quâdam admiſta. *Temperamentum* calidum in primo & ſiccum in ſecundo gradu eſt. *Vires Pæoniæ ſunt* 1. Calefacere parum & exiccare multum: 2. Aperire, incidere, & nonnihil aſtringere: 3. Menſes ciere, & fluxum alvi quodammodo ſiſtere.

### USUS.

Uſus ejus eſt in radice, in foliis, in floribus, & in ſemine.

### REMEDIA.

1. *Pæoniæ radix & ſemen tùm collo, tùm manibus circà pulſum Epilepticis appenſa, Epilepſiam tollit & mitigat.*

2. *Decoctum rad. Pæoniæ epotum, vel ſolum, vel cum aliis, ut ſyrupo de ſtæchade mixtum in forma potionis, Epilepticis & Apoplecticis valdè prodeſt.*

3. *Idem decoctum contra ſpaſmum quoque prodeſt, ſed imbecilliori ventriculo nauſeam parit.*

4. *Semen Pæoniæ idem quod radix facit, & minus nauſeam parit.*

5. *Pulv. rad. Pæoniæ polentæ infantum inſperſus & pluribus diebus comeſtus, cerebrum humidius exiccat, & ab Epilepſia infantes præſervat.*

6. *Pulv. rad. Pæoniæ, Smarag. præp. & cran. hum. præp. efficacius Epilepſiam ſanant.*

7. *Pulvis modò dictus, ſi cum pulvere caſtorei adhuc acuatur, omnium efficaciſſimè Epilepſiam tollit, & Apoplexiam quoque juvat.*

8. *Pulvis Pæoniæ mixtus cum ſemine Plantag. Cornu C. V. rad. Tormentillæ & diacydonio ſimplici, omnem alvi fluxum ſiſtit, ſi ebibatur q. ʒj. cum Aqua fol. quercuum.*

9. *Pulvis rad. Pæoniæ mixtus cum calamo aromatico, Galanga & Rad. Ireos, & calidè in cerevíſia q. ʒj. contra Colicam frigidam ſumitur.*

10. *Radix Pæoniæ decocta in vino contra ſuffocationem matricis convenit.*

11. *Conſ. Pæoniæ infantibus exhibita Epilepſiam ſanat.*

12. *Rad. ſem. & fl. Pæon. in omnibus frigidis morbis cerebri eximiam efficaciam habent.*

13. *Aqua Pæoniæ in omnibus affectibus capitis humidis & frigidis efficax.*

14. *Eadem contra Epilepſiam bibitur, fitque efficacior, ubi cum Aq. tiliæ miſcetur.*

12. *Aqua Pæoniæ & Tiliæ cum pulv. cranii humani mixta, contra Epilepſiam, & in paroxyſmo ſæpius, & ſingulis lunæ mutationibus magnis per triduum utiliter uſurpantur.*

16. *Rad. pæoniæ decocta cum viſco quercino, herba Beton. Mercuriali, fl. Stæchados, & mixta cum purgantibus appropriatis, atque oleis & ſale, efficaciſſimum Enema contra Epilepſiam efficit.*

## CAPUT X.

### DE RUTA.

Πήγανον; *Ruta* Latinis & Offic. Germ. Rauten. *Matth. p.* 548. *ſub nomine I. Ruta.*

Duarum eſt ſpecierum, ſativa & ſylveſtris, quarum prior ſemper intelligenda eſt, ubi rutam abſque adjectione legimus. Hujus *ſubſtantia occulta* eſt alexipharmaca, ideoque ad peſtem & animalia peſtifera prodeſt. *Manifeſta* eſt tenuis & acris. *Temperamentum* ejus eſt calidum & ſiccum in tertio gradu. *Vires à tota ſubſtantia* ſunt, præſervare à peſte & venenis reſiſtere: *à temperamento:* 1. Calefacere & exiccare nimium: 2. digerere & incidere craſſos lentoſque humores: 3. Flatus diſcutere, urinam & menſes movere, imò fœtum mortuum expellere. Uſurpatur autem herba & ſemen.

### REMEDIA.

1. *Herba Rutæ combuſta odore ſuo ſerpentes & peſtiferum aërem tollit.*

2. *Eadem cum aceto madefacta & trita, naribuſque applicata, ſenſim Lethargum mitigat, & ſæpè prorſus tollit.*

3. *Eadem digitis contrita, ac naribus ſæpè applicata Epilepſiam ſolvit.*

4. *Eadem eodem modo uſurpata contra Apoplexiam efficax eſt remedium.*

5. *Herba rutæ recens cum Salvia, Matricaria, & modico ſale manè comeſta, multis contra phthiſin prodeſſe creditur, ſed falsò: nihilominus tamen ventriculi frigido & humido robur addit, & eâ ratione meliorem corporis habitum reddit.*

6. *Herba rutæ cum aceto madefacta 24. horis, & poſtea manè comeſta à peſte præſervat.*

7. *Idem facit ruta cum ſale comeſta.*

8. *Ruta miſta cum nucleo juglandis, & caricis duabus atque ſale, & contra peſtem, & contra venena prodeſt, manè q. nucis caſtaneæ ſumpta. Sumantur autem rutæ folia 10. ad unam nucem juglandis & duas caricas.*

9. *Ruta cum iisdem & gran. juniperi mixta conſtituit quoque alexipharmacum, ut ſupra diximus.*

10. *Rutæ folia 10. cum caricis duabus, & nucleo unius juglandis in aceto q. ſ. mixta ſtent 24. horis, & poſt ea ſemicochlearis quant. uſurpentur manè contra peſtem.*

11. Aco-

11. *Acetum rutaceum naribus, temporibus, pulsibus, & pavimentis ædium aspersum, præservat à veneno pestifero.*

12. *Rutæ decoctum, vel solum, vel cum Euphrasiæ decocto mixtum, oculis prodest, & suffusiones incipientes tollit.*

13. *Rutæ semen & herba decocta, semen minuunt, & gonorrhœam tollunt.*

14. *Ruta decocta cum Mercuriali, Pulegio, Bismalva, matricem mulierum contortam sanat, si exteriùs sacculo, vel spongiâ adhibeantur.*

15. *Ruta in vino decocta menses movet, & mortuum fœtum expellit.*

16. *Rutæ pulvis contra vermes utiliter exhibetur.*

17. *Rutæ pulvis ex semine, contra pestem, aut solus, aut cum Theriacâ mistus, valet.*

18. *Aqua rutæ hydropicos juvat, si vel sola sæpiùs ebibatur, vel cum Aq. Cuscutæ, & cum syr. de 2. Rad. misceatur.*

19. *Aqua rutæ cum aq. Euphrasiæ oculorum aciem acuit.*

20. *Eadem aq. rutæ epota menses movet, sed prægnantibus nocet.*

21. *Aqua rutæ omnibus cerebri frigidis morbis medetur.*

22. *Ol. rutæ exteriùs inunctum umbilico, vel solum vel cum ol. Absinthij vermes necat.*

23. *Idem interiùs usurpatum in Enemate flatus discutit, & colicam frigidam sanat.*

24. *Idem exteriùs illitum frigidas fluxiones nervorum atque articulorum dissolvit.*

## CAPUT XI.

### DE SALVIA.

Ελελίσφακος Græcis, *Salvia*, Latinis & Offic. Salbey. Germ. Vide *Matth. p. 524. sub nomine II. Salvia minor.*

Est duarum specierum, hortensis & sylvestris, quarum illa in usu est, & per Salviam absque adjectione semper intelligitur. Rursus autem hæc sativa vel hortensis duplex est, major & minor, quarum hæc Germ. Creutzsalbey vocatur, & alteri præfertur. *Substantia* Salviæ tenuium est partium cum adstrictione modica. *Temperamentum* est calidum & siccum in secundo gradu. *Vires* sunt 1. calefacere & exiccare multùm: 2. aperire, incidere, & modicè adstringere: 3. Menses quodammodo movere.

### USUS.

Usus ejus est in herba & in floribus.

### REMEDIA.

1. *Salvia cum cibis comesta jecur corroborat, & fluxiones capitis omnes temperat.*

2. *Salvia cum jecore vitulino destillata adhuc magis epar corroborat.*

3. *Salvia eodem modo cum vitulino jecore mundificato destillata producit aquam, quæ tabem brachiorum vel aliorum membrorum inunctâ sanat, & dolorem nervorum ex siccitate mitigat.*

4. *Salvia cum Hyssopo & radice liquiritiæ decocta, & percolata, Saccharo Candiæ dulcorata, manè & vesperi commodissimè ebibitur, contra tussim, & pectoris angustias.*

5. *Salvia decocta in aqua vel vino, & manè vesperique epota, sterilitatem ex lubricitate matricis sanat.*

6. *Salvia usurpata à prægnantibus in cibis contra abortum est remedium.*

7. *Salvia frigidam & humidam matricem expurgat, & simul cor corroborat.*

8. *Salvia frigido & humido cerebro valdè prodest.*

9. *Conf. Salviæ manè sumpta jecur corroborat, cerebro & nervis utilis est, & fluxiones cerebri temperat: imò etiam tussim ex destillatione sanat.*

10. *Aqua Salviæ jecur corroborat, & fluxionibus tenuioribus medetur manè & vesperi epota.*

11. *Vinum Salviæ mulieribus frigidis atque humidis prodest, ac fertilitatem auget.*

12. *Vinum Salviæ hydropicis confert.*

13. *Cerevisia Salviæ Hepaticis, inprimis quoque catarrhosis prodest.*

## CAPUT XII.

### DE SCORDIO.

Σκόρδιον, Latin. & Offic. *Scordium* dicitur, ac ferè ubique notum est, quamvis prioribus seculis planè fuerit incognita planta, unde vulgus Medicorum & Pharmacopæorum pro eo Alliariâ usi sunt, magno cum errore. Vide *Matth. p. 613. I. Scordium.*

Obtinet autem verum Scordium *occultam substantiam* Alexipharmacam, quâ Pesti resistit, & simul quoque putredinem humorum corrigit: quoad *manifestam substantiam*, quodammodo mixtum est, quatenus quodammodo amarum, acerbum, & acre est. *Temperamentum* est calidum in primo & siccum in secundo gradu. *Vires à totâ substantiâ sunt.* 1. Præservare à Peste: 2. curare pestem: 3. resistere putredini, imprimisque vermibus. *Vires à temperamento sunt:* 1. calefacere parùm & exiccare magis: 2. abstergere & detergere: 3. urinam & menses movere. Usurpatur Scordium in foliis & floribus.

### REMEDIA.

1. *Scordij pulvis in aceto contra pestem sumptus, vel solus ℈iiij. vel mixtus ℈j. cum Theriacæ ℈j. efficax contra pestem infectis remedium est.*

2. *Scordij pulvis vel solus, vel cum C.C.V. quantitate ℈ij. in lacte exhibitus vermes necat & expellit.*

3. *Scordij folia decocta cum aliis alexipharmacis potiones salubres contra pestem efficiunt, nec non contra alias pestilentiales febres.*

4. *Syr. de Scordio, si solus lambatur interdiu aliquoties, quant. ʒß. infectionem humorum, quæ longè post in pestem evasura esset, tollit.*

5. *Syr. de Scordio cum aliis Electuar. Alexipharmacis utiliter contra pestem usurpatur.*

6. *Syr. de Scordio ℥ß. cum Aq. Card. ben. ℥ij. mixtus potionem alexipharmacam constituit.*

7. *Acetum Scordij una cum cibis sumptum quotidiè in infectis ædibus optimum est remedium.*

8. *Acetum Scordij exteriùs naribus ac pulsibus illitum à peste præservat.*

9. *Idem cum cibo sumptum pueris ex vermibus laborantibus convenit.*

10. *Aqua Scordij sola contra pestem utiliter bibitur.*

11. *Aqua Scordij mixta cum syr. de succo granat. præsentissimum constituit remedium contra pestem.*

12. *Eadem aqua iterum atque iterum epota quotidiè viscera calefacit, & à putredine expurgat.*

13. *Aqua Scordij antiquæ tussi prodest.*

14. *Si in Aq. Scordij dissolvantur Theriaca, Mithridatium & alia Alexipharmaca, tantò magis contra pestem valebunt.*

15. *Aqua Scordij contra vermes remedium est.*

16. *Conserva Scordij tempore pestis manè pro præservatione utiliter sumitur.*

## CAP. XIII.

### *DE RELIQUIS PLANTIS JUNII.*

Supersunt adhuc aliæ plantæ nascentes in hoc mense, quarum plurimæ selectæ quidem sunt, non tamen usus eorum est in multis partibus, utpote cum vel tantùm in radice, vel tantùm in foliis, vel tantùm in floribus usurpentur: sunt præterea & aliæ, quarum usus tam frequens non est, undè quibusdam inusitatæ vocantur.

In priori classe ponuntur

*Gentiana*, cujus radix lib. 2. declaratur

*Filipendula*, cujus radix uteri purgationem producit.

*Rhaponticum*, in jecoris affectibus commendatum.

*Rubea tinctorum*, de qua in lib. 2.

*Atriplex*, cujus herba ventrem emollit.

*Centaureum minus*, jecoris obstructiones promptè solvens.

*Alchymilla*, *seu pes leonis*, in vulneribus consolidandis utilis.

*Hyssopus*, ad viscidas pectoris collectiones incidendas utilis.

*Matricaria*, frigidis uteri morbis succurrens.

*Thymus.*
*Satureia.*
*Spinachia.*
*Solanum.*
Scarlea.
Veronica.
Cyanus.
Stœchas citrina.
Carduus Mariæ.
Milium Solis.
Melones.
Cucumeres.
Cucurbitæ.
Citrulli.
Staphysagria.
Tormentilla.
Carum.
Chamæpitys.
Lepidium.
Lilium album.
Sanicula.
Perfoliata.
Imperatoria.
Melanthium.
Papaver sativum.
erraticum.
Ligustrum.
Hyoscyamus.
Sympervivum.
Cuscuta.
Genista.
Bryonia.

Sunt aliæ plures rarioris usus hoc tempore provenientes, quas etiam enumerare conabimur.

Echium.
Lactuca sylv.
Viola syl.
Lysimachia lutea.
Trifolium multiplex.
Syderitis.
Virga pastoris.
Rapunculus.
Blattaria.
Coronopus.
Pyrola.
Sonchus aspera.
Lævis.
Pseudoapios.
Daucus.
Periclymenon
Lichen.
Glycypicron.
Ptarmica.
Hemerocallis.
Polygala variis floribus.
Stachys.
Ballote vulg. al.
nigra.
crispa Lugd.
Chondrilla coronopifol.
Urtica.
Veronica Spicata min.
Portulaca sylv.
Rapistrum.
Antirrhinum.
Crista galli.
Pseudomelanthium.
Pisum.
Linum.
Vicia.
Panicum.
Sanicula.

Papaver corniculatum.
Viola mariana.
Lilium cruentum.
Bellis major.
Geranium batrachoides.
Echium scorpiodes palustre.
Ranunculus apii folio.
Conyza aquat. serratifol.
Morsus ranæ.
Phu minus palustre, &c.

Hæ sunt plantæ præcipuè, quarum cognitionem unà cum selectissimis & usitatissimis in hoc mensè conjungendam esse judicamus, quod herbilega Juventus tum oculari observatione herbarum, tum etiam evolutis Botanicorum monumentis suâ sponte præstabit: nos ad subsequentem mensem progredimur.

## SECTIO V.

## DE PLANTIS IN JULIO *nascentibus.*

### CAPUT I.

### DE FRAGARIA.

Κόμαρον Græcorum Fragariam appellari scribit expressè Apuleius, licet idipsum à quibusdam vocetur in dubium: Germ. dicitur Erdtbeerkraut. Vide *Matth. pag. 721. VII. Fragaria.*

Herba per se satis nota est, duas continens species, quarum una sylvestris, altera sativa: hæc rarior est, multò majores, pulchrioresq; fructus producit, ac magis pro delitiis in mensis illustrium habetur. *Substantia* fragariæ parumper terrea est: *Temperamentum* frigidum in primo & siccum in secundo gradu maximè verò in herba, minus verò siccum in fragis. *Vires ejus sunt* 1. Refrigerare parum & exiccare multum: 2. Astringere modicè, ac quodammodo simul viscera obstructa aperire: 3. Muliebres fluxus & dysenterias cohibere, & parum urinam movere.

#### USUS.

Usus fragariæ hodiè est in herba & fructibus: quibusdam etiam in floribus, & radice fuit.

#### REMEDIA.

*1. Fragaria herba contusa & cataplasmatis more vulneri applicata illud ipsum sanat.*

*2. Eadem in vino rubro decocta idem præstat.*

*3. Eadem decoctio herbæ imo ventri apposita circa pubem per aliquod tempus, album fluxum sistit.*

*4. Fragaria decocta & epota, obstructiones jecoris & aliorum viscerum aperit.*

*5. Fragariæ decoctum cum radice Petroselini vel ante balnea, vel aliàs manè & vesperi epotum, calculum movet.*

*6. Fraga si comedantur in æstate biliosos humores temperant.*

*7. Fraga febricitantibus salubria sunt, & ventriculo imbecilliori robur addunt.*

*8. Eadem in acutis febribus sitim sedant.*

*9. Eadem hydropicis & paralyticis nocent.*

*10. Eadem macerata in vino sublimato, & aliquoties iterum infusa prosunt contra calculum, si liquor ille bibatur modicè.*

*11. Aq. Fragariæ idem præstat.*

*12. Vinum fragariæ exteriùs illitum, pustulas in facie lenit, & sensim tollit.*

*13. Radix decocta cum aliis hepaticis, cachexiæ & hydropi convenit.*

### CAP. II.

### DE LAVENDULA.

Νάρδος plerumque Græcis vocatur, nobis Lavendula, Germ. Lavendel. Vide *Matthiol. pag. 32.*

Est autem duarum specierum: una mas, quæ Spicanardi vulgò dicitur, altera fœmina, quæ Lavendula propriè est. *Substantia* Spicæ & Lavendulæ tenuium est partium: *Temperamentum* calidum & siccum ferè in 3. gradu est. *Vires* ejus sunt 1. Calefacere & exiccare multum: 2. Incidere crassos humores & aperire obstructiones, præsertim capitis: 3. Movere menses & educere secundas.

#### USUS.

Usus est in foliis, & floribus diverso modo.

#### REMEDIA.

*1. Lavendula vel Spica ante fenestras sata, vel etiam sicca in conclavi prostrata, odore suo cerebro humido & frigido valdè prodest.*

*2. Lavendula in capitis lixivio memoriam imbecillem ab humiditate & frigiditate corroborat.*

*3. Lavendula in conclavi, tempore hyemis suspensa contra fluxiones prodest.*

*4. Lavendula decocta in aqua & epota, mundificat matricem frigidam, sed potio fit insuavior.*

*5. Cerevisia Lavendulæ idem aliquo modo præstat, sed sensim.*

*6. Cerevisia Lavendulæ omnibus apoplecticis, paralyticis, Epilepticis & spasmo affectis salubris est.*

*7. Eadem sensim menstrua aperit & movet, quâ de causâ prægnantibus nocet.*

*8. Oleum Spicæ gutt. iij. ori instillatum paralysin linguæ sanat.*

*9. Ol. Spicæ paucis guttis cum aqua, ex qua manus lavantur, dilutum, corroborat nervos, & cerebrum suo odore: nocet autem epilepticis, ubi odor majori copia attrahitur.*

10. Aq.

10. *Aq. Lavendulæ ℥jß. aq. tiliæ ℥v. mixta & epota ab Infantibus, Epilepsiam sanat.*

11. *Aq. Lavendulæ q. semicochl. mista jusculo cerevisiæ, menses aperit, paralyticis confert, & ab Epilepsia præservat.*

12. *Aq. Lavendulæ potionibus digestivis in frigida matrice & humido cerebro pauca quantitate utiliter miscetur.*

13. *Conf. Lavendulæ, aut sola, aut mixta cum aliis conditis inprimis Borraginis, capiti frigido & humido robur addit, memoriam confirmat, & apoplexiam sanat.*

## CAPUT III.

### DE LAURO.

Δάφνη Græc. *Laurus* Lat. & Offic. Lorbeerbaum Germanis. Vide *Matth. p.* 125.

Duarum est specierum, altera latifolia, altera tenuifolia. *Substantia* Lauri *occulta* est alexipharmaca, quâ veneno & pesti resistit. *Manifesta* est tenuium partium. *Temperamentum* calidum est & siccum in secundo gradu respectu foliorum; at respectu fructus in tertio. *Vires à totâ substantiâ* sunt veneno & pesti resistere: *à temperamento* 1. calefacere & exiccare vehementer, & magis respectu baccarum: 2. attenuare & incidere crassa: 3. discutere flatus, ac dissipare humorum collectiones, item calculum movere.

### USUS.

Usus ejus est in foliis & fructibus, nimirum baccis.

### REMEDIA.

1. *Folia Lauri vel sola, vel cum absinthio in forma sacculi cum linteo usurpata, & ventri calidè applicata, flatus discutiunt, & ventriculum frigidum corroborant.*

2. *Folia Lauri eodem modo usurpata & calidè umbilico applicata aliquoties, Colicam sanat.*

3. *Folia Lauri, vel sola, vel mixta cum Artemisia, Matricaria & Origano, in forma sacculi calidè applicata imo ventri, calefaciunt frigidam matricem: imò suffocationem matricis non tantum leniunt, sed etiam sensim prorsus tollunt.*

4. *Cerevisia de baccis Lauri tempore pestis prodest.*

5. *Eadem à mulieribus frigidis & humidis contra sterilitatem & suffocationem matricis utiliter bibitur.*

6. *Baccæ Lauri cum granis Juniperi, Mentha & Absinthio in forma sacculi usurpatæ, & in vino decoctæ, ac tempore paroxysmi applicatæ regioni ventriculi ac splenis, quartanam tollunt.*

7. *Baccæ Lauri contusæ & epotæ cum calidâ cerevisiâ colicam sanant, nec non suffocationem leniunt.*

8. *Baccæ Lauri cum granis Juniperi, Herb. Petroselini, Bismalva, in Aq. decoctæ, & imo ventri impositæ, calculum emolliunt & movent.*

9. *Baccæ Lauri integræ apud Ignem calefactæ & comestæ flatus ventris discutiunt, & tormina sedant.*

10. *Pulvis baccarum Lauri cum granis Juniperi in vino sumptus tempore mensium, menses movet, quod etiam præstat, ubi solus cum vino usurpatur.*

11. *Pul. Baccarum Lauri cum Rad. Ireos ana ℈j. & calam. aromat. & galangæ ana ʒß. mixtus & calidè cum cerevisiâ epotus, quantum capiat grossus argenteus unâ vice, colicam frigidam sanat, præsertim si quâvis horâ bis vel ter repetatur.*

12. *Pul. Baccarum Lauri cum calidâ cerevisiâ epotus sudorem movet.*

13. *Idem mixtus cum spec. Diarrh. Abb. jecori prodest ejusque obstructiones aperit.*

14. *Eodem modo contra hydropem valet.*

15. *Elect. de baccis Lauri Rhasis valet ad Colicam & Iliacam passionem ex causâ frigidâ, sumptum quan. Castaneæ aliquoties, vel solum, vel mixtum cum aliis conditis, scil. corticibus arantiorum, Zinzibere condito, diacoro & similibus.*

16. *Oleum Laurinum exteriùs illitum imo ventri dolores frigidæ colicæ & ventriculi sanat.*

17. *Idem illitum sinistro hypochondrio splenetici confert, præsertim si misceatur cum Unguento dialthææ.*

18. *Idem omnibus ægritudinibus nervorum & articulorum à frigidâ causâ ortis inunctum prodest.*

19. *Idem unguenta frigida suo calore temperat, & calida reddit efficaciora, ac odore suo commendat.*

20. *Emplastrum de Baccis Lauri vel solum, vel cum unguentis corrobantibus mixtum ventriculo frigido robur addit, & flatus optimè discutit.*

21. *Idem applicatum imo ventri, dolores ventriculi, intestinorum & matricis à flatibus, vel causa frigida ortos, lenit.*

## CAPUT IV.

### DE MALVA.

Μαλάχη Græcis ἀπὸ τοῦ μαλάττειν, sicut Latinis & Officinis malva dicitur, quod alvum molliat teste Varrone: Germ. Pappeln. Vid. *Matth. p.* 359. *J. Malva.*

Est autem duplex Malva sylvestris & Hortensis quarum hæc rursus Arborescens & Bismalva, quam etiam Althæam vocant, ut supra audivimus. Intelligitur autem sylvestris, quando malvam sine adjectione legimus. *Substantia* malvæ est aquea, cui glutinosum aliquid permixtum est: *temperamentum* in caliditate & frigiditate temperatum: quoad humiditatem verò in secundo gradu. *Vires* ejus sunt. 1. humectare non parum: 2. rarefacere, abstergere, emollire, digerere, inprimisque respectu seminis: 3. Igne ambustis mederi, & calculum movere.

### USUS.

Usus Malvæ est in foliis; in semine & in floribus, scil. respectu Malvæ arborescentis.

REME-

## REMEDIA.

1. *Malvæ folia decocta in jusculo gallinaceo, & percolata ad lib. j. cum ℥ij. olei communis, & salis parum, enema efficiunt, quod abstergendo & emolliendo laxat semel, vel bis ad summum.*

2. *Malva in omnibus Enematibus, quæ vel emollire, vel abstergere, vel digerere debent, utiliter decoquitur.*

3. *Ex Malva facta enemata calculum movent, ejusque dolores mitigant.*

4. *Eadem prosunt contra alvi obstructionem in colicis doloribus.*

5. *Malva decocta, in forma cataplasmatis ambustis imposita, optimum est remedium.*

6. *Malvæ mucilago efficacius adhuc illud ipsum præstat.*

7. *Malva in lixivio decocta furfures capitis corrigit.*

8. *Eadem decocta in aq. & vino, & in cataplasmatis forma imposita pubi, calculum renum & vesicæ emollit & expellit.*

9. *Semen Malvæ decoctum & epotum idem præstat.*

10. *Sem. Malvæ in vino decoctum obstructiones lienis resolvit.*

11. *Malva imposita regioni lienis, aut sola, aut cum aliis decocta, idem præstat.*

12. *Flores Malvæ arborescentis pulverisati, & cum melle despumato atque aluminis parum commixti, unguentum efficacissimum constituunt, contra omnem gingivarum putredinem, præsertim in Scorbuto.*

## CAP. V.

### DE NASTURTIO.

Κάρδαμον, *Nasturtium*, Germ. Gartenkreß. Vide *Matth. p.425. I. Nasturtium.*

Dicitur Plinio Nasturtium, à naribus torquendis, quod odore & seminis acrimonia sternutamenta provocet. *Substantia* constat tenuium partium: *temperamentum* calidum est & siccum in tertio ordine: Semen tamen magis calefacit & siccat, quàm herba. *Vires* ejus sunt 1. Calefacere & exiccare vehementer. 2. Incidere potenter crassos humores & lentos, inprimisque melancholicos. 3. Menses movere, fœtum in utero materno enecare, veneremque excitare. Usurpatur in herba, & in semine. Vide *Matth. pag.* 425. *Nasturtium crispum latifolium.*

## REMEDIA.

1. *Nasturtium in cibis lentam pituitam & crassum Melancholicum sanguinem incidit & attenuat.*

2. *Idem contra scorbutum in cibis prodest, præsertim nasturtium palustre.*

3. *Idem vel solum, vel cum Cochlearia coctum in sero lactis caprini, & expressum, bis quotidie bibitur quantitate ℥j. vel ℥ij. contra scorbutum.*

4. *Nasturtium coctum cum melle, & exteriùs impositum hypochondrio sinistro spleneticos juvat.*

5. *Semen coctum cum aqua, vel etiam vino, potenter menses movet.*

6. *Aqua Nasturtii utiliter ad menses movendos, & ad fœtum mortuum educendum usurpatur.*

*Nasturtium recens optimè cum Lactuca miscetur in cibis pro temperandâ ejus frigiditate.*

## CAPUT VI.

### DE PETROSELINO.

Πετροσέλινον, *Petroselinum*, Petersilien oder Peterlein. Vide *Matth. pag.* 562. *sub Nomine I. Apium hortense.*

Nota verò, quòd nostrum Petroselinum non sit veterum illud *Dioscoridis & Galeni*, quod Macedoniæ tantùm plantam esse rectè scribunt. Est enim verum *Apium sativum Dioscoridis*, cum quo revera in viribus prorsus convenit. Herba nobis omnibus per se satis est nota, cujus *substantia occulta* duplex est, quòd scilicet calculum frangat & expellat; & capiti noceat, atque Epilepsiam in dispositis gignat. *Manifesta* est tenuis, præsertim in foliis: *temperamentum* calidum & siccum est in secundo gradu, præsertim respectu seminis. *Ratione Temperamenti vires* ejus sunt. 1. calefacere & exiccare multùm. 2. attenuare, crassos humores incidere, flatusque discutere. 3. calculum frangere, movere & expellere. Usurpatur autem nostrum Petroselinum in foliis, in radice, & in semine.

## REMEDIA.

1. *Herba comesta frequenter à puerperis, reddit infantes Comitiales, ubi ubera sugunt.*

8. *Herba in cibis sæpiùs usurpata calculum movet & frangit.*

3. *Radix sæpiùs usurpata petit caput, & tùm Epilepticis, tùm etiam Apoplecticis nocet.*

4. *Eadem radix in cibis sumpta cum jusculis gallinaceis, vel aliâ ratione, urinam & menses movet.*

5. *Eadem eodem modo prodest Hydropicis, & Asthmaticis, & Ictericis.*

6. *Eandem ob causam Syr. de quinque radicibus, (inter quas est etiam radix Petroselini) Hydropem & Ictericiam tollit.*

7. *Herba decocta, & exteriùs usurpata ad balnea, aut sola, aut cum herba Raparum, & Bismalva, calculum emollit, movet, frangit & expellit.*

8. *Herba contusa, cum albumine ovi mixta, & in inflammatione renum ex calculo imposita convenit.*

9. *Aqua Petroselini cum pulveribus calculum moventibus epota, vehementer calculum movet & expellit.*

10. *Eadem efficacius hoc præstat ante balneum & in ipso balneo, epota.*

11. *Eadem Hydropem discutit & omnes obstructiones jecoris resolvit, unde Ictericiam quoque sanat, & sensim tollit.*

12. *Eadem aqua prodest in febribus pituitosis, scil. quotidianis & tertianis nothis.*

13. *Radix Petroselini cum radice Cichorei decocta & percolata, ac saccharo addito ad justam consistentiam inspissata, constituit optimum Syrupum contra Icterum.*

14. *Semen Petroselini efficacissimè urinam movet.*

15. *Semen mixtum cum Lapide Judaico & pilo Leporino usto, remedium efficax redditur ad movendum calculum, si cum aquâ Saxifragiæ pulvis bibatur, quantitate ℨj. vel paulò minus, in aquâ Saxifragiæ, ante balneum.*

16. *Semen Petroselini mixtum cum Semine Fœniculi, & radice Rhodia, & ligatum in syndone, ac suspensum in vino, constituit optimum potum ad movendas fluxiones tempore mensium.*

## CAPUT VII.

## DE LEVISTICO.

Λιγυστικόν, *Levisticum, Lybisticum* vel *Ligusticum*, Germ. Liebstockel. Vide *Matthiol. pag.* 564. *sub nomine V. Levisticum vulgare.*

Herba hæc vulgò nota est, quamvis apud Autores disputetur, quid veteres per Ligusticum intellexerint.

*Substantia* Levistici est tenuium partium: *Temperamentum* calidum & siccum est in ordine 3. *Vires* ejus sunt. 1. calefacere & exiccare plurimùm. 2. attenuare & discutere. 3. movere urinam & menses.

### USUS.

Usus ejus est in foliis cum radicibus, ad destillationes, & lotiones, & in semine.

### REMEDIA.

1. *Aqua Levistici manè & vesperi epota menses movet.*

2. *Ante balnea epota calculum movet & frangit.*

3. *Cum aqua Pimpinellæ efficaciùs menses aperit.*

4. *Semen decoctum in vino & manè vesperique epotum adhuc vehementius movet & menses & calculum.*

5. *Nodulus ex semine Levistici & radice Rhodiâ vino infusus convenit potui mulierum menstruis laborantium.*

6. *Herba Levistici cum Rapis decocta bonum lavacrum constituit partibus frigore læsis.*

## CAPUT VIII.

## DE ARTEMISIA.

*Artemisia* Græcis, Latinis & Officinis, quibusdam *Herba Regia*, Germ. Beyfuß. Vide *Matthiol. pag.* 617.

Quidam ab Artemisia uxore Mausoli Regis, vel ab Artemide Diana, quod instar Dianæ parturientes adjuvet, dictam volunt. *Substantia* ejus est tenuium partium: *temperamentum* calidum & siccum tertii ordinis. *Vires* ejus sunt. 1. calefacere & exiccare vehementer. 2. attenuare, incidere & discutere. 3. menses provocare.

### USUS.

Usus ejus est in foliis & summitatibus.

### REMEDIA.

1. *Herba decocta in vino menses provocat, quod etiam præstat, si exteriùs decoctum hoc imo ventri applicetur.*

2. *Eadem in vino vel cerevisia decocta ad difficilem partum conducit.*

3. *Imò decoctum hujus herbæ quotidiè epotum mulieres à partu mortuo liberat.*

4. *Herba Artemisiæ cum foliis Chamomillæ & Salviæ decocta, membra paralytica & stupida, si per frictionem adhibeatur, recalfacit & vires confirmat.*

5. *Summitates Artemisiæ in pulverem redactæ cum aquis appropriatis, utiliter bibuntur contra calculum ante balneum.*

6. *Aqua Artemisiæ menses, calculum & fœtum mortuum expellit.*

## CAPUT IX.

## DE ANETHO.

Ἄνηθον, *Anethum*, Lat. & Officinis, Dill. Germ. Vide *Matthiol. pag.* 554.

Planta est omnibus notissima, quæ non tàm Medicorum, quàm coquorum gratiâ seritur. *Substantia* ipsius est tenuis: *temperamentum*, teste *Æginetâ*, calidum in fine secundi, & siccum in principio ejusdem gradus obtinet. *Vires* ejus sunt: 1. calefacere plurimùm & exiccare modicè. 2. attenuare & crassam materiam dissolvere. 3. dolores mitigare.

### USUS.

Usus ejus est in herba & semine.

### REMEDIA.

1. *Succus Anethi instillatus aurium dolorem lenit.*

2. *Anethi summitates & herba cum aliis decocta, & epotæ, tormina & ventris inflationes sedant.*

3. *Idem Anethi decoctum stranguriâ laborantibus convenit.*

4. *Anethum cum Mastiche decoctum vomitum reprimit, & frigido ventriculo utile est.*

5. *Semen Anethi in aqua decoctum, & vel balneo, vel epithemate, applicatum, dolores uteri ex flatuosâ materiâ dissolvit.*

6. *Oleum Anethinum membris paralyticis, & frigidis fluxionibus maximè convenit.*

7. *Idem*

*7. Idem oleum commodè miscetur in Clysteribus, ubi materia crassior emollienda & incidenda est.*

*8. Aqua Anethi commodissimè pro somno conciliando cum aq. Rosar. & similibus applicatur capiti & fronti in febribus.*

*9. Eadem linteolis humectatis imposita tumores resolvit.*

## CAPUT X.

### DE ORIGANO.

Ὀρίγανον, παρὰ τῶ ὄρος, quod montibus gaudeat, Lat. & Offic. *Origanum*, Germ. Dosten/ Wolgemuth. Vide *Matthiol. pag. 519. sub Titulo IV. Origanum vulgare.*

*Substantia* Origani tenuis est: *temperamentum* calidum & siccum in tertio ordine. *Vires* ejus sunt: 1. calefacere & exiccare egregiè. 2. incidere & materias consumere. Usurpatur in floribus, vel summitatibus, & in foliis.

### REMEDIA.

*1. Flores Origani decocti & epoti jecori infirmo prosunt, præsertim ubi cum aliis jecorariis misceatur.*

*2. Folia Origani in vino decocta imbecilliori ventriculo ex frigiditate conveniunt.*

*3. Idem decoctum calidè alvo impositum, urinam ciet, ac stranguriam & stillicidium urinæ tollit.*

*4. Succus Origani cum lacte muliebri permistus, & auribus instillatus, prodest contra dolorem earum.*

*5. Folia Origani decocta in vino, quod postea auribus instillatur, efficax constituunt remedium contra difficilem auditum, qui sæpiùs in fine febrium acutarum oritur.*

*6. Aqua Origani manè & vesperi singulis diebus ℥ij. in potu sumpta facit ad asthma & angustiam pectoris.*

*7. Eadem in gargarismo prodest contra Vvulæ prolongationem.*

## CAPUT XI.

### DE RELIQUIS PLANTIS JULII.

Sunt adhuc aliæ multæ plantæ circa hoc tempus à studiosis rei herbariæ observandæ, quarum quędam selectæ quoque sunt respectu partis cujusdam, quarum usus quotidianus etiam est in foro Medico: Sunt aliæ rarioris usus, inter quas multæ penitus in Officinis non præscribuntur.

Prioris ordinis sunt sequentes:

*Phu vel Valeriana*, cujus radix l. 2. declarabitur.

*Ononis, vel resta bovis*, cujus radix in movendo calculo præstans est.

*Symphytum majus, vel consolida major*, cujus radix in glutinandis vulneribus frequenter usurpatur.

*Cyperus*, cujus radicis efficacia paulò post etiam patebit.

*Fœnum græcum*, cujus semen in emolliendo & digerendo sat frequenter præscribitur.

*Anisum*, cujus semen in flatibus discutiendis efficax est.

*Sinapi*, cujus semen usurpatur in calefaciendo & siccando, juxta Gal. ordine quarto.

*Matricaria*, cujus herba flatibus uteri cum aliis succurrit.

*Glycyrrhiza*, cujus radix frequenter usurpatur, ut postea patebit.

*Tanacetum*, quod vehementer calefacit, siccat, aperit, abstergit, & flatus dissipat.

*Serpillum*, quod juxta Gal. ita excalfacit, ut & menses & urinas moveat.

*Parietaria, vel Helxine*, cui vis leniter abstergendi, modicéque astringendi competit.

*Cuscuta*, vel Cassuta, quæ cum astrictione leni detergit & viscerum obstructiones aperit.

*Botrys*, quæ plurimum Orthopnææ succurrit, crassam pituitam incidendo & detergendo.

*Marrubium*, quod jecur & lienem ab obstructione liberat, simulque thoracem atque pulmones expurgat, ac menses promovet.

*Mentha*, quæ maximè stomachi frigidis atque flatuum affectibus succurrit.

*Sabina*, mensibus movendis fœtuique mortuo excutiendo pellendo serviens.

*Thymus*, vel Thymum, cujus calefaciendi siccandique virtus commendatur, undè contra fluxiones arthriticorum laudatur.

*Epithymus*, vel Epithymum, in Melancholicis & adustis humoribus digerendis conveniens.

*Majorana, vel Amaracus* frigidis capitis affectibus attenuando, digerendo & roborando conducens.

*Verbena*, capiti quoque singulariter dicata, dolores ejusdem discutiendo.

*Potentilla vel Anserina*, quæ facultate adstringendi dysenteriis & alvi fluxibus succurrit, & vulnerum atque ulcerum consolidationi servit.

*Equisetum*, in adstrictione similiter usurpandum.

*Morsus diaboli*, vel succisa, cujus radix inter alexipharmaca numeratur.

*Pilosella, vel auricula muris*, vulnerariis herbis annumeranda, quatenus siccat, refrigerat, adeoque adstringit ac glutinat.

*Ageratum*, quod digerit, incidit, obstructiones viscerum aperit & putredini resistit.

*Psyllium*, cujus semen usurpatur ad alvum emolliendum, mucilagine ex eodem factâ, quod tostum seu frixum dysenteriæ succurrit.

Cicer, cujus semina diureticis & melanagogis medicamentis frequenter adduntur.

Posterioris ordinis ac rarioris usus sunt herbæ sequentes:

Consolida regalis.
Digitalis.
Campanula.
Frumentum Sarracenicum.
Pomum Adami.

Flos Solis major.
minor.
Hydropiper.
Chrysanthemon.
Coluthea.
Eleoselinum.
Herba Konigundes, vel Eupatorium Avicennæ.
Pastinaca Sylvestris.
Alcea.
Ocymum.
Phaseolus.
Blitum variegatum.
Artiscoca.
Clematis urens.
Smilax lævis.
Gnaphalium.
Cruciata.
Aparine.
Lithospermon.
Meum.
Smyrnium.
Aconitum pardalianches.
Napellus.
Stramonia, vel nux metella.
Scrophularia fœm. Cam.
Persicaria maculosa.
Calamintha aq.
Potamogeton latifol.
angustifol.
Cicuta aquat.
Ascyrum.
Stœchas citrina.
Acanthus.
Cucurbita.
Cucumis.
Melones.
Matricaria fl. pleno.
Sisarum.
Eruca.
Eryngium cœruleum.
Oxys corniculata lutea.
Lathyrus sylv. purp. Dod.
luteus Thalii.
Sorgho.
Echium Ger. spinos. Fuchsii.
Bardana.
Flos Adonis.
Ægilops.
Anagallis cœrulea fœm.
Sferro cavallo Germ. Cam.
Cardiaca.
Anthyllis montana Lugd.
Apium mont. Dalichamp.
Aster conyzoides &c.

# SECTIO VI.

## *DE PLANTIS AUGUSTI ET SEQUENTIUM MENSIUM.*

## CAP. I.

### *DE CITRO.*

Græcis κίτρ☉, Medica arbor, quòd ex Media primùm ad nos adducta fuerit, Officinis Citrus, Germ. Citronenbaum. Vide *Matthiol. pag. 205. sub titulo V. Medica Malus.*

*Substantia* Citri occulta, satis admiranda, est alexipharmaca, quòd veneno animalium venenatorum, & pesti resistat.

*Temperamentum* est frigidum & siccum, sed pro diversitate partium in gradibus variat: Semen est frigidum & siccum in tertio ordine: Cortex Citri est siccus in secundo gradu; sed in caliditate & frigiditate temperatus: flores frigidi sunt & sicci in secundo: at caro frigida quidem in secundo gradu est, sed simul ad humiditatem quodammodo vergit. *Hinc vires ejus sunt respectu substantiæ*, morsui animalium venenatorum resistere, & à venenis aliis, quoque præservare, ubi in cibo & potu usurpatur. *A temperamento* 1. Semen Citri exiccat multùm & refrigerat; sed aliæ partes magis vel minus pro varietate temperamenti. 2. digerit, modicèque astringit. 3. bilem flavam atque atram temperat. Usus Citri est in floribus, in pomo, respectu corticis & carnis, & in semine.

### *REMEDIA.*

1. *Flores Citri conditi, jejuno stomacho sumpti, adolescentibus, inprimisque biliosis, in æstate saluberrimi sunt.*
2. *Iidem flores conditi à Melancholicis, vel aliàs tristitiâ affectis utiliter manè sumuntur.*
3. *Cortex citri si exiccatur, & tempore pestis in ore manducatur, à peste præservat.*
4. *Cortex Citri si decoquatur in aqua, & manè vesperique ebibatur, melancholicos humores temperat, & cor corroborat.*
5. *Idem cortex in vino, vel saltem in poculis, infusus non modo vinum gratius reddit, sed etiam contra venena præservat.*
6. *Decoctum corticis citri contra fœtidum anhelitum, & omnem gingivarum putredinem, prodest, si os eodem sæpiùs proluatur.*
7. *Caro Citri cruda non facilè concoquitur, sed saccharo condita ventriculo fit gratior, & contra illius ardorem optimum remedium est.*
8. *Conditum citri tempore pestis manè jejuno stomacho quotidiè utiliter usurpatur.*
9. *In febribus acutis idem conditum calorem febrilem*

*lem mitigat, sitim sedat, & cor corroborat, si quotidiè bis terve sumatur.*

10. *Diacytonium citreum mentem exhilarat, & cordi robur addit.*

11. *Idem post cibum sumptum Melancholiam non adeo fortem sanat.*

12. *Syrupus Acetositatis Citri contra tertianam febrem prodest.*

13. *Idem in febribus ardentibus sitim mitigat, & putredini resistit.*

14. *Idem contra syncopen in febribus pestilentialibus prodest.*

15. *Syrupus de corticibus Citri valet contra Melancholiam, sive solus lambatur uno & altero cochleari sæpiùs, sive etiam mixtus cum aqua Borrag. & Melissæ in formâ potionis, usurpetur.*

16. *Vinum Citri, (ubi scil. in lib. XXX. vini cortices de quatuor malis citreis infunduntur) quotidiè in potu sumptum, humores melancholicos temperat, & ad meliorem complexionem reducit.*

17. *Idem in potu eodem modo sumptum efficacissimum est præservativum à peste.*

18. *Semen Citri decoctum in aqua, manè & vesperi epotum, plurimùm facit in præservatione contra pestem.*

19. *Idem semen vel solum, vel cum aliis mixtum, & decoctum, humores melancholicos emendat, ubi quotidiè ebibitur.*

## CAPUT II.

### DE MALO PUNICA.

GRæcis ῥοιὰ, Latin. Arbor punica, Offic. Granata Germ. Granatbaum. Vide *Matthiol. pag.* 193.

Multarum est specierum, inter quas hodiè duæ sunt in usu, quarum una dulces, altera acidos fructus profert. *Substantia* hujus plantæ est alexipharmaca, ideoque contra omnis generis venena in cibis, vel alio modo usurpata, prodest. *Temperamentum* frigidum est & siccum, quod tamen variat pro differentia granatorum: acida magis talia sunt, dulcia minus, imò ferè temperata. Sic grana acidorum in tertio sicca sunt, succus verò minus. Dulcium grana sicca quidem manent, sed in frigiditate ita remittunt, ut teste Galeno, etiam calida quodammodo existant, ideoque amara. Succi temperamentum & carnis in acidis est frigidum & siccum in secundo gradu: sed in frigiditate & caliditate vel temperatum, vel saltem frigidum in principio primi gradus. Flores granatorum, Balaustia dicta, refrigerant & exiccant modicè. *Vires ratione substantiæ* sunt 1. resistere pesti, & pestilentialibus febribus: *ratione temperamenti*, aliæ acidorum, aliæ dulcium: *acidorum* 1. refrigerare & exiccare multùm: 2. astringere: 3. bilem temperare & sanguinem sistere, licet syrupus acidorum propter mixtionem cum saccharo minus astringat. *Vires dulcium*, 1. refrigerare parùm, & nonnihil exiccare: 2. digerere: 3. tussi prodesse, inprimisque respectu Syrupi. Usus ejus est & in floribus, qui in officinis Balaustia, & in pomis tàm acidis, quàm dulcibus, & respectu corticum, granorum, & succi.

### REMEDIA.

1. *Flores Balaustiorum exiccant gingivas putrescentes.*

2. *Iidem cum melle mixti sanant sanguinolentiam gingivarum, si die noctuque sæpiùs illinantur.*

3. *Iidem mixti cum melle despumato q. s. & aluminis parùm, vel quantum gustus linguæ ferre potest, eodem modo contra antedictos morbos & Scorbutum illinuntur.*

4. *Pulvis Balaustiorum ℥ß. mixtus cum pulvere Malvæ arborescentis ℥ij. Alumine ℈ß. & Melle despumato q. s. omnium efficacissimè tùm Scorbutum, tùm sanguinolentiam, tùm etiam exulcerationem gingivarum tollit, si diu noctuque frequenter illinatur.*

5. *Balaustia in gargarismis decocta prosunt contra uvulæ prolongationem.*

6. *Vinum Granatorum (intellige succum expressum) vel solum lambendo sumptum, vel mixtum cum aliis cordialibus, imprimisque Margaritis, cor corroborat.*

7. *Grana mali punici acidi, usurpata in febribus acutis, & sitim sedant, & febres tollunt.*

8. *Grana dulcium granatorum in pleurisi conveniunt.*

9. *Grana dulcium & acidorum in peste & pestilentialibus febribus vires confortant.*

10. *Eadem grana præsertim dulcium granatorum corroborant ventriculum.*

11. *Syrupus granatorum dulcium, si vel solus lambatur, vel misceatur cum aliis in potione, tussim & pleurisin sanat.*

12. *Syrupus granatorum acidorum sitim in febribus mitigat.*

13. *Syrupus granatorum acidorum febres biliosas tollit, ac pestilentialibus & putridis resistit, atque cordi robur addit.*

## CAPUT III.

### DE COTONEO.

GRæcis κυδώνιον, Cydonium vel Cotoneum, Germ. Quittenbaum. Vide *Matth. pag.* 202. *Cotonea malus.*

Sylvestris est arbor in quibusdam locis Austriæ, sed apud nos in hortis colitur. *Substantia ejus occulta* inprimis est alexipharmaca, imò Galenus carni Cydoniorum in corroborando ventriculo & epate aliquid peculiare tribuit, licet hoc ad qualitates manifestas referri queat. *Temperamentum* est frigidum in primo, & siccum in secundo gradu, quod tamen in conditis addito saccharo magis temperatur. *Vires ejus respectu substantiæ* sunt: 1. resistere veneno. 2. corroborare ventriculum & hepar. *Respectu temperamenti*: 1. refrigerare & exiccare. 2. astringere: 3. sistere fluxionem alvi, profluvium mensium, fluxum album mulierum & ex aliis partibus omnibus maximè

diacytonium simplex, & decoctum cydoniorum siccorum. Usus est in carne, in succo & in semine, & in floribus.

## REMEDIA.

1. *Cydonia sicca, si comedantur sæpiùs, dysenteriam, & omnes fluxiones alvi sanant.*

2. *Cydonia recentia idem faciunt, sed paulò minus.*

3. *Cydonia sicca cum pomis siccis mixta & cocta, si comedantur, modicè astringunt, & ventriculum, hepar, & cor corroborant.*

4. *Cydonia sicca in aqua decocta constituunt potionem contra dysenteriam & fluxiones mensium.*

5. *Mucilago sem. Cydoniorum illita ambustas partes corporis sanat, & dolores lenit.*

6. *Decoctum cum Acacia multò magis astringit, & contra dysenteriam & fluxionem mensium prodest.*

7. *Semen Cydoniorum decoctum cum hordeo tosto, & in clysteribus adhibitum, dysenteriam, & intestina erosa à dysenteria, sanat.*

8. *Vinum Cydoniorum, scil. succus expressus, in pestilentialibus febribus cum fluxione alvi efficacissimum est, si sæpè bibatur.*

9. *Idem quotidiè contra pestem, semel aut bis efficacissimè bibitur.*

10. *Flores Cydoniorum, Balaustiorum, & Rosarum rubearum mixti cum Acacia, in Emplastri formâ ventri circa umbilicum impositi, dysenteriam sanant, & fluxum album mulieribus sistunt.*

11. *Vinum Cydoniorum in fluxu muliebri & dysenteria efficax est remedium, si sæpiùs ebibatur.*

12. *Flores Cydoniorum exiccati, & mixti cum aliis astringentibus in Emplastris, conveniunt inflammationibus ex fluxu materiæ factis.*

13. *Diacytonium simplex (succus cum saccharo inspissatus) antè cibum usurpatum sæpiùs, diarrhæam & dysenteriam sanat.*

14. *Diacytonium simplex exiccatum, cum pulvere Tormentillæ, Acetosæ & aliis, mixtum, & in pulveris formâ cum aquâ foliorum quercuum epotum, adhuc commodius dysenteriam sanat, & tormenta ventris lenit.*

15. *Diacytonium simplex post cibum sumptum vomitum sedat.*

16. *Diacytonium compositum Nicolai corroborat ventriculum, præsertim nimis refrigeratum, & flatus quoque discutit.*

17. *Idem matrici lubricæ & sterilitati humidæ prodest.*

18. *Diacytonium Galeni optimè prodest visceribus, tùm antè prandium & cœnam. 2. horis, tùm etiam post usurpatum: diversum tamen pro diversitate naturarum præscribitur.*

*Pro hominibus temperatis.* ℞. *Carnis Cydoniorum, Mellis an. lib. ij. ℥iij. coq. lentè, & despumetur, donec fiat Diacytonium.*

*Pro hominibus pituosis & frigidis* ℞. *Carnis Cydonior. lib. iij. sacch. tantundem. aceti, lib ij. ℥iij. coq. & despumetur l. a. post adde Zingib. ℥iij. Piperis ℥ij. vel paulò minus, Misce, fiat diacytonium.*

*Pro biliosis optimum est, ubi aromata omittuntur.*

*Pro sanguineis.* ℞. *Carnis Cydoniorum lib. iij. Sacchari tantundem. Aceti lib. ij. ℥iij. coq. & despumetur, post adde Piperis ℥j. Zingib. ℥jß.*

*Pro Melancholicis eodem modo paratur, nisi quod recipiantur Zing. ℥iij. & Piperis albi ℥ij.*

19. *Cydonia condita si comedantur manè, vel etiam aliàs interdiu sæpiùs, fluxum alvi & vomitum sedant.*

20. *Miva Cydoniorum cum potione purgante permista præservat à vomitu, ne statim rejiciatur.*

21. *Cortices Cydoniorum decocti in aqua cum semine Sumach & radice Tormentillæ, ac in fomentatione adhibiti, procidentiam cervicis uteri corrigunt.*

## CAPUT IV.

### DE JUGLANDE.

Κάρυον βασιλικόν, Nux Juglans, Nux Basilica, Welscher Nußbaum. Vide *Matth. p.* 223. *sub nomine I. Nux Juglans.*

Arbor est notissima, quæ in Sabaudia, tractu Rhenano, aliisque locis sylvestris est, sed apud nos in hortis alitur. *Substantia* occulta est alexipharmaca, tùm contra pestem, tùm etiam contra venenatos cibos, ut non modò *Dioscorides*, *Galenus*, *Plinius*, *Mithridates*, sed etiam communis experientia recentiorum testatur, quæ vis potissimùm nucleis nucum, tùm etiam aquæ destillatæ foliorum tribuitur: imò & aliqua ex parte etiam foliis, ubi venenatis animalium morsibus applicantur. *Manifesta Substantia* est diversa in diversis partibus: in putamine & foliis terrea & astringens: in nucibus recentibus aquea & ἄποια: in siccis & veteribus tenuium partium, & oleosa. *Temperamentum* quoque variat pro diversitate partium: nuces sunt in 1. ordine siccæ, & in 2. calidæ, quod tamen minus procedit in viribus. Putamen siccum in 2. & frigidum in 1. gradu habetur. Vires ejus sunt *ratione substantiæ* resistere pestilentiali veneno & pesti. *Ratione Temperamenti*: 1. exiccare magis respectu putaminis, quàm nucis, & calefacere quodammodo respectu nuclei: 2. astringere, sed magis quoad putamen: 3. vulnera oris consolidare. Usus ejus est in foliis & in fructu, qui & integer usurpatur, unà cum putamine nondum obdurato pro conditis nucibus, vel respectu suarum partium, utpotè putaminis & nuclei.

## REMEDIA.

1. *Nuces recentes cum Sale & Ruta, si comedantur, vel tempore pestis, vel aliàs ante cibum, à veneno præservant.*

2. *Eædem cum caricis, foliis Rutæ, & sale mixta in formâ electuarii, magis adhuc contra pestem prosunt.*

3. *Expertissimum est remedium contra pestem in præservatione, ubi eædem eodem modo, additis granis Juniperi, inciduntur minutissimè, & 24. horis in aceto infunduntur, ac postea singulis diebus manè quantitate semicochlearis usurpantur.*

4. *Aqua*

4. *Aqua nucis Juglandis, si sæpius ebibatur, secretum est contra pestem.*

5. *Nuces integræ conditæ contra venena & pestem quotidiè utiliter comeduntur.*

6. *Eædem in exulceratis faucibus, vel etiam intestinis à dysenteria, conferunt.*

7. *Eædem cum aromatibus conditæ, ventriculo & hepati simul prosunt.*

8. *Rob nucum solum, si illinatur albis ulcusculis linguæ & palati, optimè eadem sanat.*

9. *Idem cum aqua plantaginis dilutum, & in ore diutius detentum, fluxum salsum oris temperat.*

10. *Idem cum aqua Prunellæ mixtum, oris fissuras, & vulnera oris atque palati, si calidè usurpetur, sanat.*

11. *Idem cum Aqua Prunellæ & Diamoron in forma gargarismi mixtum contra aphthas nigras & albas prodest.*

## CAPUT V.

### DE QUERCU.

Δρῦς, Quercus, Eichenbaum. Vid e *Matthiol. p. 179. sub nomine II. Quercus.*

*Substantia* hujus occulta quodammodo est alexipharmaca, manifesta terrea est & crassarum partium. *Temperamentum* frigidum in 1. & siccum in 2. est, maximè autem respectu cupularum glandium & gallarum, quibus meritò temperamentum frigidum in 2. & siccum in 3. ordine adscribitur. Vires ratione substantiæ sunt resistere quodammodo pestilentiali aëri. *Respectu temperamenti* 1. refrigerat & exiccat multum, maximè quoad cupulas glandium & gallas: 2. valdè astringit: 3. menses cohibet & profluvium alvi sistit. Usus ejus est, & in asparagis, & in foliis, & in glande, & in glandis cupula, & in galla.

### REMEDIA.

1. *Folia exiccata & tempore pestis accensa suo fumo pestilentem aërem quodammodo temperant.*

2. *Asparagi quercuum cocti cum jusculo carnis bovinæ aut gallinarum, fluxiones alvi ferè insanabiles sanant.*

3. *Iidem in aqua vel vino albo decocti, & epoti, fluxum album muliebrem sistunt.*

4. *Iidem cum saccharo pro conserva præparati contra ardorem gulæ præsens remedium constituunt.*

5. *Iidem eodem modo usurpati diarrhæas & dysenterias sanant.*

6. *Aqua foliorum quercuum, si sæpè bibatur, sola dysenteriam sanat.*

7. *Eodem modo usurpata fluxum hepaticum sistit.*

8. *Eadem aqua tribus vel pluribus diebus ante fluxum mensium commodè ebibitur ab iis mulieribus, quæ sunt obnoxiæ fluori albo.*

9. *Aquæ foliorum quercuum ℥iij. cum syrupo de Myrto ℥jß. efficax est potio astringens in omnibus fluxionibus.*

10. *Aqua foliorum ℥iiij. mixta cum ℥jß. aquæ Pimpinellæ, immodicum profluvium mulierum sanat.*

11. *Aq. foliorum quercuum cum aqua Plantaginis mixta phlegmonas incipientes sanat.*

12. *Aqua foliorum quercuum cum aqua Plantaginis, Veronicæ, & Millefolii mixta, & epithematis more imposita, dolores podagricos ex causa calidâ in initio lenit, & repercutiendo majorem fluxionem sanat.*

13. *Sanguinem expuentibus aqua foliorum quercuum vel sola, vel cum aqua scabiosæ & Rosarum mixta, & epota interdiu sæpius, valdè prodest.*

14. *Aqua foliorum quercuum mixta cum aq. Plantaginis, Rosarum, & minimâ parte aceti, dolorem capitis, fronti epithematis more imposita, & in febribus ardentibus lenit, & vapores ascendentes ad caput reprimit.*

15. *Epithema ex aqua foliorum quercuum, Acetosæ, & Plantaginis cum aceto rosaceo & speciebus Diatrionsantalon mixtum, & dextro hypochondrio impositum, fluxum sanguinis per nares sedat.*

16. *Glandes quercuum crudæ ventriculo nocent, sed tostæ facilioris sunt concoctionis & omnes fluxiones, præsertim alvi, sistunt.*

17. *Pulvis cupularum glandium siccarum cum assa Tormentillæ sumptus immodicam purgationem sistit.*

18. *Gallæ quercuum immaturæ cum semine Sumach & foliorum Rubi decoctæ, & in fomentatione imi ventris adhibitæ à mulieribus ante introitum lecti, laxiores & humidiores matrices sanant, & sterilitatem ex eâdem causa tollunt.*

19. *Insessus vel balneum ex decocto gallarum procidentiam ani sanat.*

20. *Galla, aspera magis quàm plana & lævis, exteriùs adhibita, matrices exiccat, & procidentiam corrigit.*

21. *Decoctum gallarum cum linteo duplici adhibitum, hæmorrhoides immodicè fluentes astringit & sedat.*

22. *Atramentum ex decocto gallarum eodem modo adhibitum idem præstat.*

23. *Conserva, quæ fit ex asparagis in immodicis mensibus profluentibus præsentissimum est auxilium.*

## CAPUT IX.

### DE EUPHRASIA.

Εὐφροσύνη Græcis hanc herbam dictam fuisse Fuchsius augurat. Lat. & Offic. Euphrasia dicitur, Germ. Augentrost. Vide *Matth. p. 7. 721. sub Titulo IX. Euphrasia.*

*Substantia* hujus *occulta* est, quòd oculis præ aliis omnibus medicamentis maximè prosit. Hinc *Arnoldus* eam tantoperè commendat ab experientia, proptereà, quòd quidam per integrum annum cæci, ejus usu restituti fuerint. Idem addit: supersunt testes fide digni, qui comederunt cum vitellis ovorum pulverem, & non poterant legere sine ocularis, & postea legerunt absque istis, literam etiam subtiliorem. *Manifesta substan-*

tia

*tia* tenuis est. *Temperamentum* est calidum & siccum in 2. gradu. *Vires ratione substantiæ* sunt: 1. oculos corroborare: 2. quidam addunt: quòd etiam memoriæ prosit; quod tamen ratione siccitatis à manifestâ qualitate fieri videtur. *Ratione Temperamenti* 1. calefacit & exiccat multum: 2. attenuat crassa & pituitam incidit. 3. spiritus subtiliores reddit, imprimisque cerebri & oculorum. Usus ejus est in floribus, & in totâ herba.

*REMEDIA.*

1. *Euphrasia infusa in cerevisia, & quotidiè epota oculos corroborat, melioresque spiritus animales gignit.*
2. *In vino eodem modo usurpata magis oculis prodest, nisi totum caput antea nimis calefactum & inflammatum sit.*
3. *Pulvis Euphrasiæ in vino epotus idem facit, qui etiam memoriam corroborat, quando ex humiditate nimia imbecillior est.*
4. *Cum vitellis ovorum si comedatur & oculos & memoriam corroborat.*
5. *Cum vitellis ovorum & cum vino suffusioni oculorum medetur.*
6. *Vinum Euphrasiæ maximè visum corroborat.*
7. *Idem si calidius pro alicujus complexione videatur, aqua Endiviæ & Acetosæ temperatur.*
8. *Aqua Euphrasiæ sola utiliter bibitur contra ophthalmias & suffusiones.*
9. *In potionibus cum Syrupo de stœchade, aut etiam cum aquis convenientibus mixta idem præstat.*
10. *Sola aqua optimum constituit collyrium in eodem casu.*
11. *Mixta cum aq. Ros. & Fœn. efficacius collyrium in ophthalmia redditur.*
12. *Sola, vel mixta, cum aliis, & epota memoriam corroborat.*

## CAPUT VII.

### DE MELISSA.

Μελισσόφυλλον, Melissa Lat. & Offic. Germ. Melissen. Vide *Matth. p.* 602. *sub nomine I. Apiastrum Melissa.*

Duplex autem habetur, una adulterina, quæ cimices olet, & vulgò sed falsò Melissa dicitur; altera quodammodo Citrum refert odore, & in hortis nascitur, estque vel communis, quæ in Officinis usurpatur, de qua etiam hoc capite agemus; vel Turcica sive Moldavica, quæ rarior est. *Substantia* Melissæ *occulta* est, quòd sit cordialis, unde flos ejus floribus cordialibus annumeratur; *manifesta* est tenuium partium. *Temperamentum* calidum est & siccum in secundo ordine. *Vires ratione substantiæ* sunt: 1. corroborare cor: 2. matricem, cerebrum & nervos. *Ratione Temperamenti* 1. calefacit & exiccat multum: 2. attenuat & incidit crassa. 3. menses movet. Usurpatur quoad flores, & folia, seu herbam totam.

*REMEDIA.*

1. *Conserva Melissæ manè sumpta confortat cor, cerebrum, & memoriam.*
2. *Eadem mulieribus frigidis & humidis, mensiumque obstructione laborantibus valdè prodest.*
3. *Eadem vel sola, vel cum Conserva Betonicæ, Borraginis, & speciebus Diamoschu dulcis mixta, robur Arthriticis addit.*
4. *Eadem vel sola, vel cum Conserva Borrag. mixta, Melancholicis convenit.*
5. *Aqua Melissæ magno cum fructu ad vitia frigida & humida matricis & cerebri bibitur.*
6. *Eadem sæpiùs epota menses aperit sensim.*
7. *Mixta cum aqua Rosmarini vel Pimpinellæ, vehementiùs aperit.*
8. *Eadem cum aqua Pulegij mixta idem præstat, & à partu non purgatis mulieribus commodissimè bibenda datur.*
9. *Eadem cum aqua Borrag. vel Fumiterræ sanguinem mundificat & adustos humores temperat.*
10. *Vel sola, vel cum aq. Borrag. temperat Melancholicos humores.*
11. *Herba Melissæ decocta in aqua, & percolata, bibitur contra obstructiones mensium, & contra uteri inflammationes inde ortas.*
12. *Herba Melissæ in potu usurpatur recens, cor & cerebrum corroborat, & per consequens lætitiam auget.*
13. *Herba decocta, & imposita imo ventri, vel saltem ejus fumus ex fomentatione admissus, matricem frigidam & humidam calefacit & exiccat.*

## CAPUT VIII.

### DE VERBASCO.

Φλόμος, Thapsus Barbatus. Offic. Verbascum, aliis Candela regia & Lanaria, Germ. Wullkraut / Himmelbrandt. Vide *Matth. p.* 801. *I. Verbascum.*

*Substantia* hujus plantæ est crassarum partium. *Temperamentum* est calidum in 1. & siccum in 2. gradu. *Vires* ejus sunt: 1. calefacere parum; & exiccare magis: 2. digerere & abstergere, cum parvâ quâdam astrictione: 3. aliquantulum fluxiones sedare. Usus est in floribus & foliis Verbasci.

*REMEDIA.*

1. *Flores Verbasci recentes umbilico impositi colicos dolores sanant.*
2. *Sicci & calefacti eodem modo usurpati magis colicos dolores sedare videntur.*
3. *In enemate decocti nephriticis & colicis affectibus prosunt.*
4. *Decocti vel soli, vel cum floribus Farfaræ, tussi medentur.*
5. *In Lixivio infusi capillos capitis quodammodo tingunt colore flavo.*

6. Fo-

6. *Folia decocta in aqua, & per fomentationem adhibita, contra sedis exitum valent.*

7. *Decocta cum Ruta in aqua ad tussim antiquam bibuntur.*

8. *Cum Bismalva & Parietaria cocta ac pectori imposita tùm punctiones pleuriticas leniunt, tùm etiam pleurisin digerunt, & faciliorem ad tussim reddunt.*

9. *Verbascum decoctum in aqua vel solum, vel cum aliis pectoralibus emollientibus, pulmonis apostemata emollit, & ad rupturam incitat, si sæpiùs eum spongiâ madefacta imponatur.*

## CAP. IX.

### DE RAPO.

Γογγύλι, Rapa, vel Rapum. Germ. Rüben. Vide *Matthiol. pag. 346. I. Rapum rotundum.*

Variant hujus plantæ species pro diversitate natalis loci: hinc Rapum aliud sylvestre, aliud sativum. Hoc rursus vel parvum, vel magnum. Parvum Rapum tùm densius, tùm etiam acrius est: magnum duplex est, album & luteum. *Substantia* Raparum occulta est varia, quia non tantùm nutrit & semen auget, sed etiam veneno resistit, maximè respectu seminis. *Manifesta* in diversis partibus diversa est: ita substantia radicis est crassarum partium; contra seminis tenuis est. *Temperamentum* radicis est calidum in 2. & humidum in primo gradu: at semen calidum & siccum est in initio tertii gradûs. *Vires ratione substantiæ* sunt 1. nutrire: 2. semen augere. 3. veneno resistere, inprimisque quoad semen. *Ratione manifestæ substantiæ* difficilis est concoctionis, magis tamen alba, quàm lutea. *Quoad radicem*: 1. calefacit & humectat parùm: 2. incrassat, abstergit & emollit: 3. flatus gignit. *Quoad semen*: 1. calefacit & exiccat. 2. attenuat: 3. aperit obstructiones, movet & expellit variolas ac morbillos. Usurpatur radix & semen.

### REMEDIA.

1. *Semen Raparum epotum cum calida cerevisia, vel etiam cum vino rubro calida, movet morbillos & variolas, sed maximè circa faciem erumpunt.*

2. *Decoctum sem. in aqua, vel solùm, vel quod melius, cum refrigerantibus & aliis aperientibu. epotum, manè & vesperi morbillos & variolas tutius movet, & rectius expellit.*

3. *Pulvis seminis ℥ß. cum Terrâ Lemnia verâ ℥ß. in vino sumptus pestilentialibus febribus, & omni veneno resistit.*

4. *Decoctum in aqua cum radice Pimpinellæ, manè & vesperi epotum menses movet.*

5. *Magnâ copiâ sumptum à naturis frigidis venerem extimulat.*

6. *Mixtum cum pulvere Lapidis Judaici, efficacissimè calculum movet & expellit, tùm Renum, tùm Vesicæ.*

3. *Radix Rapi sale condita, si comedatur manè ac vesperi antè ingressum lecti, Venerem excitat.*

8. *Eodem modo usurpata venenis resistit, sed stomacho imbecilli nocet.*

9. *Radex Rapi major tosta & contusa succum emittit, qui commistus cum sevo bovino sanat membra à frigore læsa.*

10. *Radix Rapi exiccata & decocta tussi medetur.*

11. *Eadem eodem modo usurpata inflammationibus faucium prodest.*

12. *Eodem modo cum saccharo vel melle condita magis adhuc tussi & pectoralibus morbis medetur.*

13. *Succus Rapi majoris tosti dolores podagricos ex inflammatione quodammodo lenit & mitigat.*

14. *Herba Raparum cum Petroselino & Bismalvæ cocta, & imposita pubi, calculi dolores lenit, & calculum ad expulsionem præparat.*

15. *Balneum ex foliis Raparum vel solum vel mixtum cum parietaria, Petroselino & Malva, calculum mitigat, emollit & expellit.*

## CAPUT VII.

### DE RAPHANO.

Ῥάφανις καὶ ῥάφανος Græcis, Raphanus Latinis; Rettich Germanis. Vide *Matth. p. 349. I. Raphanus.*

Duplex est sylvestris, qui inusitatus, & sativus modò oblongus, modò rotundus, qui usum suum in Medicina obtinet. *Substantia* Raphani occulta est, quòd veneno resistat, & alexipharmaca sit: manifesta tenuium est partium, inprimis respectu seminis. *Temperamentum* calidum est in 3. & siccum in 2. gradu. *Vires ratione substantiæ* sunt 1. resistere veneno & venenatis animalium morsibus. 2. seminis respectu febribus pestilentialibus conferre. *Vires ratione temperamenti*, 1. calefacere & exiccare multùm: 2. attenuare, & incidere crassa, atque simul digerere. Usurpatur autem Raphanus in semine, & radice.

### REMEDIA.

1. *Semen Raphani decoctum & epotum, vel solum vel cum Theriaca, sudorem movet, & venena pellit.*

2. *Cum semine Melonum, & floribus Calendulæ ac radice Liquiritiæ, decoctum, & quotidiè bis epotum, tutò & efficaciter morbillos & variolas expellit.*

3. *Decoctum in aqua, & manè, vesperique epotum idem præstat.*

4. *Idem semen cum semine Petroselini & Lapide Judaico pulverisatum, & ante balneum epotum, calculum movet & expellit.*

5. *Eodem modo usurpatum in summâ anxietate calculi, & à dolore, & à calculo liberat.*

6. *Radix Raphani, post cibum comesta, digestionem & distributionem cibi adjuvat.*

7. *Sumpta radix ante cibum, vomitum movet.*

8. *Cortex Raphani radicis decoctus in aqua, & mixtus cum oxymelite, in formâ potionis ante cibum sumptus tepidè, vomitum movet.*

9. *Radix Raphani recens illita contra venena prodest.*

10. *Contusa cum Allio, & illita vulneribus ex morsu serpentum, medetur.*

11. *Eadem cum aceto illita gangrænis convenit.*

12. *Aqua, vel succus potius radicis extractus cum sale, auribus instillatus, surditatem minuit ac tollit.*

13. *Aqua Raphani destillata calculum movet & expellit.*

14. *Laborantibus variolis, vel sola, vel mixta cum aperientibus & refrigerantibus utiliter bibenda datur.*

15. *Aqua Raphani singulis diebus bis ad ℥vj. epota contumacem Icterum sanat.*

## CAPUT XI.

### DE SAMBUCO ET EBULO.

GRæcis ἀκτῆ, Sambucus arborescens, Germ. Holderbaum / Χαμαιακτῆ Ebulus Germ. Attich / Vide *Matthiol. pag.* 873. & 874.

Frutex est duarum specierum, sed unius naturæ & earundem facultatum. *Substantia* utrique eadem est occulta, quod purgat bilem & pituitam, maximè verò serosos humores. *Manifesta* accedit quodammodo ad tenuem substantiam. *Temperamentum* Sambuci & Ebuli idem est, nimirum calidum in primo, & siccum in secundo gradu. *Vires ratione substantiæ* sunt: 1. purgare serosos bilem & pituitam: 2. purgare serosos humores & aquam hydropicorum: 3. ventriculo quodammodo adversari. *Ratione temperamenti* 1. calefacit & exsiccat multùm: 2. digerit & conglutinat: 3. menses movet. Usus ejus est in floribus, in baccis, in foliis, in cortice, in radice, & in spongiis adnatis.

### REMEDIA.

1. *Conserva florum Sambuci, si manè sola, vel cum aliis mixta, comedatur, podagricis prodest.*

2. *Eodem modo usurpata Paralyticis & Spasmo affectis prodest.*

3. *Utilis quoque est mulieribus retentione mensium laborantibus.*

4. *Aqua Sambuci exteriùs usurpata fronti cum duplici linteo, dolorem capitis sedat.*

5. *Aqua Samb. à mulieribus ad menses movendos utiliter bibitur*

6. *Manè & vesperi epota Podagricis convenit.*

7. *Rob. Sambuci manè sumptum cochl. quantitate vel solum, vel cum vino humores noxios podagricorum consumit, & vel per sudorem, vel saltem per insensibilem transpirationem resolvit.*

8. *Cortex medius Sambuci contritus, & cum vino epotus, ubi alia medicamenta desunt, & vires ventriculi ferunt, tùm bilem, tùm pituitam, tùm omnium maximè serosos humores purgat.*

9. *Eodem modo usurpatus hydropicos sanat, & ab aqua intercutem liberat.*

10. *Baccæ Sambuci contritæ, & cataplasmatis more impositæ articulis affectis ex Arthritide, dolorem mitigant & morbum tollunt.*

11. *Recens baccarum succus cum farina secalina subactus panem constituit, cujus pulvis præsens est remedium in dysenteria.*

12. *Folia Ebuli vel sola, vel cum radice decocta in aqua, aut etiam in vino, & usurpata in fomentatione, pedum tumorem tollunt.*

13. *Folia Ebuli cocta cum radice constituunt optimum balneum Hydropicorum.*

14. *Folia & radices Ebuli decocta & imposita pubi, matricem humidam corroborant.*

15. *Eadem ad pessaria utiliter usurpantur.*

16. *Folia Sambuci, vel etiam medius cortex contritus cum vitellis ovorum, & impositus hæmorrhoidibus cæcis, inflammationes ipsarum sanant.*

17. *Folia Sambuci exteriùs imposita vulnera sanant.*

18. *Spongia Sambuci infusa in cerevisia, vel in vino quod melius est, & in quotidiano potu usurpata, hydropem tollit.*

19. *Spongia Sambuci cum purgantibus aliis, scilicet Rhabarbaro, & similibus infusa, aquam hydropicorum utiliter evacuat.*

## CAPUT XII.

### DE CARDUO BENEDICTO.

CArduus benedictus. Germ. Cardobenedicten / Edeldistel. Vide *Matthiol. pag.* 594.

Planta satis nota, cujus duæ sunt species: una magis aculeata, & in altum assurgens, rarior; & in Officinis inusitata: altera minus aculeata & humilior, non tantùm apud Medicos doctos, sed etiam in domesticis remediis usitatissima, quam hîc intelligimus. *Substantia* Carduibenedicti occulta duplex invenitur, nimirum alexipharmaca, & quòd contra Epilepsiam prosit. *Manifesta substantia* terrea est, à calore quodammodo attenuata. *Temperamentum* calidum est in primo, & siccum in secundo gradu. *Vires ratione substantiæ* sunt: 1. resistere pesti: 2. scorpionum & serpentum morsibus conferre: 3. quartanæ febri diuturnæ, quæ apud multos eruditos suspicione veneni non caret, succurrere: 4. febribus pestilentialibus prodesse: 5. Epilepsiam sanare: *Ratione temperamenti*: 1. calefacere parùm & exiccare multùm: 2. digerere modicè & pituitam crassam incidere, atque flatus discutere: 3. aperire obstructiones & urinam movere. Usus Carduibenedicti est in semine, & in herba.

### REMEDIA.

1. *Pulvis Carduibened. sumptus q. ʒj. cum vino, peste infectis convenit.*

2. *Idem pulvis eodem modo usurpatus contra lateris punctiones prodest.*

3. *Idem obstructiones epatis & lienis aperit.*

4. *Idem cum cibo vel potu sumptus à venenis præservat.*

5. Idem

5. *Idem ℥ß. cum. aq. Tiliæ infantibus commodè datur contra Epilepsiam.*
6. *Idem inspersus contra putrida ulcera, inprimis mamillarum, efficax.*
7. *Carduibenedicti decoctum manè & vesperi epotum contra Epilepsiam & Apoplexiam prodest.*
8. *Syrupus de Card. bened. 2. vel 3. cochl. aliquoties sumptus, Epilepsiam adhuc efficacius mitigat, ac tollit.*
9. *Cum aqua Tiliæ & Cerasorum mixtus in forma potionis, Epilepsiam sanat, si manè & vesperi usurpetur.*
10. *Carduibenedicti decoctum contra Quartanaꝗ utiliter bibitur, sive solum, sive mixtum cum aliis appropriatis.*
11. *Aqua Card. bened. m. & v. epota Ictericis convenit.*
12. *Pulvis Card. benedict. ʒj. in vino Quartanariis prodest.*
13. *Card. ben. aqua m. & v. usurpata Asthmaticis auxilio est.*
14. *Contra obstructiones epatis utiliter quoque bibitur.*
15. *Card. ben. Cerevisia ad eadem, ad quæ aqua, valet, licet paulò inefficacior sit.*
16. *Vinum Card. ben. efficacius, quàm cerevisia, contra eadem valet, exceptâ Epilepsiâ.*
17. *Vinum Card. ben. optimum est remedium quotidiè epotum contra vermes.*
18. *Idem mulieribus contra obstructionem mensium auxilio est.*
19. *Card. ben. decoctum, aqua destillata & vinum urinam quodammodo movent.*
20. *Card. ben. decoctum dolorem hypochondriacum & lumborum, dorsique mitigat.*
21. *Semen Card. ben. epotum cum vino contra punctiones lateris ex obstructione hepatis valet.*
22. *Idem semen, ut & herbæ pulvis, cum vino epotus, sudorem movet, quod efficacius præstat extractum.*
23. *Decoctum seminis & herbæ epotum contra memoriam amissam valet.*

## CAPUT XIII.

### *DE VITE VINIFERA.*

Ἄμπελος οἰνοφόρος, Lat. Vitis vinifera Germ. Weinstock oder Weinreben. Vide *Matthiol. p. 902.*

Dicitur vitis à vino, vel secundùm Varronem, quòd invitet quemlibet ad uvas percipiendas, estque frutex maximè nobilis, cujus usus laudatissimus in multis existit partibus, nimirum in foliis tàm recentibus, quàm exiccatis, in uvis tàm recentibus maturis & immaturis, quàm exiccatis, utpotè uvis passis, quæ vel sunt cybebæ, vel passulæ majores, vel passulæ minores: in succo cocto, undè sapa vini, ut & Rob vini, & non cocto, qui vel est vinum recens mustum, vel vinum defæcatum, vel acetum, quod fit ex vino partialiter putrefacto: & tandem in radice. Jam pro diversitate harum partium tàm respectu substantiæ, quàm pro ratione temperamentorum diversæ nascuntur vires, ex quibus varia & multiplicia remedia deducuntur, de quibus hîc nihil ulterius addimus, propterea, quòd ea omnia sufficienter in libello Autoris de Vite Vinifera sub finem annexo sint declarata, ad quod opusculum Lectorem remittimus.

## CAPUT. XIV.

### *DE RELIQUIS PLANTIS AUGUSTI ET SUBSEQUENTIUM MENSIUM.*

ITa sese habent plantæ selectæ, quarum usus frequens est in pluribus partibus: sunt autem præter dictas adhuc aliæ, quæ circa idem tempus inveniuntur, quarum plurimæ selectæ quidem jure dicuntur, respectu partis cujusdam, quatenus vel tantùm in herba, vel tantùm in radice, vel tantùm in semine, vel tantùm in fructu usurpantur: aliæ sunt rarioris usûs in officinis, quarum tamen cognitio Medicis & rei botanicæ studiosis ornamentum addit. In priori classe continentur.

*Halicacabum, Solanum vesicarum*, cujus folliculi vesicam inflatam referunt, ejusque fructus Alkekengi vesicæ malis ex calculo succurrit.

*Tribulus aquaticus*, cujus fructus refrigerantis & inspissantis naturæ dicitur Dioscoridi.

*Cucumis asininus*, cujus radix contusa capiti dolenti commodùm exteriùs succurrit, ejusque succo Elaterium dictum conficitur.

*Ammi*, cujus semen officinis in usu est.

*Hordeum*, cujus usus in non excorticato, tosto, excorticato multiplex est.

*Anisum*, cujus seminis usus frequens est in flatibus discutiendis.

*Prunus sylvestris*, cujus flores vino infunduntur ad alvi laxationem, fructus autem adstrictoriâ qualitate succurrunt.

*Mespila*, suâ adstrictoriâ vi fluxibus alvi convenientia.

*Amygdalæ* dulces & amaræ.

*Ficus, vel Carycæ*, detergendi & emolliendi vi præditæ.

*Poma.*

*Pyra.*

*Cnicus, vel Carthamus*, cujus semen serosos humores evacuat.

*Crocus Autumnalis.*

*Vincetoxicum, vel Asclepias*, cujus radix postea declaratur.

*Gratiola*, cujus herba serosos humores ducit.

*Anagallis aquatica*, cujus succus Scorbuticis utilis est.

*Pimpinella saxifragia, vel sanguisorba*, cujus vis adstrictoria vulneribus, & alvi fluxibus convenit.

*Ulmaria, seu Regina prati, vel barba capræ*, cujus radix etiam adstringit interiùs & exteriùs.

*Polypodium*, de cujus radice postea.

In posteriori ordine sese offerunt.

Sisymbrium.

 Tri-

Trifolium vulgare album.
rubrum.
Allium foliis narcissinis majus.
minus.
Verbascum nigrum.
Ricinus.
Lathyris.
Digitalis rubra.
Momordica.
Erica.
Filix mas & fœm.
Sonchus sylvaticus Thalii.
Lampsana Lobel.
Rhamnus catarcticus baccis onustus, seu spina cervina.
Osyris.
Hieracii species.
Solanum nigrum.
Atriplex olida pusilla hircina Lob.
Convolvulus major.
Herniaria.
Peucedanum.
Typha florens.
Millefolium cornutum aquat. Cas. Bauh.
Millefolium pennatum aq. Spicatum.
Pneumonanthe fl.
Gentionellæ Autumnales.
Calamenthum mont.
Colchicum florens.
Hedera baccifera.
Brassica, cujus laudes decantatas vide apud Guarinonium.
Virga aurea.
Bonus Henricus.
Peucedanum.
Clinopodium.
After atticus cœruleus.
Carlina, seu Carduus syl. Cam.
Caryophyllus syl.
Prunella grandiflora.
Narcissus Autumnalis.
Solanum tuberosum.
Melissa Molucca.
Mala insana.
Musci variæ species.
Cyclaminus, &c.

Hisce librum primum concludimus, & consequenter ad librum secundum nos convertimus, ut appareat quomodo quorundam selectarum plantarum radices potissimùm in usum Medicum veniant.

## LIBER SECUNDUS.

### *DE SELECTIS RADICIBUS.*

QUemadmodum hactenus plantas selectas respectu plurimarum partium, tàm ratione nominis & specierum, quàm ratione substantiæ, temperamenti, virium, usus, diversorumque remediorum consideravimus: ita jam ad radices selectas eâdem methodo progredimur. Cùm verò colligendarum radicum respectu temporis non sit eadem ratio cum plantis, idcircò in hoc libro tantùm alphabetarium ordinem observare conabimur.

## CAPUT I.

### *DE ACORO.*

Ἄκορος καὶ ἄκορον Græcis, & inprimis Dioscoridi, Officinis & vulgò *Calamus aromaticus*, Germ. Calmusz/ alibi, ut in Silesia & Austria, Brustwurtz/ dicitur. Vide *figuram apud Matthiol. pag.* 21. *sub nomine Acorum cum Julo.*

Plurimùm differt ab Acoro nostro, de quo sequenti capite agemus: Nec etiam est Calamus odoratus fistularis, de quo vide *Matthiol. lib.* 1. *in Dioscor. c.* 17. *Substantia* hujus duplex est, una *occulta*, altera *manifesta*, *illa* potissimùm Spleni resistit, & insuper etiam est *alexipharmaca*: imò vi suâ aromaticâ ventriculo & matrici plurimùm confert. *Manifesta* est secundum *Galenum*, tenuium partium. *Temperamentum* calidum est & siccum in tertio gradu. *Vires ratione occultæ substantiæ* sunt: 1. Lienem crassum absumere: 2. quodammodo veneno resistere: 3. ventriculum & matricem corroborare. *Ratione temperamenti.* 1. calefacit & exsiccat multùm: 2. aperit, abstergit & attenuat absque mordacitate: 3. provocat urinam, movet menses, aperit hæmorrhoides, discutit flatus & incitat semen. Usurpatur autem hæc radix condita & sicca, tàm ad infusiones, quàm ad decoctiones, destillationes, pulverisationes, &c.

### *REMEDIA.*

1. *Calamus arom. infusus in aceto, & ore masticatus contra pestem præservat.*
2. *Calamus arom. decoctus cum unguentis & emplastris, & sinistro lateri impositus, lienem durum emollit.*
3. *Acorum verum mixtum cum pulvere Zedoariæ, Galangæ, Rad. Ireos, & aspersum pani calido, vel solum, vel cum aqua Menthæ, & umbilico admotum inflationem ventris, & suffocationem matricis tollit.*
4. *Calamus arom. eodem modo usurpatus & exterius applicatus, dolorem aurium mitigat ac tollit.*
5. *Eodem modo usurpatus, & ventri exteriùs applicatus, colicos dolores sanat.*
6. *Calamus arom. decoctus in vino, & epotus, contra tormina ventris in colica frigida valet.*
7. *Eodem modo epotus, lienis obstructionem aperit, & duritiem ejus tollit.*
8. *Calamus arom. tritus & maceratus per triduum in aceto, deindè coctus ad medietatem, & melle vel saccharo conditus, syrupum constituit utilem ad morbos splenis.*
9. *Calamus aromaticus in aqua decoctus cum aliis appropriatis, & epotus manè & vesperi, spleneticis valdè prodest.*
10. *Calamus arom. decoctus cum aliis herbis & radicibus appropriatis in aqua, & manè vesperique epotus, suffoca-*

*focationi uteri medetur, nisi quod propter amaritiem difficulter ebibatur.*

11. *Calamus arom. conditus manè utiliter à Spleneticis comeditur.*

12. *Cal. arom. conditus crassos humores melancholicos incidit, attenuat, & ad expulsionem præparat.*

13. *Cal. arom. conditus utiliter comeditur tempore matutino ab iis, quibus frigidum & humidum existit cerebrum, memoriamque egregiè juvat.*

14. *Idem eodem modo usurpatus ad corroborationem ventriculi multùm prodest.*

15. *Cal. arom. decoctus cum vino, & epotus, memoriæ debiliori à frigidâ & humidâ causa succurrit.*

16. *Idem decoctus cum vino, & gargarisatus, pituitam cerebri per os evacuat.*

17. *Eodem modo usurpatus, memoriam quoque confortat.*

18. *Calamus arom. cum Absinthio Pontico decoctus in vino, & stantibus signis coctionis epotus, præstantissimum est remedium contra Quartanas.*

19. *Cal. arom. pulverisatus, & mixtus cum Zedoariæ, Galangæ, rad. Ireos pulvere ac epotus cum cerevisia calida, quàvis semihorâ, flatus ventris valdè discutit, & dolores ex illis sedat.*

20. *Idem eodem modo usurpatus colicam omnem à frigida causa sanat, & suffocationem matricis lenit.*

21. *Cal. arom. conditus si comedatur, asthma, ex repletione ventriculi, & inflatione ventris, sedat.*

22. *Cal. arom. conditus sæpè usurpatus difficultatem respirationis in Spleneticis tollit.*

23. *Decoctum Cal. arom. epotum doloribus lateris medetur.*

24. *Calamus arom. conditus sæpè usurpatus, contra linguæ gravitatem valet.*

25. *Extractum calami arom. cuspide cultelli cum calidâ cerevisiâ sumptum colicam tollit.*

26. *Oleum Cal. arom. gutt. iij. idem facit.*

27. *Rotulæ cum oleo Cal. arom. flatus discutiunt, & colicos dolores à causa frigida leniunt.*

28. *Calamus arom. conditus peregrinantibus contra aquas corruptas prodest.*

## CAPUT II.

### DE ACORO NOSTRO.

ACorum nostrum, tùm substantiâ, tùm etiam qualitate, atque adeò totâ naturâ differt à *vero Acoro*, ideoque *Pseudoacorum* non immeritò appellatur: Officinis Acorum nostrate, Germ. gelb Lilien oder gelb Schwertel. Vide *Matthiolum pag. 21. Pseudoacorum.*

Hujus usus olim in Officinis erat pro vero Acoro, sed malè. *Substantia* ejus est terrea: *temperamentum* frigidum & siccum in 2. gradu. *Vires ejus sunt*: 1. refrigerare & exiccare multum: 2. astringere, densare, cogere, & repellere: 3. sistere sanguinem, fluxum narium, & ipsos etiam menses. *Usurpatur hæc radix* vel in decoctionibus pro potionibus & gargarismis, vel in pulveribus ad condita & alia.

### REMEDIA.

1. *Radix Acori nostri detenta in ore & masticata, hæmorrhagiam narium sanat.*

2. *Acorum nostr. decoctum & epotum immodicum profluvium mensium sistit.*

3. *Idem cum vino & prunis sylvestribus decoctum magis fluxum mensium sanat.*

4. *Vinum infusum rad. Acori, & prunis sylvestribus omnibus fluxionibus immodicis sanguinis medetur.*

5. *Pastilli præparati ex pulvere rad. Acori nostr. & succ. prunor. sylv. exiccati, atque cum linteo infusi in vase vini albi, ejusque subastringentis, idem præstant.*

6. *Acorum nostrum parumper cum aperientibus & incidentibus mixtum atque decoctum, hepar corroborat.*

7. *Acorum nostrum decoctum & epotum, vel cum aqua vel vino, fluxum alvi sedat.*

8. *Acori nostri pulvis mixtus cum herba Centaurii, ac aceto, ac melle, atque extrinsecus contusis membris, vel etiam vulneratis impositus, dolorem mitigat ac sanat.*

## CAPUT III.

### DE ANGELICA.

ANgelica Latin. & Offic. Germanis Angelick / oder H. Geistwurtzel. Vide *Matthiol. pag. 814. sub nomine II. Angelica sativa.*

Quomodo Græcis dicta fuerit hæc radix inter Botanicos disputatur, quibusdam Smyrnium, aliis Elaphoboscum *Dioscoridis* esse videtur. Sunt autem Angelicæ duæ species, una sylvestris, altera sativa, quarum hæc præfertur. Rursus sylvestris duplex habetur, una pratensis, altera montana, quarum rursus hæc est præstantior. Deindè sativa rursus duplex est, una vulgaris, quæ passim in hortis nascitur: altera Brisgovia, quæ ad nos à Materialistis adfertur, atque hæc sola omnium est præstantissima, meritoque eligitur.

*Substantia Angelicæ occulta* est alexipharmaca, quod resistat à totâ substantia pestilentiali veneno, tùm per se usurpata, tùm in aceto infusa. Nam cùm acetum per se contra pestem prosit, hâc infusione cum aceto virtus Angelicæ fortior redditur. *Manifesta substantia* hujus radicis est tenuium partium: *temperamentum* est calidum & siccum in tertio gradu. *Vires ratione occultæ substantiæ* sunt resistere pesti. *Ratione temperamenti*: 1. calefacit & exiccat multum: 2. aperit, extenuat & discutit: 3. pectus expurgat à pituitâ crassa. Usus Angelicæ potissimùm Brisgoviæ est in Officinis, quando jam justo modo collecta & exiccata est.

### REMEDIA.

1. *Angelicæ radix infusa 24. horis in aceto & commansa à peste præservat.*

2. *Angelicæ radix pulverisata, & quantitate ℨij. cum aceto epota, ubi alia medicamenta desunt, peste infectos sanat, & malignam putredinem corrigit.*

3. *Angelicæ pulvis electuariis alexipharmacis utiliter miscetur.*

4. *Angelicæ radix, si vel in conclavi copiosè suspendatur, vel in vestibus portetur, à peste præservat.*

5. *Angelica masticata & comesta, thoracem expurgat, & tussim veterem mitigat.*

6. *Angelica decocta in aqua, & manè ac vesperi epota, crassam pituitam in pectore incidit & expurgat.*

7. *Angelica decocta in vino & epota, crassam pituitam atque flatus ventris discutit, ac dissolvit.*

8. *Angelicæ pulvis in hyeme cum vino, & in æstate cum aqua Rosarum, contra pestem bibitur.*

9. *Angelica decocta cum aliis aperitivis & appropriatis, obstructiones matricis aperit, & menses movet.*

10. *Semen Angelicæ sacchăro obductum contra pestem quotidie sumitur præservationis gratia.*

11. *Oleum Angelicæ destillatum guttis aliquot confectionem constituit præservativam, sacchăro in aqua Scordij soluto.*

12. *Extractum Angelicæ cum sacchăro tabulatum similiter præservativum & curativum malignitatis est.*

## CAPUT IV.

### DE BISTORTA.

Bistorta, Officinis *Serpentaria*, Germ. Naterwurtz. Vide *Matthiol.pag. 674. sub nomine Bistorta.*

Ejus duæ sunt species, nimirum mas, aliàs propriè Bistorta, cujus usus potissimum esse debet: & fœmina, Serpentaria, vel Colubrina. *Substantia* hujus radicis est crassarum partium, adeoque terrea: *temperamentum* est frigidum & siccum in tertio ordine. *Vires ejus sunt*: 1. valdè refrigerare & exiccare: 2. astringere & condensare: 3. fluxum sanguinis & inprimis menses muliebres, sistere. Usus hujus radicis est vel in decoctione pro potionibus, gargarismis & lotionibus, vel in pulvere.

### REMEDIA.

1. *Radix Bistortæ decocta in aqua, & manè ac vesperi epota profluvium mensium sistit.*

2. *Radix Bistortæ cum Acacia decocta in vino rubro & manè vesperique epota, magis adhuc profluvium mensium sedat.*

3. *Radix Bistortæ decocta cum Prunella, & gargarisata, fluxiones ad fauces & uvulam sanat.*

4. *Radix Bistortæ cum foliis Plantaginis, Prunellæ, Agrimoniæ, Serpilli decocta in aqua, & mixta cum parùm Aluminis & Rob Nucum, pro forma gargarismi, utiliter contra inflammationem tùm gutturis, tùm etiam pectoris gargarisatur.*

5. *Radix Bistortæ pulverisata, & vulneribus inspersa eadem sanat.*

6. *Radix Bistortæ pulverisata, & cum floribus Malvæ aborescentis, addito melle rosato, mixta in formam Electuarij mollis, optimum linimentum contra Scorbutum & Sanguinolentiam gingivarum constituit.*

7. *Radix Bistortæ cum rof. rub. & sem.Sumach decocta in vino rubro, & percolata, constituit optimum lavacrum infimi ventris antè ingressum lecti, in sterilitate mulierum, ex nimia humiditate ac laxitate matricis.*

## CAP. V.

### DE CONSOLIDA MAIORE.

Consolida, Græcis σύμφυτον dicitur, cujus apud Botanicos plurimæ numerantur species: in præsentia de Consolidæ majoris, vel Symphyti majoris radice agimus, Germ. Walwurtz vocatur. Vide *Matthiol. pag.683. sub nomine III. Symphytum majus.*

*Substantia* ejus est contrariarum partium, tùm tenuium, ut aliquo modo digerat, crassa incidat, & aperiat, tùm etiam crassarum, ut astringat, consolidetque. *Temperamentum* ejus calidum & siccum in secundo gradu est. *Vires ratione substantiæ manifestæ* contrariæ quoque inveniuntur, nimirùm unius generis, quod digerat, pectus, vulnera, & renes expurget, alterius generis, quòd incrasset, condenset, astringat & consolidet. *Ratione qualitatum* 1. calefacit & exiccat: 2. contrahit & astringit: 3. sanguinem & menses muliebres sistit. Radix hæc usurpatur sicca ad decoctiones, & pulveres.

### REMEDIA.

1. *Radix Consolidæ majoris decocta, vel in aqua vel in jusculo carnis, & manè vesperique epota, omnia vulnera consolidare facit.*

2. *Radix Cons. major. decocta in aqua, & epota sæpiùs, asperitates asperæ arteriæ, tussimque lenit.*

3. *Eodem modo cum aliis appropriatis vulnerariam potionem salubrem constituit.*

4. *Radix Cons. major. cum foliis Fragariæ, Veronicæ, Millefolij, Plantaginis, Sagittæ Herculis, Atriplicis, Prunellæ, Bismalvæ, Volubilis, Vincæpervincæ, Saniculæ, Perfoliatæ, Tormentillæ, fol. & rad. Ungulæ caballinæ, valdè bonæ, mixta & decocta in cerevisia, cum expressione percolata, & iterum cocta cum cera nova, sevo hircino, gummi Abietis, pinguedinis Gallinæ, Colophoniæ & Terebinthinæ ana lib.j. ad consumptionem aquæ: tandem additis ℥ij. Musci Cranii humani, unguentum efficax constituit contra peritonæi rupturam.*

5. *Radix Cons. major. decocta in vino & epota dysenteriam sanat.*

6. *Radix eodem modo usurpata profluvium mensium sistit.*

7. *Radix Cons. major. si comedatur, sitim lenit.*

8. *Eadem cum rad. Liquiritiæ decocta in aqua, sitim magis lenit, ubi sæpiùs eodem decocto os eluitur.*

9. *Radix Cons. major. decocta cum furfure & aceto luxatis membris utiliter imponitur.*

## CAPUT VI.

### DE CYPERO.

Κύπειρον καὶ κύπειρος Latin. & Offic. Cyperus, longus & rotundus, Germ. wilder Galgand. Vide *Mat-*

*Matthiol. pag. 26. I. Cyperus rotundus.* Ibidem *II. Cyperus longus.*

Optimus est ille, qui ex Syria affertur: proximus, qui ex Italia, tandem ille, qui in Helvetia nascitur. *Substantia* Cyperi est tenuium partium, sed tamen simul mixta cum aliquâ terrestreitate. *Temperamentum* calidum est & siccum in secundo gradu. *Vires ejus sunt* 1. calefacere & exiccare multum: 2. attenuare, aperire, digerere, & modicè astringere: 3. corroborare viscera, menses ac calculum movere. Usus Cyperi exiccati est in decoctionibus & pulveribus.

## REMEDIA.

1. *Radix Cyperi unà cum Calamo aromatico decocta & epota, suffocationi matricis à frigidâ causa medetur.*
2. *Eodem modo in vino decocta, ventriculo frigido, & inflationibus intestinorum medetur.*
3. *Eodem modo epota dolores colicos tollit ac lenit.*
4. *Radix decocta, & cum aliis appropriatis speciebus epota, contra hydropem utilis est.*
5. *Cyperi decoctum cum radice Rhodiâ m. vque epotum menses movet.*
6. *Cyperi pulvis cum radice Pimpinellæ & Macis mixtus, & in nodulo cum linteo vino infusus, constituit convenientem potum mulieribus difficultate mensium laborantibus.*
7. *Idem pulvis Cyperi mixtus cum Calamo Arom. Zedoaria & Bacc. Lauri, atque inspersus pani calido, imoque ventri impositus, suffocationem matricis sanat.*
8. *Idem mixtus cum Absinth. Menthâ Caryophyl. & nuce moschata, atque inspersus pani tosto, prius aceto madefacto, applicatusque regioni ventriculi, debilitatem ejus corroborat, & dolores ex inflatione lenit.*
9. *Idem pulvis cum Absinth. Mentha, spec. diagalan. & diacymin. mixtus, & cum cera atque resina, q. s. ad formam Emplastri redactus, constituit opt. emplastrum stomachale in affectibus frigidi ventriculi.*
10. *Cyperi pulvis ulceribus malignis, iisque depascentibus inspersus prodest.*

## CAPUT VII.

## DE HELLEBORO.

Ἐλλέβορος καὶ ἐλλέβορον, Latinis Veratrum vel Helleborus. Duplex habetur, nimirum Helleborus albus & niger, propterea quod hic respectu rad. magis ad nigredinem vergat. Ille Germanis dicitur weiß Nießwurtz/ at hic vocatur Christwurtz. Vide *Matthiol. pag. 843. II. Elleborum nigrum.*

Inter hasce duas species potissimum Helleborus niger usurpatur, de quo in præsentia agemus. *Substantia ejus occulta* est, quod purgat atram bilem, tum per superiora, tum per inferiora: *temperamentum* obtinet calidum & siccum in 3. gradu. *Vires ratione substantiæ* sunt purgare bilem atram, imò etiam pituitam, sed non sine periculo, nisi corrigatur. *Ratione temperamenti* 1. calefacit & exiccat valdè: 2. aperit, discutit: 3. menses movet, hæmorrhoides aperit & fœtus extrahit. Usus apparebit ex sequentibus.

## REMEDIA.

1. *Helleborus niger aliquot horis infusus in decoctis lenientibus, & postea epotus, melancholicis prodest, ac una cum pituita etiam atram bilem purgat.*
2. *Helleborus niger cum foliis Senæ, Thymo, Epithymo, fol. Scolopend. & rad. Polypodij decoctus, percolatus & epotus, melancholiam ferè solùm purgat, eoque lenius, quò pluribus aromatibus & seminibus corrigitur.*
3. *Syrupus de Helleboro nigro, eò quod magis correctus sit, solus etiam ℥j. vel circiter exhibitus, bilem atram purgat.*
4. *Syr. de Helleboro nigro mixtus cùm decocto rad. Polypod. Thymi & Epithymi, bilem atram lenius purgat.*
5. *Elleborus niger decoctus cum aperitivis, percolatus, & epotus, hæmorrhoides aperit.*
6. *Eodem modo contra Melancholiam hypochondriacam convenit.*
7. *Helleborus niger mivâ Citon. opt. corrigitur, unde mixtus helleborus cum diacytonio secundum artem, facit diacytonium helleboratum.*
8. *Helleborus niger cum aliis quibusdam semper est corrigendus, utpote sem. Anisi, Fœniculi, Macis, Cinamomo, Ros. rub. & similibus.*
9. *Contra singultum ab Helleboro excitatum optimè convenit miva Cydoniorum.*
10. *Helleborus niger, si vomitum nimium, singultum & convulsionem excitarit, recentia cydonia orbiculatim secta, & in vino infusa aliquandiu naribus admoveantur, vel etiam comedantur.*

## CAPUT VIII.

## DE ENULA.

Græcis ἑλένιον, Latin. Helenium, Officinis & vulgò Enula, Germanis Aland. Vide *pag. 72. apud Matthiol.*

*Substantia* radicis hujus duplex est *occulta & manifesta*: beneficio illius est alexipharmaca, & venenis resistens, hæc verò est tenuium partium, cum lento quodam humore. *Temperamentum* ejus est calidum in 2. gradu & siccum in primo, ita ut aliquid humoris retineat. *Vires ratione substantiæ* sunt resistere pesti & veneno. *Ratione qualitatum*: 1. calefacere multùm, & dein exiccare parum, & simul etiam quodammodo humectare: 2. attenuare, abstergere, & emollire: 3. Menses & Urinam movere, ac pectus expurgare. Usurpatur autem Enulæ radix recens & sicca: recens ad infusionem pro cerevisia & vino, ac ad destillationem, & conditum, sicca ad decoctiones & pulveres.

## REMEDIA.

1. *Enula condita manè sumpta præservat à peste.*

2. Enu-

2. *Enula condita, si comedatur ab infectis, pestilentiale venenum mitigat.*

3. *Cerevisia Enulata in peste magis, quàm alia quævis, prodest.*

4. *Enula condita contra tussim valet, & sang. sputo medetur.*

5. *Enulæ aqua epota, vel sola, vel mixta cum syrupis in forma potionis, renum & vesicæ exulcerationem sanat.*

6. *Eadem calculos & arenam educit.*

7. *Eadem aqua pectus quoque mundificat.*

8. *Enulatum vinum commodissimum est in pectoris vitiis.*

9. *Idem aliquo modo stomacho prodest, & urinam ac menses optimè movet.*

10. *Enulata cerevisia eadem præstat, sed magis in affectibus pectoris, minus in urina & mensibus movendis convenit.*

11. *Pulvis Enulæ Eclegmatis, quæ fiunt ad educendos è thorace & pulmone crassos, lentosque humores, utiliter miscetur.*

12. *Pulvis Enulæ epotus sanguinis sputo convenit.*

13. *Pulvis & farina Enulæ convulsis & inflatis partibus exteriùs utiliter applicantur.*

## CAPUT IX.

### DE IREOS RADICE.

IRis Græcis & Latinis, Germ. bifariam appellatur pro diversitate duarum specierum: alia enim est Iris nostra, vel sylvestris, germanicè blaw Lilien oder Schwertelwurtz: alia est Iris Illyrica, Germ. Veilwurtz / Officinis verè Iris sine adjectione, quæ plurimùm virtute, odore & sapore sylvestrem superat. Vide *Matthiol. pag.* 17.

*Substantia* radicis Ireos *occulta* est, quòd purget inprimis serosos humores, vel secundum quosdam etiam bilem & pituitam: *manifesta* autem tenuium est partium. *Temperamentum* est calidum & siccum in 3. ordine, quod inprimis intelligatur de Illyrica: altera verò nostra temperamenti ejusdem est in 2. gradu completo. *Vires respectu substantiæ* sunt purgare, & potissimùm serosos humores. *Ratione Temperamenti* 1. calefacit & exiccat multùm: 2. attenuat, aperit & abstergit: 3. Mundificat pectus & menses movet. Usus utriusque radicis non est contemnendus, ubi sylvestris recens & sicca: at Illyrica tantùm exiccata usurpatur.

### REMEDIA.

1. *Iris integra, vestibus addita, tineas prohibet, & erosionem à vermibus impedit.*

2. *Iris integra sepulchris magnatum pro conservatione à putredine additur.*

3. *Iris masticata oris halitum commendat.*

4. *Iris pulverisata, & mixta cum aliis dentifriciis pulveribus, dentes tùm albicantes reddit, tùm etiam salubriter confirmat.*

5. *Iris decocta in aqua, si ejusmodi decocto dentes foveantur, dolor eorum mitigatur.*

6. *Iris decocta cum herba Beton. Origani, fl. chamæmel. idem præstat.*

7. *Iris decocta cum melle & aq. & usurpata ab infantibus lambendo, epilepsiam tollit.*

8. *Iris* ℥ß. *rad. pæon.* ʒß. *decocta in aq. & mixta cum melle despumato* ℥ij. *potionem gratam & salubrem contra epilepsiam tàm infantibus, quàm senibus constituit.*

9. *Ireos pul.* ʒß. *pæon.* ℈j. *croci* ℈ß. *cum sacch. ad pondus omnium fit pulvis puerorum contra Epilepsiam.*

10. *Ireos* ℈ij. *pæon.* ℈j. *C. C. V.* ℈ß. *Marg. præparat. coral. alb. præparat. Smaragd. præparat. an. gr. v. cran. humani præparat.* ℈ß. *si simul misceantur in forma pulv. & cum aq. tiliæ vel cerasor. sumantur etiam ab adultioribus, efficax remedium contra Epilepsiam constituunt.*

11. *Ireos decoctum cum melle epotum, vel lambendo, vel bibendo, pectori prodest, ac viscosos humores in eo expurgat.*

12. *Ireos decoctum cum Liquiritia, sem. fœniculi & similibus pectoralibus, magis contra tussim valet.*

13. *Ireos decoctum in aqua, humores, qui non facilè expuuntur, attenuat.*

14. *Ireos pulvis cum rad. pæoniæ pulverisata, polentæ infantum inspergitur, & utiliter tùm contra Epilepsiam, tùm etiam contra colicam exhibetur.*

15. *Ireos pulvis cum Zedoaria, calam. aromat. & Galanga mixtus, & quâvis semihorâ cum calida cerevisia sumptus, semicochlearis quantitate, frigidam colicam optimè sanat.*

16. *Rad. Ireos pulverisata cum Zedoaria & cal. aromat. & inspersa calido pani è clibano extracto, atque imposita ventri, fortissimam colicam mitigat.*

17. *Ireos pulvis cum sem. anisi, Galanga, Zedoaria mixtus, & pani calido aspersus, & auribus dolentibus ex flatuosa materia applicatus, efficax remedium constituit.*

18. *Decoct. rad. Ireos* ℥j. *cum rad. Mechoacan.* ℥jß. *percolatum & epotum, in hydropicis serosos humores purgat.*

19. *Iris nostra decocta in aq. contra* Ictericiam *& hydropem ebibitur.*

20. *Iridis nostræ succus magis hoc præstat.*

21. *Ireos decoctum in retentione mensium & obstructione calculi quoque prodest.*

22. *Ireos nostræ succus, infusus naribus, excrementa pituitosa capitis purgat, & sternutationem excitat.*

23. *Iris nostra ventriculo nocet, nisi Zedoaria addita, vel sero lactis infusa, corrigatur.*

## CAPUT X.

### DE LIQUIRITIA.

ΓΛυκυῤῥίζα, Græcis, dulcis radix, Lat. Liquiritia Officinis, süß Holtz / Germanis. Ex India optima affertur: deindè & illa non contemnenda, quæ ex agro Bambergensi adducitur. Vide *Matthiol. pag.* 486.

*Tem-*

*Temperamentum* hujus radicis est temperatum, quod tamen vergit ad calidum & humidum. *Vires ejus sunt:* 1. Nutrire suaviter: 2. abstergere, emollire & aperire: 3. pectori prodesse & calculum movere. Usurpatur autem hæc radix recens, & sicca modis diversis.

### REMEDIA.

1. *Liquiritia integra, eoque magis recentior, ore masticata sæpius, sitim extinguit.*
2. *Liquiritia, cum aqua hordei decocta, sitim magis minuit.*
3. *Liquiritia decocta, cum aqua hordei & passulis minoribus, calculum impactum emollit, aperit & expellit.*
4. *Liquiritia eodem modo decocta & epota, omnes obstructiones viscerum aperit.*
5. *Liquiritia decocta & epota pectus emollit, tussim sanat, asperitatem arteriæ, & raucedinem tollit.*
6. *Eadem eodem modo usurpata, vesicæ scabiem lenit ac tollit, & calculum sensim movet, ejusque dolores mitigat.*
7. *Rad. Liquiritiæ pulverisata ℈ß. mixta cum benedicta laxat. ℥vj. purgationem mediocrem constituit, & in calculo prodest.*
8. *Rad. Liquir. pul. optimè miscetur cum aliis pulveribus calculum moventibus.*
9. *Rad. Liquiritiæ decocta cum herba Veron. hordeo & Sem. Anisi, phthisicis medetur.*
10. *Radix Liquiritiæ pulverisata, & cum aliis spec. in Lohoch de Pino mixta, confert ad tussim antiquam, & ad Asthma confert.*
11. *Rad. Liquir. pulverisata, cum Lohoch Sano & exp. mixta, phthisicis optimè convenit.*
12. *Succus Liquiritiæ lambendo sumptus dolores exulcerationis vesicæ mitigat.*
13. *Liquiritiæ succus ore detentus contra raucedinem valet.*
14. *Syr. de Liquiritia tussi medetur.*
15. *Idem Syr. maximè prodest in pleurisi.*
16. *Idem in calculo erodente dolores lenit.*
17. *Idem contra tussim antiquam valet, & pectus mundificat.*

## CAPUT XI.

### DE LAPATIO ACUTO.

GRæc. ὀξυλάπαθον, Latin. & Offic. Lapathium acutum, German. Mengelwurtz / species est rumicis, in medicando usitatissima. Vide *Matthiol. pag.* 353.

*Substantia* ejus visa est autoribus mixta partim terrea, partim aërea. *Temperamentum* vergit quodammodo ad frigidum & siccum: constat tamen etiam qualitatibus contrariis, quia non solum digerit, sed etiam aliquantum repercutit. *Vires respectu primarum qualitatum* sunt temperatæ: quoad secundas qualitates, digerit & astringit: tertiò quodammodo repercutit, & fœdos humores cutis expurgat. Usurpatur tàm recens, quàm exiccata.

### REMEDIA.

1. *Oxylapathi radices recentes contusæ, & scabiei cutis illitæ, sanant pruritum & scabiem.*
2. *Oxylapathi rad. recent. mediæ contusæ, & mixtæ cum albumine ovi, atque scabiei illitæ, eandem citiùs, sed minùs tutò sanant.*
3. *Radices Oxylapathi mediæ contusæ, & mixtæ cum sale atque aceto, & in balneo inunctæ, morphæas flavas faciei, vel alterius cutis tollunt.*
4. *Oxylapathi rad. sicca, si decoquatur cum vino, & aures decocto colluantur, aurium dolores sanat.*
5. *Radix sicca cum aceto decocta, & regioni lienis imposita, Spleneticis convenit, exteriùs etiam commodùm serpigini succurrit; sæpiùs per frictionem adhibita.*
6. *Succus radicis hujus cum aliis commodè miscetur in sapone contra scabiem.*

## CAPUT XII.

### DE OSTRUCIO.

QUamvis pluribus disputent autores de hâc plantâ propter nomen græcum: tamen verisimile videtur eandem Græcis incognitam fuisse. Latinis Imperatoria, Officinis Ostrutium Germ. Meisterwurtz / vocatur. Vide *Matthiol. pag.* 567. *sub nomine III. Imperatoria.*

*Substantia* hujus radicis est *occulta & manifesta: illa* est alexipharmaca: *hæc* verò est tenuium partium. *Temperamentum* ejus calidum est & siccum in 3. gradu completo. *Vires ratione substantiæ* sunt resistere veneno pestis & animalium: ratione qualitatum 1. calefacere & exiccare vehementer: 2. aperire viscera, incidere crassa, & digerere cruda: 3. movere menses urinam & sudorem. Usurpatur autem radix exiccata pro diversa intentione diversimodè.

### REMEDIA.

1. *Radicis Ostrucii decoctum lentos pituitosos humores incidit.*
2. *Idem decoctum epotum tussi ex causa frigida medetur.*
3. *Idem dissolvit flatus ventris, & in intestinis & in matrice.*
4. *Idem manè & vesperi usurpatum, crassas materias in thorace collectas discutit.*
5. *Rad. Ostrucii integra masticata oris halitum commendat.*
6. *Eadem rad. sæpiùs medicè usurpata, bonitatem coloris corpori conciliat.*
7. *Decoctum hujus rad. contra Leucophlegmatiam virginum prodest.*
8. *Decoctum rad. cum Absinth. pont. & rad. Garyophyllata, matricem frigidam & humidam expurgat,*

*gat, & bonitatem coloris magis conciliat.*

9. *Pulvis rad. Ostrucii cum calida cerevisia epotus contra suffocationem matricis convenit.*

10. *Pulvis rad. ejus cum Cardopatio, & Calam. arom. mixtus, & eodem modo epotus, tùm contra colicam, tùm etiam contra suffocationem matricis prodest.*

11. *Pulvis rad. ejusdem, cum vino calido epotus, omnem inflationem ventris à frigida causa mitigat ac tollit.*

12. *Radix Obstrucii decocta & epota, hydropicos juvat.*

13. *Eadem eodem modo usurpata omnibus frigidis convulsionibus opitulatur, partes refrigeratas emendat, & contra morbum Comitialem prodest.*

14. *Radix hæc integrè masticata præservat à peste.*

15. *Radix Ostrucii, si vel integra comedatur, vel pulverisata cum aqua Scordii ebibatur, infectos à peste liberat, & sudorem elicit.*

16. *Pulvis hujus radicis convenit infectis à morsu canis rabidi.*

17. *Radix hæc decocta in vino, & epota, obstructionem mensium solvit.*

18. *Eadem cum petroselino & aliis decocta, calculum movet.*

19. *Radix Obstrucii contra malignam scabiem capiti prodest, hoc modo composita & inuncta.*

℞. *Pul. rad. Ostrucii, Enulæ, Aristol. longæ.*
*Herbæ Absinth. ana ℥ij.*
*Baccar. lauri numero iij. Gentianæ ʒß.*
*Sulphuris ℥ij. cum butyro majali f. unguentum.*

## CAPUT XIII.

### DE PETASITE.

Πετασίτης, Petasites Officinis, aliis Tussilago major, Germanis Pestilenzwurzel. Vide *Matthiol. pag.* 613. *sub nomine Tussilago major.*

Hujus radicis *Substantia* duplex est occulta & manifesta: *illa* est alexipharmaca: *at hæc* est tenuium partium. *Temperamentum* est calidum in 2. & siccum in tertio gradu. *Vires respectu substantiæ* sunt resistere veneno. *At respectu qualitatum* 1. calefacit multùm & exiccat vehementer: 2. attenuat & digerit, discutit & aperit: 3. Menses & sudorem movet. Usus ejus est potissimùm exiccare.

### REMEDIA.

1. *Decoctum hujus radicis in omnibus febribus pestilentialibus prodest, & putredinem malignam inbibet.*

2. *Idem peste infectos juvat, & venenum mitigat.*

3. *Pulvis Petasitidos cum vino sumptus sudorem movet, & infectos peste liberat.*

4. *Idem pulvis cum vino utiliter contra suffocationem matricis bibitur.*

5. *Idem eodem modo usurpatus menses movet.*

6. *Pulvis hujus radicis, vel radix contusa, exteriùs utiliter, emplastri loco, in ulceribus præhumidis & malignis sanandis, adhibetur.*

## CAP. XIV.

### DE PIMPINELLA.

Pimpinella Veteribus sub hoc nomine incognita; Tabernæmont. Tragoselinum, Recentioribus verò laudatissima radix, Germ. Bibenell / vocatur. Vide *Matthiol. pag.* 729.

Est autem alia Pimpinella nostra, quæ absque adjectione sic dicitur, alia Italica quæ potiùs est Sanguisorba, quia viribus & natura prorsus differt à vera Pimpinella. *Substantia* Pimpinellæ est *occulta*, quod sit alexipharmaca, & *manifesta*, quatenus constat partibus tenuibus. *Temperamentum* ejus est calidum & siccum in 2. gradu completo. *Vires ejus* sunt veneno resistere. Deindè *respectu qualitatum* 1. calefacere & exiccare valdè: 2. incidere crassa, aperire & attenuare: 3. Movere calculum, urinam & menses. Usus ejus est in radice recente & exiccatâ.

### REMEDIA.

1. *Pimpinella ore masticata à peste præservat.*

2. *Pimpinella condita contra pestem utiliter comeditur.*

3. *Eadem refrigeratum ventriculum & hepar calefacit.*

4. *Eadem condita ante deambulationem matutinam sumpta sudorem movet.*

5. *Eadem contra colicam utiliter usurpatur.*

6. *Eadem vel ejus confectio sumpta ante balneum magis adhuc sudorem movet.*

7. *Pimpinellæ confectio urinam movet, & stranguriæ quodammodo medetur.*

8. *Decoctum Pimpinellæ facit contra inflationem ventris.*

9. *Decoctum Pimpinellæ cum Castoreo in vino epotum contra suffocationem matricis valet.*

10. *Idem eodem modo usurpatum contra spasmum valet, & contra arthritidem frigidam prodest.*

11. *Pulvis pimpinellæ, hyeme potissimum, assumptus, peste infectos liberat.*

12. *Idem pulvis in calida cerevisia contra obstructionem mensium ebibitur.*

13. *Pulvis pimpinellæ cum sem. petrosel. contra calculum prodest.*

14. *Pul. pimpinellæ cum lacte bovino mixtus, & coctus ad formam emplastri, & partibus inflammatis musculosis, vel in scabie, vel in apostematibus applicatus, dolorem lenit, & omnia maturare facit.*

15. *Aq. Pimpinellæ mixta cum aqua fol. quercuum ana ℥ij. & succo Acaciæ ʒß. m. & v. minimum profluvium muliebre astringit ac sedat.*

## CAPUT XV.

### DE PYRETHRO.

Πύρεθρον, Offic. & Lat. Pyrethrum, German. corrupte

pto vocabulo Græco Bertram dicitur. Vide *Matthiol. pag.* 574.

Duplex est, unum majus & sativum, quod aliundè ad nos adfertur, & in Officinis potissimùm usurpatur: alterum minus & sylvestre, quod ejusdem usus, & naturæ censetur, nisi quod Serapioni qualitate virium differre videatur. *Substantia Pyrethri* est tenuium partium: *temperamentum* est calidum & siccum in 3. ordine secundum Serapionem, & plerosque alios, juxta paucos in quarto. *Vires ejus sunt* 1. calefacere valdè, undè Galenus vocat illius facultatem adurentem: 2. attenuare, incidere crassa & aperire: 3. consumere & elicere pituitam, nec non Melancholicum humorem digerere. Usus hujus radicis est exiccatæ, modis variis, ut apparebit.

## REMEDIA.

1. *Radix Pyrethri masticata, & diutin ore detenta, phlegma attrahit, & cerebrum per salivam expurgat.*
2. *Eodem modo usurpata Apoplexiæ & Paralysi nervorum linguæ succurrit.*
3. *Radix Pyrethri decocta in aq. vel in vino dulci cum ficubus siccis, cerebrum mundificat.*
4. *Eadem radix decocta cum Zing. & Galang. in vino, & gargarismi loco usurpata, memoriæ imbecilliori ex frigida causa medetur.*
5. *Radix Pyrethri ℥j. cum flor. Chamæmel. M. ß. herbæ Beton. Origani, ana Mj. rad. Ireos ℥ij. in aq. & vino æqualiter decocta & percolata, atque ore detenta, dolores dentium mitigat, & gingivæ tumores maturando in unum cogit.*
6. *Radix pyrethri decocta cum aceto & pipere, & in ore detenta, dolores dentium à causa frigida sanat.*
7. *Radix pyrethri pulverisata, & mixta cum spec. arom. rosati & diamosch. fit pulvis utilis contra Apoplexiam.*
8. *Radix pyrethri pul. & mixta cum spec. diamosch. & sacchar o dissoluto in aqua lavendulæ ad formam morsulorum confecta, efficaciter contra Apoplexiam & paralysin prodest.*
9. *Idem pulvis pyrethri mixtus cum ol. com. vel violar. & illitus spinæ dorsi ante paroxysmum, febrium rigores mitigat.*
10. *Pulvis pyrethri infusus in vino per 15. dies, post mixtus cum ol. Chamæmelino, & cera f. unguentum, quod contra paralysin & stuporem membrorum prodest.*
11. *Idem unguentum mortua membra ex frigore sanat, & sensus reparat.*

## CAPUT XVI.

### DE POLYPODIO.

Πολυπόδιον græcis, Polypodium Lat. & Offic. Engelsüß German. Vide *Matthiol. pag.* 887.

Duarum est specierum, una usitatior, quæ ad filicis similitudinem accedit: altera major, quæ Asplenum refert; utraque ejusdem naturæ & usus, sed illa usitatior est, & maximè eligitur, ubi quercubus adnascitur. *Substantia* Polypodii est *occulta* & *manifesta*: *illa* purgat pituitam & utramque bilem, sed maximè atram: *hæc* verò constat ex partibus quodammodo contrariis, undè simul & dulcis, & austera deprehenditur. *Temperamentum* est respectu caliditatis & frigiditatis temperatum: at respectu siccitatis in 2. gradu excedit. *Vires ratione substantiæ* sunt purgare pituitam & bilem utramque: *Ratione qualitatum* 1. exiccare abundè: 2. digerere & crassa incidere: 3. ventrem solvere. Usurpatur potissimùm exiccata.

## REMEDIA.

1. *Pulvis Polypodij ℥ß. mixtus cum foliis senæ tantundem, & Galangæ, Zinzib. ana ʒß. constituit pulverem efficacem contra obstructionem viscerum; si detur vesperi ʒß. in potu vini, manè verò ʒj.*
2. *Idem pulvis eodem modo usurpatus prodest contra difficilem anhelitum.*
3. *Radix Polypodij decocta cum aliis aperitivis & discutientibus flatus in colica prodest.*
*Radix Polypodii decocta in aq. cum agarico postea infuso, pectus expurgat.*
5. *Rad. Polypod. decocta sero caprino, & epota, leniter sanguinem expurgat.*
6. *Polypodij ℥ß. Liquiritiæ ʒij. rad. cichor. ʒjß. sem. anisi ʒj. 4. frig. major. ana ʒß. flor. borrag. P. ij. ros. rub. P. j. fol. senæ ʒj. herbæ Agrimon. End. Beton. ana Mj. omnia decocta l. ar. percolentur. In colatura infunde Rhabarb. ℈ij. Agar. troch. ℈iij. in petia ligati, Cinanomi ℈ß. stent in infusione per noctem, manè colentur ℥X. de quibus sumatur ℥iij. misce cum Syr. ros. solut. ℥j. fit potio ducens pituitam & bilem utramque prorsus leniter, si ebibatur manè 4. hor. ante prandium.*
7. *Polypodium si decoquatur cum rad. Liquiritiæ vel sem. anisi aut fœniculi, vel etiam Zinzib. corrigitur, ut eò lenius purgatio succedat.*
8. *Polypodij decoctum epotum præterquam quod purget, pectus & tussim quoque lenit.*
9. *Polypodium & in decoctis, & in pulveribus, valdè prodest Melancholicis.*

## CAPUT XVIII.

### DE QUINQUEFOLIO.

Πεντάφυλλον Græcis, Pentaphyllum Officinis, Quinquefolium Lat. Germ. Fünff Fingerkraut. Vide *Matthiol. pag.* 719. *I. Quinquefolium.*

*Substantia* ejus terrearum est partium: *temperamentum* est frigidum in primo & siccum in tertiò gradu. Vires 1. Exiccare valdè & refrigerare parum: 2. Astringere: 3. Sanguinem sistere. Usus est in radice recenti & exsiccata.

## REMEDIA.

1. *Radix Pentaphylli ore masticata dolores dentium aliquantum mitigat.*

*2. Eadem decocta & in ore detenta dolores magis mitigat.*

*3. Rad. Pentaphylli in vola manus aliquandiu detenta fluxum sanguinis per nares quibusdam sistere visa est.*

*4. Eadem decocta in aq. cum rad. tormentillæ, & epota dysenteriam sistit.*

*5. Eadem decocta in vino rubro, & epota, manè & vesperi, profluvium muliebre sanguineum sistit.*

*6. Radices Pentaphylli coctæ in aceto, contusæ & exteriùs applicatæ herpetes tollunt.*

*7. Eadem rad. cocta cum vino rubeo, ramice laboranti utiliter imponitur.*

## CAPUT XIX.

### DE RADICE RHODIA.

Ῥοδία ῥίζα, Lat. & Offic. Rhodia Radix, German. Rosenwurtz dicitur ab odore. Vide *Matthiol. pag.* 724.

*Substantia* rad. Rhodiæ est tenuium partium: *temperamentum* est calidum in secundo gradu, sed temper. in humid. & siccitate. *Vires ejus sunt* 1. calefacere: 2. flatus discutere, crassa digerere, imò etiam aperire: 3. menses movere.

### REMEDIA.

*1. Rad. rhod. recens masticata ore, halitum commendat, & contra fœtorem oris prodest.*

*2. Rad. rhod. recens contusa, & temporibus frontis applicata, dolores capitis lenit.*

*3. Rad. rhod. exiccata pulverisata, & mixta cum rad. Pimpinellæ & Caryophyllatæ in vino calido, & epota, menses movet.*

*4. Rad. rhodia exiccata, contusa, & decocta cum pulegio in aq. vel in vino, & epota manè vesperique aliquot diebus, contra retentionem mensium valet.*

*5. Rad. rhod. contusa, & mixta cum sem. fœniculi flor. anthos, pul. cinam. Macis, atque cum linteo vel syndone rubeo ligata in nodulo, si infundatur in vino vel cerevisia, & per septimanam integram loco potus bibatur m. & v. matricem frigidam calefacit, menses movet, & contra leucophlegmatiam valet.*

*6. Rhodia rad. cum iisdem mixta, & in nodulo ligata, si insuper addatur aliquid Myrrhæ, magis prodest ad menses movendos, nisi quod magis alienum saporem habeat.*

*7. Rad. Rhod. infusa in vino cum Caryophyllata, simul corrigit matricem frigidam, & valet contra Apoplexiam & Paralysin.*

## CAPUT XX.

### DE RUBIA.

Ἐρυθρόδανον, Latin. Rubia, German. Ferberröth. Vide *Matthiol. pag.* 659.

Est duplex una sylvestris, altera sativa, quarum hæc præfertur, & in Silesia optima nascitur. *Substantia* ejus est tenuium partium. *Temperamentum* est calidum in 2. & siccum in 3. gradu. *Vires ejus sunt* 1. calefacere multùm & exiccare valdè: 2. aperire & extergere: 3. movere urinam, menses & sanguinem concretum dissolvere. Usus ejus est exiccatæ.

### REMEDIA.

*1. Rad. rub. ℥j. pulverisata, & in aceto assumpta, sanguinem concretum dissolvit.*

*2. Rad. pulverisata, & mixta cum sper. Ceti & Mumia ana ℈j. atque epota cum aceto calido, magis sanguinem concretum dissolvit.*

*3. Ead. rad. eodem modo mixta, & usurpata, tam lienosis, quàm contusis carnibus, applicata prodest.*

*4. Rubia cocta in aq. & epota Ictericiam sanat.*

*5. Rad. rub. cum asparag. fœnicul. rad. liquiritiæ & passulis cocta, atque m. vque epota spleneticis obstructionibus medetur.*

## CAPUT XXI.

### DE SIGILLO SALOMONIS.

Πολυγόνατον, Lat. & Offic. Sigillum Salomonis, german. Weißwurtz/ alibi Ciriackwurtz. Vide *Matthiol. pag.* 678.

*Substantia* est contrariarum partium, nimirum tenuium & terrestrium. *Temperamentum* quoque admirando modo est mistum ex contrariis qualitatibus, scilicet ex frigiditate, propter quam astringit, & caliditate, propter quam est acris. *Vires ejus* sunt 1. temperatè afficere cutim & carnem: 2. astringere & detergere: 3. mundificare cutis ulcuscula & carnem, præsertim post morbillos. Usus ejus est multiplex, ut indicabunt remedia.

### REMEDIA.

*1. Pulvis rad. sigill. Salom. infusus in aq. fabarum, si lavetur eo facies, detergit & mundificat.*

*2. Pulvis rad. Sigill. Salom. cum amylo mixtus & aquis fabar. rosar. & similibus infusus, si applicetur fricando & lavando cuti exulceratæ ex morbillis cicatrices tollit.*

*3. Sigillum Salom. eodem modo usurpatum faciei maculas tollit.*

*4. Aq. destillata Sigill. Salom. si ea lavetur facies, cutim molliorem reddit.*

*5. Eadem cicatrices ex vulneribus sensim mitigat, præsertim si prius pinguedine piscis Tithymalli illinatur, & aliquanto post aq. illâ abluatur.*

## CAPUT XXII.

### DE SQUILLA.

Σκίλλα, Lat. & Offic. Squilla, Meerzwiebel / Sativa provenit, vel saltem recens apportata diu

diu conservatur. Vide *Matthiol. pag. 454. sub Titulo: Scilla major, radice rubra.*

*Substantia* ejus est tenuium partium: *temperamentum* est calidum & siccum in 2. gradu. *Vires ejus sunt* 1. calefacere & exiccare: 2. discutere & incidere crassa: 3. pituitam expurgare. Usurpatur assata & exiccata.

*REMEDIA.*

1. *Squilla cocta in aceto, remedium est ad digerendam & incidendam pituitam crassam atque viscosam.*
2. *Squilla inuncta verrucis eas tollit.*
3. *Acetum squilliticum quant. unius cochlear. corpus laxum & molle firmat, in juventute conservat, a putredine vindicat, & benè coloratum efficit.*
4. *Aceto squillitico, si laventur gingivæ sanguinolentæ, sanantur.*
5. *Idem acetum epotum crassos humores, & pituitam & atram bilem, attenuat & incidit.*
6. *Idem cochlearis quant. assumptum, appetitum amissum restaurat.*
7. *Idem epotum hepar & lienem corroborat.*
8. *Squilla contusa, & volis plantæ applicata, dolores capitis lenit.*
9. *Eadem eodem modo usurpata, Epilepsiam quodammodo mitigat.*
10. *Oxymel squilliticum duor. cochlear. mensurâ sumptum & epotum, contra epilepsiam efficax est.*
11. *Oxymel squilliticum mixtum cum pul. nucis moschatæ & m. & v. epotum, diuturnos morbos epilepticos mitigat, ac tandem prorsus tollit.*
12. *Oxymel squilliticum mixtum cum syr. stæch. Arab. in aquis Betonicæ, Melissæ, Tiliæ, in forma potionis, efficacissimè contra epilepsiam prodest.*

## CAPUT XXIII.

### *DE TORMENTILLA.*

Ἐπτάφυλλον, Græcis, Tormentilla, Lat. & Offic. Germ. Tormentill. Vide *Matthiol. pag. 674. sub nomine: III. Tormentilla.*

Hujus radicis *substantia occulta* est alexipharmaca; *manifesta* verò terrearum est partium: *temperamentum* est frigidum in 11 & siccum in 3. gradu. *Vires ratione substantiæ* sunt resistere pesti & omnis generis venenis: *ratione qualitatum* 1. exiccat valdè, & refrigerat aliquantulum: 2. astringit & incrassat: 3. sistit sanguinem & consolidat. Usurpatur autem recens & sicca.

*REMEDIA.*

1. *Tormentillæ aq. & decoctum omnibus veneni generibus prodest.*
2. *Eadem contra pestem quoque & venenatos animalium morsus valet.*
3. *Tormentillæ pulvis mixtus cum pul. Zedoariæ, Angelicæ & Theriacâ, contra pestem prodest.*
4. *Tormentillæ pulvis mixtus cum sem. Acetosæ plantag. C. C. V. ana ℈ß. diacydon. simpl. conf. rosar. antiq. ana ʒj. fit utile & efficax electuarium contra dysenteriam, si scilicet eodem crebriùs æger utatur.*
5. *Tormentilla vel decocta, vel destillata, & epota, intestinorum ulcera in dysenteria sanat.*
6. *Insessus in decoctum Tormentillæ, menses muliebres sistit.*
7. *Tormentilla pulverisata, & mixta cum nuce moschata, & succo Acaciæ, atque pani in forma emplastri illita, & calidè imo ventri apposita, idem præstat.*
8. *Radix Tormentillæ & bistortæ, unà cum rosis rubeis, in vino rubeo decocta, & postea instar lavacri ad imum ventrem usurpata, mulierum sterilitatem, ex nimia humiditate & lubricitate uteri, tollit ac sanat.*
9. *Pulvis Tormentillæ inspersus vulneribus sanguinem sistit.*
10. *Tormentilla pulverisata, & aceto infusa eodemque postea exteriùs illito, herpetes tollit.*
11. *Aqua tormentillæ cum aq. caud. equin. & fol. querc. mixta, & sæpiùs epota, dysenteriam sanat, & profluvium muliebre sistit.*
12. *Aqua Tormentillæ & aq. fol. querc. epotæ diarrhœam & omnes alvi fluxiones sedant.*
13. *Eadem aq. mista cum syr. de myrto in forma potionis, idem efficacius præstat.*

## CAPUT XXIV.

### *DE VALERIANA.*

Φοῦ Græc. Valerian. Lat. & Offic. Baldrian / German. Vide *Matthiol. pag. 38. sub nomine I. Phu Magnum.*

Est autem duplex major & minor, quarum illa rarius apud nos in hortis colitur, frequenter aliundè affertur, atque tunc ea eligitur, quæ odore aromatico, sapore amaro & subacri, colore ad rubedinem vergente, prædita est. *Substantia* hujus radicis est *occulta & manifesta*: illa duplex est, nimirum quod resistat venenis, & quod vi aromatica viscera corroboret: hæc est tenuium partium. *Temperamentum* ejus calidum est & siccum in 2. ordine. *Vires ratione substantiæ* sunt 1. resistere venenis & viscera corroborare. *Respectu temperamenti*: 1. calefacit & exiccat valdè: 2. incidit, aperit & attenuat: 3. movet menses & urinam. Usurpatur recens & sicca.

*REMEDIA.*

1. *Pulvis Valerianæ contra stranguriam utiliter bibitur.*
2. *Decoctum Valerianæ in vino epotum idem facit.*
3. *Decoctum Valerianæ cum sem. anisi fœniculi & liquiritiæ rad. in aqua tussi & difficultati anhelitus medetur.*
4. *Decoctum Valerianæ eodem modo epotum prodest ad lateris dolorem, præsertim in pleuritide notha.*
5. *Valeriana ore masticata tùm esu, tùm odore, ab aëre pestifero præservat.*

*7. Valerianæ pulvis mixtus cum Theriaca vehementius sudorem movet, & contra pestem valet.*

8. *Valerianæ decoctum in febribus pestilentialibus vel solum usurpatum, vel cum refrigerantibus mixtum, putredinem in febribus pestilentialibus inhibet.*

9. *Valerianæ aqua à peste infectis utiliter bibitur.*

10. *Valeriana infusa in vino, quotidiè epota, menses aperit & movet.*

11. *Cerevisia valerianæ à peste præservat.*

12. *Cerevisia in qua nodulus ex valeriana infusus fuit à puerperis, quibus menses retinentur, utiliter bibitur.*

CONCLUSIO.

Hæc sunt illa, quæ de selectis Plantis & Radicibus ex prælectionibus & observationibus Celeberrimi Medici, Dn. D. JACOBI HORSTI, p. m. Patrui & Præceptoris nostri honorandi cum Auditoribus nostris in Academia quondam communicare voluimus, ubi multa superflua omisimus, & hinc & indè plurima necessaria addidimus. Hujus igitur beatis Manibus, post DEUM, omnes agant gratias, qui ex propositis utilitatem aliquam sibi pollicentur.

*Faxit DEUS ter opt. max. ut omnia ad sui nominis gloriam, & sanitatis humanæ emolumentum cedant.*

FINIS.

---

# OPUSCULUM
## DE
# VITE VINIFERA EJUSQUE PARTIBUS:

## *In quo tùm VINORUM tùm ACETI tùm etiam passularum differentia, usus, substantia, complexio, vires, & medicamenta complura eaque optima quàm brevissimè traduntur.*

Conscriptum ANNO M. D. LXXXVII.

*à*

CELEBERRIMO MEDICO

*JACOBO HORSTIO, ARTIUM ET MEDICINÆ DOCTORE, Illustrissimorum Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium Medico & Professore Medicinæ IN JULIA Academia Helmstadiana.*

### VITIS.

ΑΜΠΕΛΟΣ οἰνοφόρος Græc. Lat. Vitis, Germ. Weinstock dicitur.

Planta quidem omnium ultima maturando est: Sed amœnitate, fructu & utilitate facilè primas tenet. Specierum multarum est, adeò ut ne numerari quidem possint, sicut *Virgilius lib. 2. Georg.* de ea cecinit:

*Sed neque quàm multæ species, nec omnia, quæ sunt,*
*Est numerus, neque enim numero comprendere refert.*
*Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem*
*Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ;*
*Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,*
*Nosse, quot Ionii veniant ad littora fluctus.*
*Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.*

### USUS.

*Usus ejus est:*

Et

Et in foliis,
Et in fructu, scilicet uvis:
Et in succo,
Et in vini aceto,
Et in radice,
Folia recentia tantùm usurpantur Emplastri loco.

Uva usurpatur aut recens aut sicca.

*Recens rursus*

Aut immatura græcis ὄμφαξ dicitur. Aut matura:

Immatura uva recens usurpatur & ad succum non inspissatum, ut cùm coquitur ad consistentiam Syrupi cum Saccharo inde fit *syrupus de agresta*.

Et ad succum inspissatum.

Undè *agresta* vel *Omphacium*.

Uvæ maturæ recentes adhuc crebriùs usurpantur:

Vel integræ, & bifariam: Primùm si comedantur cum cute & acinis. Deindè si absque cute & semine exugantur.

Vel expressæ ad succum: vel ad mixturam succi cùm aqua, undè in ultima expressione δευτερία græcis. Latinis Lora, Germanis Laur.

Uvæ siccæ aut integræ suspenduntur, & aliqua ex parte exiccantur. Quæ minus humiditatis habent, minus inflant, & salubriores sunt, quàm recentes. Aut sole siccantur undè fiunt uvæ passæ.

Quæ triplices hodiè inveniuntur. Primi generis. Uvæ maximæ passæ: olim Damascenæ, hodiè Officinis Cibebæ, vel uvæ Cibetites, dictæ Germanis Cybeben.

Secundi generis. Uvæ passæ mediæ, hodiè passulæ majores, groß Rosin.

Tertii generis. Uvæ passæ minimæ, quæ sunt sine nucleis, officinis Corinthiacæ, vulgò passulæ, klein Rosin.

*SUCCUS uvæ usurpatur.*

Aut coctus, aut non coctus.

Succus uvæ coctus duplex habetur. Unus usurpatur ad sapam vini, cujus usus est in compositionibus quibusdam, & sapa & Rob ferè pro eodem habetur. Alter ad condiendum cum saccharo, & aromatibus, Undè *Rob vini magis compositum*.

Quorum hic domi pro salsamentis: Ille in Officinis usurpatur.

Succus non coctus rursus triplex est. Unus *mustum*, quod nihil aliud est quàm succus non defecatus.

Alter, *Vinum*, quod succus uvæ probè defecatus.

Tertius est *acetum*, quod nihil aliud est, quàm vinum aliquo modo corruptum.

Vini autem, musti, & aceti non tantùm in cibo, verùm etiam in medicamentis multiplex usus est.

Tum ad odoramenta,
Tum ad emplastra,
Tum ad epithemata,
Tum ad unguenta,
Tum ad potiones.

Sed species tùm vini, tùm aceti, complures inveniuntur. Quarum utilissimas medico non tantùm nosse, sed etiam probè distinguere semper oportet.

*Differentiæ igitur vini præcipuæ hæ sunt.*

*Prima sumitur ab essentia.*

I. Vinum aliud est simplex,
aliud compositum.

*Secunda ab ætate:*

II. Vinum simplex aliud novum,
aliud vetus.
aliud medium.

*Tertia à consistentia.*

III. Vinum aliud est tenue,
aliud erassum,
aliud medium.

*Quarta à colore.*

IV. Vinum aliud est rubrum
aliud album.

*Quinta est subdivisio coloris rubri ratione.*

V. Vinum rubrum aliud est nigrum,
aliud fuscum,
aliud ruffum.

*Sexta est subdivisio coloris albi ratione.*

VI. Vinum album aliud simpliciter dicitur album,
aliud fulvum seu flavum, aliud medium.

*Septima à sapore.*

VII. Aliud habet qualitatem unam in sapore.
Aliud qualitates plures simul, ut Vinum dulce astringens acre simul.

*Octava sumitur à subdivisione simplicis saporis.*

VIII. Vinum unius qualitatis in sapore,
aliud dulce,
aliud austerum,
aliud medium inter illa.

Aliud acerbum, quod magis astringens est quàm austerum.
aliud acre,

aliud

aliud amarum,
aliud acidum.

Quorum genera posteriora duo Galenus vult per accidens accidere vino.

*Nona ab odore.*

IX. Vinum aliud est odorum,
aliud inodorum.

*Decima est subdivisio odoris ratione.*

X. Vinum odorum aliud est boni odoris. Undè in Officinis scribitur vinum odoriferum: Aliud mali odoris, ut vina fœtida.

*Undecima à virtute seu efficacia.*

XI. Vinum aliud est potens,
aliud imbecillum.

Potens aliàs dicitur forte, vel etiam generosum. Imbecillum vinum dicitur aquosum.

Et inter hæc duo genera vini semper statuatur etiam medium.

*Duodecima à loco nativo.*

XII. Vina alia sunt ignobilia,
alia nobilia.

Ignobilia intelligi possunt vina communia seu vulgaria,
Sive Francica:
Sive Misnensia:
Sive Marchiaca,
Sive Lusatica.

Nobilia autem quæ hodiè celebriora sunt, hæc numerantur:

1. Rhenana.
2. Moravica.
3. Austriaca.
4. Ungarica.
5. Italica.
6. Græca.
7. Vipaca.
8. Malvatica.
9. Rhetica: ubi semper aliud vinum alio nobilius invenitur, verbi gratia:

Inter Moravica, Austriaca & Ungarica, hæc virtute seu potentia antecellunt: Moravica minima sunt. Austriaca media. His autem omnibus ratione sanitatis præfertur Rhenanum.

Nobilissima omnium Vipaca, Malvatica, Græca & Rhetica habentur.

*Decima tertia à subdivisione compositorum.*

XIII. Vina composita.

Alia sunt simpliciter talia per se composita, Alia adhuc diluta aqua.

*Decima quarta à subdivisione compositorum simpliciter per se.*

XIV. Vina composita per se rursus.
Alia sunt confecta ex aromatibus & aromatisata dicuntur:
Alia ex herbis.

*Decima quinta sumitur à divisione vinorum aromatisatorum.*

XV. Vina aromatisata.
Alia sunt clareta.
Alia Luterana.
Alia aliis modis medicata.

XVI. Vina confecta ex herbis & aliis materiis idem varia sunt.

1. Aliud enim est vinum extractionis auri.
2. Aliud vinum acaciæ.
3. Aliud vinum absinthites.
4. Aliud vinum citrium.
5. Aliud vinum enulatum.
6. Aliud vinum euphragiatum.
7. Aliud vinum hyssopicum.
8. Aliud vinum Lavendulæ.
9. Aliud vinum Rosmarini.
10. Aliud vinum Salviatum.
11. Aliud vinum scolopendriacum.
12. Aliud vinum ligni Guaiaci infusum in uvis recentibus, germanis dicitur Beer Wein von Holtz.

*Decima sexta à destillationis differentiis.*

XVI. Aliud rursus vinum destillatur ex fece vini, Aliud ex vino ipso præparatur, & utrunque dicitur vinum sublimatum vel ardens, vel aqua ardens: quod variat ratione majoris & minoris destillationis. Explodendum est vinum sublimatum ex vaporibus aliarum rerum, nec hic intelligatur.

*Decima septima subdivisio sublimati.*

XVII. Vinum sublimatum, Aliud est simplex: aliud aromatisatum.

Quorum hoc ab illo differt, quod simul cum vino varia aromata destillentur.

*Decima octava sumitur à subdivisione compositorum cum aqua.*

XVIII. Vina diluta aqua quoque diligentiùs distinguantur,

Alia

Alia enim sunt, ubi minimum aquæ & plurimum vini miscetur, ut manifesta repræsentatio vini semper maneat, qualia vina maximè sanis conveniunt.

Alia verò sunt, ubi è contra minimum vini & plurimum aquæ miscetur, ut manifesta semper repræsentatio aquæ maneat. Qualia vina ægris febricitantibus maximè conveniunt, quòd & refrigerent magis, quàm ipsa aqua. Hæc de speciebus vini.

### *Vinorum autem usus est.*

Tum ad alimenta & in cibis & in potionibus, tum etiam ad medicamenta, aque tùm externa, tùm interna.

ACETUM ubi in autoribus legitur, semper acetum vini intelligendum est. Nec acetum aliud quid est, quàm vinum acidum, undè quibusdam vinum mortuum dicitur.

Hoc iterum duplex usurpatur. Unum simplex, alterum compositum. Acetum simplex non est ad unguem, cùm teste Galeno ex contrariis constet: tamen ad differentiam compositi, simplex dicatur necesse est, atque aliud album, aliud rubeum invenitur, quorum illud semper præstantius habetur.

### *Acetum compositum variorum generum est.*

Horum enim aliud est acetum violaceum.
Aliud rosaceum,
Aliud acetum mulsum, oxymel dictum.
Aliud scyllinum acetum,
Aliud oxymel scyllinum,
Aliud passulatum.
Aliud syrupus acetosus simplex,
Aliud syrupus acetosus compositus,
Aliud oxysacchara simplex & composita.

### *Aceti simplicis usus est.*

Et in cibo,
Et in salsamentis,
Et in medicamentis, tùm externis, tùm etiam internis:

Vel ad potiones, sicuti theriaca & similia aceto diluuntur.

Vel ad lotiones oris, si misceatur cum aqua, quod sæpiùs in usu est etiam contra sitim.

Vel ad odoramenta,
Vel ad Epithemata,
Vel ad infundenda semina,

Pulveres, aliaque medicamenta,
Acetum violaceum usurpatur:
Et ad Epithemata,
Et ad salsamenta,
Sicut quoque acetum passulatum,
acetum rosaceum
Omnium creberrimè in Syncope usurpatur.



### *Acetum Scyllinum in compositione medicamentorum.*

Oxymel multis modis usurpatur, aliter Dioscoridi: aliter Galeno: aliter Mesuæ. Atque hæc præparatio hodiè in Officinis tantùm in usu est, ex aceto, aqua & melle, & habetur oxymel aut simplex, aut compositum, aut oxymel etiam Scylliticum, idque iterum duplex. Unum simplex, alterum compositum.

Quorum omnium usus est multiplex: Tum si solum lambatur uno vel altero cochleari, tùm etiam si cum aquis destillatis, vel cum aliis liquoribus in forma potionis misceatur.

### *Syrupus acetosus simplex eodem modo usurpatur.*

Ὀξυσάκχαρα duplex quoque habetur. Una simplex, altera composita. Et usurpatur vel sola lambendo, vel in forma potionis, si cum aquis & decoctis misceatur.

Radix Vitis intelligitur, non tantùm ea, quæ est interna, sed etiam racemus, à quo dependent uvæ. Illius cinis usurpatur ad lixivia pro lotionibus, tùm capitis, tùm etiam pedum, nec non pro epithematibus.

## SUBSTANTIA.

Substantia partium vitis variat:

Substantia foliorum vitis est terrea, licet recentiorum subaquea quodammodo videatur.

Substantia uvarum immaturarum est terrea quoque.

Substantia uvarum maturarum, earumque recentium, quo ad succum & carnem est aquea, undè laxat: quo ad membranas & semina, terrea, astringensque.

Sed earum substantia occulta atque admiranda quoque observetur.

Una est nutriendi, quia inter fructus fugaces magis nutriunt, & minus pravi succi habent, licet pro diversitate specierum dulces uvæ magis nutriant: austeræ minus, acerbæ minimè.

Altera substantia est laxandi vel purgandi, maximè in pinguibus & dulcibus.

Substantia uvarum passarum.
Alia quoque occulta.
Alia manifesta est cognoscenda.

Occulta substantia præsertim minimarum est valdè Hepatica, quod à tota substantia jecur & lienem corroborant. Teste quoque Galeno 3. de medicamentorum compositione.

Manifesta est aquea mixta, cum aliqua terrea, ita ut in se contineat aliquid astringens. Sed tamen multum variat, ratione ejus, quod aliæ sint pinguiores: aliæ sicciores, quarum hæ semper magis astringunt & minus laxant, illæ contra se habent.

Sic passulæ maximæ, cibebæ dictæ, maximè ventrem laxant.

Passulæ corinthiacæ dictæ omnium minimè, præsertim si aridæ sint, & siccissimæ: mediæ dictæ sunt passulæ majores, medio modo laxant.

Substantia sapæ manifesta est tantùm, scil. aquea, undè laxat ventrem magis, & purgat adustos humores atq; atram bilem: ut videre licet in syrupo de epithymo.

Substantia Rob vini aromatisati non tàm laxat quàm corroborat, ideòque ejus substantia aquea minus habetur, & magis ad terrestrem accedit. Substantia musti manifesta quoque tantùm habetur, est autem aquea & crassiorum partium, undè simul laxat ventrem & inflat.

Substantia vini latiùs patet.

Alia n. est occulta, alia manifesta.

Substantia vini occulta multiplex existit.

1. Nutrire.

2. Nervos, caput & mentem tentare, ac immodicè sumptum, prudentiæ nocumentum & nervorum noxam esse.

3. Penetrare & inprimis ad Renes & articulos pertransire.

4. Mentem exhilarare & spiritus cordis regignere.

*Sed & hæ substantiæ occultæ præ diversitate specierum vini magis minusque habentur. In nutriendo valent hæ Regulæ.*

1. Dulcia vina magis nutriunt quàm alia.

2. Vina crassa, magis nutriunt quàm tenuia.

3. Vina rubea dulcia magis nutriunt, quàm alba dulcia.

4. Vinum austerum & aquosum minimè nutrit.

*Deinde similiter in feriendo nervos & caput hæ Regulæ teneantur.*

1. Vina fulva magis caput petunt quàm alia.

2. Vina tenuia magis capiti & nervis nocent quàm crassa.

3. Vina potentia magis quàm imbecilla.

*Postremò in penetrando & pertranseundo ad Renes & articulos hæ quoque regulæ utiles sunt.*

1. Vinum post caseum bibere duplo plus calculum gignit.

2. Vinum epotum cum petroselino prodest calculosis & arthriticis.

3. Vinum epotum cum Betonica & floribus Stœchados arthriticis magis prodest. Vinum cum Saxifraga epotum magis calculosis.

4. Vina tenuia fulva & fortiora omnium maximè nervis nocent.

*Manifesta substantia vini ex differentiis vinorum antea declaratis constat. Sufficiat igitur scire.*

1. Crassissima vina esse nigra, minus crassæ substantiæ esse fusca & rubea, minimè omnium fulva aut alba.

2. Vina fulva omnium tenuissima sunt, alba verò omnium minimè: media medio modo sese habent.

Substantia vini sublimati est tenuiorum partium.

Substantia aceti alia est occulta, alia manifesta.

Occulta est alexipharmaca, quod resistat venenis.

Manifesta verò est tenuium partium, eoque magis, quo validius acetum existit.

Substantia radicis Vitis est terrea, licet cinis radicis magis abstersoria & ignea existat.

## TEMPERAMENTUM.

Vitis κρᾶσις seu complexio pro ratione partium iterum diligenter distinguenda est. Folia vitis sunt frigidæ & siccæ naturæ in primo gradu.

Uvæ immaturæ & succus earum omphacium est frigidi & sicci temperamenti in secundo gradu.

Uvæ maturæ recentes, teste Simeone Sethi, calidæ & humidæ sunt in primo gradu.

Mustum, teste Galeno, est calidum & siccum in primo gradu.

Vinum novum calidum & siccum in secundo gradu est. Vetus in tertio.

*Sed in gradibus vini magna varietas est, pro qua hæ teneantur regulæ.*

1. Quò vetustiora vina, eò calidiora.

2. Quò generosiora, eò calidiora.

3. Vina aquosa imbecilliora minus calida sunt; magis fortia: generosissima omnium maximè: austerum omnium minimè, ut non rarò apud autores legatur refrigerare, quorum hoc semper respectivè, si vinum ad aliud conferatur, intelligendum est.

4. Vina alba sunt calidiora, rubea minus.

5. Rubea nigra & crassa minimè calida sunt, undè quoque respectivè ad alba collata vina rubea refrigerare dicunt.

6. Vina fusca calida sunt, vina russa magis, vina fulva maximè.

7. Vina fulva rhenana minus calidę naturæ sunt. Ungarica fulva magis. Rhetica & malvatica maximè.

Vina v. medicata pro natura compositionis calidiora magis minusque redduntur, nonnunquam etiam frigidiora.

Vinum sublimatum pro destillationis diversitate variat: Vinum enim ex optimo vino destillatum calidius & siccius est, quàm ex fecibus vel vino ignobiliori:

Dein vinum bis fermè destillatum, fortius altero existit.

Vinum enim sublimatum aliàs aqua ardens, vel aqua vitæ dicta, non intelligatur aliud, quàm ex vino destillatum in medicis operibus. Atque omne hoc calidum & siccum in quarto gradu habetur, & in magna copia sumptum ignis absolutè ferè redditur.

Hujus siccitatis in vino testimonium *Gal. in* 8. *de simplicium medicamentorum facultatibus* notat, ubi dicit:

cit: *Vinum ex secundo ordine est calefacientium, vetus ex tertio, mustum ex primo. Caliditati proportione respondet siccitas.*

Idem alibi *tertio de pulsibus*:

*Victus si diutius durat siccus, & medicamentorum exiccantium esus, potioque excedat, in quibus est vinum meracum, media &c. homines exiccantur.* Nec obstat, quod *Galenus* alicubi vinum humidum statuit. Verbi gratia, primo de temperamentis dicit:

*Sanguis, pituita, adeps, vinum, oleum, vel quicquid huic simile est humidum dicitur.* Nam Galenus ibidem vini naturam seu temperamentum per se absolutè considerat, sicuti Physici, quod humidum præpolleat in in vino ratione portionis elementorum, & eatenus revera est humidum. Hic verò in doctrina simplicium medicamentorum qualitates non absolutè considerantur, sed quatenus conferuntur ad hominem, primum ad temperatum & εὔκρατον, dein ad intemperatum: tertiò ad ægrum: & eatenus vinum est temperamenti calidi & sicci, hoc est, quod omnes homines calefaciat & exiccet. Sed adhuc objici possit aliud *Galeni in Epidemiis: In sputo facilitando, ubi sunt sicciores tusses, ibi mulsa & vinum magis, quam aqua humectant, & ante Ptisanam assumenda sunt.* Sed facilis solutio est per distinctionem diversi temperamenti, quorum aliud est in vino ἐνεργείᾳ vel actu, aliud est potentia temperamentum. Quod actu existit iterum humidum est, nec diu durat: Temperamentum verò in potentia vini, quod maximè in homine operatur, siccum est atque manet.

A C E T U M tanquam vinum mortuum, sine omni controversia doctiorum, est temperamenti sicci in tertio gradu, de altera qualitate, utrum sit calidum vel frigidum, variant autorum sententiæ, cum alii calidum in summo gradu, alii frigidum in summo statuunt, alii utrumque in aceto vini inveniri velint, scilicet calidum in quibusdam partibus aceti, frigidum quoque in aliis partibus, alii calidum quadantenus, aut frigidum etiam submissè maluerunt, de quibus latius vide *libro 1. Galenum de simplicium medicamentorum facultatibus.* Sed si res ipsa spectetur, ita sese habet, ut acetum vini diversarum partium, earumque contrariarum sit, atque simul aliquid calidum ratione putredinis, quæ accessit, & aliquid frigidum ratione vini emortui adsit, & nihilominus tamen frigidum planè præpolleat, ita ut rectè à Dioscoride & Galeno acetum vini frigidum in primo gradu, & ferè in secundo, dicatur, licet etiam acrius acetum eò calidius evadat, tamen semper plus frigidi retinet.

R A D I X vitis est frigidi & sicci temperamenti in secundo gradu, ejus verò cinis calidior redditur.

V I R E S iterum pro ratione partium distinctæ sunt.

1. In foliis vitis est prima facultas actu humectare, quod tamen parum diu durat: & potius potentia refrigerare & exiccare.
2. Astringere.
3. Sanare ulcera capitis & aliarum musculosarum partium.

*Deindè in uvis immaturis, seu succo omphacio dicto, seu syrupo, indè composito, scilicet syrupo de Agresta.*

1. Refrigerare & exiccare multum.
2. Astringere.
3. Vomitum & profluuium alvi ex bile sedare, & sitim in febribus lenire.

*Tertiò in uvis maturis.*

1. Calefacere & humectare.
2. Ventrem laxare.
3. Purgare, & flatus gignere.

*Quartò in uvis passis.*

1. Calefacere, & parumper humectare, cum modica astrictione.
2. Contemperare biliosos & crassos humores, atque detergere.
3. Laxare ventrem, eoque magis quò sunt pinguiores.

Facultas passularum minorum ratione totius substantiæ,

Est corroborare hepar & lienem.

*Quintò sapæ.*

1. Calefacere & humectare parum.
2. Emollire.
3. Laxare ventrem.
4. Ratione substantiæ,

Purgare adustos humores & melancholicos.

*Sextò Rob vini Aromatisati.*

1. Calefacere & exiccare.
2. Attenuare & incidere humores crassos.
3. Discutere flatus & corroborare cor atque ventriculum.

*Septimò musti.*

1. Calefacere & exiccare parum.
2. Incrassare & flatus gignere.
3. Laxare ventrem.

*Octavò vini.*

In omnibus generibus est calefacere & exiccare, sed tamen pro ratione majoris & minoris tanta differentia est, ut si ad sese invicem vina conferantur, subindè alia minus alia magis calefaciant, ut non incommodè respectu alterius vini quædam refrigerare dicantur.

### Verbi gratia.

Rubeum tàm parùm calefacit, ut respectu albi refrigerare dicatur:

Rursus aliquid album, veluti album aquosum & austerum, respectu flavi, tàm parùm calefacit, ut & alicubi apud autores legatur, refrigerare, quod nunquam de propria natura per se intelligatur, sed quod minus calefacit, collatione ad alia vini calidiora.

Secunda facultas ferè in singulis gradibus variat, ideoque vini albi austeri secunda vis est astringere.

### Tertia est,

Fluxiones repercutere.

Vini dulcis sive albi sive flavi secunda facultas est.

Digerere atque concoquere semicrudos humores, & crassam pituitam incidere, sed omnium maximè fulva vina.

### Tertia facultas,

Aperire obstructiones hepatis & lienis, hæmorrhoides provocare, urinam & menses movere.

### *Vini rubei & crassi secunda facultas.*

Astringere.

3. Obstructiones viscerum gignere, flatus augere, menses sistere & calculo nocere.

### *Nonò vini sublimati.*

1. Calefacere & exiccare quàm maximè.
2. Discutere flatus, crassos humores, etiam penetrare ad remotissimas partes.
3. Movere menses, urinam, & sudorem.

### *Decimò vinorum medicatorum.*

1. Eadem ferè manet, scil. calefacere & exiccare, quòd ex temperamento cujusvis herbæ vel aromatis proprietate, quo medicatum vinum reddimus, facilè conjicere licet.
2. Attenuare, incidere crassa.
3. Aperire viscera pro cujusque herbæ vel aromatis proprietate.

### Verbi gratia:

Scolopendriacum lieni prodesse:
Rosmarinum capiti & nervis.
Absinthiacum ventriculo & Hepati.

### *Alicubi tamen præparatur vinum Acaciæ nostratis, cujus virtutes planè contrariæ sunt.*

1. Calefacere in primo, vel ferè refrigerare & exiccare multùm.
2. Astringere.
3. Sistere omnes fluxiones sive sanguinis, sive mensium, sive alvi.

### *Undecimò aceti.*

1. Refrigerare & exiccare.
2. Repellere & simul incidere, attenuare & discutere. *Galen. 2. de comp. medica. secundum loca.*
3. Fluxiones sistere & tumores resolvere.
4. Ratione substantiæ,
   Contra pestem & venena multum prodesse.

### *Duodecimò vitis radicis.*

1. Refrigerare & exiccare.
2. Astringere.
3. Repercutere fluxiones. Veruntamen in cinere aliquid caliditatis acquirit, astrictionem temperat, ideoque contra tumores vel hydropicos, vel œdematum, vel erysipelatum, lixivium indè paratur, & cum sapone veneto præparatum, adhibetur cum linteo epithematis modo.

---

## REMEDIA.

### *Medicamenta hæc inde sumuntur probatissima.*

### I.

*Remedia à foliis vitis*

Folia vitis scabiei siccæ vel capitis vel aliarum partium exteriùs impofita, primo actu emolliunt eam, sed majori astrictione statim iterum exiccant, repellunt & planè sanant.

2. Folia vitis fronti imposita dolores capitis ex bile vel ex febribus sanant, vel saltem mitigant.

*Remedia ab uvis immaturis.*

3. Syrupus de agresta vomitum, & alvi profluvium biliosum cohibet, si vel solus lambatur, vel cum aliis aquis & syrupis in forma potionis ebibatur.

4. Syrupus de agresta in febribus & magnis æstibus sitim repellit.

5. Syrupus de agresta gravidarum mulierum vomitum, si necessitas postulat, reprimit ac ventriculum firmat.

6. Oleum omphacinum cum foliis
   Sampsuchi Mj.
   Serpilli Mij.
   Myrthi Mß.
   Abrotani
   Sisymbrii an. p. j.
   Cassiæ ligneæ veræ uncia j.

Infusum & permissum stare ad solem per 8. dies, utile

utile oleum est contra inflammationes.

7. Idem oleum in balneo inunctum Paralysin sanat.

8. Idem naribus inunctum, & auribus immissum, à flatibus tinnitum sanat.

9. Uvæ maturæ, si sine acinis comedantur, paulò copiosius, ventrem laxant, eoque magis dulces & carnosæ.

10. Uvæ maturæ recentes ventrem inflant, lædunt & obstructiones viscerum gignunt.

11. Passulæ maximæ cibebæ dictæ, si vel solæ comedantur, quantitate manipuli ante cibum, vel jusculum decocti earum largius bibatur, ventrem solvunt.

12. Passulæ majores vel mediæ enucleatæ, æquè atque cibebæ, ventrem laxant, eodem modo usurpatæ licet paulò minus.

13. Passulæ minores Corinthiacæ in aqua frigida infusæ, si in paroxysmis febrium vel aliàs in æstu comedantur, sitim leniunt.

14. Passulæ Corinthiacæ dulces in cibo sumptæ, benè nutriunt & semen augent.

15. Passulæ dulces sive comedantur, sive decoquantur in aqua & bibantur, tussi ficciori & exasperatis faucibus medentur.

16. Passulæ dulces, cum aqua hordei, si decoquantur, tussi prosunt, & sitim magis leniunt, & alvum emolliunt.

17. Passulæ maximæ Cibebæ, manipulo j. cum ZZ. ℥j. & foliis senæ uncia decocta in aqua sufficienti, ad remanentiam unciarum v. si colentur unciæ iiij. & una vice duabus vel tribus horis ante cibum calidè ebibantur, lenissimè bilem utramque atque pituitam purgant.

18. Passularum aliarum eodem modo decoctarum & præparatarum potio, eandem efficaciam in purgatione habet, licet paulò minus.

19. Passulæ corinthiacæ in aceto infusæ pro salsamento in cibis usurpantur, & tùm epar, tùm renes valdè corroborant.

20. Passulæ corinthiacæ in parva quantitate & quidem sæpiùs ab epaticis pro corroboratione usurpari debent.

21. Passularum minorum pinguium atque dulcium usus affectibus pulmonis prodest.

22. Passulæ minores subastringentes, epati, lieni & renibus magis conducunt.

*Remedia à Rob vini.*

23. Sapa loco syrupi cum potionibus vel aliis syrupis miscetur, & aut lambitur quantitate cochlearium duorum vel trium, aut in forma potionis ebibitur, atque adustos humores & inprimis melancholicos purgat.

24. Rob vini aromatisatum, vel in salsamentis, vel etiam in copiosiori cibo sumptum, ventriculum corroborat, & spiritus vitales reparat.

*Remedia externa à vino.*

25. Vinum calefactum, & cum linteo in eo madefacto tanquam Epithema applicatum, contusis atque fractis dolorem lenit.

26. Vinum calefactum & cum linteo in eo madefacto applicatum tumoribus, præsertim si sit austerum, medetur, affluxum humorum cohibendo atque repellendo.

27. Vinum vulneribus infusum cum lana, vel linteo eadem sanat.

*Remedia interna à vino.*

28. Vinum in potu sumptum modicè pueris sanguinem gignit, & ocyssimè in alimentum vertitur.

29. Vini proprium est citò mutari in alimentum. *Gal. lib. 3. de temperamento.*

30. Vini duplum minus alit quàm mellis simplum. *Gal. de rat. victus.*

31. Vinum non habet tempus coctionis præfinitum, sed secundum naturam vini, & potatoris, tardius citiusque digeritur. *Gal. com. 5. aph. 5.*

32. Vina aptissima sunt ad deductionem alimentorum in corpus.

33. Vinum concitat validam alterationem. *Gal. 1. de causis pulsuum.*

34. Vinum concoctionem in quavis corporis parte adjuvat.

35. Vinum tempestivè in potu sumptum calorem innatum auget, spiritus vivificat, & flatus discutit.

36. Vinum cibi appetentiam excitat, & convalescentes facilius nutrit.

37. Vinum obstructiones viscerum aperit, & colorem bonum corpori conciliat.

38. Vinum cor exhilarat & animum addit.

39. Vinum immodicè sumptum ex accidenti corpus refrigerat, vitiosos frigidosque humores gignit, & calorem nativum suffocat.

40. Vinum immodicè sumptum ex accidenti frigidos morbos, scilicet Apoplexiam, Epilepsiam, Paralysin, Tremorem, stuporem, convulsionem & similes gignit.

41. Vinum immodicè sumptum memoriæ nocet, & sensus omnes perturbat, assiduos morbos parit, & repentinam mortem sæpè affert.

42. Vinum refrigeratum nive, aut aqua, aut glacie, cerebro, nervis, pectori & pulmoni, atque ipsi hepati sensim nocet, & magno detrimento est.

43. Vina fortia, eaque multa epota ante cibum, causant podagram.

44. Vinum in principio mensæ ab hominibus calidioris naturæ sumptum valdè nocet. *Galen. de tuend. sanit.*

45. Vinum calidis & siccis naturis corporum, præsertim in adolescentia, semper nocet. *Galenus ibidem.*

46. Vinum ægros omnes, exceptis febricitantibus reficit. *Gal. 7. meth. med.*

47. Vnum acceptum in pleuritide ante evacuationem nocet. *Gal. com. 1. de rat. victus in morbis acutis.*

48. Vinum in Pleuritide dari post evacuationem nullum potest, nisi album aquosum. *Hipp. de rat. victus in morbis acutis.*

49. Vinum in febribus magnis continuis dictis semper nocet. *Gal. 11. meth. med. cap. 7.*

50. Vinum in tertiana febri non dandum est, nisi post concoctionem.

51. Vinum salubre remedium est in febribus ephe-

meris ex lassitudine & mœsticia.

52. Vinum quoque in quartana magis conceditur.

53. Vinum post evacuationem per fluxionem alvi, vel sanguinis, vel alterius generis, si quis bibat antecibos, incidit statim in convulsionem. *Gal.com.2.aph.21.*

54. Vinum & facit convulsionem & sanat. *Gal. com. 5. Aph.5.*

55. Vinum capitis doloribus ab ardore & pulsibus temporum nocet. *Galenus de arte curativa ad Glauconem.*

56. Vinum capitis dolorem per consensum sanat. *Gal. lib.2. de comp. medicamentorum.*

57. Vini potio sanat oculorum dolores, si sine plethorica totius corporis dispositione copia sanguinis crassioris in oculorum venulis contineatur. *Hipp.6.Aph.31. & Gal.3.meth.*

58. Vinum evacuat per sudores & per urinas. *Hipp. de salubri diæta.*

59. Vinum frigidum corporis roborat. *Hipp. ibidem.*

60. Vinum modicum calidum est dandum frigidis & humidis naturis. *Gal. comment. 1. in Hippoc. de epidem. morb.*

61. Vini potio sanguinem sui motus vehementia diffundit, & obstructiones aperit. *Gal.com.6.Aph.21.*

62. Vini potio hæmorrhoides & menses movet.

63. Vini potio in qua nodulus cum
Sem. Fœnic.
Flor. Authos.
Rad. Rhodia.
Arom. Macis &
Cinamomo infusa fuerint, & ante menses & tempore mensium sæpiùs manè vesperique ebibita, contra obstructionem mensium valet.

64. Vinum non toleratur à plethorica dispositione, *Gal. com.7. Aph.46.*

65. Vinum est optimum antidotum, & habet valentes vires ad mitigandum, *Galenus 14.meth.med.*

66. Vinum somnum conciliat. *Gal.com. 3. in Epidem. & 4. de simp. med. facult.*

67. Vinum omnes humores optimos reddit. *Gal. com. 7. A. 56.*

68. Vinum senes juvenescere facit, *Gal.lib. quod animi mores sequantur temperamentum corporis.*

69. Vinum post purgationem in prandio sumptum dolores capitis auget.

70. Vulnerati in capite, à potu vini abstineant, *Gal. 2. de compositione medicament. secundum loca.*

71. Vinum sine cibo lædit. *Galen. 6. de morbis vulgaribus.*

72. Vinum si mox à balneis præ omnibus aliis cibis & potibus bibatur, caput tentat, & omnes nervos lædit. *Hipp. de salubri diæta.*

73. Vinum in balneo epotum nervos valdè lædit, & arthriticos subitò efficit, nonnunquam etiam Paralysin gignit.

74. Vinum à balneo non convenit, nisi senibus, idque aquosum.

75. Vinum album, & quod parum tolerat aquæ, post balneum salubre est, si non ante cibos quis sumpserit, nec fuerit æger.

76. Vinum puerperis datum post partum, dolorem capitis & sæpè convulsionem gignit, nec non delirium parit.

77. Vinum bibere interest, ut venter retineat, & coquat. *lib. de ratione victus acut.*

78. Vinum in potu magis prodest, quod unusquisque libenter bibit. *Gal.8. de compos.med.secundum loca.*

79. Vinum obest plurimis ægris. *6. de morbis vulgaribus.*

80. Vinum salubre remedium est ad colluendos dentes post esum lactis, idque multò magis, si misceatur cum melle. *Gal.3. de alim.facult.*

81. Vinum valet contra Hyoscyamum.

82. Vinum decoctum cum Hyoscyamo, & si eo laventur nares, & tempora, conciliat somnum.

83. Vinum, *à Dioscoride in frag.* scribitur, valere contra venenum opii, sed nostra experientia constat; non satis resistere veneno opii.

84. Vinum ad periculum vehementissimorum symptomatum quandoque exhibetur, ut contra Syncopen ex repletione.

85. Vini potio nocet morbillis & variolis, licet communis usus quodammodo excipiat rubeum vinum, quod intelligendum est de iis, qui cerebrum & nervos fortia, tutaque ab Epilepsia habeant.

86. Vinum pueris nocet tanquam venenum. *Gal.1. de tuen.san.*

87. Vinum pueris & adolescentibus nocet, maximèque gracilibus, hoc est, calidis & siccis. *Gal. 6. de tuen. san.*

88. Vinum dulce multum nutrit.

*Remedia à vino dulci in specie sumpta.*

89. Vinum dulce & nigrum sanguinem nutrit, capitis vertiginem, corporis gravedinem, stomachi turbationem, & somnos graves affert.

90. Vina dulcia crassa generant sanguinem post rubea. *Gal. de facul.nat.*

91. Vinum dulce rubeum crassum est nutribilius, & post hoc nigrum, crassum, dulce, & post hoc album, crassum, dulce. *Galenus in lib.15. M.* M.

92. Vinum dulce novum ægrè concoquitur & inflat.

93. Vinum dulce ventrem subducit, minus tamen vinosum. *Gal. com. 3. de ratione victus.*

94. Vinum dulce crassum magis ventrem mollit.

95. Vinum dulce post pruna magis dejicit ventrem.

96. Vinum dulce vinosum, vel etiam aliud vinum vinosum, hæmorrhoides & menses aperit movetque.

97. Vinum dulce vinosum omni alio vino magis penetrat, urinamqne movet.

98. Vinum dulce bilem auget & tùm picrocholis, tùm etiam febricantibus nocet.

99. Vinum dulce situm auget. *Gal.3. de ratione victus.*

100. Vinum dulce vetus lædit nervos, & articulis valdè nocet. *Dioscorides.*

101. Vinum dulce forte magis quoque caput, nervos & articulos lædit.

102. Vinum dulce sputum educit efficacius, quàm ullum aliud. *Hipp. de vict. in morb. acut.*

103. Vinum dulce imbecillum minus vinoso, caput petit.

104. Vi-

104. Vinum dulce asperitates arteriæ & thoracis lenit & mitigat.

105. Vina dulcia augent obstructiones hepatis & lienis, & hepati nocent, maximè ubi nova fuerint. *Gal. in comp. de ratione victus.*

106. Vina dulcia nocent omnibus, quibus aut viscera tumescunt, aut renes obstructos habent.

107. Vina dulcia sanguinem crassum gignunt.

108. Vinum dulce rubeum non facit vitiosos humores. *Gal. de boni & mali succ. cibis.*

109. Vinum nullum tenue exquisitè est dulce ideòque in medicationibus prodest. *Gal. com. 3. de ratione victus in morb. acut.*

110. Vina omnia, quæ nec crassa valdè nec dulcia vina sunt, vetustate fiunt flava, coruscantia instar ignis, & magis calefaciunt. *Gal. de boni & mali suc. cibis.*

111. Vina dulcia fortia conveniunt his, qui refici debent, si jecur, lien & renes vitio careant.

112. Vinum dulce turbidum hæret in viis.

113. Vinum dulce senibus aptum est medicamentum. *Gal. 5. de san. tuen.*

114. Vina dulcia pallida senibus conveniunt. *Gal. ibid.*

*Remedia à vino austero in specie sumpta.*

115. VINUM AUSTERUM parum nutrit, & multum medicamentosum est.

116. Vinum Austerum viscera corporis minus calefacit in potu sumptum, quàm alia vina, excepto tamen acerbo.

117. Vinum Austerum magis calefacit corpus, quàm aqua.

118. Vinum austerum crassum minus nutrit nigris vel rubeis crassis.

119. Vinum austerum ventriculum roborat. *Gal. 12. meth. c. 4.*

120. Vina austera caput inter omnia minimè tentant. *Ibid.*

121. Vina austera nova in Syncope fugienda sunt, sicut aqua, quia digestionem non promovent.

122. Vina austera, non amplius austera, in Syncope à bile omnium optima.

123. Vina austera, nec vetustiora, valdè astringunt *Gal. 5. de comp. med. generalium.*

124. Vinum austerum nigrum astringit. *Gal. 5. meth.*

125. Vina austera epota alvi fluxiones sistunt.

126. Vina austera dysentericis remedio sunt. *Gal. 6. simp. med. facul.*

127. Vino nigro austero utendum est in fracturis *Gal. com. 3. de fracturis.*

128. Vinum austerum, si in illo astringentia decoquantur, sumach vel galla &c. omnium maximè astringunt exteriùs imposita.

129. Vinum austerum repellit & repercussivum est in affluxu humorum.

130. Vinum nigrum austerum omnium maximè repellit. *Gal. 14. meth. med.*

131. Vinum nigrum crassum & austerum generat sanguinem crassum & nigrum, ideoque auget omnem noxam in melancholicis corporibus.

132. Vinum austerum aquosum convenit imbecilles vires habentibus. *Gal. 7. meth.*

*Remedia à vino acerbo in specie sumpta.*

133. VINUM ACERBUM corpus omnium minimè calefacit, magis tamen quàm aqua.

134. Vinum acerbum minus quàm austerum calefacit & valdè astringit.

135. Vinum acerbum minus nutrit quàm austerum.

136. Vina acerba omnibus vitiis thoracis magis noxia quàm austera. *Gal. de attenuante victus ratione.*

137. Vina acerba vel spongia, vel lana, vel linteo, imposita inflammationibus, sive cum, sive sine ulcere, ab extra efficax remedium sunt.

138. Vina acerba exterius imposita & astringunt & repellunt humores affluentes.

*Remedia à vino medio in sapore sumpta.*

139. VINUM MEDIUM INTER AUSTERUM & dulce mediocriter corpus & nutrit & calefacit.

140. Vinum medium inter austerum & dulce magis digerit, & semicrudos humores concoquit.

141. Vinum medium inter austerum & dulce, si magis ad austerum vergit & subastringens videtur, insignæ hepaticum remedium est, & tum vires imbecilliores reficit, tum fluxus & imbecillitate ventris & hepatis jucundè tollit.

142. Vinum medium inter austerum & dulce, idque subastringens, si sumatur panis cum hoc vino madefactus, hepaticos sanat, & in fluxu hepatico utile remedium est.

143. Vinum medium inter austerum & dulce cum pane sumptum, & cum pulveribus stomachicis atque hepaticis, mirificè corroborat hepar & ventriculum.

144. Vinum medium inter austerum & dulce adjuvat perbellè distributionem alimentorum in corpus.

145. Vinum medium inter austerum & dulce, nec ventrem laxat, turbatve, nec caput adeò petit, sicut fulvum: magis tamen quàm austerum.

146. Vinum medium inter austerum & dulce, idque crassum, magis nutrit & minus digerit.

147. Vinum medium inter austerum & dulce album purum si bibatur, promptè alimenta omnia in corpus digerit. *Gal. 3. de facult. nat.*

148. Vinum medium inter austerum & dulce russum, minus eo calefacit, & minus obstruit viscera, quàm austerum, magis autem nutrit.

*Remedia à vino acri sumpta.*

149. VINUM ACRE omnia viscera corporis magis aliis vinis calefacit, omniumque maximè penetrat.

150. Vinum acre & vetustum utile remedium est iis, qui frigidos humores habent. *Gal. de bonis & malis succis.*

151. Vinum acre omnibus, qui calidos habent humores, detrimento est.

152. Vinum acre utile remedium est ad parandos pastillos de vipera in theriaca. *teste Gal.*

153. Vinum acre maximè convenit ad interficiendos pisces, ut lampretas & similes.

*Remedia à vino aquoso sumpta.*

154. VINUM AQUOSUM non adeò adjuvat concoctionem.

155. Vina aquosa tenuia paucissimi sunt alimenti. *Galen. de bonis & malis succis, item com. 2. Aph. 18.*

156. Vinum aquosum non degenerat omninò ab astringente. *Gal. com. 3. in Hipp. de vict. in morbis acutis.*

157. Vinum in febribus tertianis dandum non est, nisi

nisi post concoctionem, & tunc quoque nullum aliud nisi aquosum. *Gal.lib.1.de arte curativa ad Glauc.*

158. Vinum aquosum in febribus tantùm suo loco licet.

159. Vinum aquosum in febribus ephemeris ex lassitudine prodest.

160. Vinum aquosum minimè caput tentat. *Gal.12. Method.*

161. Vinum aquosum in febri acuta non conceditur, nisi iis qui assueti sunt, idque aquosum vel dilutum cum aqua. *Hipp. & Gal.de ratione victus in morbis acutis.*

162. Vinum aquosum in febribus promovet evacuationes per urinam & sudorem.

163. Vinum aquosum, post dulce, sputum educit. *Gal.com.3.de rat.victus.*

164. Vinum aquosum in Hydrope, remedio est, & urinam movet. *Gal. 12. meth.*

165. Vinum, si aqua post bibatur, caput non tentat. *Gal.com.3.de rat.vict.in acut.morb.*

166. Vino si permiscueris modicum aquæ, ad digestionem & urinarum secessionem erit benignum. *Gal. de bon.aquæ.*

*Remedia à vino diluto sumpta.*

167. VINUM DILUTUM & frigidissimum sitim sedat.

168. Vinum permixtum aquæ pauciori ægris nocet, sanis autem optimè prodest. *Gal.com.3.de vict.acut.*

169. Vinum permixtum minimæ aquæ, ut pauca sit repræsentatio aquæ, penetrationem, & noxam in articularibus morbis, & cerebri inhibet.

170. Vini nimium permixtum aquæ, ut pauca vini sit repræsentatio, ægris maximè sitim sedat, & in febribus dari potest.

171. Vinum aqua dilutum ori remedium est, post lactis esum. *Gal.3.de alimentor.facult.*

172. Vinum modicè aqua dilutum somnum conciliat.

173. Vinum dilutum modicè aqua, omnes vacuationes promovet. *Gal.11.Meth.*

174. Vina aquosa celerrimè per urinam transeunt. *Gal.com.2.aph.18.*

*Remedia à vino meraco sumpta.*

175. VINUM MERACUM exiccat corpora hominum. *Gal.de præsagiis ex pulsibus.*

176. Vinum aqua temperatum curat Syncopas ex magnis evacuationibus. *Gal. lib. 1. de arte cur.ad Glauconem.*

177. Vinum meracissimum calefacit & exiccat.

178. Vinum potens imbecillioribus nocet. *Gal.com. 6.aph.28.*

179. Vinum potens ante cibum, & in initio prandii vel cœnæ ante potum cerevisiæ sumptum, podagram causat.

180. Vinum meracum & malvaticum intestina corroborat.

181. Vinum generosum cum similagine sumptum Syncopæ medetur, spiritus reficit, corroborat, & hepati quoque auxilio est.

182. Vinum meracum seu malvaticum Syncopæ ex crudis humoribus inter omnia fulva vina maximè medetur.

183. Vinum meracum odoriferum bonos humores gignit, sed caput ferit.

184. Vinum odoriferum affectus pulmonis longos sine febri juvat. *Galenus de atten. victus ratione.*

185. Vinum vinosum urinam movet, & calculosis prodest.

186. Vinum potens & malvaticum sudorem promovet.

187. Vinum meracum & odoriferum, *teste Gal.* solùm post theriacam bibi detur.

188. Vinum meracum flatus etiam omnes, & crassos humores incidit & discutit.

189. Sitis ex vini veteris meracioris potu omnium maximè noxia est. *Gal. com. 3. de rat. victus in acutis morbis.*

190. Vino meraco quandoque sanatur hemicrania. *Gal.com.6.in 6.Epidem.*

191. Vinum meracius tenue facit mingere urinam. *Gal.com.4.in Hipp.de rat.victus in acutis morbis.*

192. Vinum meracum, est noxium in febribus.

193. Vino meraco, qui se implent, tremunt. *Gal. de salubri diæta.*

*Remedia à vinis variis mixtis.*

194. Calida lotus, si quis bibat pòst, VARIA VINA, meracius dulce & austerum, ac post moveatur deambulatione, moritur. *Ibidem.*

195. Calida lotus statim post multas deambulationes, vel peregrinationes, si bibat multum vini, idque varii, periculo mortis sese exponit.

196. Vinum potum post balneum, statim, idque copiosum venenum fit. *Dioscor. l. 6. de materia medica in præfatione.*

*Remedia à vino tenui sumpta.*

197. VINUM TENUE magis penetrat.

198. Vinum tenue urinam & menses movet.

*Remedia à vino crasso sumpta.*

199. VINA CRASSA copiosius dant alimentum, quàm medicamentum.

200. Vina crassa lienem lædunt. *Gal. 3. de alim.fac. & com.3.de rat.vict.acut.*

201. Vina crassa omnes obstructiones viscerum augent.

*Remedia à vino albo sumpta.*

202. VINUM ALBUM non potest corpora hominum calefacere. *Gal. com. 3. de rat. victus in acutis morbis.*

203. Vinum album & tenue detergit. *Gal. lib. 4. de san. tuen.*

204. Vinum album tenue crassos humores fortiter incidit, & sanguinem per renes purgat. *Gal. de arte vict. rat.*

205. Vinum album tenue confert ei, in cujus corpore est humor crassus & frigidus.

206. Vinum album tenue facit mingere. *Gal. 1. de fac. nat.*

207. Vinum album tenue & substipticum Ictericis remedio est. *Gal. de cura Ictericorum.*

208. Vinum album modicè astringens contra morbum comitialem ex ore ventriculi remedio est.

209. Vina alba crassa minus nutriunt, quàm nigra & rubea. *Gal.com.2.aph.18.*

210. Vina crassa alba magis nutriunt, quàm alba tenuia. *Gal.3.de locis affectis.*

211. Vina alba crassa, si senes bibant, in hydropem & calculum incidunt.

212. Vina alba crassa omnes viscerum obstructiones augent.

213. Vinum album vinosum, hoc est, summè calidum inter alba ad vesicam magis penetrat: urinam promovet, & calculosis prodest.

214. Vinum album vinosum magis, quàm vinum dulce, vesicam per urinam purgat. *Gal. com.* 3. *de rat. victus.*

*Remedia à vino pallido sumpta.*

215. VINA PALLIDA magis, quàm alba, & minus, quàm fulva calefaciunt.

*Remedia à vino flavo sumpta.*

216. VINUM FULVUM totum corpus valdè calefacit. *Gal.* 3. *de comp. med. secundum loca.*

217. Vina fulva concoctioni magis medentur. *Gal.* 12. *meth. med.*

218. Vinum flavum nulli calidiori complexioni, sine damno bibere licet. *Gal.* 5. *tuen. san.*

219. Vinum flavum & acre iis, quibus frigidi humores abundant in corpore, optimum remedium est.

220. Vinum flavum dulce plus nutrit.

221. Vina flava pinguia etiam senibus prosunt, quod alimentum magis procreant.

222. Vinum flavum noxium in febribus. *Gal.* 4. *meth. med.*

223. Vinum flavum & tenue Hydropicis prodest.

224. Vinum flavum odoriferum Syncopæ inter omnia accommodissimum remedium, præterquam illi Syncopæ, quæ à bile ortum habet.

225. Vina fulva magis, quàm nigra mentem feriunt, & caput tentant. *Galen. com.* 3. *de ratione victus.*

226. Vina fulva febres magis augent.

227. Vina fulva meraciora intestinis magis prosunt.

228. Vina flava tenuia senibus saluberrima sunt, & tùm membra calefaciunt, tùm aquosum excrementum, quo abundant, per urinas expellunt. *Gal.* 1. *de tuen. san.*

229. Vina fulva crassa tardius in corpus deducuntur. *Gal.* 12. *meth.*

230. Vina flava tenuia omnes fluxus sanguinis augent & movent.

231. Vina flava tenuia hæmorrhoides, mensesque sensim in picrocholis, sed statim in aliis, aperiunt atque movent.

232. Vina flava & acria iis, quibus frigidi humores abundant in corpore, optimum remedium sunt.

*Remedia à vino rubro sumpta.*

233. VINUM RUBRUM respectu flavi minus calefacit, ideoque refrigerare respectivè meritò dicitur. *Gal. de temperamento.*

234. Vina rubea & subrubea absque acri sapore calefaciunt. *Gal. com.* 2. *aph.* 21.

235. Vina rubea & subrubea contra famem caninam valent. *ibidem.*

236. Vinum rubrum calefactum, & cum linteo impositum tumoribus, vel articulorum vel vulnerum, eos sanat.

237. Vinum rutilum dulce, non facit vitiosos humores. *Gal. de bon. & vitiosis succis.*

238. Vina rubra crassa obstructiones hepatis, & renum gignunt.

239. Vina rubra crassa minus calefaciunt quàm perlucida & magis nutriunt.

240. Vina rubra crassa senibus maximè nocent.

*Remedia à vino nigro sumpta.*

241. VINA NIGRA sanguinem plurimum gignunt, sed superfluum & melancholicum. *Galen. com.* 4. *de ratione victus in morbis acutis.*

242. Vina nigra non movent urinam, sed ventrem subducunt potius. *Gal.* 5. *de tuen. san.*

243. Vinum nigrum febrientibus est dandum.

244. Vina nigra senibus sunt inutilia.

*Remedia à vino omnium optimo sumpta in specie.*

245. VINUM TENUE, CLARUM, LUCIDUM, COLORE AUREUM, ODORATUM, GUSTUI GRATISSIMUM, & nobile fit, & optimum alimentum, & generosissimum medicamentum, in multis morbis est.

246. Eâ ratione vinum Ticinum & Vipacum meritò optima vina, vires corporis corroborant, mentem lætificant, & spiritus omnes augent.

247. Vinum idem semen auget, viros fertiles reddit, nisi antea nimis calidi biliosique sint.

248. Idem vinum homines maximè sanos diu conservat.

249. Idem vinum vitam hominis, quàm maximè & quàm diutissimè conservat.

*Remedia à vino omphacino sumpta.*

250. VINUM OMPHACINUM plus astringit, quàm oportet. *Galen.* 1. *de comp. med. secundum genera.*

251. Vinum omphacinum caput refrigerat. *Gal. com.* 2. *de comp. med. secundum loca.*

252. Vinum omphac. sistit alvum postquam primo bibitur.

253. Syrupus de agresta bilem extinguit, & sitim ex bile sedat.

*Remedia à vino sublimato interna.*

254. VINUM SUBLIMATUM corpora hominum valenter calefacit, & immodicè sumptum, igneâ suâ vi statim interficit.

255. Vinum sublimatum ubi paucos crassos humores invenerit, idem, quod antea dictum est, præstat: ubi verò multos, & planè cacochymica corpora, nocet, quia id, quòd subtile est, tantum consumit, reliqua crassa magis cogit, condensat, & insanabilia reddit.

256. Vini sublimati sesquidrachma, hoc est, cochleare cum saccharo benè dulcoratum, & primarii panis bolo mixtum, vesperi & manè, si edatur excrementosos humores in pinguibus corporibus, nisi nimis multi sint, concoquit & consumit.

257. Vinum sublimatum incidit crassos humores inprimis frigidos, eosque consumit.

258. Vinum sublimatum obesis corporibus, iisque frigidis & humidis, qui pituitosis humoribus aliquantulum abundant, nihil incommodat, sed etiam prodest.

259. Vinum sublimatum obesos & frigidos ab Apoplexia, Epilepsia, & Lethargo præservat.

260. Vinum sublimatum in hyeme magis salubre est, in æstate magis nocet.

261. Vinum sublimatum macilentis siccæque naturæ hominibus venenum est.

262. Vinum sublimatum, in quo infusus est nodulus aromatum & pulegii, si bibatur modicè à mulieribus frigidis, menses movet.

263. Vinum sublimatum in quo ejusmodi nodulus est infusus, inflationes ventriculi à frigida causa tollit.

264. Vinum sublimatum, in quo infusa sunt.
Semen fœn.
Radix Rhodia.
Aroma Macis.
Cinamomi,
Flor. Anthos.
Si sensim bibatur à mulieribus, suffocationem matricis tollit, aut saltem mitigat.

265. Vinum sublimatum mixtum cum aqua Lavendulæ contrà apoplexiam à frigida causa, utile remedium est.

266. Vinum sublimatum aromatisatum ventriculo frigido prodest, & inflationes ventriculi ab eadem causa discutit.

267. Vinum sublimatum in frigidis morbis & corporibus, utile remedium est, si cum ipso pulveres corroborantes sumantur, vel cum pane, vel sine pane.

268. Vinum sublimatum, si post assumptam Theriacam bibatur, vel etiam dilutum cum Theriaca, facit, ut alexipharmacum citiùs penetret, & per sudorem rectius malignos humores evacuet.

296. Vinum sublimatum bilem auget, & tertianas febres, maximè æstivo tempore, generat.

270. Vinum sublimatum calidis naturis corporum, inprimisque adolescentibus gracilioribus, valdè nocet.

271. Vinum sublimatum calidiora corpora, sive sicca, sive humidiora corpora, ad καχεξίαν, & sæpè ad hydropem producit.

272. Vinum sublimatum in calidis naturis, vel saltem complexionibus hepaticis, si sæpiùs bibatur, debilitatem hepaticis inducit, atque jecur prorsus corrumpit.

273. Vinum sublimatum ictericiam in calidis naturis gignit.

274. Vinum sublimatum immodicè sumptum interficit, nisi statim post bibat vel lac, vel aquas destillatas refrigerantes.

*Remedia à vino sublimato externarum sumpta.*

275. Vinum sublimatum exterius illitum musculis carnosis & articulis, nervos corroborat & crassos humores in iis discutit.

276. Vinum sublimatum granis juniperi & sapone veneto viridi coctum in formam unguenti & inunctum manibus pedibusque affectis ex frigida fluxione medetur, inprimisque si in balneis adhibeatur.

277. Vinum sublimatum mixtum cum aqua lavendulæ, atque illitum articulis, nervos corroborat, & imbecillitatem motus voluntarii tollit.

278. Vinum sublimatum cum aliis remediis ad articulos, vel ad alios morbos musculorum in brachiis pedibusque illitum facit, ut omnia medicamenta magis penetrent.

279. Vinum sublimatum cum croco mixtum, & cum linteo applicatum extremitatibus manuum pedumque refrigeratis ad gangrænam usque, medetur.

280. Vinum sublimatum cum linteo duplici impositum ventriculo exterius, frigidum ventriculum calefacit, & flatus colicos à frigida causa mitigat.

281. Vinum sublimatum cum sacchаro vesperi epotum, medetur tussi à frigida causa.

282. Vinum sublimatum aspersum pani, clibano extracto, unà cum pulvere zeduariæ, Cumini, Sem. fœniculi, Rad. Ireos & Pæoniæ, applicatum, doloribus aurium vehementissimis à flatibus medetur.

283. Vinum sublimatum doloribus aurium qui à nimis multo humore fiunt, non prodest, sed eos auget, quia diffundit tenuia & crassa retinet.

284. Vinum sublimatum aliquoties irroratum pulveribus extra applicandis membris Paralyticis, & iterum exiccatum atque sic procedendo quinquies, septiesque valdè prodest contra Paralysin.

*Remedia à lota sumpta.*

285. VINUM DICTUM LORA, græcis δευτερίας, prodest convalescentibus ex morbis, & iis, qui vino assuefieri iterum velint.

286. Idem quò vetustius, eò magis caput ferit.

287. Loræ maximum remedium est, quod citò per urinam transit. *Gal. de simpl. med. fac.*

288. Lora si vere vel æstate bibatur, valentior, vinosiorque efficitur, atque magis per urinam expellit, & magis caput tentat.

*Remedia à vino Cariophylato sumpta.*

189. VINUM CARYOPHYLATUM ventriculum & matricem inprimis calefacit.

290. Vinum Caryophylatum omnes crassos humores, & inprimis pituitam incidit & exiccando consumit.

291. Vinum Caryophylatum contra tussim senum prodest.

292. Vinum Caryophylatum contra Syncopen ex suffocatione matricis valet.

293. Vinum Caryophylatum omnibus cholericis valdè nocet.

294. Vinum Caryophylatum fortius caput lædit & Epilepsiam gignit.

*Remedia à vino cardamomi sumpta.*

295. VINUM CARDAMOMI flatus discutit in potu sumptum.

296. Vinum cardamomi contra suffocationem matricis quoque prodest.

297. Vinum cardamomi colicam mitigat.

298. Vinum cardamomi in melancholia hypochondriaca salubre remedium est.

299. Vinum cardamomi steriles ex frigida matrice reddit fertiles.

*Remedia à vino clareto sumpta.*

300. VINUM CLARETUM,
℞. Cinamomi uncias iiij.
Z. Z. uncias ij.
Galangæ unciam j.
Gr. Paradysi uncias 10.
Turnæ solis unciæ j.
Croci scrupulum unum.
Sacchari libram unam.
Et denique addantur pro unciarum ij. specieb. vini men-

mensuræ numero ij. vel etiam iij.

301. Vinum claretum frigidum ventriculum valenter calefacit & flatus discutit.

302. Vinum claretum sæpius epotum contra hydropem, inprimisque tympanitem valet.

303. Vinum claretum contra Syncopen, quæ non à bile oritur, valet.

*Remedia à vino luterano sumpta.*

304. VINUM LUTERANUM.
℞. Cardamomi unciæ iij.
Z. Z. albissimi unciam j.
Cinam. unciam j.
Sacchari albiss. libram j.

Vini Rhenani mensuras vj. contra colica tormenta utiliter bibitur, inprimisque si à frigida causa orta sit.

305. Vinum Luteranum valet, contra inflationes ventriculi.

306. Vinum luteranum Syncopæ, quæ non à bile oritur, medetur.

307. Vinum luteranum hydropicis remedio est.

308. Vinum luteranum in febribus valdè nocet.

309. Vinum luteranum capiti, nervis & articulis pravum remedium est.

310. Vinum luteranum in fluxionibus nimiis mensium & sanguinis nocet.

*Remedia à vino cum pipere sumpta.*

311. VINUM CUM PIPERE calidum sumptum, frigidum ventriculum calefacit. *Gal. de simp. med. in lib. spuriis.*

312. Vinum cum pipere adspersum dandum his, qui non concoxerunt. *Gal. de præcogn.*

313. Vinum cum pipere omnibus, quibus est subtilius os ventriculo, nocet & singultum excitat. *Gal.8. de comp. med. localium.*

*Remedia à vinis extractionis auri.*

314. VINUM EXTRACTIONIS AURI corroborat cor, & omnem impurum sanguinem mundificat.

315. Vinum extractionis auri sæpè usurpatum in potu, ægros laborantes gallico morbo, & inunctos Mercurio sensim mundificat.

316. Vinum extractionis auri in potu sumptum, spiritus corporis tùm vitales tùm animales illuminat.

317. Vinum extractionis auri leprosis quoque convenit.

318. Vinum extractionis auri præsertim, si sit austerum, dysentericos optimè juvat.

319. Vinum extractionis auri Epilepticos & insensatos sanat.

320. Vinum extractionis auri juventutem conservat.

321. Vinum extractionis auri vitam prorogat.

322. VINUM ABSINTHITES stomacho utile est, si ex frigiditate laboret, vel crudis humoribus abundet.

*Remedia à vino absinthite,*

323. Vinum absinthites & ventriculo & hepati efficax remedium est corroborando.

324. Vinum absinthites contra oppilationem splenis & jecoris saluberrimum remedium est.

325. Vinum absinthites concoctionem tardam accelerat.

326. Vinum absinthites contra inflationem ventriculi & diuturnas distentiones præcordiorum valet.

327. Vinum absinthites atrophiam ex dissolutione stomachi factam curat.

328. Vinum absinthites regio morbo medetur.

329. Vinum absinthites renum vitiis utile remedium est.

330. Vinum Absinthites menses mulieribus movet.

331. Vinum absinthites epotum lumbricos interficit & expellit.

332. Vinum absinthites capiti nocet, & nimium vaporem eò mittit.

333. Vinum absinthites Phthisicis pravum remedium est.

334. Vinum absinthites in febribus continuis valdè nocet.

335. Vinum absinthites in fluxionibus ad articulos nocet.

336. Vinum absinthites in comitiali morbo & Apoplexia nocet.

337. Vinum absinthites somnum concitat, & somnolentos reddit.

338. Vinum absinthites calefactum, & exterius aspersum pani tosto, & applicatum ventriculo, illum corroborat & flatus discutit.

339. Vinum absinthites gargarisatum contra tumorem linguæ est maximum remedium. *Arnold. de nova villa.*

340. Vinum absinthites per fumum ex decoctione immissum auribus, surditatem atque dolorem aurium lenit.

*Remedia à vino acaciæ.*

341. VINUM ACACIÆ debilitatem hepatis ex nimio usu medicamentorum aperitivorum tollit, si sæpiùs bibatur.

342. Vinum acaciæ cacochymiam corporis cum fluxione nimia alvi optimè sanat.

343. Vinum acaciæ omnes fluxiones sanguinis sistit, & dysenteriam sanat.

344. Vinum acaciæ profluvium muliebre magis, quàm omnia alia medicamenta sedat.

*Remedia à vino citri sumpta.*

345. VINUM CITRI efficacissimum remedium est ad pestem præservandam.

346. Vinum citri Melancholicos humores temperat.

347. Vinum citri cor corroborat.

348. Vinum citri in febribus continuis pestilentialibus cum declinant utiliter bibi potest, ut maligni humores residui expurgentur.

*Remedia à vino euphragiato sumpta.*

349. VINUM EUPHRAGIATUM epotum integrum annum, cæcis, vel saltem ex debilitate visus laborantibus, visum quodammodo restituit. *Arnold. de ville nova.*

350. Vinum euphragiatum sæpiùs epotum aciem oculorum corroborat.

351. Vinum euphragiatum cor exhilarat & melancholiam tollit.

*Remedia à vino enulato sumpta.*

352. VINUM ENULATUM Dioscoridi dictum NECTARIDES, contra pestem utiliter bibitur.

353. Vinum enulatum contra pectoris angustias epotum valet.

354. Vinum enulatum tuſſi medetur.

355. Vinum enulatum ad ſtomachi anguſtias quoque aliquantulum prodeſt.

356. Vinum enulatum movet urinam.

*Remedia à vino hyſſopite ſumpta.*

357. VINUM HYSSOPITES tuſſi etiam veteri medetur.

358. Vinum hyſſopites contra pleraque pectoris & pulmonis vitis prodeſt.

359. Vinum hyſſopites vocem claram retinet, & vias vocales mundificat.

360. Vinum hyſſopites ſanat epilepſiam, præſertim in pueris.

361. Vinum hyſſopites urinam movet.

362. Vinum hyſſopites mulieribus menſes movet.

363. Vinum hyſſopites Hydropem curat.

364. Vinum hyſſopites exterius ſi lavetur illo imus venter, humidam matricem exiccat, & ex nimia humiditate ſteriles mulieres fertiles reddit.

*Remedia à vino ceraſorum ſumpta.*

365. VINUM CERASORUM epotum quotidiè nervos corroborat.

366. Vinum ceraſorum, cum alia vina pleraque Epilepticis noceant, quodammodò contra Epilepſiam utiliter bibitur.

367. Vinum ceraſorum ventriculum debilem ex æſtu corroborat.

368. Vinum ceraſorum in febribus epotum minus calefacit, guſtu valdè jucundum exiſtit, ſed tamen non ſemper tutum eſt, ideoque parcius exhibendum.

*Remedia à vino lavendulæ ſumta.*

369. VINUM LAVENDULÆ cerebro & nervis in frigidis affectibus prodeſt, idque moderatè ſumptum.

370. Vinum lavendulæ pinguibus & obeſis corporibus remedio eſt.

371. Vinum lavendulæ immodicè ſumptum citius ebrietatem conciliat, & caput magis petit.

372. Vinum lavendulæ muſculoſis partibus, nervis & articulis foras illitum atque calefactum robur addit, & paralyticis, aut ſpaſmo affectis, remedium efficax eſt.

*Remedia à vino ligni Guaiaci ſumpta.*

373. VINUM LIGNI GUAIACI utiliter bibitur à laborantibus gallico morbo, præſertim ſi ſint frigidioris complexionis.

374. Vinum ligni guaiaci miſcetur utiliter ſecundo decocto ligni, ubi ventriculus pejus ſeſe habet.

375. Vinum ligni guaiaci efficax remedium eſt contra malignas & diuturnas fluxiones, ſi quotidiè in menſa loco potus bibatur.

*Remedia à vino roſmarino ſumpta.*

376. VINUM ROSMARINUM contra punctiones lateris, & pleuritides nothas, præſentiſſimum remedium eſt.

377. Vinum roſmarinum confert omnibus frigidis morbis.

378. Vinum roſmarinum omnes nervos, & articulos corroborat.

379. Vinum roſmarinum matricem frigidam & flatuoſam ſanat.

380. Vinum roſmarinum mulieribus humidioris naturæ ad conceptum prodeſt.

381. Vinum roſmarinum ſomnolentos corrigit, & alacriores reddit.

382. Vinum roſmarinum tremulis, & paralyticis remedium eſt efficax.

383. Vinum roſmarinum mentem exhilarat, & cor corroborat.

384. Vinum roſmarinum in quartana febri quoque prodeſt.

385. Vinum roſmarinum molam gerentibus, ſi modo certiores ſint de mola, utiliter bibitur.

386. Vinum roſmarinum, ſi eo os proluatur, bonum odorem gignit.

387. Vinum roſmarinum, ſi eo os lavetur, gingivam à putredine conſervat, & dentes confortat.

388. Vinum roſmarinum cancro, ſi eo lavetur, ſalubre remedium eſt.

389. Vinum roſmarinum decoctum cum ſolano, aliiſque herbis refrigerantibus, magis adhuc cancrum lenit, ſi eo lavetur.

390. Vinum roſmarinum, ſi eo lavetur facies, pulchram reddit.

*Remedia à vino ſalviæ ſumpta.*

391. VINUM SALVIÆ prodeſt tuſſi epotum.

392. Vinum ſalviæ prodeſt ventriculo & matrici frigidæ.

393. Vinum ſalviæ utile remedium eſt Epilepſiæ ex conſenſu ventriculi & matricis.

394. Vinum ſalviæ renum & veſicæ doloribus medetur.

395. Vinum ſalviatum menſes movet & elicit.

396. Vinum ſalviatum contra Syncopen ex ſuffocatione matricis valet.

397. Vinum ſalviatum, ſi eo proluatur os, ſanguinolentiam gingivarum tollit.

398. Vinum ſalviatum inunctum nervis & articulis corroborat.

399. Vinum ſalviatum calidè illitum articulis in podagricis ex frigida cauſa, dolores lenit, & morbum ſenſim tollit.

*Remedia à vino ſcolopendriaco ſumpta.*

400. VINUM SCOLOPENDRIACUM contra lienis obſtructiones valdè prodeſt epotum.

401. Vinum ſcolopendriacum contra Aſthma quoque utiliter bibitur.

402. Vinum ſcolopendriacum in palpitatione cordis, ex conſenſu hypochondriacæ obſtructionis, efficax remedium eſt.

*Remedia à vino veronica.*

403. VINUM VERONICÆ mundificat ſanguinem.

404. Vinum veronicæ, prodeſt antiquæ tuſſi.

405. Vinum veronicæ, ſi infuſo ſaccharo candido dulcoretur, phthiſicis rarius epotum, ſalubre quoque eſt.

406. Vinum veronicæ in colica eximium remedium eſt.

407. Vinum veronicæ in ſcabie curanda quodammodo rectè bibitur.

408. Vinum veronicæ articulos & nervos corroborat.

*Remedia à vino compoſito ſumpta.*

409. Vinum ſi ejus amphoræ miſceantur radix Boraginis uncia j. folia ſenæ lib. ij. roſ. rub. Miiij. Rhabarb. unciæ iiij. in ſacculo, præſertim cum vinum adhuc ſit muſtum, fit efficax vinum laxativum purgans bilem

bilem & pituitam, si sumatur vesperi ante ingressum lecti poculo unciar. v. vel unciar. vj. & iterum paulò ante prandium sequenti die.

410. Idem vinum compositum laxativum, si herba absinthii M. iiij. condiatur, pro vino absinthiaco venditari potest, & in purganda bile atque pituita eodem modo efficax est.

*Remedia ab aceto.*

411. ACETUM & interius & exterius usurpatum venenis resistit.

412. Acetum quoque venenis ex esu fungorum inprimis resistet, si bibatur, & vel cum aqua, vel cum oleo parumper misceatur, ut bibi possit.

413. Acetum sumptum sæpè in cibo, vel etiam aquæ mixtum, & epotum, humores corporis à peste ipsa & putredine præservat.

414. Acetum, cum ruta & nucleis juglandis excorticatis, quantitate cochlearis sumptum, eâ die à peste præservat.

415. Acetum cum iisdem, & granis juniperi, eodem modo sumptum à peste præservat.

416. Acetum cum theriaca mixtum, & epotum primâ die in pestilentialibus febribus, eas sæpè statim tollit.

417. Acetum cum oculis cancri unciâ j. & unicornu gr. X. mixtum, calefactum atque epotum, contra venenum opii efficax remedium est.

418. Acetum cum oculis cancri & melle sumptum, contra punctiones aliosque dolores ex luxatione, vel coagulato sanguine, prodest epotum.

419. Acetum, cum Mumia, spermate ceti, & oculis cancri mixtum, multò magis contra luxationem prodest.

420. Acetum cum spongia, naribus applicatum sæpiùs, tempore pestis præservat.

421. Acetum sitim mitigat.

422. Aceto solo ad humectandum & refrigerandum interius non utimur, sed cum aqua ita mixto, ut bibi possit. *Gal. 10. meth. med.*

423. Acetum sitim provenientem à siccitate sola nunquam sanare potest, verùm etiam auget.

424. Acetum sitim provenientem à caliditate & humiditate lenit.

425. Acetum sitim provenientem ex hydrope sanat. *Gal. 1. de simp. med. fac.*

426. Acetum, solum epotum in febribus, sitim non sanat. *Gal. de simp. med. fac.*

427. Acetum, si misceatur cum aqua, & in febribus ebibatur, sitim mitigat. *Gal. 1. de simp. med. fac.*

428. Acetum aquæ mixtum facit ut aqua magis penetret, magisque humectet. *Ibidem.*

429. Acetum sive bibatur, sive cum cibis comedatur, utilissimum est in naturis picrocholis, quæ amaræ bilis succo abundant. *Hipp. & Galen. passim.*

430. Acetum, sive bibatur, sive cum cibis comedatur, complexionibus melancholicis adversissimum est.

431. Acetum ventriculum suâ quâdam ratione corroborat. *Gal. 3. de alim. fac.*

432. Acetum epotum, vel in cibis sumptum, phlegma in ventriculo mundificat.

433. Acetum cum olivis sumptum, stomachum corroborat.

434. Acetum cum capparibus, si comedatur, jecoris & lienis obstructiones aperit, eaque viscera corroborat.

435. Acetum cum Zingib. & pipere albo, & succo cytoniorum, cum melle, est medicamentum ad appetentiam dejectam restituendam. *Gal. 2. de alim. fac. Idem 6. de tuen. san.*

436. Acetum acre non fert oris ventriculi subtilis sensus. *Gal. de loc. aff.*

437. Acetum in cibo modicè sumptum alvum sistit. *Gal. 1. de alim. fac.*

438. Acetum, si cum lactuca comedatur, capitis dolorem ex vini potione minuit. *Galen. 2. de comp. med. secundum loca.*

439. Acetum cum aqua mixtum in ardentibus febribus utiliter bibitur.

440. Acetum coctum & mulsæ additum minus nocet. *Gal. 3. com. in Hipp. de victus rat. in morbis acutis.*

441. Acetum mentem & nervos ferit. *Galen. 1. com. in Hipp. de victus rat.*

442. Acetum nervorum substantiam debilitat. *Gal. 14. meth. med.*

443. Acetum non est bibendum in febri singultuosâ. *Gal. com. 4. in Hipp. de vict. ratione in morbis acutis.*

444. Acetum pejus remedium est mulieribus, quàm viris. *Gal. com. 3. in Hipp. de vict. rat. in morbis acutis.*

445. Acetum dolorem infert utero, *passim in Galeno.*

446. Acetum noxium est remedium in colicis, si intro sumatur, sive solum, sive cum aliis medicamentis mixtum.

447. Acetum si infundantur 24. horas radices Angelicæ, vel aliæ pestilentiales multò efficaciores, contra venenum prosunt, & falsum est quod vulgò dici solet, acetum venenum pestilentiale in illis tollit.

448. Aceto si infundantur semina carvi & cumini, ventriculo abundanti bile magis prosunt.

449. Semen cumini in sacculo coctum cum aceto, & exterius impositum, ventriculi singultum tollit.

450. Acetum naribus admotum, & pavimento ædium inspersum, contra pestis contagionem valet.

451. Acetum pulsibus applicatum sæpiùs, tempore pestis præservat.

452. Acetum cum ruta infusum, & manè usurpatum, valentius idem facit.

453. Acetum exterius impositum exulceratæ carni, vel similibus à thapsia, inflammationem restinguit, & dolorem sedat. *Galen. 1. de simp. med. facul.*

454. Acetum odorandum est, vel naribus propinandum iis, quos Syncope infestat.

455. Acetum cum pulegio odorandum est contra Syncopen. *Galen. 9. de comp. med. secundum loca.*

456. Acetum cum ruta odorandum est contra Epilepsiam.

457. Acetum cum ruta naribus propinatum sæpiùs, lethargum mitigat.

458. Acetum cum thymo, origano, pulegio, coctum,

& naribus admotum, lethargum tollit. *Gal. 3. meth. med.*

459. Acetum acerrimum bonum remedium contra dolores dentium, si cum eo decoquantur vel tedæ pingues, vel galla, vel semen hyoscyami, & eo decocto dentes colluantur.

460. Acetum cum oleo rosaceo mixtum, inflammationibus in principio convenit. *Gal. 2. de comp. med. secundum loca.*

461. Acetum cum oleo rosaceo impositum fronti, atque temporibus, medetur doloribus capitis ex peste, vel etiam ex febribus. *Gal. 2. de comp. med. secundum loca.*

462. Acetum cum aqua rosacea & plantag. mixtum, atque fronti cum linteo applicatum, dolori capitis medetur.

463. Acetum cum oleo rosaceo impositum auribus cum lana, inflammatis & dolentibus confert. *Galen. 13. meth. med.*

464. Aceti parum cum convenientibus mixtum, & cum spongia applicatum œdemati, illud sanat. *Gal. 2. de arte cur. ad Glauconem cap. 3.*

465. Acetum cum luto adusto in tumoribus ex fluxionibus ortis, iisque exulceratis, si sanari debent, utiliter adhibetur exterius illitum, & quia repercutit, & quia digerit.

466. Acetum cum ammoniaco lieni duro exterius Emplastri forma impositum confert. *Galen. 14. meth. med.*

467. Acetum si misceatur vel cum absinthio & cappare, vel etiam cum semine lini, utilissimum cataplasma fit pro liene. *Gal. 11. meth. med.*

468. Acetum exterius usurpatum cum Bismalva & similibus, contra scirrhum lienis valdè prodest. *Gal. 2. de arte cur. ad Glauc.*

469. Acetum si ignito lapidi infundatur, & fomententur tendones & nervi, in vitio adulto scirrhoso prodest moderatè adhibitum, si alternis diebus emollientia repetantur.

470. Aceto, vel medicamentis ex aceto, nec sæpè, nec inter initia, nec longo tempore ad ligamenta & ad tendones utendum est. *Gal. 14. meth. med. cap. 5.*

471. Acetum sincerum ulcera, quæ glutinari debent, indurat, & mirum in modum exasperat. *Gal. de dissolutione continui.*

472. Aceti parùm cum multa aqua mixtum conglutinat ulcera. *Gal. 1. de simp. med. fac.*

473. Acetum cum aqua ita dilutum, ut bibi possit, vulgò posca dictum, est defensivum contra inflammationes ulcerum.

474. Acetum ita cum aqua mixtum & gargarisatum, gutturis fluxiones inhibet, & contra aphthas prodest.

475. Acetum mixtum cum aqua & impositum vel cum linteo, vel cum spongia, inflammationibus ex fluxione medetur.

476. Acetum cum aqua mixtum & exterius illitum, pruritum cutis tollit, ac simul astringit.

477. Aceti usus in medicamentis ad lienem semper tutus est.

478. Aceto si madefiant brachia & pedes, ut pustulæ excitentur, dolor & vomitus ventriculi sedatur, & ventriculus corroboratur. *Galen. 8. de comp. med. secundum loca.*

479. Acetum si eo laventur nares sæpius, fluxum sanguinis per nares sistit.

480. Acetum spongia applicatum, vel potius musco quercino, sanguinis fluorem in mulieribus sistit.

481. Acetum cum pulveribus & speciebus astringentibus impositum cum linteo duplici hepatis regioni, fluxum sanguinis per nares sistit.

482. Acetum insessu pedum usque ad genua feliciter ad fluorem sanguinis usurpatur. *Diosc.*

483. Acetum solum sæpe usurpatum, herpetes tollit.

484. Acetum cum succo cancri vivi illitum herpetes sanat.

485. Acetum cum bolo armeno, commune repercussivum chirurgorum est, & discussivum tumorum germanicè dictum Dörrbandt.

486. Acetum cum bolo armeno, olibano, & mastiche, eodem modo medetur, & fortius est repercussivum.

487. Acetum & lixivium ana æqualib. partib. mixtum, cum parùm salis & bolo armeno, omnes tumores ex casu repercutit & resolvit.

488. Acetum cum nuce Moschata, Rosis rubeis, Mastiche, & caryophyllis applicatum cum pane tosto umbilico, vel regioni ventriculi, sanat dysentericos fluxus, & superpurgationes.

489. Acetum eodem modo mixtum, & insuper additis pulveribus, absinthio atque Mentha, magis corroborat ventriculum & intestina, minus autem astringit.

490. Acetum cum nuce Moschata, Rosis rubeis, Acacia & Mastiche, cum pane tosto applicatum imo ventri, efficax remedium est contra immodicum profluvium mensium.

*Remedia de aceto Malvatico.*

491. Acetum ex Malvatico cor magis quàm aliud acetum corroborat.

492. Acetum ex Malvatico contra Syncopen maximè prodest.

493. Acetum cum allio contuso mixtum contra vulnera ex morsu serpentum efficax remedium est.

*Remedia ab aceto violaceo sumpta.*

494. ACETUM VIOLACEUM in salsamentis sumitur jucundè contra sitim ex æstu vel ex febribus.

495. Acetum violaceum tutius sumitur ab Epilepticis.

496. Acetum violaceum tussi veteri quodammodo salubre est.

*Remedia ab aceto rosaceo sumpta.*

497. ACETUM ROSACEUM contra syncopen omnium maximè valet.

498. Acetum rosaceum fronti & temporibus illitum cum aqua plantaginis vel similibus dolorem capitis ab æstu & à febribus magis, quàm acetum solum, lenit.

499. Acetum rosaceum cum speciebus diatrion santalon, diarhodon & aliis pulveribus astringentibus mixtum atque regioni hepatis impositum cum linteo madefacto in eo, fluxum sanguinis per nares sistit.

*Remedia ab oxym. sumpta.*

500. OXYMEL seu acetum mulsum, si vel cochlearibus aliquot lambatur, vel in forma potionis ad unciam

ciam j. ſ. cum aquis convenientibus unciar. iij. uſurpetur, remedium efficax eſt ad attenuanda, incidenda, reſolvendaque craſſa & lenta excrementa, quæ in jecinore & ventriculo longo tempore collecta ſunt.

501. Oxymel diuturnas febres incidendo & coquendo peccantem materiam tollit.

502. Idem Epilepticis remedio eſt.

503. Idem obſtructiones omnium viſcerum interius ſumptum aperit.

504. Oxymel ſputum facilius reddit & educit.

505. Acetum mulſum lieni confert. *Galen. 9. de comp. med. ſecundum loca.*

506. Acetum mulſum nervoſis partibus nocet.

*Ab oxym. compoſito.*

507. OXYMEL COMPOSITUM eadem remedia, quæ oxymel ſimplex, ſed valentius ſuggerit.

508. Oymel compoſitum urinam movet & ſudorem elicit.

509. Oxymel tum ſimplex tum compoſitum, ſi immodicè & nimis ſæpè uſurpentur, inteſtina radunt, & nervoſa quodammodo lædunt.

*Remedia ab aceto ſquilliticoſumpta.*

510. ACETUM SQUILLITICUM, ſi manè parùm ſumatur & paululùm pòſt deambulent, faucium oriſque partes, inprimiſque gingivas ſaniores reddit.

511. Acetum ſquilliticum omnia ſuperflua conſumit, & corpori meliorem habitum reddit.

512. Acetum ſquilliticum os ventriculi corroborat, vocem meliorem reddit, & ſpiritum emendat, oculorumque aciem confirmat.

513. Acetum ſquilliticum lienis durities vehementer ſolvit.

514. Acetum ſquilliticum urinam promovet, & calculoſis quoque prodeſt. *Gal. 1. de ſimp. med. fac.*

515. Acetum ſquilliticum mirificè convenit orthopnoicis. *Gal. 7. de comp. med. ſecundum loca.*

516. Oxymel ſquilliticum omnes humores craſſos, lentos & viſcoſos vehementiſſimè incidit, ſeparat & diſcutit.

517. Oxymel ſquilliticum mixtum cum pulveribus nucis moſchatæ, & ij. vel iij. cochl. epotum, epilepſias diuturnas ſenſim tollit.

518. Oxymel ſquilliticum pulvere nucis moſchatæ & aqua ceraſorum eodem modo contra Epilepſiam valet, & in uſu gratius remedium eſt.

519. Oxymel ſquilliticum omnes obſtructiones viſcerum valenter aperit.

520. Oxymel ſquilliticum confert ventriculo, & ructum acidum ſanat.

521. Oxymel ſquilliticum urinæ incontinentiam tollit.

522. Oxymel ſquilliticum compoſitum dentes mobiles confirmat.

523. Oxymel ſquilliticum compoſitum in quartanis utile remedium eſt.

*Remedia ab aceto paſſularum.*

524. ACETUM PASSULARUM obſtructiones hepatis & lienis aperit.

525. Acetum paſſularum naturis picroholis prodeſt, & bilem mitigat.

526. Acetum paſſularum tuſſientibus, & phthiſicis quodammodo concedi utiliter poteſt.

*Remedia à ſyrupo acetoſo ſumpta.*

527. SYRUPUS ACETOSUS ſimplex digerit choleram phlegma & melancholiam.

528. Syrupus acetoſus ſimplex attenuat craſſa, incidit viſcoſa & refrigerat.

529. Syrupus acetoſus ſimplex febres tertianas & quotidianas tollit.

530. Syrupus acetoſus ſimplex obſtructiones viſcerum aperit, & urinam provocat.

531. Syrupus acetoſus ſimplex putredinem humorum in febribus ſiſtit & malignas febres ſanat.

532. Syrupus acetoſus ſimplex ſitim ſedat in febribus.

533. Syrupus acetoſus compoſitus bilem, craſſamque pituitam incidit maximè.

534. Syrupus acetoſus vel ſimplex vel compoſitus, ſi miſceatur cum aqua acetoſæ, in forma longi Juleb, ſitim in febribus maximè mitigat.

535. Syrupus acetoſus compoſitus antedictas medelas omnes fortius præſtat.

536. Syrupus acetoſus compoſitus ita fortiter incidit, ut caput & nervos nonnunquam petat.

537. Syrupus acetoſus compoſitus, ſæpius uſurpatus, facilè poteſt hepar debilitare.

*Remedia ab oxyſacchara ſumpta.*

538. OXYSACCHARA ſimplex corroborat cor, & omnes vitales ſpiritus.

539. Oxyſacchara ſimplex contra venenum valet, & peſti reſiſtit.

540. Oxſacchara ſimplex digerit, & tollit duplices tertianas febres.

541. Oxyſacchara compoſita in longis febribus à ſanguine, vel à bile auxilio eſt.

542. Oxyſacchara compoſita cor corroborat, & lætitiam animi auget.

543. Oxyſacchara compoſita hepaticos quoque juvat.

544. Oxyſacchara cōpoſita lienis obſtructiones tollit.

545. RADIX VEL RACEMORUM VITIS CINIS, ſi lixivium ex eo fiat, & lavetur eo caput, cerebri humiditates exiccat.

546. Idem lixivium ſimplex mixtum cum ſapone linteo madefacto in eo applicato eryſipelati, dolorem lenit, & eryſipelata tutò ſanat, ſed ſæpius epithema repetendum eſt.

547. Idem lixivium, ſi cum eo coquantur majorana, ſtœchas arabica, citrina & betonica, optimum lixivium eſt ad exiccandas humiditates cerebri, & ad caput corroborandum.

548. Lixivium idem & cum ſapone præparatum, ſi lintea in eo madefiant & exiccentur iterum, atque lintea ſicca applicentur in eryſipelate ſanando, tutius præſtare vulgò creditur, ſed ſuperſtitioſum eſt, & paulò minus, & tardius, quàm ſuperius medicamentum ſanat, neque tutius ullo modo.

549. Cinis ex radicibus vitis & ex herba cichorii, ſi indè fiat lixivium, quo laventur capilli capitis, illos pulchriores reddit.

550. Lixivium ex cinere eodem, ſi lavetur eo caput, memoriam quoque corroborat.

Τῷ μόνῳ δόξα.

# GREGORI HORSTI, PHILOSOPHI ET MEDICI

# DECLARATIO TOTIUS PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

## PROOEMIUM. DE CONSTITUTIONE PHYSICÆ.

## CAPUT I. DE GENERE HUJUS DISCIPLINÆ.

Meritò procemii loco illa præmittuntur, quæ ad totalem hujus disciplinæ cognitionem aliquid lucis afferunt: hic generalis Physicæ definitio, ejusdemque partitio primum locum obtinent, utpote quibus breviter totius Physicæ natura & essentia determinatur, ita ut de fine suscepti laboris nullus incertus esse queat. Etsi autem Physicæ vox Platonicis & Stoicis Philosophis plerumque totam Philosophiam Theoreticam denotat, rectius tamen Peripatetici eâdem utuntur pro disciplinâ Theoreticâ, à Metaphysicâ & Mathematicâ distinctâ. In hac propriâ significatione Physicæ definitionem investigare conabimur, hæc autem potissimùm in determinatione *generis & objecti* consistit, undè necessario requiritur, ut primo *genus Physicæ* constituamus.

*Genus Physicæ proximum est Scientia propriè dicta.*

*Inquiritur Genus Physicæ.* Omnes in eo conveniunt, quod Physica sit disciplina quædam in animo hominis tanquam in subjecto comparata. Quamvis autem præsentis instituti non sit, ex professo contra eos disputare, qui artes & disciplinas etiam extra mentem vel in libris existere sibi persuadent, & ita in janua, quod dicitur, errant, ubi pro arte sola præcepta agnoscunt, quæ non tàm artis nomen sibi vendicant, quàm cujusdam adminiculi, sine quo ars & disciplina quædam comparari nequit. Nihilominus tamen meritò quæritur, num *Physica sit principalis vel instrumentalis disciplina?* *Physica num principalis, vel instrumentalis disciplina.* Posterius negatur tali argumento: Quicquid suppeditat realem cognitionem, per se expetendam, illud meritò refertur ad disciplinas principales: Physica, &c. *Major probatur*; quia in eo differunt disciplinæ instrumentales à principalibus, propterea quod non realem cognitionem per se expetendam, hoc est, cognitionem rerum sui gratiâ proponant. *Minor probatur*; quia Physica versatur circa cognitionem rerum naturalium, quarum notitia, sui causa ab omnibus hominibus expetitur. Si autem Physica est *principalis disciplina*, vel propriè loquendo principalis habitus, (omnis enim disciplina est habitus animi, quia nulli à naturâ inest: sed semper crebris operationibus est comparanda) ulterius dubitatur, num sit *scientia vel ars* (reliquos enim habitus, ut sunt, *Sapientia, Intellectus & Prudentia*, hactenus nemo Physicæ pro genere attribuit.) *Physica an sit Scientia vel ars.* Posterius negatur hoc modo: *Ars*, teste Philosopho 6. Ethicorum, versatur circa τὰ ποιητά: Physica non versatur circa τὰ ποιητά. Ergò. *Minor probatur*: quia Physica non considerat ea, quæ à nobis fieri possunt, utpote cum res naturales nec secundum fieri, nec secundum esse à nostro arbitrio dependeant. Nec obstat, quod artis illa definitio à Stoicis introducta, Physicæ possit attribui; quia hæc definitio non dicit artis essentiam, sed monstrat tantùm communia quædam requisita in præceptis omnium disciplinarum observanda. Jam relinquitur *Physicam esse scientiam*, non quidem in latâ significatione tantùm, ut scientia quamlibet cognitionem significet: sed strictè & propriè, quatenus scientia à reliquis mentis habitibus distinguitur, quod hoc modo probamus: *Physicam esse Scientiam.*

Quæ disciplina de necessario subjecto perpetuas affectiones per suas causas demonstrat, illa est scientia: Physica de necessario subjecto, &c.

*Minor probatur* ex lib. 6. *Ethicor.* ubi scientiæ definitio proponitur. *Item ex lib.* 1. *Poster. cap.* 2. & *lib.* 1. *Physic. cap.* 1. *Major probatur*: quia Physica versatur circa corpora naturalia, quæ sunt necessaria, non contingentia, de quibus demonstrat affectiones necessarias, eas videlicet, quæ iis necessariò insunt. Verùm dubitatur, quomodo probatio Minoris procedat: Hic enim tales sese Instantiæ offerunt. *Instantiæ quod Physica non sit scientia.* I. Sensus ipse testis est, res omnes naturales, cœlo excepto esse corruptibiles, undè commune Philosophorum pronunciatum: Unius corporis corruptio est alterius generatio. II. Infinitorum scientia non datur, attestantibus omnibus Philosophis: At res naturales sunt infinitæ. Ergò. Hic *respondemus ad primam dubitationem*, quod Physica primariò non consideret individua: sed naturas universales *Solutio instantiarum.*

les ipsa singularia sub se comprehentes; *Exempli gratia*, quid homini proprium sit, jure determinat Physicus, quid autem huic vel illi homini accidat, scientificus determinare nequit. Nec obstat quod etiam universaliter transmutatio dici possit de universalibus naturis: Harum enim mutationes ita sunt certæ ac perpetuæ, ut meritò scientificam in nobis cognitionem gignant, utpote cum non à nobis, sed ab ipsâ naturâ dependeant, & semper eodem modo sese habeant. *Ad alteram instantiam* dico, minorem tantùm de Individuis loqui; non verò de rebus naturalibus universaliter. Frustra igitur de hâc assertione dubitat *Foxius lib. 1. Physic. cap. 2.* qui certitudinem scientificam hîc nobis denegare non erubescit. Qui majorem hujus capitis confirmationem requirit, ille conjungat Zabar. *lib. de Constitut. Physic. cap. 2. Conn. in Proœmio Physic. q. 2. ar. 2. Perer. lib. 2. Physic. cap. 3. Tolet. in Proleg. Physic. quæst. 1.*

## CAPUT II.
## DE SUBJECTO PHYSICÆ.

*Subjectum Physicæ est corpus naturale, quatenus naturale, vel mobile.* Arist. l. 5. Metaph. c. 1. Avicen. 1. suff. Albertus in init. Physic. Zabarell. l. de Constit. Phys. c. 2. Perer. l. 2. Phys. c. 3. Piccol. in Introduct. Physic. cap. 28.

*Quomodo subjectum considerationis differat à Subjecto Inhærentiæ.*

POst generis investigationem consequens est, ut differentiam specificam Physicæ constituamus: Hæc in definiendis disciplinis non aliundè quam à subjecto considerationis, quod finem includit deducitur. Dico *à subjecto considerationis*, ne quis in præsentia *Subjectum inhærentiæ* intelligat, videlicet *animum hominis* in quo omnes disciplinæ inhærent: Quamvis autem subjectum considerationis multipliciter accipiatur, ut ex *Zabarell. lib. 1. de naturâ Logicæ* manifestum est: nihilominus tamen nos, omissis aliis significationibus, per subjectum hoc, tantùm subjectum scientificum, quod in scientiis requiritur, intelligimus, cujus conditiones ex sententia Philosophi à *Zabarel. lib. de trib. præcog. cap. 2. & lib. 1. de naturâ Log. cap. 15. & lib. de Constit. Phys. cap. 2.* quatuor enumerantur.

*Conditiones subjecti scientifici.*

I. Ut sit Ens necessarium absque operatione mentis existens. II. Ut sit præcognitum, & quod sit, & quid nomen significet. III. Ut principia & affectiones habeat. IV. Ut omnibus in tota scientia substet nec eandem excedat. De tali subjecto in Physicis diversæ Autorum classicorum opiniones sese offerunt, ubi primum locum obtinet sententia *D. Thom. in proœm. Physic. Javel. l. 1. Physic. q. 1. Connimb. in Proœm. Physic. q. 4. Savanorol. in Epitom. Physic. lib. 2. Conclus. 7.* quâ statuitur Ens mobile: Secunda opinio est *Tolet. in proœm. Physic. quæst. 2.* qui subjectum Physicæ statuit Ens naturale: Tertio loco *Scotus & Scotistæ* ponunt Substantiam naturalem. Has opiniones omnes unicum generale argumentum reprehendit hoc modo:

*Opiniones aliorum de Subjecto Physices reprobantur.*

Cui immediatè non convenit natura, tanquam principium, & motus tanquam affectio; illud non est verum subjectum Physicæ.

Atqui Enti & Substantiæ non immediatè, &c. Ergò.

*Major probatur*: quia semper proximum subjectum determinandum est, cui Physicæ affectiones primò insunt. *Minor patet*, Quia Ens non ut est Ens, dicitur naturale vel mobile: sed quatenus intercedit illud, quod sit corpus, quemadmodum idem quoque verum est de substantia, quæ non dicitur mobilis vel naturalis, nisi sit corporea. Jam relinquitur subjectum Physicæ illud esse, quod determinavimus, nimirum *corpus naturale, quatenus naturale.* Ut autem hujus subjecti naturam melius intelligamus, ideò ex *Zabarel. l. de Naturâ Log. c. 19. l. 1. de tribus præcog. cap. 2. & c. 10. Perer. lib. 1. Phys. Tolet. in proleg. Physic. q. 2.* notandum, quod in omni subjecto duo observanda sint, videlicet Res considerata, & Modus considerandi, quæ à *Scholasticis Dd. subjectum materiale & formale* dicuntur.

*In omni Subjecto duo observanda.*

Res considerata potest esse communis multis disciplinis, undè sese instar materiæ habet: at Considerandi modus vicem formæ gerit, & rem consideratam ad suam certam disciplinam restringit. Ubi hæc duo in subjecto quodam rectè constituuntur, ibi subjectum quoque rectè sese habet. Ita in nostro subjecto Physices primo ponitur Res considerata, scilicet *corpus naturale:* cùm autem hoc pluribus modis considerari possit, idcirco Physicus considerandi modus additur, scilicet quatenus naturale vel mobile, ubi principium motionis internum intelligitur. Sed impugnatur hæc assertio: Physica non tantùm corpora naturalia; sed etiam res incorporeas considerat, utpote animam, intelligentias motrices orbium, &c. Ergò potius res naturales, quam corpora naturalia, erunt subjectum Physicæ.

*Instantia.*

Hîc respondemus, quod anima, ut & intelligentiæ non tanquam subjecta in Physicis considerentur: sed tantùm, quatenus sunt subjectorum principia: jam verò cujuslibet est scientiæ sui subjecti principia & affectiones considerare, undè hoc modo omnia ad corpus naturale reducuntur.

*Responsio.*

## CAPUT III.
## DE DEFINITIONE ET DIVISIONE PHYSICÆ.

*Philosophia naturalis, vel Physica est Scientia, quæ considerat corpora naturalia, quatenus sunt naturalia.* Zab. lib. de Constit. Phys. cap. 6.

HÆc definitio satis patet ex superioribus: cùm enim demonstratum sit, Physicam *scientiam* esse, ejusque adæquatum subjectum esse *corpus naturale*, jam cuilibet facilimè ipsam Physicam definire licet. Genus igitur nimirum *scientia*, totam Physicæ communem essentiam, quam cum aliis rebus habere potest, intellectui nostro demonstrat: Differentia specifica à *subjecto proprio* circa quòd versatur hæc disciplina, desumitur. Undè patet, quod Physica in eo ab aliis rebus omnibus differat, quod principia, affectiones & species corporis naturalis consideret. Hoc enim ad Physicam pertinet, ut corporum naturalium principia inquirat, & ex iisdem affectiones proprias demonstret;

cumque magna sit latitudo corporis naturalis, h.e. cum illud de pluribus specie differentibus dicatur, ideò de quolibet in specie tractat, donec omnium rerum naturalium, quoad fieri potest, perfectam cognitionem habeat. Ex his finis hujus Philosophiæ partis præcipuus innotescit, qui *in corporum naturalium perfectâ cognitione* consistit, in eâque quiescit. Est enim Physica Scientia, ut demonstravimus, quæ idcircò primariò præter subjecti cognitionem nihil respicit.

*Finis Physica.*

Dico *primariò*; quia posito hoc fine, nihilominus non rejiciuntur fines minus principales & secundarii: non enim negari potest, Physicam studioso Theologiæ ad plurima Scripturæ loca intelligenda utilissimam esse: Ita etiam Medicina cognitionem Physicæ præsupponit, undè commune proverbium; *ubi desinit Physicus; ibi incipit Medicus.* Adde quod hæc disciplina ad agriculturam, ad navigationes & alia multa plurimùm inserviat. Verùm hæc omnia plana sunt, ad divisionem ergò progredimur.

*Dividitur Physica in partem Communem & Propriam: Illa de corpore naturali communiter agit: hæc verò ejusdem species considerat. Zabarel. lib. de Const. Phys. cap. 6. Magir. l. 1. Phys. c. 12.*

Hujus divisionis ratio ex ipsis demonstrationibus Physicis desumitur: Vel enim aliquid in communi tantùm de corpore naturali demonstratur, undè *pars communis*, versatur circa communissima principia, communissimasque affectiones: vel de hâc aut illâ corporum naturalium specie per propria principia aliquid dicitur, quod accidit in parte propriâ, ubi corpora naturalia consideramus non communiter: sed prout vel sunt simplicia, vel mixta, animata, vel inanimata, & Totam ergò tractationem nostram Physicam duobus libris comprehendere conabimur; quorum *prior de corpore Naturali communiter considerato*, posterior verò de *corpore naturali in specie* inscribi potest.

# LIBER PRIMUS, De CORPORE NATURALI COMMUNITER CONSIDERATO.

*Quamvis plurimi rerum naturalium scientiam indagare, eamque posteritati relinquere conati sint: nullus tamen in hoc disciplinæ genere Aristotele videtur perfectior. Hujus igitur sententiam declarandam, & quoad firmis nititur rationibus, defendendam nobis esse putamus. Quare ut ea,* quæ de corpore naturali communiter *cognoscenda sunt, percipiamus, ad ipsius Philosophi libros περὶ τῆς ἀκροάσεως, sive de Auscultatione Physices, propter difficultatem, inscriptos accedendum est, quibus declaratis primus hic liber perfectus erit. Ut autem sunt octo libri ab Aristotele de principiis & affectionibus communibus corporis naturalis conscripti, ita nos eam doctrinam, à Philosopho tot libris traditam, octo capitibus in hoc libro primò declarabimus.*

## CAPUT I.

## DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM.

*Physica sive scientia naturalis rectissimè à tractatione principiorum incipit.* Aristoteles 1. Physic. cap. 1. text. 1.

Ex præcedentibus patet, Physicam scientiam esse, undè sequitur tractationem ejusdem meritò à declaratione principiorum incipere: tunc enim rei alicujus scientiam habere dicimur, quando principia & causę illius nobis incognitæ non sunt. A principiis igitur ordimur in Physicis: quia principia sunt communiora, & respectu cognitionis distinctæ nobis notiora, utpote sine quorum intellectu in subsequentibus nihil intelligi potest, ut videre licet apud *Coll. Connimb. l. 1. Physic. cap. 1. quæst. 2. art. 4. Perer. lib. 3. Phys. cap. 12.*

*Sunt autem principia prima rerum naturalium, quæ neque ex se mutuò, neque ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt.* Arist. lib. 1. Phys. tex. 42.

Dico *principia prima*, nam hoc loco de communissimis principiis, quibus non sunt priora agitur, undè per aliquot conditiones à Philosopho describuntur. Cum enim prima sint, *ex aliis* fieri nequeunt, aliàs illis priora darentur: *nec etiam ex se mutuò* fiunt, cum ex principio non principium, sed principiatum fiat: *omnia* denique *ex hisce fieri & constare* dicuntur, scilicet quæ per generationem facta sunt. Nam iis quæ hyperphysicè fiunt, hæc principia minus rectè attribuuntur, utpote cum principia generationis tantùm hoc loco inquirantur.

Ho-

*Horum principiorum ab Aristotele tria recensentur: duo contraria*, Forma *scilicet* & Privatio; & *unum subjectum ipsa* prima Materia. Arist. lib. 1. Phys. cap. 6.

De numero principiorum variæ sunt sententiæ, hanc ob causam ejusdem determinatio videtur difficilis: Veruntamen cum non quodvis ex quovis fiat, ut patet ex *tex.* 43. *lib.* 1. *Physic.* Sed unum quodque ex suo contrario generetur, & in contrarium corrumpatur *text.* 47. Indè constat principia etiam contraria esse debere, *text.* 50. Requiruntur igitur primò duo contraria, quæ cum non nisi in aliquo tertio, tanquam in subjecto esse possint; idcircò tertium principium, ipsa scilicet *Materia prima*, tanquam subjectum contrariorum, necessariò reliquis additur. *text.* 51. 52. Patet ergò veterum Error, qui diversum statuere conati sunt, atque vel *Unnum*, vel *plura* principia introduxerunt. Nam qui *Unum principium* tantùm agnoverunt, vel illud immobile omninò statuerunt, ut sunt *Parmenides*, *Melissus*, &c. qui quamvis ex principiis Physicis minimè refutari possint, utpote cum ipsum motum, & per consequens omnia Physica principia negent, nihilominus ex habitu Metaphysico refelluntur, ut patet ex *cap.* 2. & 3. *lib.* 1. *Phys. Aristotelis.* Alii *Unum principium mobile* introduxerunt, sic *Thales* Aquam, *Heraclitus* ignem, *Anaximenes* Aërem, *Anaximander* corpus ipsis Elementis prius pro principio agnovit: omnes hi communiter errant, quod non intelligant ex uno nihil generari posse: adde quod illis qui Elementa pro principiis agnoscant, corruptibilia sint principia, cùm Elementa quotidiè in se invicem mutentur, quod naturæ principiorum reclamat. Corpus auten *Anaximandri* præter figmentum nihil est, cùm extra Physicum & Mathematicum corpus nullum detur. Quæ omnia demonstrantur à philosopho *per caput quartum lib. hoc.* Qui *plura statuunt principia* vel finita, vel infinita introducunt. Horum autores sunt *Anaxagoras*, qui πανσπερμίαν omnium rerum in quovis corpore, & *Democritus*, qui atomos infinitas commentus est, quos refutat ipsa naturalium rerum scientia, quæ ex principiis non infinitis, utpote quorum nulla scientia, sed finitis haurienda est. Adde quod etiam essentiæ ex illis principiis necessario Infinitæ componantur, quod falsum esse ipsæ testantur res naturales, *Arist.* 1. *Phys. text.* 50. Non tantus est error illorum, qui finita statuunt, ut *Plato*, qui in Timæo tria quidem statuit, sed à sententia Philosophi diversa. Ponit enim *Materiam*, *Ideam*, & *Deum*, quod improbatur: nam quamvis non neget Aristoteles à Deo omnia bona provenire, nihilominus tamen ex Deo tanquam principio res naturales fieri non tantùm Philosophus, sed & Theologus improbat. Adde quod etiam ipsa quoque forma cum suo opposito omittatur, cum Idea Platonis ferè nihil sit aliud nisi exemplaris causa, & ita externa. Rèmanet igitur tria principia à Philosopho secundum veritatem determinata fuisse, quæ cum non nisi ratione mutationis in rebus naturalibus hoc loco considerentur, idcircò unum quodque in specie cum respectu quatenus ad generationem concurrit ulterius considerandum est.

*Principia ulterius vel sunt constitutionis, vel transmutationis tantùm.* Arist. lib. Phys. text. 65. 66.

Hujus diuisionis veritas colligitur ex natura principiorum. Nam quamvis omnia tria ad transmutationem rerum naturalium necessariò requirantur: nihilominus tamen in re generata *Duo* tantùm scilicet *Materia* & *Forma* remanent, quæ essentiam compositi constituunt, ut innuit Philosophus *text.* 65. *Privatio* verò post mutationem cedit, undè constitutionis principium dici nequit, sed tantùm transmutationis.

*Materia prima est primum subjectum ex quo insito unumquodque non ex accidente generatur, & in quod ultimò resolvitur.* Aristoteles lib. 1. Phys. text. 82.

Dari quoddam primum Subjectum omnis mutationis, rectissimè secundum veritatis normam pronuntiat schola Peripatetica, illudque sub *Materiæ primæ* nomine circumfert, commota demonstratione Aristotelicâ hoc loco proposita, quod omnis mutatio Physica necessariò primum quoddam subjectum præsupponat, ex quo *terminus à quo*, unà cum forma intereunte, expellitur, & in quod *terminus ad quem* sive forma producenda introducitur, quo subjecto exploso, necessariò sequitur ipsam rem ex nihilo generari, & formam sine subjecto à naturâ produci posse, quod non tantùm Philosopho absurdum, sed etiam Theologo ἄτοπον esse videtur, utpote cum hâc ratione id quod ad absolutam Dei omnipotentiam pertinet, naturæ adscribatur, quod solvendum restat iis, qui sæpius hanc Aristotelis sententiam, quam vix intelligunt, non sine bile tanquam curiosum & vanum quiddam, accusare annituntur. *Hæc prima materia* reliquis principiis naturâ prior est, *teste Zabarell. lib.* 1. *de materia. cap.* 1. Obtinet enim subjecti officium, quia reliqua tanquam contraria continet, undè extra eandem nulla mutatio fieri potest. Cùm ergò sit primum subjectum mutationis Physicæ, sequitur necessariò ipsam *materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem*; quomodo enim prius dari potest, ex quo originem suam trahere possit? Annon processus in infinitum sequeretur, cum omnis generatio subjectum præsupponat? ut patet ex *Philosopho d. l.* Ex his autem minimè concludere licet ipsam materiam omninò æternam, & per consequens DEO æqualem, cum semper distinguendum inter ea quæ generantur, & quæ modum generationis non admittant, æterna tamen non sunt, utpote cum non Physicè, sed ὑπερφυσικῶς per creationem scilicet producta sint; ita etiam materia unà cum reliquis rebus omnibus in principio rebus concreata est, non igitur æterna. *Ingenerabilis* autem rectè statuta est ex superiori fundamento, quamvis non negandum, quod etiam aliquo modo materia interire dicatur, ut Aristoteles innuit, quatenus scilicet privationem sibi adjun-

*Materia prima ingenerabilis.*

*Non æterna.*

*Quomodo materia dicatur interire.*

ctam habet, quæ à formâ adveniente expellitur, ut ita materia jam sub hâc, jam sub aliâ formâ lateat; Etenim materia appetit formam, ut imperfectum appetit perfectum, ut videre licet, apud *Coll. Connimb.* 1. *Physic.* c. 9. q. 5. *Tolet. lib.* 1. *Physic.* q. 17. *Piccol.* c. 10. ex sententia Philosophi *text.* 81. *lib.* 1. Ratio firmissima indè deducitur, quia essentia materiæ consistit in potentia, per quam materia tanquam Ens in potentiâ concipitur, ut dicit *Zabarell. lib.* 1. *de Mater.* c. 11. Jam verò omnis potentia ad actum tanquam perfectionem suam tendit; hinc etiam deducitur materiam formam appetere. Ex his patet materiam non esse nisi sub aliquâ formâ, ideòque per se existere nequit, cùm nullam formam propriam, quæ det eidem, ut sit materia, possit habere, ut firmis rationibus demonstrat *Javell. l.* 1. *Phys. quæst.* 31. Quamvis igitur essentia materiæ extra compositum considerari possit; nihilominus tamen existentiam non nisi in composito habet, undè in suâ naturâ est quidem ἄποιος & omni qualitate & omni formâ carens, ut loquitur *Zabarell. lib.* 1. *de Materia* c. 8. & ita obtinet potentiam ad quamcunque formam, quæ potentia adhuc universalis postea tamen adveniente privatione, quæ cum particulari potentia actui opponitur, ad hanc aut illam formam recipiendam determinatur, ut patet *ex Zabarell. cit. l. c.* 15. Nullus igitur actus materiæ attribuitur, nisi is tantùm, quem à forma habet. Nam *actum Entitativum* Scoti quod attinet, ille de materia quidem dicitur, sed nihil probat nisi quod materia sit Ens quoddam, utpote cum ille actus non potentiæ, sed nihilo negativo opponatur, ut patet ex *Zabarell. lib.* 2. *de Materia.* Suscipit igitur Materia terminos beneficio formæ, ideò ab Averroë rectissimè dicitur radix Quantitatis, eique quantitas conceditur, talis tamen quæ proprios terminos non habeat, sed omni determinatione adhuc destituatur, ut patet *ex Zabar. lib.* 2. *de Materia*, c. 3. *Perer. lib.* 5. *Phys.* c. 18. Hanc ob causam *Philosophus* 7. *Metaph. text.* 7. affirmat. Materiam per se neque quid, neque quantum esse, neque aliquid aliorum quibus Ens determinatur. Ex præcedentibus ratio colligitur: quia Materia est tantùm Ens in potentia, & sic optimè ad suum officium in generatione præstandum comparata est; Nam ex non Ente simpliciter nihil generatur, sed ex eo quod partim est non Ens, partim Ens, cujusmodi est materia, ut patet ex *text.* 75. & 78. Hæc de materia, quæ quamvis simpliciter quoque, ut in Entium numero est, considerari possit, nihilominus hoc in loco cognoscitur cum respectu ad generationem, undè *primum subjectum mutationis* dicitur.

*Materia per se non existit.*

*Materia habet existentiam in composito.*

*Actus Entitativus quid sit?*

*Forma est alterum principium constitutionis, quod materiæ potentiam actuat, & ipsius compositi essentiam determinat, undè rei quidditatem largiri dicitur.* Alber. M. 2. Phys. super text. 28. Perer. lib. 6. Phys. c. 8. Picc. 3. de materia c. 4.

Alterum principium scilicet *Formæ* sequitur, quæ est quasi terminus ad quem totius generationis, & nullam aliam productionis originem habere potest, nisi ex potentiâ materiæ, quemadmodum de generatione loquimur, quod indè patet: quia hæc forma secundum esse, secundum fieri, & secundum operari pendet à materiâ, ut innuit *D. Thom.* 1. *p. q.* 45. *Fonsec.* 5. *Metaphys. c.* 2. *q.* 4. *Connimb.* 1. *Phys. q. ult.* Undè patet formas, Physicâ mutatione, productas extra materiam nec esse, nec operari. Ergò præsente hac forma materia terminos accipit & actuatur, undè constat principium Individuationis esse præcipuum quoddam officium formæ inter cætera, cum forma sit illud ipsum, cujus ratione res existere dicitur, ut patet ex *Zabar. de Constit. Phys.* c. 4. *Perer. l.* 6. *c.* 12. 4. *Scalig. Exerc.* 307. *s.* 17. Nam forma materiam universalem contrahit, & rem à re distinguit, quatenus non tantùm essentiam, sed etiam existentiam largitur.

*Forma principii Individuationis.*

*Privatio est absentia, seu carentia formæ in subjecto, quod aptitudinem habet ad eam recipiendam.* Arist. 4. Metaph. c. 22. D. Thom. 1. part. q. 66. ar. 2.

Subsequitur *Privatio*, tertium principium, ipsa scilicet absentia formæ naturalis generandæ, vel producendæ in subjecto, quod aptitudinem ad eandem recipiendam habet; undè colligitur privationem non esse principium per se, sed potius ex accidenti, ut inquit *Philosophus text.* 66. Si scilicet consideramus rem, ut est non amplius in fieri, sed in facto, sicut hoc explicat *Javellus lib.* 1. *Phys. q.* 30. Est enim tanquam *terminus à quo* in generatione, ideòque rei constitutionem non ingreditur, *teste Philosopho text.* 59. 60. Consistit igitur privationis Essentia in negatione partim, & potentiâ; quamvis enim neget reliquas formas, nihilominus semper conjuncta est cum formâ aliquâ, quæ generandam præcedit, & ita est *terminus à quo* totius generationis, ut patet *ex c.* 7. *lib.* 1. *de Materia Doctiss. Zabarellæ.* Accidit igitur ratione privationis, quod potentia materiæ ad certam formam determinetur, ut ita non quodvis generetur: Sic ex ovo fit pullus, non aliud quiddam, propter absentiam formæ pulli, quæ est privatio illa, cujus ratione, pullus & non asinus generatur ex ovo. Hæc pulli absentia ejusdem formę opponitur, ideoque pullo generato non remanet, sed necessariò cedere cogitur. Ex his etiam colligitur privationem non esse Ens positivum in rebus; formaliter enim neque *Ens reale*, neque *Ens rationis est*, ut patet ex *Coll. Connimb. l.* 1. *Phys. c.* 9. *q.* 7. & *Perer. l.* 5. *c.* 24. Interim tamen est in rebus, ratione fundamenti, ut loquuntur. Nam forma, & ejus privatio, versantur circa idem subjectum, ut dicit Aristoteles. Quoties igitur subjectum formâ caret, toties eidem inest privatio, quę non directè ex sese; sed proter formæ absentiam intelligitur. Atque hæc sunt tria illa principia, quæ ad omnem generationem necessariò concurrentia partim inductione, partim etiam à posteriori in hoc libro primo Physicæ Auscultationis demonstrat Philosophus: cùm verò eadem principia, exceptâ privatione, in re constituta quoque remaneant, & ita essentiæ ejusdem, omnisque operationis causæ sint, idcircò sequitur, ut eadem in rebus naturalibus generatis consideremus, undè secundus Aristotelis liber subsequitur.

*Cur non quodvis ex quovis fiat?*

*Privatio non est Ens positivum.*

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

### *An Principia ab Aristotele rectè definiantur?*

PRima corporum naturalium principia describuntur à Philosopho, quod sint *ea, quæ non ex aliis neque ex se mutuò, sed ex quibus omnia fiunt*, ut videre licet, *lib.* 1. *Physs. text.* 42. Hujus definitionis particulas omnes in textu declaravimus, illud in præsentia superest, ut dubia hic orta solvantur.

*Negativa probatur.*

Improbatur autem sequentibus principiorum descriptio Aristotelica I. Quia genus deest.

*2.* II. Quia forma educitur ex potentiâ materiæ. Ergò falsum est, quod non fiant ex se mutuò.

*3.* III. Quia in cœlo non est privatio. Ergò non omnia ex iis constant.

*4.* IV. Materia & forma sunt species. Ergò habent sua genera, & per consequens, ex aliis componuntur.

*5.* V. Ex privatione nihil constat, nec generatur, quia non est pars compositi, nec etiam rectè dicitur terminus à quo, quia non ex privatione, sed ex re privatâ aliud fieri solet: ita pullus non propriè ex privatione suæ formæ oritur, sed potius ex ovo, quod privationem habet.

*Affirmativa defenditur & Respond. ad Arg. 1.*

His objectionibus occurrimus hoc modo: Ad 1. nota quod prima principia exactè definiri nequeant; quia non habent alia priora, undè genus adæquatum hic deest, nisi velimus dicere, quod sint Entia, ubi tamen univocum genus non constituitur.

*ad 2.* Ad 2. forma propriè non dicitur fieri, sed ipsum compositum.

*ad 3.* Ad 3. Hic principia generationis considerantur: atqui cœlum generabile non est.

*ad 4.* Ad 4. Hæc compositio Metaphysica est.

*ad 5.* Ad 5. Ut totalis terminus ad quem, scilicet ipsum compositum non est principium, sic etiam totalis terminus à quo, scilicet res ipsa, quæ privationem habet, principium dici nequit. Vide *Fonsec. lib.* 5. *Metaph. c.* 1. *quæst.* 2. *Piccol. lib.* 1. *Phys. ad text.* 47. *Connimb. lib.* 1. *Phys. cap.* 5. *quæst.* 1.

## QUÆSTIO II.

### *An & quomodo principia sint contraria?*

QUemadmodum non omnis fert omnia tellus; ita etiam in generationibus rerum naturalium non quodvis ex quovis fieri manifestum est omnibus, undè Philosophus *text.* 44. *lib.* 1. *Phys.* pronunciat *quodlibet ex suo contrario fieri, & in contrarium corrumpi.* Hinc patet principia quodammodo contraria esse: non quidem propriè, sed eâ oppositionis specie, quæ est inter habitum & privationem, ubi unum alterius præsentiâ de subjecto pellitur, quod patet in formâ & privatione, ubi illâ adveniente, hæc è subjecto suo pellitur. Addo, & illud, quod hæc duo principia sæpius à Philosopho prima contraria vocentur; quia in genere principiorum sibi invicem totaliter sunt opposita. *Vide Zabarell. lib.* 1. *de mat. c.* 2. *Tolet. lib.* 1. *Phys. quæst.* 9. *Connimb. lib.* 1. *Phys. cap.* 6. *q.* 2.

*Quæstionis declaratio.*

## QUÆSTIO III.

### *An prima materia sit Ens?*

OMnis tractationis prima Quæstio in eo consistere solet, ut τὸ ὅτι confirmetur, ubi quærimus, num etiam illa materia, de qua agendum restat, revera sit in rerum naturâ. Etsi verò saniores Philosophi omnes ferè in eo consentiant, ejusmodi materiam necessariò dari: tamen reperti sunt, qui à communi hâc Philosophantium assertione dissentiunt.

*Negativa confirmatur.*

Horum opinio confirmatur hoc modo. I. Quicquid est, illud in quodam prædicamento est. At materia non est in quodam prædicamento. Ergò. *Minor* probatur authoritate *Aristot. lib.* 7. *Metaph. tex.* 8. ubi dicit: Materia neque quid, neque quale, neque quantum, neque aliquid eorum est, quibus Ens determinatur.

*2.* II. Quod nullâ ratione sensu apprehenditur, illud non videtur esse; at materia nullâ ratione sensu apprehenditur: Ergò.

*3.* III. Privatio est non Ens: Materia est idem cum privatione, *teste Aristot.* 1. *Physic. text.* 60. 66. Ergò Verisimilior est sententia contraria, per quam in textu demonstravimus, necessariò ejusmodi subjectum omnis mutationis Physicæ concedendum esse.

*Affirmativa defenditur.*

*„Fundamenta decisionis.*

Pro controversiæ decisione notandum est, quod materia prima dupliciter consideretur, ut vult *Themistius*, teste Zabarella; *absolutè* & *respectivè*. *Absolutè* consideratur in primâ notione, quatenus est Ens aliquod, ubi eidem attributa quædam absoluta conveniunt, ita tamen ut sit expers omnis formæ, & per consequens Ens aliquod in potentiâ, cui omnes formæ denegantur. *Respectiva materiæ consideratio* secundam notionem ejus constituit, quatenus est aliorum principium, & ita potentiam ad omnes formas recipiendi obtinet, imò privationem quoque ad certam quandam formam includit. Prior consideratio potius ad Metaphysicam: hæc posterior ad Physicam pertinet.

*Notandum.*

Porrò & illud nota, quod *Ens aliud completum & perfectum; aliud incompletum & imperfectum sit.*

*Respond. a Argumen. negantia. Ad 1.*

Jam patet solutio ad argumenta contraria. Ad 1. *Major* loquitur de Ente completo: at materia est Entis completi principium.

*Ad 2.* Ad 2. *Minorem nego*: quia materia incurrit in sensus per analogiam, quando mutatio essentialis & accidentalis comparantur. Ut enim sensus testatur in calefactione aquæ adesse subjectum; quod primò frigidum est, postea calefit: ita etiam in substantialibus mutationibus eadem ratio videtur esse. Quod si directam cognitionem sensualem intelligis, majorem nego, quia aliàs nec substantia esset Ens, cum omnis substantia sit αἰσθητὸν κατὰ συμβεβηκός.

*Ad 3.* Ad 3. Materia est idem numero cum privatione non ratione essentiæ, sed quatenus materia est subjectum privationis, quia privatio est materiæ accidens: Relinquitur ergò materiam esse Ens, & cum sit Substantiarum Physicarum principium, idcircò Substantia incompleta rectissimè vocabitur. *Vide Zabarell.* 1. *de mater. cap.* 3. *& seq. Sculiger. Exercit.* 5. *Perer. lib.* 5. *Physic. cap.* 4.

*Piccol.lib.1.de materia c.4.Tolet.lib.1.Physic.c.12.& 13. Connimb.1.Physic.cap.9.quæst. 1. Conjunge ea quæ hic Aritoteli objicit Ramus lib.1.Scholar.Physic.cap.9.*

## QUÆSTIO IV.

*An materia sit pura potentia?*

OMnes quidem in eo conveniunt, quod materiæ potentiam attribuant: verum de modo attributionis inter omnes non convenit. Ut autem controversiæ nervum intelligamus, ideò duas opiniones examinabimus, quorum prior est *Themist.1.Phys.digress.ult.Averr ois ibidem com.69. Jandun. 1. Physic. q. 25.* quâ statuitur *Potentiam non esse de essentia materiæ.* I. Quia aliàs forma adveniente materia destrueretur: quæ enim essentialiter sunt eadem, illa simul destruuntur. II. Potentia est πρός τι, at materia est Substantia. Ergò potentia non potest ad materiam essentialiter pertinere. Posterior sententia, priori contraria, est *D. Thom. 1. Phys.text.79.* quæ ita confirmatur: 1. quia, si potentia non est de essentia materiæ, consequens formam uniri cum materiâ non mediatè, sed per accidens, quod est contra *Aristot.lib.3.de an.c.1.& lib.8.Metaph.c.6.* II. Quia Ens per Accidens prius erit Ente per se, quemadmodum materia cum potentia præcedit formam in composito. Hæc sententia Thomæ optimè procederet ex mente *Piccolominei*, qui *lib.1.de mat.c.10.*nullam potentiam à subjecto suo distinguit: Verùm cum hic petatur principium, ideò decisionis loco notanda venit hæc distinctio, quod *Potentia* in Materia sit duplex: *Universalis & Particularis*; per illam, Materia omnes formas appetit: per hanc autem propter privationem conjunctam unam quandam certam tantùm recipit. Dicimus igitur quod materia in primâ notione, quatenus consideratur ut Ens aliquod, potentiam recipiendi formas includat tanquam essentiale quid in secundo modo per se, quemadmodum hominis naturam consequitur risibilitas. Ut autem materia principium est, ita potentia universalis in primo modo per se, particularis autem in secundo modo per se eidem attribuitur. Est igitur *ipsa materia Ens in potentia, quod nec in prima, nec in secunda significatione proprium quendam actum aut peculiarem existentiam habere potest.* Vide *Zabar. lib.1.de materia c.11.Perer.lib.5.Physic.c.22.Tolet.lib.1. Physic.q.14.Connimb.lib.1.Physic.cap.9.q.3.ar.1.*

*Duplex potentia Materiæ.*

## QUÆSTIO V.

*An forma ex potentiâ materiæ educatur?*

COmmunis est loquendi formula apud Peripateticos, *formas educi ex potentiâ materiæ*, quam Aristoteles primò usurpavit, contra sententiam *Anaxagoræ*, qui omnes formas actu in materia latitare contendebat, ut patet ex *lib.1.Phys.c.4.* Quid autem sit illa eductio formæ ex potentia materiæ non ab omnibus eâdem ratione declaratur. *Fonseca lib.5. Metaph. c.2. quæst.4.* ita rem illam determinat, ubi inquit: formam educi de materiæ potentiâ nihil est aliud, quam formam fieri dependenter à subjecto; ideoque distinguit inter formas, quæ producuntur, & materiæ inducuntur, per creationem scilicet, & inter eas, quæ educuntur. Hoc innuit quoque *Piccol.lib.2.de materia, in fine*, ubi dicit: forma dicitur educi è potentiâ materiæ, non quia præfuerit actu, sed quia præfuit potestate, educiturque ab agente, quatenus unà cum toto producitur. Clarius illud ipsum apparet ex *Toleto lib.1.Phys.q.19.* ubi dicit, formas ex potentiâ materiæ educi nihil aliud est, quam eâdem actione consequenrer fieri & habere esse, quâ fit compositum. Verùm ulterius quæritur, quænam sint requisita in tali formæ eductione necessaria? Hinc nota ex *Conimb.lib.1.Physic.c.9.quæst.12.ar.5.*quod duo sint necessaria in hoc opere: I. Ut naturalis potentia ad formam ipsi materiæ insit. II. Ut forma, quæ educitur, sine illâ materiâ nec effici, nec permanere possit. Patet ergò Physicas formas tantùm ex materiæ potentiâ educi, quibus subsequentes conditiones à *Pererio lib.5.Physic.c.23.* collectæ conveniunt. I. Pendeant in fieri à materia, quia extra materiam fieri nequeunt. II. Producantur per agentia naturalia. III. Pendeant secundum esse à materiâ, ita ut separatio à materiâ iisdem sit interitus. IV. Non nisi beneficio materiæ operentur. V. Quidditatem à materiâ habeant, ita ut sine eâ definiri nequeant. Hæ conditiones omnibus rerum naturalium & generabilium formis conveniunt, solâ rationali animâ exceptâ, ideoque omnes ex materiæ potentiâ sunt eductæ. Undè patet *Fernelii error.lib.1. de abdit. rerum causis*, & alibi, qui formas naturales aliundè deducit, quem meritò *Scaliger* refutat *lib. Subtil. Ex. VI. Sect.5.*

*Quid sit eductio formæ ex potentia materiæ.*

*Conditiones formis rerum naturalium convenientes.*

## QUÆSTIO VI.

*An forma sit tota rei quidditas?*

NEgativam quæstionis partem vide apud *D. Thomam 1.p.quæst.75.ar.4.* & alibi, quæ confirmatur his rationibus.

*Negativa confirmatur.*

1\. I. Quicquid non constituit totam definitionem, illud non est tota quidditas. At forma non constituit totam definitionem. Ergò.

2\. II. Tota quidditas constituit totam speciem: At forma non constituit totam speciem. Ergò.

3\. III. Adde quod res materiales ab immaterialibus non differunt; quia utrobique sola forma totam essentiam constitueret. Contrarium ex pluribus *Aristotelis* locis; imò ex Interpretibus plerisque probari posset.

Verùm pro Quæstionis solutione potius hæc distinctio notanda est ex *Perer. lib. 5.* Quod Quidditas vel totam rei essentiam significet, vel illud, quod actuativum, distinctivum, definitivum & perfectivum est; priori modo non dubium est, quin forma tantùm sit pars quidditatis, quod probatur argumentis *Thomæ*: Posteriori modo est tota quidditas, quia sic omnia illa, quæ de quidditate dicuntur, soli formæ conveniunt.

*Quæstionis Solutio.*

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

### *An privatio sit principium?*

*Negativa probabilis.*

NEgativa quibusdam placet his rationibus.

1. I. Non Ens, non potest esse principium. Privatio est non Ens. Ergò.

2. II. Principium ex accidenti, non est verum principium: Privatio est principium ex accidenti, teste *Arist.lib.1.Phys.text.66.*

3. III. Quæ conveniunt numero, illa non constituunt distincta principia. Materia & Privatio conveniunt numero. Ergò.

4. IV. Principia semper manere debent, teste *Aristot. lib.1.Phys.text.50.* At privatio non remanet post formæ adventum. Ergò.

*Quæstionis declaratio.*

Pro declaratione quæstionis notandum I. quod non Ens vel sit Negativum, quod nihilo respondet, vel Privativum, quod negat habitum, & ponit aptitudinem ad eum. II. Deinde principia quoque Duplicia sunt, vel Constituentia, quæ in composito remanent: vel tantùm regenerationi inservientia, quæ re productâ abolentur. Ex his fundamentis ad opposita respondemus, ubi primo hanc Conclusionem ponimus: Privationem esse principium transmutationis, quod dicit absentiam formæ introducendæ in subjectum habile.

*Ad Argumenta Negativa respondetur.*

Ad argumenta contraria Respondeo.

*ad 1.* Ad 1. Privatio est non Ens privativum, quod potest esse principium, ut terminus à quo.

*ad 2.* Ad 2. Privatio dicitur principium per accidens, non ratione generationis, sed ratione compositionis, quatenus materiæ, quæ altera compositi pars est, accidit habere privationem.

*ad 3.* Ad 3. Major vera est de iis, quæ sunt idem numero essentia: At materia & privatio non essentiâ, sed subjecto tantùm sunt eadem.

*ad 4.* Ad 4. Hoc intelligitur de iis principiis, quæ rerum constitutionem concernunt. *Lege Perer. lib. 5. Phys.c. 23.& seq. Connimb.lib.1.Physic.c.9.q. 8. Tolet. ibid. q. 21. Piccolom. lib. 1. de Materia c. 14. & alios.*

## CAPUT II.

## DE NATURA ET CAUSIS RERUM NATURALIUM.

*Natura est principium motus & quietis ejus in quo est, primò, per se, & non secundum accidens.* Aristoteles 2. Physic.cap.1.text.3.

CUm res naturales non tantùm in fieri; sed etiam in facto considerari debeant: idcircò præter præcedentem principiorum tractationem superest adhuc alia, quâ eadem principia sub *Naturæ* vocabulo declarantur. Quamvis autem hæc vox plurimis modis accipiatur, ut patet ex 5.*Metaph. c.* 4. nihilominus hoc loco nihil aliud intelligitur, quam illud, cujus ratione motus & quies, vel conjunctim, vel disjunctim, ut explicat hoc ipsum *Coll. Conimb.lib.2.cap.1.q.2.* rebus primò convenit. Illa igitur *Naturam habere* dicuntur, quæ ejusdem generis principium insitum habent, ut patet ex *text.* 4. per quod etiam naturalia dicuntur, & ab artefactis distinguuntur: quæ autem his rebus tanquam affectiones propriæ insunt, *secundum naturam* iis attribuuntur, ut patet *ex text.*5. Cum verò omnis mutationis & quietis principium vel à Materiâ, vel à Forma pendeat, patet *naturæ vocabulum Formam & Materiam* simul comprehendere. Formæ autem magis naturæ vocabulum, quam Materiæ convenire asserit Philosophus *text.*12. quia per eam Ens naturale in actu constituitur: imò omnis generatio ad Naturam terminatur, quæ Forma est, & secundum formam res naturales Simpliciter dicuntur, ut annotat *Savanorol. in Epit.Physic.concil.*21. 22. Materia tamen non excluditur à Natura, ut patet ex *text.*11. Etenim Materia est principium motus passivum. Nihil enim moveri aptum est, quod Materia destituitur. Ergò sub definitione naturæ materia & forma comprehenduntur: hæc enim duo in rebus naturalibus ad se invicem ordinata sunt. Undè planum est, quid statuendum in illa Controversia: *An natura principium motus activum, an verò passivum?* Cujus priorem partem defendit *Avicenna*, Posteriorem verò *Scotus, Simplicius*, &c. Tutior hic est media sententia, quam recepit *Zabarella lib. de Nat.cap.6.Colleg.Conim.lib.2.Phys.c.1.q.3.ar.2.* Naturam esse principium motus tàm activum quàm passivum, illud ratione formæ; hoc ratione materiæ ipsius compositi. Sic Cœlo naturam attribuimus cum *Perer.lib.7.c.7. & Zabar.lib. de natura cœl.c.*10. Nam concedendo, cœlum activum principium motus internum non habere, quod tamen suo loco discutiendum est, relinquitur tamen adesse principium motus passivum, quod etiam sub definitione naturæ continetur. Eadem ratione omnem *animam* naturâ esse dicimus, contra *simplicium, ex sentent. Zabar.lib. de naturâ c.4.Perer.lib. 7.c.11.Coll.Conimb.lib. 2. Phys.c. 1. quæst.*4. quia omnis anima est forma corporis Physici, quæ cum principium omnis motus, & quietis sit in illo corpore, meritò dicitur natura. Sunt igitur *res naturales*, quæ principium ejus motus, quo moventur, in sese habent vel activum, vel passivum, vel utrumque, & sic differunt ut supra diximus à rebus artificialibus, quæ ut tales sunt, nullius motus principium habent insitum, quod patet: quia Ars vi sua non potest producere naturæ opus. Dico *vi suâ*: Nam potest fieri, ut Ars dirigat media naturalia, ut effecta consequantur, quod non tàm arti, quàm naturæ est attribuendum, ut patet ex *Colleg.Conn.lib.2.q.7.c.1.& Perer.lib.7. cap.*3. Ex his constat, quænam sint illa quæ natura constant, & huic tractationi subjiciuntur: hæc verò cum etiam à Mathematico considerentur; idcirco hoc loco *Aristoteles* differentiam inter Mathematicam & Physicam addit. Monstrat enim hoc *c.* 2. quomodo Mathematicus tantùm abstrahendo speculetur quantitatem, quæ quidem secundum naturam inest corpori naturali, & à Physico non, nisi in eodem, consideratur, à Mathematico verò abstrahitur, & absque sui subjecti respectu consideratur. Notandum tamen quod

*De vocabulo Naturæ.*

*An vox Natura Materia & Formæ conveniat?*

*Formam magis Naturam esse.*

*Materiam quoque Naturam esse.*

*An Natura sit activum an passivum principium?*

*Quomodo in cœlo natura sit?*

*Quomodo anima natura sit?*

*Res naturales quænam sint?*

*Mathematicus & Physicus differunt.*

*Nota.*

*puræ disciplinæ Mathematicæ* scilicet *Arithmetica* & *Geometria* hîc intelligendæ sint. Reliquæ enim, quæ Mixtæ dicuntur, semper etiam aliquem respectum obtinent, idcirco partim ad Physicam, partim ad Mathesin accedunt. Quamvis ergò uterque, *Mathematicus* & *Physicus*, res secundum naturam considerent, nihilominus per considerandi modum plurimùm differunt. Ita manifestum est, quid per naturam in hac significatione intelligendum sit, de *causis* ulterius agit Philosophus; tùm quia omnis scientia per causam comparatur, *lib. 2. tex.27.* tùm etiam, quia Materiæ & Formæ commune est causas esse, ut ait *Perer.lib.8.in princip.*

*Causa est id à quo in suo genere per se pendet effectum.* Perer.lib.8.c.1. Colleg. Connimb.cap.7.lib.2. quæst.1.

Vix adæquata definitio causarum adduci potest, propterea quod causæ vocabulum de omnibus univocè non dicatur: sit tamen hæc descriptio generalis, quæ omnibus causis propriè dictis adaptari potest.

*Sunt autem quatuor causæ, vel Internæ, ut* Materia & Forma, *vel Externæ, ut* Efficiens & Finis.

*Causæ Internæ.* *Internæ causæ* sunt, quæ constitutionem effecti ingrediuntur, ut est Materia, ex qua fit aliquid cum inest, *ut dicit Aristoteles loco cit. text.* 28. Et *Forma*, per quam res essentiam, & existentiam suam nanciscitur, undè à Philosopho dicitur, essentiæ ratio, τὸ εἶναι rei. Sic terra & reliqua elementa sunt materia mixtorum: sic anima forma est animantis. *Causæ Externæ.* *Externæ causæ* non ingrediuntur rei constitutionem, inter quas primo offert sese *Efficiens*, quæ *Philosopho h. l. text.* 29. est id, undè motus principium. Deindè *Finis* succedit, propter quem, & cujus gratiâ res est. Tot causas in rebus naturalibus sufficere patet. Nam præter *Materiam* & *Formam*, ut ex superioribus colligitur, nullum internum principium requiritur: ex materia enim res fit, & per formam subsistit. Verum cum nihil à seipso fieri possit, ideò extrinsecus *efficiente* indiget, quæ *efficiens* non temerè, sed ordinatè & propter finem agit. *Quid sit exemplaris causa Platonis.* Quod autem *causam exemplarem* à Platone introductam attinet, illam cum Philosopho partim ad efficientem, partim etiam ad formam rejicimus, ut patet ex *Perer. lib. 8. c. 1. Contra Connimb. lib. 2. c. 7. quæst. 5.* Ergò non plures, nec pauciores dantur causæ in rebus naturalibus, quam quatuor: Omnis enim substantia corporea, materiâ & formâ constans, necessariò efficientem & finem præsupponit, undè *nihil temerè & frustrà à naturâ fieri* manifestum est, ut probat *Philosophus cap. 7.* Sed omnia propter finem. *Quomodo Natura propter finem agat?* Dubitatur hîc non immeritò, *quomodo natura propter finem agat*, cum finis præcognosci debeat: ubi notandum quod res propter finem agant, vel tanquam à se motæ & incitatæ, quod tantum convenit intelligenti creaturæ: vel tanquam ab alio hoc modo ordinatæ, & ita ad finem tendunt omnes res naturales, quatenus à primâ causâ ita constitutæ, ut innuit *Thom.* 2. 2.*q.*1.*Colleg.disp.*2. *Eth.quæst.*1. *ar.*2. Pulcherrima igitur speculatio de *Deo* hîc sese offert; nam cum natura non sit intelligens, & nihilominus propter finem agat, sequitur necessariò esse numen quoddam supra naturam, quod omnia hæc ad finem ordinârit.

Superest jam ut *causas per accidens* etiam consideremus, quæ non per se ad effectum producendum concurrunt, sed accidentaliter, undè etiam nomen suum accepisse videntur, & sub *Fortuna & Casu* comprehenduntur.

*Fortuna est causa per accidens in iis, quæ operantur ob aliquem finem, ex electione, neque semper, neque ut plurimum*, Aristoteles lib.2. cap.5.text.52.

Dico *in iis, quæ operantur ob finem*: nam effectus fortuitus semper cum effectu per se conjunctus est; sic fodiens agrum invenit thesaurum: hic est causa per accidens inventi thesauri, thesaurus est effectum fortuitum, cum quo effectum per se, scilicet agri fossio, conjungitur. Dico *ex electione*: nam fortnna propriè de hominibus tantùm intelligitur. Etenim homines propriè fortunati, vel infortunati dicuntur, ut vult Aristoteles *text.* 58. 59. undè liquet non Deam quandam ab Ethnicis introductam hoc loco intelligendam esse per fortunam, sed tantummodo talem accidentalem causam, ut determinavimus.

*Casus est causa per accidens in his, quæ non per electionem, sed simpliciter propter aliquid fiunt, cum non ejus, quod evenit, gratiâ fiunt.* Arist.text.61.

Ex hac descriptione intelligitur *Casum* latius sese extendere *Fortunâ*, cum Casus naturalibus etiam agentibus brutis convenire possit. Accidit igitur interdum, ut natura suo frustretur fine, teste *Aristotele text.*82. quod tamen per accidens, scilicet Casu, accidit; *Monstra, quid sint* hinc *Monstra* fiunt, quæ teste *Perer. lib. 9. cap.* 10. sunt vitia naturæ deficientis à fine, ob Impedimentum aliquod, rarò tamen contingentia. Hæc an à Natura intendantur, non potest affirmari, teste *Javell. lib.2.Phys. quæst.* 32. & *Coll. Conimb. 2. Physic.c.9. q. 6.* quia causa impedita per se sumta non tendit in monstrum, sed *Causa Monstrorum.* effectum sibi similem producere nititur; quatenus verò conjungitur cum Impediente, eatenus simul etiam adjuvat Monstri productionem. Potest verò natura impediri, vel à materiæ promiscuo fluxu & motu, vel ab agente, vel etiam à continentè, ut innuit Philosophus 4. *de gener. anim.cap.* 4. Manifestum est ex hisce *necessitatem inesse rebus Physicis*, non tamen absolutam, sed illam tantùm, quæ *Necessitas ex hypothesi* dicitur, *Qualis necessitas in rebus Physicis.* ubi positis necessariis requisitis in natura, necessariò quoque rem esse dicimus, quam necessitatem Physicis rebus attribuit *Philosoph. lib. hoc cap. 9.* Patet igitur ex præcedentibus duobus libris Aristotelis, ex quibus principiis & causis res naturales fiant ac constent.

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

*An definitio Naturæ rectè constituatur ab Aristotele?*

DIximus in hoc capite ex mente Philosophi, quod natura sit principium, vel causa motus & quietis ejus in quo est, scilicet in rebus naturalibus, per se, primò & non secundum accidens.

*Negativa probatur.* Contra hanc Apostolicam definitionem ita plurimi insurgunt, eamque improbant:

1. I. Quia quædam sunt in perpetuo motu, ut cœlum, alia in perpetua quiete, ut terra.

2. II. Quia natura, quæ videtur aliquod absolutum esse, respectivè definitur.

3. III. Materia non est principium motus, quæ tamen ab *Aristotele* 2. *Physic.* natura dicitur.

4. IV. Motus & quies sunt contraria. Ergò non pendent ab uno principio.

5. V. Ars saltandi est internum motus principium, quæ tamen natura non dicitur.

*Quæstionis Solutio.* *Pro controversiæ solutione nota*, quod naturæ vox, quæ aliàs ambigua est, in præsentiâ pro tali interno motus principio accipiatur, ut diximus, ubi tamen illud observandum, quod natura principium motus dicatur *non conjunctim tantùm: sed etiam disjunctim*, præsertim cum in quibusdam corporibus tantùm sit motus principium, ut in cœlo, in aliquibus quietis, ut in terrâ: in aliis motus & quietis simul, ut patet in reliquis corporibus naturalibus.

Jam Responsio patet ad primum.

*Argumenta Negativa Resp.* ad 1. ad 2. ad 3. ad 4.

Ad 2. Meritò per respectum ad operationem ipsam naturam describimus, quandoquidem tota principiorum tractatio respectiva sit.

Ad 3. Natura non tantùm est activum principium, sed etiam passivum, ut materia.

Ad 4. Motus & quies naturalis non sunt verè contraria, quia sibi invicem subordinata sunt. *Vide Fonsecam lib. 5. Metaph. cap. 4. quæst. 2. Connimb. lib. 2. Physic. cap. 1. quæst. 2. Piccolom. lib. 2. Physic. ad text. 3. Perer. lib. 7. Physic. cap. 4. & 5. Tolet. lib. 2. quæst. 1.*

## QUÆSTIO II.

*Num Angelus habeat naturam & per consequens moveatur?*

*An doctrina de Angelis ad Physicam pertineat.* QUidam ex recentioribus ad Physicam doctrinam Angelos quoque referunt, quorum sententia talibus argumentis confirmari potest.

1. I. Quod quidditatem habet, illud ad Physicam pertinet: Angeli suam quidditatem habent. Ergò. *Minor* probatur: quia ab Aristotele in Metaphysicis quidditas & natura sæpius pro uno & eodem habentur.

2. II. Cui motus convenit, illud ad Physicam pertinet: Angelo motus convenit. *Minor* probatur, quia angelus non est ubique, sed pro Dei mandato, jam est in hoc, jam in alio loco.

3. III. Quicquid est quantum, illud naturam habet: Angelus est quantus. Ergò. *Minor* probatur: quia finitus est.

*Contrarium veritati magis consonat.* *Contrarium* veritati consonat his fundamentis.

1. I. Quicquid immateriatum est, illud subjectum Physicæ esse nequit: Angelus immateriatus est. Ergò. *Major* probatur: quia nihil movetur sine materia.

2. II. Quod in aliis disciplinis est homogeneum, illud in Physicis est heterogeneum; At doctrina de Angelis est homogenea in Metaphysicis. Ergò.

3. III. Quod non est circumscriptivè in loco, illud materiam non habet: Angelus non circumscriptivè in loco est. Ergò. *Minor* probatur, quia omnes Theologi concedunt, angelum tantùm definitivè in loco esse.

*Nota pro solutione dubiorum.* *Pro solutione argumentorum* nota, quod vox naturæ vel generaliter significet essentiam & quidditatem, & ita omnia Entia naturam habent: vel specialiter accipitur de principio, quo corpus naturale differt ab arficiali: Deindè motus localis vel est Physicus, vel secundum Analogiam sic dictus.

*Ad 1. Resp.* Jam ad primum dico, angelum habere naturam non in hac significatione, ut rebus Physicis attribuitur.

2. Ad 2. Respondeo hic motus non est Physicus, quia non acquiritur novus locus, sed tantùm aliud ubi.

3. Ad 3. finitum aliud dicitur ratione quantitatis; aliud ratione essentiæ: Angelus finitus est, non quantitate, quia hanc non habet, sed essentiâ. *Vide Scalig. Exerc. 359. Toletum lib. 5. Physic. q. 6. Perer. lib. 2. Physic. cap. 3.*

## QUÆSTIO III.

*Num artis operatio cum operatione naturæ conveniat?*

*Quomodo Natura opus differat ab opere artis?* ETsi non negamus artem cum natura in pluribus convenire: in iis tamen, quæ naturæ essentiam primariò respiciunt, eamque ab aliis rebus separant, maximè ars ab eadem distinguitur, quod patet ex effectu artis, ubi forma artificialis in materiam quandam introducitur, quæ longo intervallo differt à forma naturali. Illa enim enti in actu supervenit, undè quidam accidentale est: hæc verò introducitur in materiam, quæ nondum actu est, sed esse potest: Illa tantùm in superficie est, hæc minimè. Illa nullam obtinet agendi vim, quod de hâc dici nequit.

*Instantia solvitur.* Hic obstat illud argumentum de arte saltandi, quæ videtur esse principium interni motus, & ita artis quoque forma activa videtur. Breviter hic *respondemus*, quod saltatio, ut motus est, ab arte non dependeat, sed à naturâ, cujus operatio in præsentia tantùm ab arte variatur. Vide ad hanc quæstionem *Connimb. lib. 2. Physic. quæst. 5. art. 1. & Tolet. lib. 2. Physic. quæst. 6.*

## QUÆSTIO IV.

*An arte Chymicâ aurum fieri possit?*

REctè Poëta canit:

*——Quid non mortalia pectora cogit*
*Auri sacra fames? ——*

Hoc apparet ad oculum in iis, qui nocte dieque ex continuis artificialibus laboribus aurum expectant. Cum autem aurum naturæ opus sit, meritò in præsentiâ quæritur, *num etiam arte*, ut plurimi Chymicorum promittunt, *verum aurum fieri possit*.

*Negativa defenditur.* Negativam *Averoës*, *Avicenna*, *Ægidius*, & *Thomas*, cum aliis defendunt his rationibus:

1. I. Quia calor cœlestis, non igneus, est causa metallorum.

2. II. Quia materia vera ipsius auri est minera in terræ Cavernis.

3. III. Quia unius rei unus est generationis modus, at aurum à naturâ generatur. Ergò non fit ab arte.

*Affirmativa probatur.* Contra affirmativa placet *Alberto*, *Mirandulano*, & aliis hoc modo.

1. Quia ars imitatur naturam.
2. Quia metalla imperfecta ab arte perfici posse verisimile.
3. Quia artis operâ ex pulvere generatur rana, multò magis aurum.

*Decisio.* Pro quæstionis decisione notandum est, quod nullum naturæ opus ab arte producatur *vi propriâ*: Dico *propriâ*, quia non negandum, quod artis ope plurima fiant, quatenus ars media naturalia adhibet. Ex hoc fundamento *Connimb. lib. 2. Physic. cap. 1. q. 7. art. 2.* & *Perer. lib. 8. Physic. cap. 21.* non omninò impossibilem judicant auri productionem, quamvis eadem experientiâ nondum confirmata sit. Verùm cum ἀδύνατον esse videatur, eam adhibere mediocritatem agentium, quâ ipsa natura utitur, ideò pro tempore concludimus χρυσοποιΐαν esse unum ex iis, quæ arti humanæ denegantur. Quod si experientia verum aurum ab arte factum fuisse demonstraret, dicendum id non *artis vi*, sed beneficio agentium naturalium produci.

*Argumenta negativa solvuntur.* Argumenta negativa facilimè omnia solvuntur.

ad 1. Ad 1. calor igneus & cœlestis eundem effectum habere possunt.

ad 2. Ad 2. Materia similis extra terram per resolutionem metallorum fieri potest.

ad 3. Ad 3. negatur, quia ignis producitur ab igne, & à radiis solaribus: item mus generatur ex semine, & ex putri materia.

## QUÆSTIO V.

### *An tantùm quatuor causarum genera?*

*Sufficientia quatuor causarum.* QUEMADMODUM in aliis rebus omnibus, quæ fiunt, ita etiam in Physicis quatuor causarum genera sese offerunt: quicquid enim fit naturaliter illud ex aliquo præexistenti producitur, nimirum ex *materia*, quæ per *formam* actuatur: nihil autem à seipso fit, undè *efficiens* oritur, quæ non frustra & temerè, sed ob *finem* agit, quo numerus causarum quaternarius completur. Adde quod etiam quæstionum genera, ad quæ per causas respondetur, non sint plura. Vel enim quærimus de materia ex Qua, vel de forma per Quam, vel de efficiente à Quo; vel de fine, cujus gratiâ.

*Instantiæ.* Contra hunc numerum ita insurgunt plurimi.

1. I. Calor ignis & ferra artificis sunt veræ causæ, quæ tamen sub his quatuor generibus non continentur.

2. II. Datur exemplaris causa, quam intuetur efficiens intellectuale.

3. III. Sol, Deus, angeli sunt causæ, sed diversæ ab illis generibus.

4. IV. Finis non est ante effectum, ergò minus rectè constituit quartum causæ genus.

*Resolutio dubiorum.* Nota pro responsione.

1. Ad 1. Efficiens à quo effectus pendet aliud est principale, aliud instrumentale.

2. Ad 2. Exemplaris causa ad efficientem reducitur, quatenus illa completa non est absque eâdem, ut notat *Perer. lib. 8. Physic. cap. 1.*

3. Ad 3. Distingue inter efficientia universalia, & particularia.

4. Ad 4. Est ante effectum in intentione, & ita dicitur causa, aliâs in executione cum effectu coincidit. *Vide Perer. Cit. lib. 8. Connimb. l. 2. Physic. cap. 7. q. 2. ar. 1. Tolet. lib. 2. Physic. q. 2. Fonsecam in quæst. ad. cap. 2. lib. 5. Metaph. & ibidem alios Metaphysicos.*

## QUÆSTIO VI.

### *An naturæ conveniat propter finem agere?*

NE efficiens videatur temerè agere, ideò finis ubique concurrit, cujus gratiâ hoc & non alio modo prodit efficiens, ut ex præcedentibus patet. Etsi verò hoc manifestissimum est in agentibus intellectualibus, quæ finem præcognoscere possunt: tamen obscurum & dubium illud videtur in naturalibus agentibus, quibus intellectio & præcognitio denegatur. Ergò cum natura, ut natura, non intelligat, ideò dubitatur num etiam rectè dicatur ab Aristotele *eandem propter finem agere*.

*Nota.* Hoc nota ex *D. Thoma 2. 2. quæst. 1.* quod propter finem agere sit in duplici differentiâ. Vel enim aliquid agit propter finem à seipso motum, ut omnes res intelligentes: vel tendit aliquid ad finem tanquam ab alio hoc modo ordinatum, ut tota irrationalis natura.

*Quæstionis declaratio.* Dicimus igitur naturam propter finem agere non priori modo, quasi finem quoque intelligat, & seipsam ad eundem dirigat, sed posteriori modo, quatenus ab alio Intelligente, scilicet, à DEO OPT. MAX. hoc modo ordinata, non agit temerè, sed alicujus gratiâ. Hinc etiam patet verum esse, quod *Galenus lib. 1. de usu partium* dicit: Naturam esse doctam, & indoctam. *Doctam* quatenus directa est ab intelligente natura: *indoctam* verò quatenus per se consideratur. *Vide Colleg. Connimb. in Disp. 2. Ethic. quæst. 2. ar. 2. & lib. 2. Physic. cap. 9. quæst. 2.*

## QUÆSTIO VII.

### *An Finis propriè sit causa?*

EX præcedenti quæstione hic nova oritur dubitatio, nùm etiam finis sit revera causa, cùm dictum finem

finem intentione potius causam esse quam realiter.

*Rationes dubitandi.* Rationes dubitandi sunt hæ.

1\. I. Quicquid cum effectu coincidit, illud non potest esse causa: Finis cum effectu coincidit. Ergò.

2\. II. Quicquid non est principium, illud non est causa: Finis non est principium. Ergò.

3\. III. Quicquid metaphoricè movet, illud revera causa non est: Finis metaphoricè movet. Ergò.

*Contraria assertio probatur.* Contrà quod finis non tantùm causa; sed etiam omnium causarum prima sit, ita probatur *à Connimb. l. 2. cap. 7. q. 20. ar. 2. Perer. lib. 8. Physic. cap. 3. & seq.*

1\. I. A quo per se pendet aliquid, illud meritò causa dicitur: Atqui à fine per se pendet effectus ab eo cujus gratiâ fit, nimirum à fine. Ergò.

2\. II. Propter quod agit efficiens, illud est causa: Atqui propter finem agit efficiens. Ergò finis erit causa.

*Decisio Quæstionis.* Nota prò decisione ex sequenti quæstione, quod finis dupliciter consideretur: vel ut est in intentione: vel ut est in executione. Priori modo est primum in omni causarum genere: Posteriori modo est postremum.

*Solutio dubitati num.* Jam patet responsio:

1\. Ad 1. Finis ut est causa, non coincidit cum effectu, quia rationem causæ obtinet, ut est in intentione.

2\. Ad 2. Finis est principium in intentione, est autem ultimum in executione.

3\. Ad 3. negatur major, quia in fine non requiritur alia causandi ratio, quàm metaphorica.

## QUÆSTIO VIII.

*An Physicus meritò de causis per accidens agat?*

Cum omnis scientia ex causis per se oriatur, in præsentiâ meritò quæritur, num etiam tractatio *causarum per accidens*, illa videlicet quæ *de fortuna & casu*, diximus, ad Physicam pertineant, & num Physica, quam supra scientiam propriè dictam proclamavimus, hisce rebus additis, certitudinem suam retineat.

*Decisio.* Notandum hic quod distinguendum sit inter ea, quæ πρώτως & primariò ad Physicam pertinent, & ea quæ secundariò & ἑπομένως ad eandem reducuntur: Ita doctrina de causis per accidens non primariò pertinet ad Physicam: sed secundariò, quatenus faciunt, ut natura suo fine frustretur. Ut enim ea, quæ παρὰ φύσιν sunt, differunt ab iis, quæ κατὰ φύσιν dicuntur, sic etiam tractatio causarum per accidens, & causarum per se.

## CAPUT III.

## DE MOTU IN GENERE.

*Motus est ἐντελέχεια sive actus Entis in potentiâ quatenus est in potentiâ.* Arist. 3 Phys. text. 9.

*Cur de Motu primùm agatur.* Postquam consideravimus principia, quæ corpori naturali communiter accepto attribuuntur, jam sequitur, ut cognoscantur etiam *affectiones communes*, inter quas tanquam præcipua præ reliquis offert sese *Motus*, de quo meritò primo loco agendum, utpote cum ignoratu motu, ipsa quoque natura ignoretur, cum motus tanquam essentiale quoddam ejusdem definitionem ingrediatur, patet ex *lib. 3. text. 1.* Hujus naturam, ut eò melius declaret Philosophus, ideò *text. 3.* à summâ rerum distinctione orditur, & præsupponit res quasdam *actu tantùm* esse: quasdam verò *potentiâ & actu simul* (intellige tamen secundum diversas partes.) Has verò vicissim subdividit in decem genera, quæ *Prædicamenta* dici solent, ubi tandem concludit, motum esse in eorum numero, quæ sunt *ad aliquid*, ratione actionis & passionis: Undè motus est quasi vinculum inter *movens & mobile*. Hinc igitur deducitur definitio Philosophi, ubi motum definit per *actum*, intelligendo scil. *actum imperfectum*. Nam quicquid in motu est, illud partim existit, partim adhuc est in potentiâ, quod etiam reliqua verba indicant. Nam si omninò jam esset actu, tùm non amplius moveretur, quia perfectionem suam obtineret. Additur *Actus Entis*, ubi τὸ κινητόν, ipsum corpus mobile, intelligendum est; hoc enim est *Ens in potentiâ*, ratione illius perfectionis, quam per motum acquirit. Reduplicativa, *quatenus in potentia* formalem motus rationem exprimit, ipsam videlicet acquisitionem perfectionis, quæ partim acquisita est, partim acquirenda restat. Rectè igitur motus dicitur *actus mobilis, in quantum est mobile*, ut loquitur Philosophus *lib. 3. text. 16.*

*Declaratur definitio Motus.*

*Motus consistit inter Movens & Mobile, quorum illud agens: hoc verò patiens dicitur.* Arist. 3. Physic. cap. 1. text. 8.

*Movens duplex. Naturale, vel non naturale.* Hæc duo necessariò in motu requiruntur: ubi notandum, quod *Movens sit duplex: vel Naturale, vel non Naturale. Non naturale* illud est, quod movet mobile, ab eodem tamen minimè afficitur, ita cœlum est causa plurimarum mutationum in hisce inferioribus, non tamen vicissim ab iis aliquid patitur. *Naturale* autem *movens* illud est, quod mobili motum introducere potest, & ab eodem quoque rursus attingitur; quod in rebus sublunaribus accidit. *Mobile verò tantùm est naturale*, quia obtinet officium patientis: omnis autem passio à materiâ: hæc verò rerum naturalium tantùm propria. Patet ex hisce *fundamentum reactionis*, quod hoc loco à Philosopho innuitur, ubi quæritur, *num agens in agendo vicissim aliquid pati possit*, quod optimo jure conceditur in agentibus naturalibus, ubi sc. agens à patiente rursus afficitur, quod accidit propter materiam, quam agens cum formâ conjunctam habet, ut copiosius declaratur à *Zabar. in l. de reactione*. Nam agens, ut antea dictum est, quod cum materiâ copulatum non est, in agendo nihil repatitur, ut dicit *Philosophus 1. de generat. text. 54. An autem agentis & patientis, sive moventis & mobilis, unus sit motus hoc loco controvertitur*, ubi ex sententia *Aristotelis 3. Physic. text. 18. à Connimb. l. hoc c. 3. q. 1. & Perer. l. 13. c. 7.* determinatur, unicum tantum esse actum moventis & mobilis, qui non re, sed ratione tantùm differt, sic una & eadem calefactio simul actionis & passionis nomen subit: Ut enim progreditur ab agente, actio rectè dici-

*Mobile tantùm naturale.*

*Reactioni locum habeat?*

dicitur; ut in patiente recipitur, non incommodè passio nominatur.

*Consequenter de Infinito aliquid dicendum.* Arist. l. 3. text. 1. & text. 24.

Subjicit Philosophus aliquid de Infinito, quia ad cognitionem ulteriorem in motu plurimùm hujus cognitio inservit. Cùm enim Motus, ut in sequentibus declarabitur, sit ex numero continuorum, in continuo verò infinitum primò appareat, idcircò meritò declaratur hoc loco *Infinitum*, & monstratur, quomodo in rebus naturalibus dari possit.

*Infinitum in rebus Physicis tale datur, cujus semper aliquid extra accipere licet ratione quantitatis.* Aristot. 3. Physic. text. 63.

Quamvis Infiniti multiplex sit significatio, non tamen aliud admittitur Infinitum, nisi quod ratione quantitatis accidit, undè patet *actu nullum dari infinitum: sed tantùm potentiâ.* Si enim actu daretur infinitum, corpus sensibile, plurima sequerentur absurda, ut ex ipso Philosopho patet.

Quod a. detur ejusmodi *Infinitum potentiâ*, cujus semper aliquid extra licet accipere, hoc patet in *Numero & Magnitudine.* Non n. tantus est *numerus*, quin major non possit effingi: nec tam minutæ sunt particulæ *magnitudinis*, quæ non in minora dividi possint, ut patet ex 6. *Physic.* uti declarabimus. Tantum de generali consideratione Motus, quam *Philosophus l.* 1. proponit.

## QUÆSTIO I.

*An Motus rectè definiatur?*

Cum omnis definitio rei naturam atque essentiam declarare debeat: ideò meritò hîc etiam definitio motûs proposita ulterius examinatur.

*Objectiones.* Objectiones tales ultrò sese offerunt. I. Quia genus videtur obscurum & remotum, ubi motus dicitur ἐντελέχεια, vel actus.

2. II. Quia proximum subjectum motus non determinatur, utpote cùm motus immediatè conveniat corpori, non vero Enti.

3. III. Quidam motus non sunt actus & perfectiones, quia tendunt ad corruptionem & imperfectionem, ut patet in diminutione.

4. IV. Quia localis motus non est Entis in potentiâ: nam quicquid de loco movetur ad locum, illud est Ens actu. *Fundamentum responsionis.* Hîc pro *declaratione quæstionis* notandum est, quod motus in genere non sit univocum aliquod, quia suis speciebus æqualiter non attribuitur ejus essentia, undè non mirum, genus ejus in definitione positum nobis obscurius videri.

Definitur a. motus per *actum* vel ἐντελέχειαν, quatenus sc. idem consideratur, ut est forma imperfecta ad perfectionem tendens: Ideoque patet per vocabulum ἐντελεχείας in præsentia non perfectum, sed imperfectum actum intelligendum esse. Quod autem Philosophus utatur vocabulo *Entis* & non *Corporis*, hoc eam ob causam accidit; quia nondum determinata erat ipsius mobilis natura, num corpus tantùm, vel etiam incorporea substantia moveri possit. Ex his patet responsio ad primum & secundum argumentum. *Ad Object. 1. & 2. resp.*

*ad 3.* Ad 3. dicimus, etsi motus abjectivi, suo modo sunt perfectionis, tamen verisimilis est eorum opinio, qui putant eosdem secundariò tantùm hîc contineri.

*ad 4.* Ad 4. Quod de loco ad locum movetur est quidem Ens actu, quoad essentiam, non autem quoad hoc aut illud *Ubi*, in quod movetur. Vid. *Fonsec. l. 5. Metaph. c. 13. q. 9. Sect. 4. Connimb. l. 3. Physic. c. 2. q. 1. Perer. l. 13. Physic. in princ.*

## QUÆSTIO II.

*An Motus sit in aliquo prædicamento?*

Dubitationis ansam hic nobis præbet *Arist. l. Categ. & l. 5. Metaph.* ubi in tractatione *Quantitatis* mentionem facit *Motûs*, quem tamen postea in postprædicamentis quoque proponit. Taceo, quod in præsentia Autorum infinitæ opiniones inter sese dissentientes sese offerant, ubi alii motum ad nullum prædicamentum, alii ad aliud referunt.

*Quæstionis Decisio. Duplex consideratio motus.* *Pro quæstionis decisione* notandum est, quod probabilis sit sententia *Thomæ*, qui statuit *motum dupliciter* considerari posse: vel pro *formâ fluente* quæ acquiritur: vel pro *ipsâ acquisitione & tendentiâ in formam.* Priori modo ad illud prædicamentum reducitur motus, in quo est terminus ad quem; ita vel in *quantitate*, vel in *qualitate*, & vel in *ubi* collocatur. Posteriori modo non est primariò in certo prædicamento, quia est *Ens incompletum & imperfectum*, undè etiam *imperfectus actus* dicitur. Est enim motus perfectio & actus, non perfecti, sed perfectibilis, ut inquit *Scaliger Exerc. 18. Vide Tolet. lib. 3. Physic. q. 1. Connimb. cit. loco q. 2. in fine. Fonsecam cit. loco q. 8.*

## QUÆSTIO III.

*An Motus differat à termino ad quem?*

Ex præcedenti quæstione resultat nova dubitatio. Cùm enim dictum sit, motum pro diversitate *termini, ad quem* tendit, ad varia prædicamenta reduci posse, meritò jam quæritur: *An motus à termino ad quem distinguatur?* ita ut calefactio nihil aliud sit, quàm ipse calor, qui per calefactionem acquiritur. *Quæstionis Declaratio. Non realiter sed formaliter.* Omissis argumentis, quæ in utramque partem adduci possent, dicimus pro declaratione quæstionis, quod *motus non realiter*, sed *formaliter tantùm* distinguatur à termino ad quem tendit. Prius quod *realiter non differant* manifestissimum est: quia sine termino, ad quem motus ad momentum conservari nequit, si non totali, tamen partiali. Ita nulla datur calefactio absque calore producto. Adde, quod existentia motus non sit alia ab existentiâ termini ad quem, undè realiter conveniunt. Posterius, quod *formaliter differant* ita monstratur; quia motus in sua natura non est

ipsa

ipsa nova forma, quæ acquiritur, sed potius tendentia ad eam. Nam forma, per se considerata, non est mutatio, adeòque nec motus. *Vide Tolet. l. 3. Physic. q. 3. Connimb. l. 3. Physic. c. 2. q. 3. & q. 1. Adde Perer. l. 13. c. 9. q. 10.*

## QUÆSTIO IV.

*An Motus formaliter sit actio?*

CUm demonstratum sit hactenus, *motum formaliter non esse terminum ad quem*, jam ulterius nova suboritur dubitatio, *num in sua essentia motus nihil aliud sit, quàm actio vel passio*, quemadmodum hæc duo certa constituunt prædicamenta.

*Affirmativa.* Pars affirmativa quæstionis videtur probabilis, ex iis, quæ diximus. Quod enim aliud esse potest illa tendentia vel via ad formam, quam actio cujus beneficio terminus ad quem producitur? Imò communis loquendi formula idem comprobat, ubi alterationes & alios motus actiones vocare solemus.

*Negativa.* Contrarium patet ex *Aristotele l. 3. Physic. text. 22.* qui liquidò affirmat, actionem & passionem inesse motui: Jam quicquid alteri inest, illud ab alterius essentiâ differt. Adde quod unus idemque motus actio & passio vocari possit, diverso respectu.

*Quæstionis resolutio.* *Pro declaratione* dubitationis, nota, quod motus considerari possit, vel ut ab alio in aliud introducitur: vel ut in aliquo ab aliquo accipitur: vel ratione suæ propriæ formalitatis, ut est actus Entis in potentiâ, quatenus in potentiâ. Primo modo motus est *Actio*: secundo modo jure vocatur *Passio*: Tertio non est actio vel passio, sed hæc duo includit, ut inquit Philosophus. *Vide Fonsecam l. 5. Metaph. c. 13. q. 8. Sect. 2.*

## QUÆSTIO V.

*An continuitas sit de essentiâ motus?*

NOn quidem negari potest, omnem motum continuum esse, quemadmodum ex sequentibus magis patebit. Hoc in præsentia tantum quæritur: *Num continuitas sit de essentia motus in primo modo per se, an verò sit propria illiusque affectio, naturam motus semper consequens?* Posterius cum *Fonseca cit. loco & Connimb. l. 3. Phys. c. 2. q. 2.* probabilius judicamus. *Negatur.* Nam acquisitio formæ, quæ formaliter motum constituit, non est essentialiter continuitas, quamvis ab ea tanquam à proprio accidente separari nequeat.

Hinc patet etiam, quomodo motus revocetur à quibusdam ad prædicamentum quantitatis, eâ sc. ratione, quatenus continuitas eandem consequitur, undè motus non ut motus, quantitas dici potest; sed quatenus continuus.

## QUÆSTIO VI.

*An Motus sit in mobili vel in movente?*

*Affirmatur posterius.* EX traditâ motus definitione patet omnibus, motum non esse in movente: sed in mobili. Ens enim in potentiâ existens, cujus actus motus vocatur, non potest esse movens, quia movens quatenus movet, est in actu. Hoc manifestissimum est in quantitatis, vel qualitatis acquisitione: Non enim illud quod auget, vel alterat, augeri vel alterari dicimus: sed potius hoc attribuitur ei, quod augetur & alteratur: ita calefactio nunquam igni tanquam subjecto attribuitur, sed potius de aqua, vel alio quodam corpore dicitur, quod calefit.

*Dubitatio.* *De motu locali* res videtur dubia, utpotè cum per localem motum tantum nova superficies externa corporis continentis acquiratur, undè consequens est hujus motus subjectum primum non esse ipsum mobile.

*Resolutio.* Hic respondemus ex mente *Tolet. q. 3. Jandun. 4. Metaph. q. 4. Connimb. l. 3. Phys. c. 3. q. 2.* quod etiam hujus localis motus subjectum proprium sit mobile, quia respicimus hîc ad ipsam corporis quantitatem, in hoc vel illo ubi constitutam: ut autem loci subjectum est locatum, sic etiam idem locatum, ut mobile, est subjectum motus localis.

## QUÆSTIO VII.

*An Physicus de infinito agere debeat?*

*Negativa probabilis.* OMne Ens, quemadmodum Metaphysicus determinat, Finitum est, vel Infinitum, undè ad Metaphysicam potiùs, quàm ad Physicam declaratio Infiniti pertinere videtur. Adde, quod omnis scientia finita sit, ideòque non infinita, sed finita tantùm considerabit. Cur ergò Philosophus de infinito agit in præsentia?

*Resolutio.* Notandum breviter, quod *Infinitum* hîc non veluti Transcendens consideretur: non enim omne infinitum hûc pertinet: sed illud tantum, quod rebus Physicis inesse potest. Tale infinitum non est Infinitum essentiâ, quia hoc non in rebus creatis; sed in solo Creatore deprehenditur, nec etiam Infinitum quantitatis actu, quia ab eo naturâ plurimùm abhorret. Relinquitur ergò tale infinitum, quod rebus quantis inest, δυνάμει vel κατὰ διαίρεσιν, ut patet in continuo: vel κατὰ πρόσθεσιν, ut apparet in numero.

## CAPUT IV.

### DE LOCO ET TEMPORE.

PRiusquam cum Philosopho ad specialem motus considerationem descendamus, reliquæ affectiones communes *Locus* scil. & *Tempus*, quæ sese offerunt, cognoscendæ sunt, propterea quod harum essentiâ perceptâ, ad majorem intellectum motus nobis inserviat. Cùm verò Locus à corporibus naturalibus necessariò requiratur, ut innuit *Philosophus l. 3. Physic. t. 1. & l. 4. text. 1.* utpote cùm res materiales quantitate præditæ sint, ut ex natura principiorum manifestum est; quæ autem materia & quantitate constant, necessariò loco cumscribuntur. Hinc à Philosopho rectè definitur hoc modo:

*Locus est superficies concava corporis continentis immobilis primò.* 4. Phys. text 42.

Dico est *superficies*, vel si mavis, *terminus*. Est n. locus externa corporis naturalis affectio: nulla igitur est sententia veterum, quam inter recentiores defendit *Scal. Ex.* 5. qui pro superficie substituunt *spatium vel intervallum*. Cum n. illud intervallum sit fictitium, utpote cum præter corporis trinam dimensionem nihil aliud dari possit, meritò à *Pererio l.* 11. & aliis classicis authoribus rejicitur. *Dico concava superficies continentis*; est n. locus extra locatum, ideoque à continente describitur: Unde illud corpus in loco esse dicitur, quod ab alio corpore externo continetur. Dico *immobilis primò*, quia per se locus immobilis esse debet, ut ex *text.* 41. patet, quamvis ex accidenti locus etiam mobilis esse possit. Hinc Philos. *text.* 30. colligit has proprietates: 1. Locum continere locatum. 2. Locum non esse de essentiâ locati: 3. Locum suo locato nec minorem nec majorem: 4. omnem Locum differentias positionum sursum & deorsum obtinere. 5. Unumquodque ad suum locum ferri naturaliter. Ita constitutâ naturâ loci notandum, *alia in loco esse secundum potentiam, alia secundum actum, text.* 14. quod patet in continuo, quod similium est partium, ubi tantum secundum potentiam in loco sunt partes; secundū actum verò tunc demùm, quando separantur, ut patet ex *text.* 44. Sic etiam in ovo actu in loco est crusta exterior, albumen verò & vitellus potentia tantum, tam diu donec separentur. Hæc igitur est natura loci, quæ omnibus, quæ locali motu moveri possunt, necessariò attribuitur. Non autem incommodè movetur hîc quæstio de *Cœlo*, quod cùm in numero corporum naturalium habeatur, locum quoque requirere videtur: Cum v. locus sit dictus superficies corporis continentis, statuendum esse videtur extra Cœlum aliud quoddam corpus esse; Quomodo enim aliàs Cœlum in superficie continentis corporis, tanquam in loco aliquo, esse potest. Hinc probabilior adhuc videtur illorum sententia, qui locum per intervallum definiunt Hac n. ratione cœlum suo quoque loco non privatur; nam quamvis non circumdetur alio corpore, & ita non habeat locum, ut describitur ab Aristotele, nihilominus est in suo spatio, quo non destituitur. Hæc a. est una ex præcipuis rationibus illorum, qui intervallum pro loco agnoscunt. Dicunt n. concessa sententia Aristotelis concedendum esse summum Cœlum non esse in loco, quod tamen minimè negari potest, cùm sit corpus nobilissimum & perfectissimum. *Alexander* quidem, referente *Simplicio*, Cœlum neque per se, neque per accidens in loco esse vult, quod dogmati Aristotelis reclamat. Alii Cœlo locum attribuunt, ratione superficiei convexæ, id quod de inferioribus quidem sphæris dicitur, non tamen extremo Cœlo: Alii Cœlum esse volunt in loco ratione centri, quod eadem quoque ratione de Cœlo minus propriè dicitur, cùm conditiones loci ratione centri Cœlo non attribuantur.

*Locus non est intervallum.*

*Proprietates loci.*

*Corpora naturalia quot modis sint in loco.*

*An Cœlum in loco sit?*

Ut autem quæstio decidatur, dicimus Cœlum ex sententia Arist. non esse in loco, nisi tantùm per accidens; id quod fit ratione partium. Nam partes Cœli, licet sint continuatæ, tamen unaquæque in altera est, tanquam in loco, ut declarat *Thom. ex c.* 5. *hujus libri* secundum mentem Arist. Non tamen indè sequitur, ipsum Cœlum non esse naturale corpus; sufficit n. si Cœlum ratione totius tantùm sit in aliquo Ubi, quod summam perfectionem præ reliquis arguit. Nam alii corpori subjectum esse imperfectionem arguit. Adde quod ad Cœli motum non requiratur locus aliquis, sed tantum aliquod ubi, quia spatium non mutat. Hujus declarationi annectit *Arist. c.* 6. 7. 8. & 9. *hoc lib.* tractationem *de Vacuo*, non quod detur; natura n. à *Vacuo* abhorret; sed ut doctrina de loco reddatur clarior, quæ à veteribus per introductionem vacui obscurata fuit.

*Decisio Quæstionis.*

*De Vacuo.*

Quamvis a. *Vacuum*, de quo hîc agitur, dupliciter accipi possit. 1. vel pro dimensione separata ab omni corpore. 2. vel pro spatio cum privatione cujusque Entis tàm substantiæ, quàm accidentis; utrumque tamen negatur. Nam primò non potest existere dimensio absque subjecto: alterum verò natura omninò tollit; quia dato tali vacuo, sequeretur dissolutio unitatis, quæ rerum conservatrix. Cùm n. omnis motus Physicus per contactum sive suppositi, sive virtutis fiat, quomodo quæso contactus in quibusdam rebus non tolleretur? an non concesso inani, vis illa, quæ à Cœlo inferioribus communicatur, effectum nullum haberet? Vid. *Coll. Conimb. l.* 4. *c.* 9. *q.* 3. Quod a. attinet *Scaligeri Vacuum*, ut illud ab ipsius loco non differt, sic etiam cum eodem rejicitur. Tantùm igitur de loco dictum sufficiat, sequitur jam ut aliquid de *Tempore* addatur, præsertim cum necessitate quâdam reliquas affectiones ipsum quoque Tempus consequatur, ut ex *lib.* 3. *text.* 1. manifestum est.

*Negatur Vacuum.*

*Tempus autem est numerus motûs secundum prius & posterius.* Arist. 4. lib. text. 101.

Rejectis aliorum falsis sententiis tandem concludit Philosophus, Tempus esse quiddam consequens in reb. ipsum motum, non tamen simpliciter sed ratione prioris & posterioris, undè per numerum illud ipsum definit. Cum v. numerus duplex sit, *numerans & numeratus*, hunc rectè tempori attribuimus cum *Phil. text.* 102. Etenim *numerus numerans* abstractus est à rebus, & tantum in anima consistit, *numeratus* v. cum ipsis rebus est conjunctus, undè etiam sensu percipitur, ut probat *Perer. l.* 12. *c.* 12. Addit *secundum prius & posterius*, quia omne tempus, sive breve, sive longum, priore & posteriore, tanquam terminis, constat. Quamvis a. ex continuorum numero sit tempus, nihilominus discretas habet partes, *præteritum & futurum text.* 88. 89. quæ per τὸ νῦν, per Nunc, continuantur. *text.* 121. Hoc νῦν *Nunc* temporis principium & finis est, diversâ ratione, principium, scil. futuri, & finis præteriti, *text.* 125. Ex his constat, quæ propriè in tempore esse dicantur, sc. illa quæ motui & mutationi subjacent, res sc. naturales: ut patet *ex Phil.* 4. *Phys.* 12. Ea n. quæ supra Natu-

*Temporis descriptio declaratur.*

*Numerus duplex.*

*Quænam in tempore sint.*

Naturam ſunt impropriè in tempore eſſe dicuntur, præſertim cum tale tempus ſit affectio naturalis corporis, quæ propter motum accidit: Quomodo verò negato antecedente alicui conſequens attribui poteſt? Omnis ergò motus in tempore eſt *text.* 129. principaliter tamen ipſum tempus à motu perfectiſſimo, ſcil. ipſius Cœli, deſcribitur, ut ſtatuitur *text.* 133. Hic enim motus præſtantior eſt reliquis, ideoque primus dicitur, & quaſi menſura reliquorum. Hinc manifeſtum eſt tempus non ipſum motum eſſe: ſed ejuſdem affectionem, quæ ratione prioris & poſterioris accidit, undè ab eodem tanquam menſura à re menſurata differt. Non igitur, quòd vulgò dicitur, *tempus eſt cauſa corruptionis & generationis* per ſe, ſed per accidens interveniente motu, ad quem tempus conſequitur ſecundùm Philoſophum *text.* 107. Atque tantum de hoc tempore, quod *ævo* tanquam finitum ab infinito, tanquam mutabile ab immutabili diſtinguitur, hanc ob cauſam à quibuſdam *tempus caducum* vocari ſolet, cui opponitur *tempus perpetuum*, ſcil. *æternitas*, fine & principio carens, quæ Deo attribuitur. *Magir. l.* 1. *c.* 10.

*Tempus quomodo cauſa generationis & corruptionis. Tempus ab ævo differt.*

## QUÆSTIO I.

*An Locus rectè definiatur ab Ariſtotele.*

DEfinit Philoſophus locum per *terminum* ſive *ſuperficiem corporis continentis*, quod improbari poteſt, tùm quia res non mota hac ratione locum mutare videtur, ut patet in cymbâ quieſcente in flumine: tum etiam quia corpus unum in duobus locis eſſet ſimul, ut apparet in baculo partim in aquâ, partim in aëre exiſtente. Hæc & alia contra Philoſophi definitionem adducuntur.

*Inſtantia.*

Veruntamen cum corpora naturalia quantitate prædita, ſe invicem pertranſire nequeant, ideò neceſſum eſt, ut unum ab altero contineatur: hic oritur externa illa affectio *locus* videlicet, quia nihil aliud eſſe poteſt, quàm terminus continentis corporis, qui immediatè locatū attingit, ut ex mente Ariſtotelis demonſtravimus.

*Reſolutio.*

Notandum tamen quod ille *terminus continentis*, qui locum conſtituit, ſemper in reſpectu univerſi conſiderandus ſit, undè locatum quoddam tam diu locum non mutare dicimus, quamdiu illud ipſum *eundem ſitum* & *idem ubi* reſpectu univerſi obtinet. Jam patet reſponſio ad dubitationem de cymbâ in aquâ fluvii quieſcente: hæc enim ſemper idem ubi, & eundem ſitum ratione totius mundi retinet, undè in eodem termino, qui aliis atque aliis aquæ partibus reſtituitur, remanet, ideoque hoc loco potius corpus continens, quàm terminum ejuſdem mutari dicimus. Alterum facilimè ſolvitur, quia duo corpora diverſa unum terminum continentem conſtituere poſſunt, quatenus inter ſe ſunt continua. Vide *Conimb. l.* 4. *Phyſic. cap.* 5. *quæſt.* 1.

*Nota.*

## QUÆSTIO II.

*An locus ſit ſpatium vel intervallum?*

PLurimi ex *Platonicis* inter veteres, & *Scaliger*, inter recentiores, Locum *ſpatium vel intervallum* eſſe contendunt, moti fortaſſis his rationibus. I. Quia remotis à vaſe quodam omnibus corporibus concipimus mente quoddam intervallum, quod locum conſtituit.

*Affirmativa probabilis* 1.

II. Quia locus locato æqualis eſſe debet; ſc. ſecundùm latitudinem, longitudinem & profunditatem, quod tantum de tali ſpatio verum eſt. 2.

III. Quia vacuum dicitur locus ſine corpore. 3.

IV. Quia aliàs ſummum Cælum non eſſet in loco. 4.

*Negativa defenditur*

Verum quod hoc intervallum merum figmentum ſit, primo colligimus ex ipſius *Scaligeri* verbis, qui *Exerc.* 5. *Sect.* 3. expreſſè affirmat, ſpatium illud quodammodo non Ens, quodammodo Ens eſſe: Non Ens, quia Ens ibi continetur. Ens verò, quia eſt aliquid alicujus, videlicet cavum intra corpus. Hæc ille. Prius quod non ſit Ens, rectè aſſeritur: poſterius, quod ſit Ens, ulteriori probatione indiget, quia quæritur, num ſit aliquid cavum intra corpus, à corporis eſſentiâ diſtinctum. Sit ergo *primum argumentum*, quo ſpatium rejicimus, tale: Magnitudo locati non eſt locus. Intervallum vel ſpatium nullum eſt extra magnitudinem locati. Ergo. 1.

*Secundum* tale eſt. Locus ad motum locati non transfertur: ſpatium magnitudinis cum locato transfertur. Ergo. 2.

*Tertiò ſic argumentor*: Unum corpus tantum eſt in uno loco: At unum corpus ſæpius eſt in duplici ſpatio imaginario: Ergo hoc ſpatium locus eſſe nequit. *Minor probatur* exemplo vini & dolii, ubi vinum eſt in ſuo ſpatio, & eſt etiam in ſpatio dolii. 3.

Jam reſpondetur ad argumenta contraria: Ad 1. *Remotis corporibus* à vaſe nihil remanet.

*Reſponſio ad Affirmativam 1.*

Ad 2. locus locato æqualis eſſe debet, non ratione dimenſionis, ſed potius ratione continentiæ. *ad 2.*

Ad 3. ut vacuum non eſt, ita vix etiam intelligitur, quâ de cauſâ per carentiam & abſentiam corporis deſcribitur. *ad 3.*

Ad 4. quid hoc argumentum roboris habeat, ex ſequenti controverſia patebit. *ad 4.*

## QUÆSTIO III.

*An Cœlum ſit in loco?*

IN numero naturalium corporum *Cœlum* contineri nemo negat, undè meritò quæritur, *an illud etiam in loco ſit*, præſertim cùm locus dicatur affectio communis omnium naturalium corporum.

Affirmativam facilimè defendunt ii, qui locum per ſpatium definiunt: ſi enim rebus aliis, utique & Cælo tale intervallum non poteſt non convenire. Veruntamen cum hæc opinio præcedenti quæſtione ſit refutata, ideò breviter demonſtrandum reſtat, quid *Ariſtotelici* de hac dubitatione ſentiant.

*Opiniones variæ.*

Quod

Quod *Alexandrum* attinet, ille neque per se, neque per accidens Cœlo locum attribuit, quod dogmati Aristotelis repugnat.

*Alii* Cœlo attribuunt locum ratione superficiei concavæ, quod tantum de orbibus inferioribus, non verò de summo Cœlo intelligi potest.

*Alii* Cœlum in loco esse volunt ratione centri, quod minus propriè dicitur, quia conditiones loci ratione centri Cœlo attribui nequeunt.

*Probabilis assertio.* *Probabiles* & Aristoteli atque veritati consentanea est sententia *Thomæ*; quæ recipitur *à Connimb.l.4. Phys. c.5. q. 2. S. 2.* quod Cœlum sit in loco ratione partium continuarum; quia partes licet sint continuæ, tamen una est in altera, tanquam in loco, quod innuit *Philosophus l.4.Phys.c.5.text.45.*

*Instantia solvitur.* Sed quæritur, *si Cœlum ex accidenti tantùm in loco, an non decedit aliquid ejusdem præstantiæ?* Objicit hoc *Scaliger*; sed frustrà. Sufficit enim, si Cœlum ratione totius tantum sit in aliquo Ubi, quod summam perfectionem præ reliquis arguit, quia alteri corpori subjectum esse imperfectionem quandam indicare videtur. *Adde*, quod ad Cœli motum non requiratur locus aliquis, quia totum spatium non mutat.

## QUÆSTIO IV.

### *An sola corpora sint in loco?*

CUm locus sit terminus continentis corporis, necessariò sequitur locatum quoque corporeum esse, quia aliàs corpus continens non terminaret, atque hoc modo, loco, id est termino continentis corporis tantum conscribuntur corpora naturalia. Veruntamen cum sæpius in aliis disciplinis non tantum corpora, sed etiam substantias separatas, Angelos, imò & accidentia in loco esse dicantur, ideò notandum, quod 4. modis aliquid in loco esse dicatur. *Quot modis aliquid in loco sit?* *I. Circumscriptivè*, ut corpora naturalia, quæ à loco circumscribuntur & terminantur. *II. Definitivè*, ut Angeli, qui non sunt omnipræsentes, sed jam in hoc, jam in alio Ubi. *III. Repletivè*, ita Deum Opt. Max. ubique esse dicimus. IV. Denique *comparativè*, quâ ratione accidentibus locus attribuitur in comparatione ad sua subjecta. De primo modo propriè tantum hîc agitur, quia quærimus locum rebus naturalibus convenientem. Adde *Tolet.l. 4. Physic.q.6.*

## QUÆSTIO V.

### *An Tempus rectè definiatur ab Aristotele?*

TEmpus Physicum, quod corporibus naturalibus accidit, definitur ab Aristotele, quod sit *numerus motus secundum prius & posterius.*

Hîc non tantum plurimorum descriptiones diversæ; sed etiam argumenta contra hanc ipsam definitionem proposita sese offerunt, hoc modo. I. Continua quantitas non est definienda per discretam: Tempus est continua quantitas. Ergò minus rectè per numerum definitur. *Instantia 1.*

II. Tempus pendet à motu, & est quasi motus affectio. Ergò non potest esse mensura motus. *2.*

III. Prius & posterius per tempus declarantur. Ergò minùs rectè per ea tempus definitur seu describitùr. *3.*

IV. Tempus non tantùm motus, sed etiam quietis mensura esse videtur, quia dicimus tanto tempore quievit. *4.*

*Fundamentum solutionis.* *Pro declaratione controversiæ nota*, quod tempus sit duratio quædam, quam formalem mensuram motus dicere possumus, undè partes habet in mutatione continuâ consistentes, quo differt ab illâ duratione, quæ æternitas dici solet. Dico autem *tempus esse mensuram formalem ipsius motus*, ubi non mensurans, sed mensurata mensura intelligitur, quæ rei inhærens ipsam actu facit mensurabilem: aliàs si tempus mensurans mensura statueretur, consequens esset mensuratum ante mensuram esse, quod absurdum.

*Respondetur ad Instant. 1.* Ad 1. respondeo: tempus, quod aliàs continuum dicitur hic numerus, pro diversâ ratione prioris & posterioris, quibus motus partes numerantur & mensurantur.

*ad 2.* Ad 2. hoc argumento utitur *Scal. Ex.352.Sect. 2.* nos respondemus; quod sit distinguendum inter mensuram mensurantem & mensuratam: illa prior est mensurato: hæc vero cum ipso simul esse potest.

*ad 3.* Ad 3. prius & posterius non explicantur per tempus, sed ipsius motus successivas partes designant.

*ad 4.* Ad 4. Tempus per se & primariò est numerus motus: secundariò verò quietis quoque mensura dici potest. Ut enim omnis privatio per suum habitum intelligitur & mensuratur: ita etiam quies respectu motus sese habet. *Vide Piccol.lib.de communibus affect. cap. 15. Tolet.cap.15.Tolet.l.4.q.12.Connimb.4.Physic.c. 14. q. 1. Fonseca 5.Metaph.c.13.q.10.*

## QUÆSTIO VI.

### *An Tempus sit Ens reale?*

ETsi nos omnes in tempore vivimus, quid tamen sit tempus pluribus ignotum est, undè quærimus in præsentiarum *Tempus sit ne Ens reale an rationis?*

*Opinio Averrois.* *Averroës* tempus *formaliter* Ens rationis esse dicebat: *materialiter* verò Ens reale, tum quod tempus in esse numerato consistat, quod non est absque intellectu numerante: tum etiam, quod idem nec secundum partem, nec secundum totum existat: quia semper aut præteritum aut futurum est.

*Opinio D. Thomæ.* Contrà *Thomas* formaliter tempus Ens reale statuebat, quod probatur, quia tempus ad prædicamentum aliquod reducitur; & absque operatione intellectus subsistit.

*Fundamentum decisionis.* Nota tamen pro controversiæ decisione, quod in tempore duo considerari possint. I. ipsius essentia, quæ consistit in quadam duratione partium motus. II. Numerabilitas, hoc est, numerandi ratio: Prius remanet, quovis etiam intellectu ablato, at non posterius, nisi referatur ad intellectum increatum. *Vide Perer. l. 12. in principio, adde Toletum l.4.Physic.q.15.*

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

*An omnia sint in tempore?*

CUm tempus Physicum dicatur numerus motus, ideò manifestum est, quænam propriè dicantur *in tempore*, scil. *naturalia corpora*, quibus motus attribuitur.

*Nota tempus distingui ab ævo & æternitate.*

Nota tamen quod tempus in hâc significatione distinguendum sit ab *ævo & æternitate*: quamvis enim hæc omnia in eo conveniant, quod sint quædam durationes, nihilominus æternitas est duratio independens perpetua, ævum contrà & tempus Physicum sunt durationes dependentes non perpetuæ. Illud rebus iis attribuitur, quæ principium non autem finem habent, ut angelis, animæ rationali separatæ &c. Hoc verò corporibus naturalibus convenit, in quibus principium & finis. Conjunge illa, quæ ponuntur apud *Fonsecam citato loco quæst. 12. Sect. 2. Connimb. lib. 4. quæst. ultimâ. Tolet. lib. 4. quæst. 14. &c.*

## CAPUT V.

## DE MOTUS SPECIEBUS; de ejusdem unitate, contrarietate & Diversitate.

HActenus motum in genere cum loco & tempore *in lib. 3. & 4.* consideravimus *cum Aristotele*, jam sequitur, ut *in libro quinto*, cui *hoc caput quintum* respondet, consideremus ulterius *motus naturam*: idcircò antea omninò notandum, quæ motûs species propriè, undè motus unus, *diversus & contrarius* dicatur.

*Species motûs.*

*Species motûs propriè dictæ sunt mutationes ex subjecto in subjectum, idque vel ratione quantitatis ut* Augmentatio, Diminutio: *vel ratione qualitatis, ut* Alteratio; *vel ratione loci, ut* φορὰ Loci mutatio. Aristoteles lib. 5. text. 10. & lib. 7. text. 10.

*Mutatio quid?*

Ut veras motûs species declaret *Philosophus* hoc loco tractationem suam incipit *à Mutatione*, quæ generalior est motu. Undè *à Philosopho lib. 5. cap. 1.* definitur; quod μεταβολὴ fit, quâ aliquid post aliud fit. Manifestum igitur est omnem mutationem consistere inder duo, nam est ex aliquo in aliquid.

*Mutationis modi.*

Ut autem intelligamus quæ mutatio motus vocari possit, opus est, ut *cum Aristotele citato loco* consideremus modos omnis mutationis hoc modo: Quicquid mutatur vel mutatur ex subjecto in subjectum: aut ex non subjecto in non subjectum: aut ex non subjecto in subjectum; aut ex subjecto in non subjectum. In his modis omnis consistit mutatio, ubi rejecto secundo qui impossibilis est, tres tantùm remanent. Ex his tribus mutationibus, illa tantùm vocatur motus, *quæ est ex subjecto in subjectum, text. 9.* reliqui modi non constituunt species propriè dictas ipsius motûs; quæ enim mutatio ex non subjecto in subjectum *Generatio*, quæ ex subjecto in



non subjectum *Corruptio* vocatur: Hæ duæ mutationes rejiciuntur ex speciebus motûs, quia id quod generatur est NON ENS. At NON ENS quomodo moveri potest? *Secundum Aristotelem text. 8.* Eâdem ratione *Corruptio* quoque motus non dicitur: quia est contraria generationi, ut *ex citato* patet *loco*, qui ulterius declaratur & confirmatur *à Coll. Connimbr. lib. 5. Physic. q. 1. Perer. lib. 14. Tolet. lib. 5. Phys. Comment. text. 8. Javell. q. 1. lib. 5. Physic.* Sunt ergò tantùm tres species motûs supra enumeratæ, in illo modo mutationis, qui est *ex subjecto in subjectum*, vel ratione *quantitatis*, vel *qualitatis*, vel *loci.*

*Immobile quid?*

Tot etiam modis aliquid *immobile* dicitur: notandum tamen quod omne immobile vel est tale, quod omninò moveri nequit, vel quod difficulter movetur: vel quod potest moveri, & quando aptum est moveri non movetur, *secundum text. 20.* hoc propriè dicitur quiescere.

*Quies quid?*

*Quies* enim motui contraria est, proindè privatio ejus quod moveri potest. Patet ergò quot sint *motûs species*, quid item *quies* motui opposita.

*Motus unitas.*

Sequitur jam ut de *motûs unitate* dicamus, ubi primùm vocabula quædam, quæ ad motûs naturam magis intelligendam faciunt declarata fuerint. Hæc autem *secundum Aristotelem text. 21.* numero *septem* sunt: *simul*; Separatim; *Tangere*; *Intermedium*; *Consequenter*; *Continuum*; *Contiguum.* *Simul* autem scilicet loco *Philosopho text. 22.* ea esse dicuntur, quæ in uno primo loco sunt, ut simplicia in composito. *Separatim* vero, quæ in alio. *Tangere* dicuntur, quorum extrema sunt simul. *Intermedium*, ad quod res, quę mutatur prius pervenire potest quam ad extremum. *Consequenter* est, quod post principium sequitur nullo interveniente medio, *text. 25.* *Contiguum* est quod ita est consequens ut attingat simul id quod antecessit. *Continuum* verò, quando extrema quibus dicuntur res sese attingunt fiunt unum & idem *secundum Aristot. text. 26.* Declaratis hisce terminis obiter quasi ad unitatem motus progredimur.

*Motus unus dicitur vel genere, vel specie, vel numero.* Aristoteles lib. 5. c. 4. lib. 7. c. 1.

*Motus unus quomodo?*

Ut varia est acceptio unius: ita motus quoque variis modis unus dicitur. Nam *unum* dicitur *genere*, *specie*, & *numero*. Est igitur motus unus vel *Unitate genericâ*, sic omnes lationes sunt genere unum quoddam: vel *Unitate specificâ*, qui Motus unus specie dicitur, quando non tantùm continetur sub uno genere: sed etiam sub unâ ejusdem generis specie. Sic omnes dealbationes specie unum quoddam sunt. Vel denique Motus unus est *numero*, & hic propriè & simpliciter unus dicitur *à Philosopho text. 33.* Ad hanc Motus unitatem constituendam tria requiruntur necessariò *text. 34.* *Ut unum sit 1. quod movetur h. e. mobile. 2. Unum sit in quod h. e. terminus ad quem* (ita enim τὸ ἐν ᾧ interpretatur *Coll. Connimb. & Tolet. ad Text. 34.*) *3. Unum etiam sit quando h. e. tempus in quo fit motus.*

*Requisita ad Motus unitatem.* Requiritur ergò ad veram motus unitatem constituendam *unum mobile*, *una forma* quæ motu acquiritur, & *unum tempus*, quæ tria ubi concurrunt, rectè Motûs etiam *unitas* consequitur, *ut patet ex q. 5. lib. 5. c. 4. Connimb.* Cùm verò in omni motu sit *æqualitas & inæqualitas text. 43.* notandum quod alio quoque modo motus unus dicatur, qui æquabilis est. Nam *inæquabilis*, ut dicitur. *text. cit.* minus est unus quam *æqualis*. *Motuum diversitas.* *Hic itaque motuum diversitas oritur, ratione affectionum, quæ vel mobili, vel moventi, vel medio accidere possunt:* sic idem Motus ratione intensionis & remissionis; item celeritatis & tarditatis diversus à seipso esse potest.

*Contrarietas convenit iis motuum speciebus, ubi ambo termini unius motû sunt contrarii ambobus terminis alterius motus.* Arist. 5. Phys. text. 49.

*Motuum contrarietas.* Superest hoc capite, ut *motuum contrarietatem* observemus: cùm verò contrarietas in Motu propriè respectu terminorum observetur, utpotè cùm Motus à terminis denominationes suas accipiant, ut patet *ex q. 1. c. 4. lib. 5. Physic. Coll. Connimb.* ideò manifestum est neglectis reliquis oppositorum Motuum combinationibus, illos *Motus* tantum *contrarios* dici rectissimè *ab Aristotele, quorum termini sunt contrarii.* *Motus quinam contrarii?* Sic motus caliditatis in frigiditatem contrariatur motui à frigiditate in caliditatem: sic alteratio à sanitate ad morbum contraria est alterationi à morbo ad sanitatem, quæ convalescentia dicitur.

Non immeritò dubitari possit hoc loco, cùm supra dictum sit quietem quoque contrariam esse motui: ubi nota *ex capite ult. hujus lib. 5. Aristotelis*, quod *Motus* motui contrarius sit *simpliciter*: *quies* autem *privativè* tantùm, quam ob causam Motus & Quies tanquam habitus & privatio tantùm opponuntur sibi invicem. *Quies Motui contraria quomodo?* Tantum de iis quæ à *Philosopho lib. 5.* traduntur.

## QUÆSTIO I.

*An mutatio substantiæ constituat Speciem motûs?*

Diximus *in Capite quinto*, quod mutatio ex subjecto in non subjectum, & ex non subjecto in subjectum non sint propriè dictæ Motus species, unde consequens est in substantiâ, cui illæ mutationes conveniunt, non esse Motum.

*Negativa confirmatur 1.* Hoc ulterius his argumentis confirmari potest. I. Quod non est, illud non movetur: substantia, quæ generatur, nondum est; Ergò non movetur & per consequens est, generationem non esse motum.

2. II. Omnis Motus est successivus: Generatio non est successiva: sed fit tantum in instanti.

3. III. Omnis Motus est inter terminos contrarios; qui positivi sunt: At generatio ut & corruptio est inter terminos contradictorios. *Instantia.* Sed obstat *Aristotelis assertio lib. 3. Physic. text. 4.* ubi Motum substantiis quoque attribuere videtur: *item lib. 7. Physic. text. 24.* unam generationem alterâ velociorem, vel tardiorem esse pronunciat, quod minimè cum veritate consentiret, si generatio & corruptio non essent Motus propriè dicti.

*Fundamentum decisionis.* Pro quæstionis declaratione nota, quod generatio & corruptio dupliciter accipiantur. *Primò, pro mutatione momentaneâ*, ubi generatio tantùm illa mutatio dicitur, quâ in instanti forma substantialis in suam materiam introducitur. *Secundò pro mutatione successivâ*, ubi non tantùm illud momentum, in quo forma introducitur, intelligimus; sed simul quoque prævia alteratio, per quam materia ad recipiendam formam apta redditur, comprehendi solet. Non priori, sed hoc posteriori modo acceptam generationem *Philosophus* Motum vocare solet. *Vide Javell. l. 5. Physic. q. 1. Tolet. ibid. ad text. 8. Perer. lib. 14. Connimb. l. 5. Physic. q. 1.*

## QUÆSTIO II.

*An unitas motus pendeat ab unitate termini ad quem?*

Rectissimè *Philosophus in lib. 5. Physic.* asserit unitatem motus ab unitate termini ad quem desumendam esse, quod probari potest his argumentis. *Affirmativa asseritur 1.* I. Quicquid dat rei denominationem atque definitionem, illud etiam dat unitatem: Atqui terminus ad quem Motui dat denominationem atque definitionem.

2. II. Quod realiter cum altero conjunctum est, illud etiam ratione illius unum est. At Motus non cum termino à quo, sed cum termino ad quem realiter convenit.

3. III. Potentia denominatur & una dicitur ratione sui actûs: at Motus est potentia, cujus actus est terminus ad quem. Ergò ratione hujus Motûs unus dicitur.

*Instantia.* *Sed obstat*, quod hâc ratione dealbatio à fusco ad album & à nigro ad album sit una & eadem: imò omnes Motus referuntur ad terminum ad quem, tanquam ad finem, per quem veluti externum quiddam, unitas Motus non videtur constitui posse.

*Solutio.* *Hic notandum ex Toleto lib. 5. Physic. q. 2.* quod *unitas* termini ad quem *formalis*, non autem *materialis* sit inspicienda. Potest enim fieri, ut re unus sit terminus ad quem, qui tamen formaliter consideratus duplex est, quando confertur cum suo termino à quo. Ita album à quo tendit motus à nigro & fusco est quidem unum re, duplex autem ratione, quatenus cum duplici termino à quo confertur.

*Ad alteram objectionem* nota *ex Connimb. lib. 5. c. 4. quæst. 1.* quod Motus unitatem accipiant à termino ad quem, non tanquam *à fine*, sed quatenus habet rationem causæ *formalis externæ*, hoc est, quatenus essentialiter Motus hunc terminum respicit.

## QUÆSTIO III.

*An Motus à contrario in contrarium sit unus?*

Affirmat hoc *Philosophus in præsenti libro 5. text. 47.* quod tamen ab Interpretibus diversimodè accipitur, ut patere potest *ex Thoma, Alberto, Averroe, & aliis super illum textum.*

Causa

*Dubium*

Causa dubitandi sumitur indè, quia in mutatione illa, in quâ ex nigro fit album, non tantùm albedinis: sed etiam nigredinis fluxus adesse videtur.

*Solutio dubii.*

Hîc nota *ex Toleto cit. lib. quæst.* 4. quod *terminus à quo non sit intrinsecus* nec de essentiâ motûs; sed *terminus ad quem* tantùm, undè meritò concludendum, quod Motus à contrario in contrarium realiter sit tantùm unicus Motus.

*Nota.*

*Notandum* tamen, quod hic Motus unus, semper cum duabus mutationibus sit conjunctus, nimirum termini à quo & termini ad quem; quod patet in dealbatione, ubi simul adest mutatio à nigro ad non nigrum, & à non albo ad album.

## CAPUT VI.

## DE MOTUS DIVISIONE RATIONE CONTINUITATIS.

Sequitur *Liber Sextus Aristotelis*, in quo Motûs partes ratione continuitatis considerantur. Ut autem id quod probare nititur *Philosophus* de divisione Motûs demonstrare possit, à continui divisione in genere orditur & proponit hoc Theorema: *Omne continuum constat ex divisibilibus, lib. 6. c.* 1. *text.* 1. Ratio deducitur ex definitione *continui*, quâ dicitur quod *continuum* illud sit, cujus extrema sunt unum: *Individuum* verò extrema non habet, utpote cum negatis partibus extrema quoque tollantur, ideò concedendum est continuum dividuum esse, quia extrema obtinet. Adde, quod unumquodque ex ejusmodi partibus constet, in quas dividitur: at continuum non in individuas dividitur. E. ex dividuis constat, *ut patet text.* 3.

*Continuum, divisibile. Continuum quid.*

Hoc præsuppositò manifestum est ipsum quoque *motum dividuum* esse, vel ex divisibilibus constare *text.* 5. Nam quicquid generi attribuitur, illud necessariò quoque speciei inesse debet.

*Motum esse dividuum.*

Quod autem de Motu dicimus, eâdem quoque ratione rectissimè *tempori* attribuitur *à Philosopho cap.* 2. cùm & illud ex numero continuorum sit.

*Tempus esse dividuum.*

Hoc ulterius ex comparatione celeritatis & tarditatis demonstratur *à Philosopho* præsuppositis, quod *celerius à tardiori* tribus modis distinguatur. Nam 1. celerius est, quod tempori æquali majus spatium conficit. 2. item quod tempore minore conficit spatium æquale. 3. denique quod minore tempore majus spatium absolvit quam tardius, ut declaratur *text.* 11. Undè manifestum est fieri non posse, ut per intervallum aliquod infinitum moveatur quiddam tempore finito: vel ut tempore infinito Motus fiat per finitum spatium, secundum *text.* 20. Est enim inter tempus & Motum proportio, quæ ratione celeritatis & tarditatis mutari potest: & ita pro diversitate mobilis ipsum quoque tempus variis modis divisibile redditur, id quod ei propter continuitatem convenit. Omnis ergò motus in tempore fit, *secundum text.* 29. Nam si aliquid moveretur in Instanti, ipsum *Instans* divisibile esset, hâc ratione, quia per idem spatium celerius moveri posset, quod minori temporis intervallo fieret. Hoc autem meritò minimè consonat, *ut ex text.* 24. *patet.* Nam *momentum* sive *nunc* est temporis præteriti extremum & futuri principium, undè necessariò requiritur, ut indivisibile sit, aliàs tempus non esset continuum, secundum *text.* 25.

*Celerius à tardiori distingui tripliciter.*

*Huc refer refutationem Zenonis.*

*Omnem motum in tempore fieri.*

*Momentum quid.*

Præter id, quod diximus, tempus esse divisibile, requiritur etiam necessitate quâdam, ut *omne id, quod movetur, dividuum sit. text.* 32. ratio petitur ab eo: quia quicquid movetur, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem: Nam quando omninò in termino à quo adhuc subsistit, non dicitur moveri; sed quiescere: sic etiam quando perfectè terminum ad quem assecutum est, non amplius movetur: sed jam mutatum est.

Ex his præsuppositis jam colligit, *quot modis dividatur Motus ratione continuitatis.*

*Divisio motûs ratione continuitatis.*

*Motus ratione continui dupliciter dividitur: uno modo, tempore: alio* ex partium ejus quod movetur Motibus. Aristoteles lib. 6. text 33.

Duplex in Motu est continuitas, cujus ratione dupliciter quoque Motus in partes, ut vocant, quantitativas dividitur. Nam cùm omne tempus sit dividuum, & cùm in minori tempore minor quoque Motus fiat, sequitur omnem Motum ratione temporis, in partes successionis dividi posse, ut innuit *Aristoteles text.* 36. Deinde ratione mobilis, ipse quoque Motus dividitur: ut enim totius mobilis Motus totus est, sic etiam cujuslibet partis mobilis aliqua pars Motus est, *text.* 35. Hæ partes Motus vocantur *extensionis*, ut patet ex *Perer. lib.* 14. *c.* 7. Atque tot modis in partes ratione continuitatis dividitur Motus.

Sequitur de eorundem ordine, quod in quorundam theorematum declaratione consistit. *I. Omne quod mutatum est, necessariò est in eo in quod mutatum est. Aristoteles text.* 40. Manifestum hoc est: nam res quæ mutata est, terminum ad quem acquisivit, in quo est necessariò quatenus est mutata. *II. Id, in quo primum mutatum aliquid dicitur, est indivisibile. text.* 41. Ratio hujus assertionis patet: Si enim illud statueretur tempus indivisibile, tum illud primò mutatum, non primò mutatum statueretur. Etenim daretur aliquid in illo tempore, in quo non primò mutatum esset propter divisibilitatem. *III. Primò mutatum esse datur ratione finis in Motu. Aristoteles cit. l. text.* 46. In fine enim datur primum non esse Motûs quo clauditur, ubi res perfectè & primò mutata dicitur. Nam in principio Motûs non potest dari primò mutatum esse, quia id in quo primò mutatum est aliquid, est tantùm momentum, ut patet, quod non datur in initio; quia omne mutatum esse necessariò præcedit Motus. *text.* 59. & ratione hujus instantis, in quo aliquid mutatum dicitur, sæpiùs etiam motus dividi potest.

Quæ autem hactenus *de Motu* diximus, ea etiam quandam obtinent convenientiam *cum quiete*, quæ eâdem ratione, ut Motus, non nisi in tempore est, *text.* 72. Hoc enim quiescere *dicit Philosophus*, cum aliquid, quod moveri aptum est, quando & in quo aptum est, non

vetur: atqui nihil nisi in tempore aptum est: ad Motum igitur etiam quies non nisi tempore fit.

*Zenonis error circa Motum.* Præter dicta quoque rectissimè in hoc libro refutantur *à Philosopho* illa, quæ *à Zenone* in medium proferuntur, quibus Motum omninò negare conatur, propterea quod illa potissimùm ex divisione continui in Infinitum minus rectè intellecta producantur, ubi *Zeno*, id quod *potentiâ Infinitum* est, pro *infinito actuali* arripuit, *ut patet ex cap.* 2. *& cap.* 9. *hujus libri.*

## QUÆSTIO I.

*An verum sit pronunciatum Aristotelis, omne continuum constare ex divisibilibus?*

INter Veteres plurimi *continuum* ex indivisibilibus componebant, contra quos affirmativam præsentis quæstionis statuit *Aristoteles lib.* 6. *Phys. in principio.*

*Affirmativa confirmatur* 1. Commotus potissimùm tribus rationibus. I. Si indivisibilia continuum constituerent, illa vel essent contigua vel continua: At neutrum fieri potest, ratio est, quia contigua & continua extrema habent, quæ in illis sunt simul; in his sunt unum: Indivisibile verò partibus, & per consequens etiam extremis non constat, de quo vide *Perer. l.* 10. *Physic. c.* 13.

2\. II. Porrò si linea ex punctis tanquam ex partibus constaret, tum linea punctis constans inæqualibus, verbi gratia, novem non poterit æqualiter dividi, quod est contra Mathematicorum demonstrationes, qui quamlibet lineam in duo æqualia divisibilem esse probant, de quo videatur *l.* 1. *Euclidis Propos.* 10.

3\. III. Ex non quantis haudquaquam constituitur quantum. Ergò continuum quod quantum est, non potest ex indivisibilibus, quibus quantitas denegatur, constare.

*Instantia,* 1. Sed objici possunt hæ rationes *contra Aristotelem.* I. Continuum cum numero est sub eodem genere, videlicet sub quantitate: atqui numerus ex pluribus unitatibus indivisibilibus constat. Ergò etiam continuum ex individuis constare potest.

2\. II. Quæ ingrediuntur definitionem rei, illa rem constituunt: at puncta ingrediuntur definitionem lineæ: Ergò linea constat ex punctis, quæ sunt indivisibilia. *Minor* probari potest ex *Arist. l.* 1. *Post.* 4.

*Respondetur ad* 1. Hic respondet *Toletus ad primum*, quod alia sit ratio *in continuo*, alia *in discreto*: quia continuo accidit hoc, ut constet ex divisibilibus, non quatenus est quantitas: sed quatenus partes continuas habere debet, & in quo à numero differt.

*ad* 2. Ad *secundum* nota, quod *indivisibilia puncta* respectu continui habeant sese *tanquam essentiale quid*, quatenus partes continuas copulant. Conjunge *Conimb. l.* 6. *q.* 2. *c.* 3. *Tolet. ibid. q.* 1.

## QUÆSTIO II.

*An verum sit illud, quod dicit Philosophus non dari primum mutatum esse in principio?*

EX *Aristotelis* mente *cap. VI.* demonstravimus, quod *primò mutatum esse* in motu dari nequeat ratione *principii*, h. e. quod non dari possit momentum aliquod, in quo jam primo quidquam immutatum esse præsupponit motum, quia quicquid mutatur, per motum mutatur: At motus est divisibilis. Ergò dabuntur adhuc alia momenta priora, ubi cuilibet motus parti respondebunt sua mutata esse.

*Contraria Assertio defenditur* 1. Contra hanc assertionem *Aristotelis* ita insurgere possumus. I. In motu alicujus derterminati temporis datur unum Instantis principii & unum instans finis. Ergò datur etiam primò mutatum esse ratione principii & ratione finis.

2\. II. In locali motu datur primum ubi, quod acquiritur. Ergò datur etiam primum mutatum esse.

3\. III. Si negatur primò mutatum esse in principio, motus infinitus erit, quod absurdum est.

*Respondetur ad Instant.* 1. Ad has Instantias respondemus. Ad 1. non est eadem ratio momenti, & illius, quod mutatum esse dicitur, quia hoc semper motum præsupponit.

*ad* 2. Ad 2. de loco in tempore per motum acquisito illud concedere non possumus.

*ad* 3. Ad 3. non sequitur propterea motum esse infinitum, quia clauditur eo statu, quem mobile in ultimo non esse motus possidebat, ut inquiunt *Connimb. l.* 6. *c.* 5. *q.* 1. *Vide Javellum l.* 6. *Physic. q.* 9. *Tolet. q.* 4.

## QUÆSTIO III.

*An Motus fieri possit in Instanti?*

SÆpiùs dictum fuit hactenus, quod nullus motus *in Instanti* fieri possit, ut ex motûs essentiâ facilimè cognoscitur: cùm verò idem pronunciatum in præcedenti quæstione fundamenti loco proponatur, ideò jam meritò quæritur, *an etiam semper verum sit illud, quod motus in tempore tantùm fiat.*

*Affirmativa probatur.* Quod *in momento fieri possit*, hæ rationes probare videntur. I. Videmus motum alicujus localem in Instanti. Ergò etiam fit in Instanti.

2\. II. In Instanti à Solis præsentiâ totum hemisphærium superius illuminatur.

3\. III. In Instanti divinâ virtute corpus à loco ad alium locum transferri potest.

*Respondetur ad objectionem* 1. Verùm hæ rationes tantæ non sunt, ut veritatem hactenus sat confirmatam labefactare possint, ideoque ad objectiones respondemus. Ad 1. Negamus quod motus alicujus rei in Instanti videatur, quia potius *rem ipsam* quam *rei motum* percipimus. *Probatur hoc*: ut enim sese habet species visibilis, quæ oculo offertur, ita etiam visus judicat: at species visibilis non in momento: sed in tempore offertur, quando est rerum, quæ non sunt fixæ & quiescentes. Ergò.

Ad 2.

ad 2. Ad 2. lumen ita effunditur, ut non eadem luminis portio ab unâ parte ad alteram transeat: sed totum simul luminatur.

ad 3. Ad 3. Non quid divina virtute fiat in præsentia quæritur, sed motus hîc naturalis intelligendus est; Plura invenies apud *Connimb. c. 6.*

## CAPUT VII.

## DE MOVENTIBUS EORUMQUE PROPORTIONE CUM MOBILIBUS.

POstquam de variâ motûs divisione egimus, consequens nunc, ut *ad librum septimum* accedamus, ubi *Philosophus* de moventibus agere incipit, quibus consideratis de comparatione motûs differit. Ratione primæ partis hic liber quasi præparatorius est ad consequentem. Nam colligit *Arist.* illud, quod *in octavo libro* ex professo tractat, scil. *primum motorem esse.* Ut autem moventia demonstrare possit *Aristoteles:* idcircò in principio hujus *lib. 7. text.* 1. hoc axioma proponit. *Quicquid movetur ab alio movetur.* Confirmatur *à Philos. c. 1. tàm inductione:* quia quicquid movetur illud aut internum aut externum sui motus principium habet; *quam ratione;* quia nihil sibi ipsi aliquid communicare potest, nihil à sepso patitur, quod tamen fit in motu. Impossibile autem est, ut res simul uno eodemque respectu sit actu & potentiâ, sequeretur enim rem esse & non esse, quod contradictionem implicat. At mobile quatenus ad formam movetur, est in potentiâ, movens verò quatenus actu movet, est necessariò. Ergò statutum sit *nihil à seipso moveri,* quod in iis, qui ab externo principio moventur, manifestum est, in reliquis ex rationibus dictis colligitur. In his moventibus aliquod primum dari suadet *Philosophus cit. l.,* quia progressus in Infinitum non conceditur, quod in *sequenti libro* ulterius demonstratur.

*Nihil à seipso moveri.*

*Vide Connimb. q. 1. c. 1. l. 7.*

*Per movens* autem hoc loco non intelligitur id quod *ut finis,* sed quod *ut efficiens* movet, undè *Aristoteles* demonstrat: *Movens & mobile simul esse oportere, text. 9.* Nam hoc omni moventi & mobili commune est: quia agens Physicum non nisi per contactum agit, *sive contactus sit Physicus,* ut in moventibus naturalibus; *sive virtualis,* ut in non naturalibus moventibus accidit. Hujus assertionis veritas *inductione* probatur, unde *Philosophus text.* 10. monstrat in motu locali movens esse simul cum mobili. Nam quicquid fertur illud vel à se movetur ab interno sc. principio: vel alio h. e. externo. Quod internum habet movens, id necessariò cohæret cum mobili, aliàs non internum esset. Externâ verò vi movetur quiddam vel *pulsu* vel *tractu* (nam quamvis etiam *vectio* & *volutatio* hic enumerentur, nihilominus tamen omittuntur, quia *volutatio* est motus *ex pulsione & tractione* mixtus: *vectio* verò videtur per accidens motus, cum potiùs id dicatur moveri, quatenus mobili insidet) quicquid autem pellit aut trahit, cum eo quod pellitur sive trahitur, conjunctum esse debet, *ideò in omni latione movens & mobile simul sunt.*

*Movens esse simul cum mobili.*

*Dubium* hic oritur, *de motu projectorum,* quomodo enim causa movens rei projectæ simul sit cum mobili, sensu non percipitur, idcircò duplex hic est sententia. *Primam ex Arist. 8. Phys. text. 82. & 3. de Cælo tex. 28. Simplicius, Themistius, Thom. Aq. Averroës super text. citatos. Perer. lib. 14. cap. 4.* deducunt, quod causa propinqua lapidis projecti sit *in medio,* sc. in Aquâ vel Aëre commoto à projiciente. *Altera* sententia est *Scaligeri Exerc. 28. Tolet. 8. Phys. cap. 9. Coll. Connimb. lib. 7. cap. 2. q. 1. ar. 8.* quod projectis *vis quædam* imprimatur *ab agente,* quæ sit quasi *instrumentaria causa,* cujus beneficio agens & mobile simul sunt: *hanc posteriorem sententiam* tutiorem judicamus, quæ cum sententiâ *Aristotelis* non omninò pugnat; potest enim hoc concedi, quod medii dispositio ad illum motum plurimùm inserviat.

*Dubium.*

*Patet ergò* in omni motu locali *movens & mobile simul esse,* jam sequitur, ut illud etiam *de alteratine* probetur. Cùm verò omnis alteratio per patibiles qualitates fiat, *ex text.* 11. 12. constat, quod alterans & id, quod alteratur, simul sit, aliàs enim alteratio, quæ contactum requirit, non fieret.

*Alterans & alteratum simul esse.*

Quod autem de alteratione dictum est, illud etiam *de Augmentatione & Diminutione verum est;* nam quod auget, non auget nisi apponatur *secundum text.* 13. quod etiam contrario modo in diminutione accidit.

*Augens & auctum; Diminuens & diminutum simul esse.*

*Declaratis* quibusdem thesibus, quæ ad moventia pertinent, jam pauca subjicienda sunt *de Comparatione motuum.* Ante omnia verò notandum, quod ad comparationem in Motu constituendam 1. requiratur, ut illa, quæ comparanda sunt, *nullam* obtineant *æquivocationem,* cùm æquivoca comparari non possint *text.* 25. 2. In unoquoque subjecto *primò* sint illa, quæ comparari debent, *ut vult text. 26. 27.* Sic equus & canis secundum albedinem inter se comparari possunt; quia superficies primum albedinis subjectum utrisque inest. 3. Adde, quod id, cujus ratione fit comparatio, *debeat esse unius speciei ultimæ,* sic inter se comparantur duo alba non duo colorata. *text.* 29.

*Requisita ad Comparationem motuum.*

Requisitis hisce notatis, aliquot modi comparationum in motu locali proponuntur *à Philosopho,* quæ ex consideratione *rei mobilis, virtutis motivæ, spatii & temporis* desumuntur, & in sequentibus regulis consistunt. 1. Si quædam virtus motiva movet aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore: tùm eâdem virtute movebit dimidium mobile in eodem tempore per duplum spatium. 2. Si &c. tum eadem virtus, movebit dimidium mobilis in dimidio tempore per æquale spatium. 3. Si &c. eadem virtus movebit idem mobile in dimidio illius temporis per dimidium spatium. 4. Si &c. dimidia vis dimidium mobile per dimidium spatium dimidio tempore permovebit. 5. tùm non sequitur, ut eadem vis moveat duplex Mobile in eodem tempore per dimidium spatium. Minus n. ut inquit *Tolet. com. ad text. 37.* non potest agere in majus. 6. Non etiam sequitur ut media virtus moveat idem mobile per medium spatium in æquali tempore. 7. Sic etiam plures virtutes motivę, quę aptę sunt, ut aliquanto tem-

*Modi comparationum.*

*Text. 35.*

*Text. 36. 37.*

tempore, per aliquod spatium quoddam mobile moveant, si conjungantur, poterunt duo illa mobilia eodem tempore per idem spatium movere. Quod autem hic dictum est de *latione*, id etiam in *alteratione* & *augmentatione* locum suum obtinet: ut enim in actione movens sese habet ad mobile, sic etiam alterans respicit alterabile, sic augmentans augmentabile. Atque tantum de Motuum comparatione.

## QUÆSTIO I.

*An aliquid à seipso moveri possit?*

Supra quidem demonstravimus motum esse inter movens & mobile, quæ duo semper distinguuntur, ita ut mobile quatenus mobile nunquam sit movens, præsertim cum movens ut tale, semper actu, mobile verò quatenus mobile tantum potentiâ sit. Ex hoc fundamento *Philosophus l. 7. Physic.* demonstrare conatur nihil à seipso moveri, quod partim *inductione*, partim *ratione probat*.

*Affirmatur* 1. *Impugnatur* hæc assertio. I. quia intellectus movet seipsum ad actum intelligendi.

2. II. Quia radius solis duplicatus à seipso intenditur.

3. III. Quia aqua calefacta à seipsâ refrigeratur.

4. IV. Quia in animalibus cor à seipso movetur.

*Fundamentum decisionis.* Pro *decisione controversiæ* notandum est, quod *motiones* aliæ inhæreant *rebus materiâ vacantibus*: aliæ verò sint *rerum Physicarum*: deinde nota, quod aliquid dicatur moveri à seipso *vel per se, vel per accidens. Quod attinet Philosophi* sententiam, hæc tantum loquitur *de motione Physicâ*, ubi nihil à seipso moveri potest.

*Respond. ad Argumenta* 1. Jam ad argumenta. Ad 1. operatio intellectus non est propriè motio physica.

*Ad 2.* Ad 2. non intenditur à seipso, sed propter obstans corpus, quod lucem magis unit, quod accidit etiam in repercusso sono, ex quo Echo generatur.

*Ad 3.* Ad 3. Hic variæ sunt interpretum responsiones, probabilior est *Soncinatis 9. Metaphys. q. 8. quam recipit Coll. Connimb.* quod aqua reducatur vicissim ad frigiditatem *à suâ propriâ formâ*.

*Ad 4.* Ad 4. Cor non à seipso movetur, *sed ab anima*, quæ hujus motus causa est per motivam facultatem. Plura vide apud *Connimb. l. 7. c. 2. q. 1. & apud Tolet. ibidem q. 1.*

## QUÆSTIO II.

*An movens & mobile semper sint simul.*

Præter illam dubitationem de motu projectorum ubi lapis projectus in aëre movetur adhuc, supersunt alia, quæ assertionem hanc *Aristotelis* dubiam reddere videntur, ut patet ex sequentibus.

*Instantia,* 1. I. Magnes trahit ferrum, etiamsi non immediatè illud ipsum attingat.

2. II. Charta aqua repleta non læditur ab igne, quamvis contenta aqua effervescat.

3. III. Succinum trahit paleas, quas non attingit.

4. IV. Torpedo piscis stuporem introducit manui piscatoris, quam immediatè non attingit.

5. V. Aqua ab igne fervet in lebete, cujus tamen fundus est frigidus.

*Fundamentum solutionis.* *Hic pro declaratione* harum dubitationum, primum nota, quod *contactus duplex* in rebus naturalibus, *corporalis & virtualis*.

*Respondetur ad argum. 1.* Jam ad 1. argumentum respondeo: Magnes *non corporali* sed *virtuali contactu* attrahit ferrum *per qualitatem ab eodem effluentem*, de quo vide *Lemn. l. 3. de occult. c. 4. & Scaliger. Exerc. 131.*

*ad 2.* Ad 2. charta affusa humiditate non comburitur, quia propter affusam humiditatem igni quodammodo contraria est, quod etiam apparet in vasis plumbeis, quibus vitriolum magnâ ignis violentiâ coquitur.

*ad 3.* Ad 3. hoc à manifesta qualitate deducit *Libavius par. 1. singul. l. de naturâ succini*, quod scil. *calefactum & attritum succinum emittat vapores calidos & oleosos*, qui post egressum refrigerati retrocedant, & ita secum rapiant levia corpuscula.

*ad 4.* Ad 4. Torpedo piscis hanc qualitatem primò communicat reti, & sic consequenter ille semper ad manum piscatoris pervenit.

*ad 5.* Ad 5. hic respondet *Scaliger Exerc. 101. sect. 8.* quia natura sua frigidum æs, eam, quantum potest, retinet frigiditatem. Retinet autem aquæ fervore adjutus fundus, quæ in ipsos poros sese induit, propterea quod quæ pars aquæ calefit summum petit, frigida semper in imo est.

## CAPUT VIII.

### DE PRIMO MOVENTE EJUSQUE ATTRIBUTIS.

Sequitur *liber octavus Aristotelis*, in quo præcipuè inventionem *primi Motoris* demonstrat: huic præmittit tractationem de *Æternitate motus*, quæ cùm coincidat cum placito *de Mundi perpetuitate*, hanc ob causam ejusdem declarationem usque *ad libros de Cœlo* reservabimus. Cùm verò *præcedenti capite* obiter q. dictum sit dari primum motorem, jam idipsum repetitur *ab Aristotele* & ulterius confirmatur.

*In moventibus non est processus in infinitum, sed datur quoddam primum movens.* Aristoteles 7. Physic. text. 9. 8. Physic. c. 5.

Hujus assertionis veritas suadetur; nam daretur series infinita mobilium & moventium; quod absurdum videtur, ideoque necessariò concludendum, *esse quoddam primum movens*, in quo ultimo subsistendum, utpote cùm processus in Infinitum minimè concedendus est: hoc igitur demonstrat *Philosophus hoc libro*; idcircò theorema *præcedenti libro* declaratum vicissim asseruit, quod *omne mobile ab alio moveatur*, illudque inductione per totum *caput* 4. de unoquoque motu, tàm inanimatarum, quàm animatarum rerum declarat. *Vide Thom. l. 9. 1. art. 3.*

His

His positis *capite quinto* deducitur, id quod diximus *de Motore primo*, cujus *quædam attributa* considerantur *ab Aristotele*. Nam primò probatur: *Primum motorem esse immobilem.* Cum enim primus sit, impossibile est ut moveatur ab alio: ita enim motor primus non esset. Nec etiam est αὐτοκίνητον quiddam, quod ex superioribus manifestum est, quia nihil movetur à seipso.

*Attributa primi Motoris.* 1.

2. II. Deinde primus Motor *Aristoteli* perpetuus est, *cap.*6. hanc ob causam: quia motus ex falsâ hypothesi æternus *ipsi Philosopho* statuitur, ideoque non potuit habere principium caducum.

3. III. Præterea *in ejusdem cap. fine.* Unus tantùm statuitur primus Motor: Omnis enim motus ad unum refertur, ab eoque pendet, undè postea *cap.*7. concludit, ipsum *Motorem primum* non cujusvis motus *immediatè* causam esse: sed tantùm *circularis*, quem *in sequentibus capitibus* omnibus aliis præstantiorem esse probat.

4. IV. Additur in *cap.* 10. *ipsum primum motorem esse potentiæ infinitæ*, quod ex eo colligitur, quia operationes ejus infinitæ sunt. Nulla autem facultas finita potest actiones infinitas edere.

5. Hinc etiam V. attributum deducitur, videlicet *Illum incorporeum esse.* Nam nullum infinitum potest habere *Magnitudinem.* Hæc sunt illa attributa, quæ hoc in loco *de Deo Philosophus* demonstrat, quæ quamvis cum veritate maximâ ex parte consentiant: nihilominus tamen cum pleræque innitantur falso fundamento, quo motus perpetuus statuitur, ideo rectius & perfectius ex revelato verbo addiscuntur.]

*An tractatio de primo motore ad hunc locum pertineat.*

Et hoc modo *Aristoteles* considerat primum motorem, cujus tractatio an sit hujus loci quibusdam dubium visum fuit hactenus: *Averroës* enim *Physicam* esse voluit: alii verò ad *Metaphysicam* omninò rejecerunt. *Zabarella* verò *libro de Invent. primi motoris cap.* 5. distinguit *inter distinctam & confusam cognitionem* primi motoris: hanc Physicam dicit, ut *in hoc libro* habetur, ubi primus motor tantum cum respectu ad operationes Physicas consideretur: Illam ad Metaphysicam rejicit, ubi incorporeæ substantiæ propriè considerantur.

Atque hactenus *in genere Corpus naturale* respectu principiorum & affectionum communium cognovimus, jam sequitur, ut ad ea, *quæ in specie* cognoscenda, de eodem subjecto accedamus.

## QUÆSTIO UNICA.

*An tractatio primi motoris ad Physicam pertineat.*

DIximus in principio προλεγομένων Physices, quod subjectum hujus scientiæ adæquatum sit *corpus naturale*: at verò cùm *primus motor* omninò incorporeus sit, & in numero substantiarum Physicarum non contineatur, jam oritur quæstio, *num etiam tractatio de primo motore pertineat ad hunc locum.*

*Affirmativam tenet Averroes.*

Affirmativam simpliciter tenuit *Averroës*, ubi statuit primi motoris tractationem ex toto pertinere ad Physicam, ita ut nulla alia scientia declarari queat.

*Diversum Zabarella.*

Diversum tenet *Zabarella*, cujus opinio probabilior est, qui *in lib. de Invent. primi motoris*, partim tractationem hanc *ad Physicam*; partim ad *Metaphysicam* remittit. *Ad Physicam*, respectu *cognitionis confusæ*, quâ primus motor tantùm in respectu ad operationes Physicas, quæ ab ipso tanquam à primâ causâ dependent, consideratur. *Ad Metaphysicam* verò respectu *cognitionis distinctæ*, quâ ratione substantiarum separatarum peculiaris datur cognitio.

*Objectionis solutio.*

Ad objectionem datam respondemus, quod primus motor sub Physices subjecto contineatur, quatenus est *causa & principium motus*: Est enim scientiæ considerare principia & affectiones sui subjecti, undè tota hæc primi motoris consideratio respectiva est, quatenus primus motor in respectu motus consideratur.

LIBER

De

# CORPORE NATURALI SPECIALITER CONSIDERATO.

E*x præcedentibus octo Capitibus libris* ἀκροάσεως *respondentibus patet, quænam demonstrationes communes sint in physicis, ita ut omnibus corporibus Naturalibus ex æquo convenire possint. Cùm verò Corporis naturalis magna latitudo sit, diversasque species habeat, idcirco præter ea; quæ hactenus dicta sunt, opus est, ut* ad species corporis Naturalis *considerandas accedamus: nam certum est, quod* Philosof. 1. poster. *dicit, scientiam circa suum subjectum potissimum tria considerare*, Principia, Affectiones & Species. *Est autem hæc* specialis Physica *propter varietatem specierum subdividenda, propterea quod ista hoc loco demonstranda sint, quæ huic vel illi Naturali corpori propriè conveniat. Septem igitur Sectionibus totum hunc librum tractabimus.* 1. erit de Corporibus simplicibus absolutè consideratis. 2. de Mixtione & mixtis in genere. 3. de imperfectè mixtis, vel Meteoris cum appendice de perfectè mixtis homogeneis. 4. de Fossilibus, 5. de Plantis. 6. de Animalibus. 7. de Homine, *qui, ut est reliquis perfectior: sic etiam non nisi præmissis reliquis cognoscitur perfectè.*

*Ratio Continuationis.*

*Divisio hujus libri secundi.*

## *SECTIO PRIMA.*
## DE CORPORIBUS SIMPLICIBUS.
### CAPUT I.
### *DE MUNDO IN GENERE.*

POst libros ἀκροάσεως rectissimè sequuntur *libri 4. de Cœlo ab Aristotele* conscripti: in his enim tractatio *Corporum simplicium* continetur, quæ præcedit mixtorum declarationem & *Naturæ & cognitionis ordine*, quia ex simplicibus mixta constant, & sine simplicium cognitione mixta non intelliguntur, scilicet distinctè. Cùm verò omnes res Naturales ambitu mundi visibiles comprehendantur, idcirco *Philosophus* in principio specialis physicæ *in l. 1. de Cœlo* rectissimè tractationem *de Mundo in genere* instituit: Videbimus igitur, quomodo *Aristoteles* mundum consideret, & qualia attributa de eodem demonstret.

*Rectè hic agi de Mundo.*

Κόσμος ἐστὶ σύστημα οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων.

hoc est:

*Mundus est ordinata compages è Cœlo, Terrâ & reliquis Naturalibus corporibus constans.*

*Definitio Mundi Arist. l. de Mund. ad Alexand. c. 2.*

Mundus *Græcis* κόσμος à pulchritudine suâ dicitur, propter summam εὐταξίαν, quâ à DEO OPT. constitutus est, ideòque ex illâ ordinatione rectè etiam definitur: undè constat, mundum esse unum tantùm quiddam contiguitate, & propter connexionem naturalem, ideoque unicam quandam substantialem formam habere nequit, ut patet ex sententiâ *Aristotelis*, ubi materia integrans mundum, scilicet omnia corpora naturalia, & forma ejusdem, quæ in ordine consistit, innuitur. Huic Definitioni *Piccolomineus lib. de rerum definitione*, addit, *Mundus est ordo, ex cœlo & terra, à Deo, ut Authore & per Deum compositus & servatus.*

*Mundum esse tantum unum.*

Hinc manifestus est error illorum, qui mundo animam, tanquam formam informantem, affinxerunt, utpote, cùm anima tantùm informet organicum Corpus, *secundo de Anima cap. 1.* id quod de Mundo non dicitur: quam ob causam hæc sententia *ab Aristotele 1. de Cœlo, & 1. de Anima, Scaligero exercit. 6.* rejicitur, & tanquam hæretica à patribus damnatur, ut videre licet *apud Niceph. lib. 17. hist. Eccles. cap. 27. 29.*

*Mundo perperam affingi animam tanquam formam informantem.*

Jam sequuntur *quædam attributa* quæ *Aristoteles* de Mundo in genere demonstrare nititur, inter hæc primùm est *Mundum perfectum esse*, quod confirmatur ex singularum, quibus constat specierum absolutione, Naturarum distinctione, & tandem mirabili omnium partium harmonia. Notandum tamen quod *Philosophus* perfectionem *absolutam* non intelligat, utpote cùm ejusmodi perfectio *soli Deo*, & nulli creaturæ conveniat, sed perfectionem κατά τι quæ in suo genere requiritur, ut hoc pulcherrimè declaratur *à Coll. Conimbr. quæst. 1. cap. 1. lib. 1. de Cœlo.*

*Attributa Mundi.*

*Mundus quomodo perfectus.*

Secundnm attributum est, *Mundum magnitudine finitum esse*, quod *Aristoteles lib. 1. de Cœlo*, de omnibus mundi partibus demonstrat, ex quibus postea ratio quoque totum finitum esse concludit: nam ex partibus integrantibus finitis non potest constitui totum infinitum, *primo de Cœlo*, probatur, quod sit finitum, quia aliàs non posset moveri; esset enim inter lineas duas à centro ad circumferentiam ductas, infinitum spatium, quod percurri non potest finito tempore *textu* 35. 36. Quod attinet *Elementa*, illa quoque finita esse, probat eorum locus finitus, *textu* 44. *infinitum enim loco non circumscribitur*: item eorum *qualitates* finitæ idem testantur, ut *textu* 47. *& seq.* colligitur. Denique *nullum corpus* infinitum esse probatur, quia *infinito motus non convenit*: nam in infinito nec medium est; nec differentia sursum & deorsum, undè patet, quod nec circulariter, nec recto motu moveri possit, *secundum tex.* 70. adde quod necessariò duo sint infinita concedenda, dato quod necessariò moveri possint, quia quicquid movetur, ab alio movetur, quod Naturæ infiniti reclamat.

*Mundum cum omnibus partibus integrantibus finitum esse.*

Tertium attributum est, *Unicum tantum esse Mundum*, quod confirmat *Aristoteles lib. 1. de Cœlo cap. 8. & 9.* his rationibus I. quia si plures essent mundi, tunc terra unius vergeret ad terram alterius; nam unum quod-

*Mundum esse unicum probatur.*

quodque Naturale Corpus suum locum petit, *text.* 76. 77. 78. II. Quia unum tantum est primum movens: Ergo etiam unum mobile primum, & per consequens unus mundus, *tex.* 90. III. Quia positionum differentiæ omnes sunt in hoc mundo: Ergo non datur alius, *text.* 91. IV. Denique probat *Philos. in seq.* hunc mundum ex universa materia constare, cum singulis Corporibus in hoc mundo sua loca sint deputata. Sic *Aristoteles* ex ductu Rationis *probabiliter* concludit, unum esse mundum, quod nos non tantum probabiliter ita statuendum, sed sacris literis edocti, *firmiter credendum* esse putamus, quod præter alia Scripturæ loca *cap.* 1. *Iohan.* testatur, ubi dicitur, omnia per ipsum facta sunt, & additur, & Mundus per ipsum factus est, ubi *Thomas* 1. *part. q.* 47. *ar.* 3. Unitatem mundi per Numerum singularem non obscure indicari colligit.

*Mundum esse æternum.*

Quartum attributum sequitur, nimirum *Mundum æternum esse:* cum hac assertione convenit etiam illa, quam *lib.* 8. *Phys.* omisimus, scilicet motum æternum esse. Quamvis autem *Aristoteles* ex suis principiis deducat Mundum æternum esse, nihilominus tamen illud simpliciter verum non est, ut patebit ex sequentibus. Lubet igitur præcipua Argumenta Aristotelica in medium proferre, ut intelligamus, quousque procedat ipsius probatio. I. *Ex.* 8. *Phys. text.* 3. 4. 5. 6. 7 tale desumitur argumentum. Motus est æternus: Ergo etiam Mundus, probatur Antecedens, nam sequeretur, alium motum præcessisse, quo movens & mobile cœperint. II. Ibidem *textu* 10. ab æternitate temporis, motus, & per consequens mundus etiam æternus concluditur. III. *Text.* 5. 6. 8. *Phys.* mundus æternus statuitur, quia melius est esse, quam non esse. Adde, quod DEUS semper vult illud, quod melius est. IV. Quod etiam incorruptibilis mundus, statuit *Aristoteles* 1. *de Cœlo text.* 22. quia nondum aliqua mutatio in Cœlo deprehensa est, quæ portendat corruptionem. V. *Text.* 125. Mundus est incorruptibilis, quia ingenitus: omne autem ingenitum incorruptibile statuitur. Hæc sunt præcipua fundamenta *Aristotelis*, quibus addi possunt ea, quæ de hac quæstione habet *Plato in Timæo*, & *Plinius lib.* 2. *Natur. hist. cap.* 1. Hoc placitum philosophi simpliciter acceptum pro falso ab iis merito habetur, qui fidei principiis initiati sciunt & confitentur DEUM OPT. MAX. in principio, ut *Gen.* 1. dicitur, *Creavisse totum Mundum ex nihilo*; ex nihilo inquam *non privativo*, ut est materia, *sed negativo*, ut utar *Scaligeri verbis Exerc.* 6. *sect.* 13. Non igitur, *per mutationem Physicam* cœpit mundus, quod probant fundamenta Apostolica, sed *supernaturali mutatione*, quam Ratio nostra comprehendere nequit, scilicet per creationem, quæ non à Natura, ut mutationes Physicæ, sed à sola DEI omnipotentia dependet: ideoque Argumenta Aristotelica nihil probant contra creationem, quæ adducta sunt pro Mundi æternitate, quia tantum hoc probabiliter demonstrare videntur, Mundum non cœpisse per generationem, id quod etiam *Moyses* concedit, ubi dicit, *Creavit DEUS*, quo tollitur omnis generatio physica: quicquid enim creatum est, illud nulla generatione physica produ-ctum esse potest. *Hæc de Mundo in genere* præmittere voluimus, jam sequitur, ut ad simplicia corpora declaranda accedamus. Qui ipsum creationis processum cognoscere cupiunt, ad *Comment. D. Lutheri, Nicol. de Lyra, D. Hunnii, Perer. &c. in Genesin: item ad D. Thomam* 1. *part. quæst.* 65. & *seqq. ad Albert. M in comment. super Magist. sentent. tit. de Creatione aliosque Dd. Scholasticos* confugiant.

*Probatur Aristotelis sententia.*

*Refutatur à Christianis.*

*Petrus Lombardus dicitur Magister sententiarum.*

---

*CAPUT II.*

# DE COELI NATURA.

*Corpora simplicia dupliciter considerantur vel absolutè, vel cum respectu ad mixtionem.*

*Simplicia corpora dupliciter considerari.*

Incipit Tractatio Corporum Naturalium *in specie*; ubi in principio hujus sectionis de simplicibus Corporibus ante omnia notandum, quod *simplicia Corpora* duplex in Universo obtineant officium: 1. Quatenus universum complent, ut sunt Corpora Naturalia, ad Universi perfectionem concurrentia: 2. Quatenus sunt causa mixtionis: prior consideratio hujus est loci, altera vero pertinet ad sectionem sequentem.

*Sunt autem quinque Corpora simplicia in Universo, Cœlum & quatuor Elementa.*

Tot esse Corpora simplicia in Mundo, ex simplici motu colligitur: nam cum præter motum à Centro & ad Centrum, qui quatuor Elementa determinat, uti patebit ex sequentibus, detur etiam alius circa centrum, qui Elementis non potest attribui per se, necessario sequitur dari aliud simplex corpus, cui motus ille conveniat: nam dato consequenti, datur etiam Antecedens, quod *Aristoteles lib.* 1. *de Cœlo text.* 8. 9. demonstrat.

*Cœlum est Corpus Naturale simplex, immutabile, & motu circulari præditum, ad universi perfectionem concurrens.* Vide Piccol. lib. def.

*Cœlum quid?*

Inter simplicia Corpora primum locum obtinet *Cœlum*, quod perfectissimum reliquorum est, quia motu circulari tantum, qui præstantissimus est, movetur; hic vero non nisi perfectiori corpori convenit, ut ait *Aristoteles lib.* 1. *de Cœlo text.* 11. & in eo differt *ab Elementis*, quæ vel ad centrum, vel à centro tantum moventur: nam hi motus illis primò conveniunt, unde etiam colligitur, *in Cœlo nec gravitatem*

*Cœlum inter simplicia corpora perfectissimum esse.*

*nec levitatem esse.* Omne enim leve à centro, omne grave ad centrum movetur naturaliter; at Cœlum nullo horum modorum, ideoque tantùm circa centrum fertur circulariter, undè levitas & gravitas eidem non possunt attribui: *text.* 18. *lib.* 1. *de Cœlo.* Huic motui circulari in Cœlo nullus est contrarius, undè *Aristoteles colligit text* 20. 21. 21. *hujus libri*, Cœlum omnis generationis, corruptionis, augmentationis esse expers. Quod verum sit antecedens probatur *text.* 23. *& seq.* 1. quia rectus motus recto motui contrariatur tantùm. Etenim unum non potest contrarium esse duobus: 2. quia circulari non est contrarius circularis, quod patet ex superiori declaratione contrariorum motuum. Nam illi motus sunt contrarii, quorum termini sunt contrarii, at circulares motus non moventur à contrariis terminis ad contrarios. Ergo, &c. Undè hoc videtur consequens *Cœlum esse Naturæ diversæ à rebus sublunaribus*, quod à *Philosopho* demonstratur contra veteres quosdam, qui Cœlum & Elementa ejusdem omninò Naturæ esse putarunt.

Ut igitur eò melius intelligamus essentiam Cœli, opus est, ut accedamus ad illam quæstionem quæ *de Materia & forma agit.* Et quod attinet materiam, eandem in Cœlo dari manifestum est: quomodo enim immateriatum sub sensus cadere potest? quomodo Quantitas, ejusque determinatio immateriatæ rei attribuitur? quomodo res immateriata circulari motu prædita est? Adde quod habet *Coll. Connimb. q.* 4. *lib.* 1. *de Cœlo art.* 2, *Cœlo convenire intellectum vel intellectionem, nisi haberet materiam*, quia esset nobilissimum Ens, scilicet purus actus, vel forma sola; at huic nobilissima operatio, scilicet intellectio convenit, quod absurdum.

*An materia detur in Cœlo?*

Statuenda igitur est materia in Cœlo, de qua meritò jam quæritur, *an sit ejusdem speciei cum materia sublunarium?* Affirmativam post alios tenet *Avicenn.* 1. *suffr. cap.* 3. *Ægid. in* 2. *distinct.* 14. *& opusculo de materia Cœli.* Sed tutior est negativa sententia, quam post *Aristotelem* defendit *D. Thom.* 1. *par. q.* 66. *art.* 2. *Barth. Angelicus de proprietate rerum lib* 8. *tit. primo, Zarabella lib. de Natura Cœli cap.* 2. *Connimb.* 1. *de Cœlo quæst.* 6. *art.* 2. *Perer. lib.* 5. *Physic. cap.* 10. Nam si ejusdem speciei esset materia Cœli, cum materia rerum sublunarium, sequeretur Cœlum esse corruptibile, & mutabile: nam illa materia sublunarium est subjectum mutationis, ideoque privationem tanquam accidens Essentiale sibi conjunctam habet, quam ob causam *Aristoteles* 1. *de ortu cap.* 6. *text.* 43. docet, ea tantùm in materiâ convenire, quæ in se mutuò agunt, & à seipsis etiam pati possunt, quod convenit tantùm sublunaribus, non autem Cœlo, quia hoc à rebus sublunaribus nil patitur.

*An materia Cœli sit ejusdem naturæ cum sublunaribus? Quæstionis affirmativa, Tutior Negativa.*

Ex his tamen non sequitur, Cœlum omninò æternum esse, quod *Aristoteles*, ut Ethnicus concludere videtur; nam interibit aliquando Cœlum & totus mundus, non tamen per naturalem corruptionem, & à contrariis agentibus Naturalibus, sed præternaturali mutatione. Ut enim Cœlum Dei nutu ex nihilo factum est: sic etiam ejusdem nutu immutabitur in extremo die; ut philosophatur *Scaliger Exerc.* 62. *sect.* 5. Ergò in Cœlo statuta est materia talis, quæ quamvis in genere conveniat cum materia sublunarium, nihilominus rectissimè ab eadem quo ad specificas proprietates distinguitur.

*Cœlum non æternum esse.*

*Iam igitur de forma Cœli quæritur*, ubi difficultas non minor quam de materia oritur. Nam quæritur, *num detur informans Cœli forma*, ut est in reliquis compositis physicis? ubi breviter notandum non omninò negari posse, *esse formam informantem in Cœlo.* Verum ut materia diversa est à materia sublunarium, ita in hac forma quoque diversitatem deprehendimus, utpote hic non forma, quæ essentialiter à toto distinguitur, intelligenda sit, sed talis, quæ nihil est aliud, *nisi tota rei quidditas*, ut annotat *Zabarella lib. de Natura Cœli cap.* 8. quod etiam videtur innuere *Aristoteles lib.* 1. *de Cœlo text.* 92. ubi formam Cœli nominat *quidditatem Cœli*, ut *intellectu* percipitur; *per materiam* verò eandem quidditatem denotat, quatenus simul *sensu* percipitur, ut ita forma & materia in Cœlo differant, ut Cœlum & hoc Cœlum; hanc ob causam aliqui Cœlum *materiam formatam & formam materiatam* dixerunt, propterea quod tam arcta sit conjunctio materiæ & formæ, ut in toto realiter amplius non differant: participat enim materia Cœli de quibusdam conditionibus materiæ, ut est, quanta, sensibilis, mobilis & de quibusdam quoque conditionibus formæ, ut actuata est, ut per se subsistit. Atque hoc modo cum aliis de Natura Cœli, quæ *quinta Essentia peripateticorum* dicitur, sentiendum putamus.

*Quæstio; Num detur informans Cœli forma?*

Cùm verò hæc forma, ut patet, sit ipsa quidditas Cœli, & è toto non differat realiter, jam oritur aliud dubium, *à quo principio moveatur Cœlum*: nam nihil à seipso moveri demonstratum est in generali physica: Cœlum verò est substantia simplex, quæ non ita ex materia & forma, ut reliqua corpora naturalia componitur, quamvis per Analogiam illa principia dentur in Cœlo, ut dictum est.

*Dubium.*

Hic introducta est *forma assistens* in Cœlo, quæ principium motus statuitur, scilicet *intelligentia motrix.* Hæc est sententia *Aristotelis*, *Averrois*, *Scot. Zabar. Connimb. Perer. & omnium Peripateticorum*: dicitur assistere Cœlo tanquam Nauta Navi, & forma Cœli dicitur, non tamen informat, sed tantùm est causa operationis illius, scilicet circularis motus. Ergò non ab interno, sed externo principio movetur Cœlum, ex quo tamen hoc sequitur, hunc motum violentum esse: nam externum principium non simpliciter constituit motum violentum, sed tunc tantùm, quando simul ipsum quoque mobile ad illum motum resistentiam obtinet. In Cœlo verò principium

*Peripatetici formam assistentem, Cœlo movendo assignant.*

pium ad hunc motum passivum à natura inest. Hinc etiam supra in Physica Generali demonstratum est, Cœlum definitione materiæ contineri, & per consequens ipsius motum naturalem esse. Nam habet Cœlum materiam locabilem; adde etiam quod Cœli motus non possit esse non naturalis, quia est perpetuus. Quod si quis instet, principia communia corporum Naturalium supra declarata, convenire tantùm rebus corruptibilibus, & non Cœlo, tùm dicimus verum quidem hoc esse, nihilominus *secundum Analogiam* eadem principia respondent etiam principiis Cœli, ut patet ex iis, quæ hactenus de materia & forma Cœli diximus.

*Instantia. Principia communia corporum naturalium convenire etiam cœlo.*

## CAPUT IV.

## DE AFFECTIONIBUS COELI.

I. *Cœlo omnes positionum differentiæ conveniunt per similitudinem.* Aristoteles 3. de Cœlo cap. 2.

INter affectiones Cœli offerunt sese primo positionum differentiæ, quas omnes Cœlo attribuit *Aristoteles contra Pythagoricos*, qui dextrum & sinistrum tantum in Cœlo statuebant, ante autem, retrò inferius & superius, negabant. Attribuuntur autem hæ conditiones Cœlo tantùm *per similitudinem*, quatenus Cœlum unà cum intelligentiâ motrice consideratur, quâ ratione secundum Analogiam convenit cum animalibus, & ut illa pars Animalis dextra dicitur, à quâ motus incipit, sic etiam in Cœlo dextrum est, à quo incipit motus, non quidem *respectu nostri*, (sic enim hæ differentiæ accidentales sunt, & aliter atque aliter à variis Cœlo attribuuntur) sed *respectu primi mobilis*, & ita dextrum est ortus, sinistrum occasus: anterius est spatium, quod percurrit motus à dextro ad sinistrum: posterius contra à sinistro ad dextrum; superius polus Antarcticus; inferius polus Arcticus. Hæc omnia sequuntur si fingamus hominem, cujus dextra in ortu, sinistra in occasu, & pedes in septentrione.

II. *Cœlum diverso motu præditum est.* Aristot. lib. 2. de Cœlo cap. 3.

Supra dictum est, Cœlo tanquam essentiale quiddam convenire motum circularem: hic igitur merito ad Cœli affectiones refertur. Cum verò non tantùm unicus sit Cœli motus circularis, sed duplex potissimùm, ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum, quærit *Aristoteles* meritò, quæ sit caussa illius diversitatis, & respondet, eandem fieri *propter sublunarium rerum vicissitudinem*: ut ergò generationis varietas & temporum discrimina conserventur, Deus Opt. plures Cœli motus condidit. Quomodo autem Cœlum ad mutationes rerum sublunarium inserviat, in sequenti sectione ex professo declarabimus.

III. *Motus diurnus Cœli æqualis est.* Arist. lib. 2. de Cœlo cap. 6.

*Motus diurnus* in Cœlo, qui ratione primi mobilis ab occasu in ortum per 24. horas Diem Naturalem describit, maximè æqualis est *Philosopho*: non enim jam tardius aut celerius procedere potest, quia nec augmentum, nec statum, nec decrementum habet: adde quod neque ratione Motoris, nec ratione mobilis possit accidere inæqualitas, cùm utrumque sit expers mutationis. Si autem quærat aliquis, *cur hic motus fiat ab ortu in occasum, & non contra,* illi respondet probabiliter *Aristoteles*, quia illa pars Cœli, ubi motus incipit, dextra est, cùm verò dextrum sit perfectius sinistro, idcircò dicit Naturam voluisse id, quod optimum est.

*Quæstio.*

IV. *Cœlum rotundâ figurâ præditum est.* Aristot. lib. 2. de Cœlo cap. 4.

Quamvis in Cœlo diversi sint motus, ut dictum est, nihilominus tamen omnes sunt circulares, unde colligitur, Cœli quoque figuram esse rotundam. Nam cùm Cœlum sit corpus perfectissimum, & moveatur circulariter, requiritur, ut perfectissimam quoque figuram, & huic motui non repugnantem obtineat: talis autem est sphærica, quia præ reliquis simplicissima & capacissima: nam si præter hanc alia Cœlo attribueretur, corpus in vacuo moveretur, & locus absque corpore daretur, quod absurdum est, ut ex sequenti schemate patet, ubi corpus quadratum ex parte amovetur extra suum spatium.

Cùm ergò sensus testetur Cœlum moveri circulariter, concedendum utique circulari quoque figurâ totum Cœlum esse præditum.

## CAPUT IV.

## DE DIVISIONE COELI.

UT Vocabulum Cœli multipliciter accipitur, sic etiam Cœlorum distinctiones variæ sunt, ut patet *ex Barth. Anglico lib. 8. de proprietate rerum cap. 2.* Nos Cœli Nomine id tantùm intelligimus hoc loco, cui conditiones, declaratæ hactenus conveniunt. Ideoque omissâ regione elementari, de divisione visibilis regionis Æthereæ agendum erit.

*Tota cœlestis machina in primum mobile, & secunda mobilia distinguitur?*

Hæc divisio à diverso motu dependet. Videmus enim

enim alium esse motum ab ortu in occasum: alium etiam ab occasu in ortum. Ille fit ratione primi mobilis, cujus æquabili motu in 24. horis tota cœlestis machina circumvolvitur: hic per secunda mobilia, qui diversitate sphærarum cœlestium diversus etiam est; cujus diversitatis Causæ & proportiones in Theoriis Planetarum explicantur.

*In secundis mobilibus continentur Stellæ densiores partes suorum Orbium, quo ad substantiam cum iisdem convenientes.* Aristot. lib. 2. de Cœlo cap. 4.

Secunda mobilia à Deo pulcherrimis stellis exornata sunt, quæ tamen ab ipsa substantia orbium non differunt essentialiter, sed sunt magis condensatæ partes, unde etiam lucentes, utpote cùm visum nostrum magis congregent. Hinc etiam ii, qui Cœlum igneum statuunt, Stellas etiam igneas esse dixerunt, quia perceperunt sensu, quod Stellæ calefacerent. Quod tamen non procedit, propterea igneas esse Stellas & totum Cœlum, ut monstratur *textu* 42. quia calefaciunt Stellæ per motum & lumen, unde in iis non est aliqua qualitas Elementaris *subjectivè*, ita ut sint calidæ, sed *effectivè*, quatenus in his inferioribus calorem producunt, ut in sequenti sectione demonstrabitur. Cùm ergò Stellæ sint partes suorum Orbium, statuit *Aristoteles* 2. *de Cœlo, illas non moveri per se, sed motu suorum orbium*, ut partes ad motum totius. Rejicitur ergò *motus conversionis & volutationis*, quia Stella cum orbe continuata est, ideoque eundem locum semper retinet, quod patet in Luna, quæ semper nobis easdem ostentat maculas. *Figuram* Stellæ obtinent eandem cum toto Cœlo, scilicet rotundam, quod Luna falcata & Solaris Eclipsis demonstrant.

*Cœlum & stellæ quomodo calefaciant?*

*Stellæ autem vel sunt fixæ, vel Erraticæ.*

Hæc divisio Stellarum à proportione motus sumitur. Nam illæ quæ *Fixæ* dicuntur, inter se invicem eandem semper obtinent distantiam, & in octava Sphæra continentur. *Erraticæ* verò sunt septem Planetæ, ♄. ♃. ♂. ☉. ♀. ☿. ☽. qui hisce finis distinguuntur, & sic vocantur, non quod sine lege moveantur, sed quia diversum motum obtinent, ideoque jam versus Boream, jam versus Austrum, jam aliter declinant, quare unusquisque horum peculiarem suam Sphæram obtinet, ut in Theoriis Planetarum demonstratur per peculiares hypotheses. Porrò quod reliqua attinet, quæ hoc loco de Stellarum motu, numero Orbium, proportione motuum, &c. dici possunt, illa cum *Philosopho lib. 2. de Cœlo cap.* 10. ad scholam Mathematicorum rejicimus, qui beneficio Arithmeticæ & Geometriæ ex peculiaribus hypothesibus illa omnia demonstrant.

## CAPUT V.

# DE ELEMENTIS ABSOLUTE CONSIDERATIS.

*Elementa sunt Corpora simplicia secundum partes corruptibilia, ad universitatis decorum, per gravitatem & levitatem concurrentia.*

*Elementa quid?*

Postquam consideravimus illud corpus, quod circa medium movetur, scilicet Cœlum, quod etiam primum Elementum vocari solet, restat, ut in hac sectione illa quoq; simplicia corpora declarentur, quæ vel à medio, vel ad medium moventur. *Aristoteles lib. 3. de Cœlo text.* 1. Hîc igitur *Elementa* sese offerunt, quæ descripsimus secundum hanc absolutam considerationem: nam hoc loco de Elementis agitur, quatenus Elementa tanquam simplicia Corpora ad universi perfectionem requiruntur, non quatenus sunt materia mixtorum: ideoq; missis aliis definitionibus, ubi definiuntur Elementa cum respectu ad mixta, nos hanc proposuimus, quæ dicit, quid sint Elementa ratione primæ considerationis.

*Sunt autem 4. Elementa, Ignis, Aër, Aqua, Terra.* Aristot. 2. de Cœlo text. 18. 19. 3. de Cœlo text. 37. 38. lib. 2. de ortu text. 22.

*Elementa quot?*

Quod illa Corpora simplicia, quibus rectus motus convenit finita sint, probatur *ab Aristotele lib. 3. de Cœlo cap.* 4. Nam concesso, quod infinita sint Elementa, introducerentur infinita loca, & infiniti motus, quod utrumque absurdum esse patet ex Generali Physica, cùm actu nihil infinitum detur. Præterea concesso finita esse Elementa, necessariò concludendum uno plura esse: aliâs enim unicus motus tantùm esset, cui experientia repugnat. *Aristoteles ibidem cap.* 5. Cùm verò gravitas & levitas sint tales Elementorum proprietates, quæ eorundem naturam nobis demonstrent, unde manifestum est, ex gravitatis & levitatis differentia numerum Elementorum rectissimè educi. Utrumque verò grave & leve dupliciter inest Elementis, vel ἁπλῶς vel κατά τι. Ergò *simpliciter leve* id vocatur, quod omnibus supernatat: *grave simpliciter*, quod omnibus substat. *Secundùm quid* verò *grave vel leve* dicitur aliquid, quod respectu unius grave, respectu alterius leve est, *text.* 26. *lib. 3. de Cœlo.* Cùm verè detur corpus gravissimum scil. *Terra.* Utiq; dabitur etiam Corpus levissimum, nimirum *Ignis.* In extrema verò, & summè pugnantia medium requiritur, quod de utriusque Natura participat, scilicet *Aër & Aqua.* Unde quaternarius Elementorum Numerus in Universo demonstratur. Nam patet, duo esse Elementa levia, quorum unum simpliciter, ut Ignis, alterum secundum quid

*Elementa numero finita esse.*

*Non esse unicum duntaxat.*

*Gravitatis & levitatis differentia.*

*Quatuor Elementa esse.*

quid leve est, ut Aër. Duo quoque gravia, unum secundum quid aqua; alterum simpliciter, ut Terra. Omnia hæc Elementa, ut ex definitione patet, ratione partium sunt generabilia & corruptibilia, quia videmus ea inter se transmutari, *text.* 52. Cùm autem ex non corpore fieri nequeant, *text* 53. & 53. nec etiam ex alio corpore, nam hoc modo non essent simplicia corpora, *text.* 55. ex se mutuò igitur generantur quâ ratione ad mixtionem plurium inserviunt, ut ex sequenti sectione patebit. *Quod figuram Elementorum* attinet, illam determinatam & propriam statuere non possumus, quia videmus, quod unumquodque ad figuram continentis sese accommodet, *text.* 67. Cùm verò ambiens, totum Cœlum scilicet sit rotundum, indè colligitur Elementa quoq; rotunda esse. Addit *Philosophus text*: 68. ad compositionem inepta esse Elementa, si unicuique propria figura concederetur. Sed hæc *in genere* de Elementis, jam unumquodque *in specie* considerandum, ubi primò Terra, tanquam sensibus manifestior sese offert.

*Elementa ex se mutuò generari.*

*Non habere determinatam figuram. Scaliger. exercit. 105. s. 2.*

*Terra est Elementum gravissimum, totiusque Mundi Centrum.*

*Terra quid?*

Ut suprà talem proposuimus Definitionem, quæ monstrat, quid Elementa sint in prima sua consideratione, sic etiam in specie unumquodque definimus, non quatenus ad mixtionem, sed quatenus ad universi decorem concurrit, ratione gravitatis & levitatis: ita à *Terra* incipiendo, dicimus eandem gravissimum esse Elementum, quia Terrâ nihil datur gravius inter Elementa, ideò ἀπλῶς gravis est. Hæc in medio mundi immobilis consistit, est enim centrum totius mundi, cujus Natura requirit, ut immobiliter subsistat. Adde, quod Terra non nisi vi moveatur à suo loco; ratione partium, undè manifestè concludit *Aristot.* 2. *de Cœlo text.* 102. ipsam Terram in suo loco immobiliter contineri. Præterea cùm totius centrum sit, in medio continetur, æqualiter ab omnibus Cœli partibus distans, quod ex apparentiis in Cœlo colligitur. Nam in omni terrarum loco semper sex signa Zodiaci infra Horizontem, sex verò supra Horizontem conspiciuntur, quod arguit æqualem in omni parte distantiam. Ut autem tota Terra est gravissima, sic etiam omnes ejus partes graves sunt æqualiter, undè etiam æquali ratione ad Centrum tendunt, & ita globosam figuram constituunt *secundum Aristot.* 2. *de Cœlo text.* 104. quam Terræ inesse monstrat Lunaris Eclipsis, ubi umbra terræ circulariter obscurat Lunam.

*Terram gravissimam esse & immobilem subsistere.*

*Totius centrum esse, & æqualiter à Cœlo distare.*

*Aqua est Elementum grave secundum quid, cum Terra unicum globum constituens,*

*Aqua quid?*

Subsequitur *Aqua*, quæ minima dicitur respectu reliquorum Elementorum *a Scaligero Exerc.* 38. Hæc gravis dicitur *secundum quid*, quia non est simpliciter gravis ut Terra, sed tantùm respectu Elementorum levium obtinet gravitatem. *Locus Aquæ Naturalis* videtur quidem esse inter Terram & Aërem: verùm singulari DEI providentiâ, propter animantium salutem, factum est, ut Aqua cum Terra unum globum constituat, quod à Nautis observatur, ubi signum in littore positum in illius conspectu esse testantur, qui in malo (Segelbaum) speculatur, quamvis non videatur ab iis, qui in inferiori Navis parte subsistunt.

*Psal. 104. Iob 38. Aquam cum terra unum globum constituere.*

*Aër est Elementum leve, quatenus comparatur cum Terra & Aqua.*

*Aër quid?*

Succedit *Aër*, qui non simpliciter, sed *cum respectu levis* dicitur. Hic *in tres Regiones* communiter dividi solet, quorum *prima superior*, igni contigua, semper calet: *media* pro refractione radiorum solarium, & varietate temporum, major & minor friget perpetuò, tùm propter vapores, & exhalationes frigidas, ibidem collectas, tùm propter antiperistasin, circumstantis caloris superioris & infimæ aëris regionis. *Tertia* denique & *infima* modò calida est, modò frigida pro refractione radiorum Solarium, quæ vel recta, vel obliqua magis.

*Dividitur in tres Regiones.*

*Ignis est Elementum levissimum, ideoque prope Lunæ Sphæram locum suum in universo obtinet.*

*Ignis.*

Dari quoque *Ignem Elementarem*, cujus locus sit propè Lunæ Sphæram rectissimè colligit *Philosophus*. Cum enim detur Elementum gravissimum in Natura, necessariò sequitur, dari quoque levissimum, nam uno contrariorum posito in Natura, ponitur & alterum: omnes rationes, quæ pro quaternario Numero Elementorum adduci possunt, huc referantur. Quamvis autem quidam ex veteribus, *teste Augustino*, & è recentioribus, *Cardanus G. de subtilit, Casman. & alii*, Ignem Elementarem omninò negent propè Sphæram Lunæ, quod non videatur, quod ibidem non habeat materiam in quam agere possit, quod Cœlum aliquando adustionem pati debeat: hæ tamen rationes tales non sunt, quibus subscribendum esse putemus. Nam quod non videatur, hoc fit propter suam puritatem, quia Ignis Elementaris plurimùm differt à nostro igne, qui impurior, & non nisi in materia subjecta conservatur, undè etiam patet non necessum esse, ejusmodi materiam combustibilem necessariò statuere conjunctam esse cum Elementari, quia Elementaris ignis in sua Sphæra contentus, obtinet suum Naturalem locum, in quo conservari potest simpliciter. Nec denique solliciti sint de combustione Cœli ab Elementa

*Instantia.*

*Solutiones.*

mentari igne: nam omne agens agit in dispositam materiam, quæ apitudinem patiendi habet. Quod, cum de Cœlo negetur, utique negabitur, & illud, quod metuunt, *ut Scaliger exer. 9. probat*. Cum ergo contiguus sit Cœlo, ideo circularis etiam motus eidem attribuitur, ut & supremæ aëris parti quodammodo, qui motus an violentus, an vero naturalis vocandus sit, dubium est: *cum Zabar. lib. de motu ign. in urb.* dicendum putamus, hunc motum non omnino naturalem esse his Elementis: non enim ab interno procedit principio, nec tamen omnino violentum esse. Nam quamvis principium externum sit, nihilominus tamen facit ad Elementorum conservationem: est igitur mixtus motus. Nam motus Naturalis in Elementis nullus datur alius, quam rectus vel à centro, quod levibus, vel ad centrum, quod gravibus convenit, qui motus pendet ab ipsa Elementorum forma, tanquam *ab agente per emanationem*, ut inquit *Zabarell. lib. 1. de motu gr. & lev. cap. 12.* Et hanc ob causam per motivas qualitates Elementa hactenus absolutæ considerationis describere voluimus, propterea quod formas Elementorum, quæ propter intellectus nostri imbecillitatem non nisi per accidentia cognoscuntur, immediate consequantur, ideóque hoc tanquam notum præsupposuimus, omne Elementum ex Materia & forma sua constare, quæ quatenus naturam Elementorum constituunt, sunt causæ illarum proprietatum, de quibus hactenus egimus.

*Ignis motum circularem nec omnino naturalem, nec violentum, sed mixtum esse.*

# LIBRI II. SECTIO II.

## DE SIMPLICIBUS CORPORIBUS, QUATENUS MIXTA RESPICIUNT, UBI QUOQUE DE MIXTIONE ET MIXTIS IN GENERE.

### CAPUT I.

### DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

*Generatio est mutatio totius, nullâ re sensili manente, ut subjecto eodem.* Aristot. lib. 1. de Gener. & Corrupt. cap. 4. text. 23.

Succedit altera corporum simplicium consideratio, quatenus ad mixtionem concurrunt: cum vero ipsa mixtio, & uniuscujusque corporis simplicis officium in hac consideratione non possit intelligi absque cognitione Generationis & Corruptionis, idcirco hanc sectionem à Generatione exordiri voluimus. Dicit autem *Philosophus Generationem esse mutationem totius, nullâ re sensili manente, ut subjecto eodem*, quasi dicat, ipsam Generationem à non esse ad esse procedere, nam totum subjectum sensibile mutatur, ita ut nihil de eodem remaneat, ut cum ex tota Aqua Aër fit, hæc mutatio dicitur Generatio. Cum vero talis Generatio præsupponat alterius corruptionem, manifestum est, *unius generationem esse alterius corruptionem*, ideòque, ut Generatio est mutatio ad esse, sic corruptio est mutatio ad non esse. Notandum tamen per Generationem, ut etiam corruptionem nos intelligere illam, quæ simpliciter & ἁπλῶς sic vocatur. Nam quæritur forma substantialis in hac mutatione ratione generationis, vel deperditur ratione corruptionis. Alias & illa mutatio dicitur generatio, ubi Accidentalis forma acquiritur, sed additur κατά τι, quia ejusmodi productio dicitur impropriè generatio, nam remanet idem subjectum sensile. Hanc Generationem propriè dictam, quamvis præcedat alteratio, nihilominus tamen ab ipsa alteratione plurimum differt: ut enim aliud subjectum est, & πάθος subjecti: sic etiam aliud est *Generatio, per quam subjectum*, aliud *Alteratio, per quam πάθος subjecti* producitur. Nam *Alteratio* est mutatio; qua idem subjectum sensile permanet, mutatis tantum qualitatibus *teste Philosopho lib. 1. de Ortu cap. 4. tex. 23.* Ut autem in *alteratione qualitas*, sic *augmentatione quantitas subjecti* mutatur, unde *Scalig. exerc. 101. sect. 15.* *Augmentationem* dicit mutationem, qua subjectum novam acquirit magnitudinem, per novæ partis adpositionem. Ergo plurimum differt à generatione, quia tendit ad quantitatem producendam, & majorem locum requirit, *teste Arist. 1. de Ortu cap. 5. tex. 25.* Perficiuntur hæ mutationes actione & passione, quæ non fiunt absque contactu. Est autem *contactus* vel proprius, vel improprius, *proprius* contactus, qui etiam contactus *corporalis*, & contactus *Physicus* dicitur, quando duorum corporum extrema simul sunt, & in se mutuo activa & passiva; *Aristot. lib. 1. de gener. tex. 44.* & hic convenit agentibus Naturalibus, quæ in se invicem agunt ratione cujusdam similitudinis, & etiam ratione alicujus dissimilitudinis: *text. 50.* Non enim quod prorsus simile est, agit in simile, neque quod omnino aliud etiam in id agit, cum quo nullam habet convenientiam, *text. 48. 49.* agunt igitur in se invicem, *quæ genere conveniunt, & specie differunt, ut sunt contraria, quibus Actio, & Passio convenit. Improprius* vero contactus, à quibusdam *Virtualis*, ille vocatur, cum non illius corporis quod agit extremum, sed virtus tantummodo pervenit ad idem patiens, unde etiam movens tale à mobili nil patitur; hic enim tangens quidem attingit id quod tangitur, non tamen vicissim ab eodem aliquid patitur, & hoc modo Cœlum in res inferiores agit, ut sequentibus patebit.

*Generatio quid?*

*Generationem esse propriè & impropriè dictam.*

*Generationem propriam ab Alteratione differre.*

*Alteratio quid 1.*

*Augmentatio quid?*

*Contactus quid?*

*Improprius vel Virtualis quid?*

CA-

CAPUT II.

# DE COELO, QUATENUS CAUSA EST MUTATIONUM SUBLUNARIUM.

*Cœlum est causa mutationum Naturalium in rebus sublunaribus, ideoque ad rerum generationem & corruptionem inservit.* Aristot. lib. 2. de gener. cap. 10. de gener. animalium cap. ultimo D. Thom. 1. par. q. 115. art. 3.

Negari non potest, quod Corpora cœlestia agant in hæc inferiora, & sint causæ multarum mutationum, quod experientiâ manifestum est. Videmus enim Solis motum diversitatem temporis efficere, undè caloris & frigoris vicissitudo, & per consequens rerum ortus & interitus existit: hinc in curatione morborum Cœli constitutio Medicis commendata esse debet, quod ex *Hipp. de Aëre, Aquis & Locis* patet, ubi dicit, observandas esse magnas temporum mutationes, præsertim Solstitia & Æquinoctia, in quibus cura periculosa: item Canis, Arcturi, & Plejadum Occasus, in quibus morbi maximè judicantur. Sic etiam quantas excitet mutationes sola Luna, pro diversitate φώτων, ipsa testis est experientia. Ergò meritò in hac sectione declarandum, quomodo Cœlum in rebus inferioribus sit causa mutationum Physicarum, & quot modis actiones suas præstet.

*Cœli constitutionem medicis observandam esse.*

*Agit Cœlum in inferiora per motum & lumen. Arist. 1. Meteor. cap. 3. lib. 2. de Cœlo text. 42.* Propter conservationem generationis in rebus sublunaribus, diversos motus Cœlo esse attributos innuit *Aristot. lib. 2. de Cœlo cap. 3.* ideoque verum est, cœlestia corpora per motum agere in res sublunares. Demonstrandum igitur, quomodo Cœlum per motum & lumen qualitates Activas inducat sublunari regioni.

*Cœlum quomodo in hæc inferiora agat.*

Experientia enim testatur, quod à Cœlo calor vivificus rebus inferioribus communicetur, ita ut hoc nulla demonstratione indigeat. Quomodo hoc accidat, obscurissimum est: hinc plurimi Antiquorum, Astra calefacere dixerunt, propterea, quod igneam Naturam habeant, quæ sententia à *Philosopho 1. de Cœlo* rectissimè rejicitur, ubi confirmat, Cœlum diversæ Naturæ esse ab Elementis, ideoque *calor* Cœlo attribuitur, non subjectivè, ita ut calor in Cœlo tanquam in subjecto sit, sed effectivè, quatenus Cœlum calorem in his inferioribus producere potest. Ergò modi, quibus Cœlum in hisce regionibus calorem producit, nobis considerandi sunt, in quo omnes conveniunt, hoc per *Motum & Lumen* fieri: in ipsis tamen modis operationis maximè dissentiunt.

*Astra non calefacere.*

Quod *motum* attinet, dicimus nos hoc loco, *motum & absolutè* considerari, absque respectu ad lumen, & ita dicimus Cœlum producere calorem in rebus inferioribus per motum, *ratione attritionis & rarefactionis.* Nam consideramus hoc loco motum velocissimum primi mobilis, cujus ratione totum firmamentum in 24. horis celerrimè circumvolvitur. Hoc motu Elementa attrita & rarefacta calefiunt, & ita calor à Cœlo æqualiter omnibus inferioribus rebus communicatur, undè manifestum est, *motum non calefacere, ut motus est, sed secundariò quatenus rarefacit, & attenuat,* ut dicit *Zarabella lib. de calore cœlesti cap. 3. M. Alber. 1. Meteor. tractat. 1. cap. 11.* Garbius *lib. 2. de sum. tr. 2. quæst. 6.* Et hoc modo Elementa in Naturali sua constitutione conservantur à Cœlo *ratione motus.*

*Cœlum motu calefacere; & quomodo.*

Cùm verò hic calor cœlestis à motu proveniens non sufficiat ad generationes & mutationes rerum sublunarium solus, idcircò aliâ quoque ratione agit Cœlum in inferiora, scilicet *per lumen calorem pro diversitate locorum & temporum, diversum producendo.* Hinc *Aristoteles 4. de part. Anim. cap. 5.* Noctes plenilunii tepidiores sunt, quia tunc Luna, ut uberiorem lucem fundit, ita etiam subjectis corporibus calorem intensiorem communicat.

*Vide Fernelium lib. de abditis rerum causis cap. 8.*

*Cœlum lumine calefacere, & quomodo?*

Quâ autem ratione lumen sit causa caloris, à *Philosopho* vix declaratum inveniemus: *Zabarell. lib. de Cœlo cal. cap. 10.* hoc tribuit lumini, quatenus rarefacit: *Connimb. lib. 2. de Cœlo cap. 7. quæst. 6. art. 3.* lumen caloris causam statuunt, quia est qualitas Nobilissima, ideoque etiam Nobilissimæ qualitatis productiva. Ut autem motus non omnis, sed vehemens, qualis Cœlo convenit, inducit calorem, sic etiam lumen non quodvis, sed astrorum vim calefaciendi habet, ubi præ reliquis *lux solis* excellit.

*Variæ opiniones.*

Nec sufficit lumen, nisi refringatur, quia insensilis est calor, qui à Lumine non refracto generatur, ut patet in media aëris regione, quæ, quamvis Lumen recipiat, nihilominus frigida est. Quo autem refractio rectior, eò major etiam calor generatur, quod ex varietate temporum patet. Nam hyeme debilior est calor, quia radii refringuntur obliqui, & angulos obtusos constituunt, quando in terram incidunt. Ratio sumitur ex conjunctione Virtutis. Quo enim magis recta est refractio, eò magis colligitur, & unitur Virtus Radii.

*Lumen refringi debere ut calefaciat.*

Ad hunc calorem producendum & variandum in hoc mundo, inservit diversitas motuum in Cœlo, cujus ratione Tempora, eorumque constitutiones mutantur, & ita diversitas secundorum mobilium ad generationes & interitus perpetuos in his rebus inferioribus inservit, quod intelligit *Aristoteles*, quando dicit motum diversum in Cœlo esse propter generationes rerum inferiorum conditas. Ita quo magis Sol proprio suo motu ad Zenith nostrum accedit, eò redditur calor inferioris regionis intensior, propter rectio-

rectiorem refractionem radiorum. Quod autem hæc refractio intendat calorem, ipsa quoque testatur experientia, quæ per radios solares collectos in Vitro Venetiano combustibilia nos comburere docuit. Et hoc modo Cœlum per Motum & Lumen plurimarum mutationum in rebus sublunaribus causa est quotidiè.

Huc referuntur etiam *cœlestes influentiæ*, quæ sic dicuntur, quod à motu & lumine manifesti non deducantur, ut patet *Coll. Connimb. lib. 2. de Cœlo cap. 3. quæst. 3. art. 2.*

*Cœlestes influentias non movere actus voluntarios per se.*

Notandum tamen ad Actiones voluntarias non concurrere cœlestia corpora nisi ex accidenti, ut notat *D. Thom. 1. par. quæst. 115. & p. 1. sect. 1. q. 9. art. 4.* nam *actus voluntarii* non pendent *à Natura*, sed *ab Anima*, ideoque per se voluntatem non potest movere cœlestis aliqua influentia: per accidens tamen mutatio voluntarii actus eidem attribuitur, quatenus primò immutat humores & temperamentum, quæ ad mutationem morum inservire possunt. Undè manifestum est in Genethliacis prædictionibus non *demonstrativam, sed tantùm probabilem* veritatem in designandis rebus voluntariis proponendam esse, *cùm Astra tantùm inclinent, non verò necessitent.* Hactenùs ergò demonstratum est, quomodò Cœlum motu suo perenni, & luminis varietate, ad Generationes & Corruptiones concurrat, scilicet contactu, *non Physico*, ita, ut vicissim aliquid patiatur à rebus sublunaribus, sed contactu *Virtuali*. Nam attingit Cœlum res sublunares, in easque motu & lumine qualitates producendo agit, non tamen vicissim aliquid patitur, quia res sublunares eam vim non obtinent, ut in Cœlum agere possint, propter diversitatem materiæ.

*Astrologia & Themata Genethliaca probabilem tantùm veritatem habent.*

---

## CAPUT III.

# DE QUATUOR ELEMENTIS RESPECTU MIXTIONIS CONSIDERATIS.

QUamvis Cœlum sit causa efficiens, & conservans mutationum Naturalium in inferiori mundo, ut demonstratum est: nihilominus tamen nihil producit absque interventu Elementorum. Horum ergò Tractatio respectu mixtionis subjicienda.

*Elementum quid respectu mixtionis.*

> *Elementum est Corpus simplex, ex quo mixtum primò constituitur.* Fernelius lib. 2. Phys. cap. 3. Bertin. lib. 1. Med. cap. 1.

Ut supra consideravimus Elementa simpliciter, quatenus sunt corpora simplicia ad Universi decorem concurrentia, absque respectu ad aliud: ita hoc loco altera consideratio sese offert, quatenus Elementa ad mixta producenda concurrunt, hinc rectè aliquibus *Elementa* quasi *Alimenta* dicuntur, propterea quod omnia mixta alant & conservent. *Dicimus* igitur *Elementum esse corpus simplex*, quia requiritur, *ut Elementum sit indivisibile in aliam speciem*. Etiamsi igitur omne Elementum ex Materia & Forma constet, nihilominus hæ partes Essentiales non constituunt peculiares corporum species, quia sunt prima principia. *Dicimus ex quo*, quod denotat *Elementa esse materialia principia mixtorum*: ex quo enim aliquid fit, illud *teste Philosopho 2. Phys. text. 28.* causa materialis est. *Dico mixtum*: non enim quodvis ex Elementis fit immediatè, sed *Corpus mixtum absolutè & generatim* acceptum, *Dico primò*, hoc est, proximè, quia Elementa sunt rerum mixtarum principia: aliàs remotè omnia quoque constant ex materia & forma, tanquam ex primis principiis. Ab hac Definitione hoc modo declarata, non dissentit Aristotelica, quæ habetur *v. Metaphys. cap. 3. & 3. de Cœlo text. 31.* quod Elementa sint ex quibus insito ac indivisibili in aliam speciem aliquid componitur: hæc enim idem dicit, quod præcedens, quamvis obscurior videatur.

> *Ut in Universo, sic etiam respectu mixtorum 4. Elementa statuuntur.* Arist. 2. de ortu cap. 2.

Quod in Universo sint 4. Elementa supra demonstratum est ex motu gravitatis & levitatis: cùm verò hoc in loco probandum sit, totidem quoque Elementa ad mixtionem requiri, & in corpore mixto inveniri: idcircò nulla commodior Ratio sese offert, quàm illa, quæ à proprietatibus ipsius tangibilis corporis sumitur. Tot igitur Elementa ad mixtionem requiri dicimus, quot in mixtis qualitates, quæ inter se agere & pati possunt, *primò* tactu deprehendimus. At verò harum qualitatum tantùm 4. inveniuntur, scilicet *caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas.* Quæ enim addi possunt, ut sunt grave, molle, leve, durum, illa nullam agendi vim *primariò* obtinent, undè etiam in *secundarum* Numero continentur. Combinantur autem illæ qualitates primæ quatuor modis, ex quibus Elementa describuntur hoc loco.

> *Elementum vel est calidum & siccum, ut Ignis. Vel humidum & calidum, ut Aër. Vel frigidum & humidum, ut Aqua. Vel siccum & frigidum, ut Terra.* Aristot. lib. 2. de ortu cap. 3. text. 16.

*Element. à qualitatum combinationibus definiuntur contra Magirum lib. 3 Phys. c. 1*

Ex his qualitatum combinationibus unumquodque Elementorum rectissimè hoc loco definitur. Nam quamvis & ipsa Elementa suas proprias formas habeant, tamen cum illæ nos lateant, ideò loco formæ assumimus id, *quod formam tanquam proprium* consequitur, scilicet *combinationem qualitatis.* Nam qualitates in sensus incurrunt, utpote cum beneficio qualitatum omnis fiat actio & mutatio. Undè *Connimb. lib. 2. de Ortu super text. 7. & Zabarella lib. 1. de qualitate Elementorum cap. 2.* non verentur quali-

qualitates principia Elementorum nominare, quod intelligendum est secundum hunc respectum, quia in mixtione omnia per qualitates efficiunt. Hinc etiam manifestum est, cur hæ qualitates primæ vocentur, quia ratione primorum principiorum insunt mixtis corporibus. Describuntur autem ipsæ qualitates à *Philosopho* cum respectu ad mixtionem, ideoque illius operationis tantummodo fit mentio, quam in mixto producendo obtinent. Ideò *l. 2. de ortu text. 8. & 9. Calidum est, quod* congregat homogenea, & segregat heterogenea: *Frigidum*, quod indistinctè homogenea cum heterogeneis cogit. *Humidum*, quod facilè alieno, difficilè proprio termino definitur: *Siccum* denique, quod proprio terminò bellè, alieno difficulter circumscribitur. Ex his patet etiam quâ ratione *caliditas & frigiditas activæ*, *humiditas & siccitas passivæ qualitates* vocentur. Nam considerantur hoc loco, ut in mixtione operantur, ubi *humiditas & siccitas subjectum disponunt, & habile reddunt*, & ita ratione frigiditatis & caliditatis passionem quandam subire videntur, ut patet ex *Connimb. lib. 2. de ortu quæst. 3. cap. 3. Zabar. lib. 1. de qualit. Elem. cap. 5. Tolet. lib. 2. de ortu quæst. 3.* Alias *absolutè* consideratæ, omnes qualitates sunt activæ & passivæ. Ut enim caliditas in frigiditatem, sic etiam in siccitatem humiditas agere potest. Undè etiam constat, quo fundamento fulciatur illud, quod dicit *Aristoteles lib. 3. de Cœlo cap. 6. & lib. 2. de ortu c. 4. Elementa esse transmutabilia.* Omnia enim Elementa ratione qualitatum, quandam obtinent contrarietatem: Undè quodlibet Elementum ex quolibet fieri potest, quia Generatio fit è contrario & in contrarium: cùm tamen contrarietas non sit in omnibus eadem, utpote cùm quædam tantùm ratione unius qualitatis, quædam ratione utriusque pugnent, manifestum est, in quibusdam Elementis *transmutationem faciliorem*, in quibusdam *difficiliorem* esse: quæ enim *Symbola sunt*, mutantur tantum ratione *qualitatis unius*: quæ verò ἀσύμβολα, *utriusque qualitatis* mutationem requirunt. Sic in ignem facilius mutatur Aër, quàm Aqua, quia est convenientia inter Ignem & Aërem ratione caliditatis, at inter Aquam, quæ frigida & humida, & inter Ignem, qui calidus & siccus, summa est discrepantia, ideoque difficilior hic est transmutatio, ut declarat *Aristoteles locis citatis.*

*Qualitates quænam Activæ & passivæ?*

*Omnes esse & Activas & passivas.*

*Omnia Elementa ratione qualitatum contrariarum esse magis vel minus transmutabilia.*

# DE MIXTIONE ET PUTREDINE.

*Mixtio quid?*

*Mixtio est mistibilium alteratorum unio.* Arist. lib. 1. de ort. & inter. text. 90.

POstquam Naturam Elementorum respectu mixtionis intelleximus: sequitur jam, ut de ipsa *mixtione* dicamus. Hujus definitionem ex *Aristotele* proponimus talem, quæ ipsius mixtionis essentiam optimè declarat. Non enim omnis conjugatio & confusio hîc per mixtionem intelligenda est, sed illa tantùm mutatio, cui tradita definitio convenit; quando dico *Mistibilium*, ipsa Elementa intelligenda sunt. Non enim unumquodque aptum est ad mistionem, sed requiritur, ut *inter mistibilia sit actio & passio mutua.* Additur *Alteratorum*, ne quis Elementa omninò corrumpi in mixto & tantùm qualitates remanere putet. Undè manifestum est, veritatis vestigia relinquere *Scotum lib. 2. sen. distinct. 15.* Ubi Elementa & qualitates in mixtione penitùs periêre statuit. Denique dico *Unio*, in qua mixtionis forma consistit. Quamvis enim *Scaliger Exerc. 101.* improbet hoc vocabulum, & per consequens totam definitionem Aristotelicam, in ejusque locum substituat hanc: *Mixtio est motus corporum minimorum ad mutuum contactum, ut fiat Unio*; nihil tamen hoc loco obtinet contra Philosophum, propterea, puod hæc ipsius descriptio non attingat Essentiam mistionis, quia mixtio & motus ad unionem, non sunt unum idemque. Nam mixtio re ipsâ convenit cum mixti Generatione, ut contra *Mercen. concludit Zabarella lib. 5. de misti Generat. c. 9.* At motus ad unionem non est Generatio mixti, sed convenit præviis alterationibus Elementorum potius, quàm ipsi mistioni. Sit igitur constituta definitio ex qua patet, ipsa Elementa alterata uniri in mixtione, undè colligitur, Elementa remanere in mixtis.

*Scoti error.*

*Scaliger nihil obtinet contra Arist. defin.*

Est autem controversum inter Authores, *quomodo Elementa remaneant post mixtionem. Avicenna* ejusque asseclæ *formas* Elementorum remanere putant *integras*, *qualitates remissas* contra *Thom. Ægid. Marsil. Coll. Connimb. formas perditas*, *qualitates remissas* esse volunt *in mixto.* Media sententia est *Averrois lib. 3. de Cœlo com. 67.* ubi dicit, tàm *formas* Elementorum, quàm *qualitates* manere actu in mistis, non tamen *summas*, sed *fractas & castigatas.* Hanc sententiam tamquam firmiorem recipit ac defendit *Zarabella.* Nam quod *formæ realiter* permanere debeant in misto, indè concluditur, quia Elementorum in misto corpore amica quædam unio fieri debet: quomodo autem id, quod non adest, cum altero uniri potest: cùm rei non existentis nulla possit esse mixtio. *Dubium* tamen est, quomodo *formæ Elementorum magis & minus recipere possint*, cùm hoc tantùm *qualitatibus propriè* conveniat. Ubi notandum, quod *formæ substantiales remitti* dicantur, quatenus in mixtione *suas deponunt formalitates*, illasque conferunt *ad unam mixti formam constituendam.*

*Quomodo Elementa remaneant post mixtionem variæ opiniones.*

*Instantia.*

*Decisio.*

*Putredo est corruptio proprii caloris in unoquoque humido, à calore ambientis.* Arist. 4. Meteor.

*Putredo quid juxta Aristotelem?*

Ut per mixtionem producitur mixtum, sic Putredine idem quoque corrumpitur; unde rectissimè

mè Natura Putredinis hoc loco declaratur. Quemadmodum verò ex unione qualitatum passivarum humidi & sicci, à calore proportionatò fit misti productio: ita etiam *teste Zabarellâ lib. 2. de Misti gener. cap. 1.* calore recedente à Naturali statu sequitur separatio humidi à sicco, ipsiusque mixti destructio. Undè *Arist.* rectè definit putredinem, ubi *pro subjecto* putredinis agnoscit *humidum*, quia nihil putrescere potest, nisi sit humidum. *Pro genere* ponitur *corruptio proprii caloris*: pro *Causa* ponitur *calor ambientis*, quia depravati caloris nativi causa esse videtur externus calor ipsum corrumpens, scilicet quatenus statum ejus Naturalem mutat. Ab hâc sententia non admodum abludit definitio Galenica, *ubi* 11. *Meth. Med. cap.* 8. dicit *putredinem esse mutationem ad corruptionem totius substantiæ putrescentis ab externâ Caliditate*: in quâ definitione notandum, quod *Galenus* ut Medicus loquatur, ideòque non tantùm propriè dictam putredinem, sed prævìam quandoque alterationem includit. Fit igitur *propriè putredo*, quando ab ambiente calore corpus mixtum calefit & relaxatur, quo facto, calor evocatur, & ita ipsum corrumpitur, per dissolutionem humidi à sicco: undè non ampliùs terminatur humidum, sed inordinatè diffluit, donec tandem à calore præter naturam absumatur, & ita res putrefacta sicca remanet.

*Quomodo putredo fiat?*

*Putredo quid juxta Galenum.*

*Putredinis origo.*

*Est autem duplex putredo*, Totalis & Partialis. Arist. 4. Meteor. cap. 1.

Hæc distinctio notanda est, quia non in omni Putredine perfectè siccum ab humido separatur, ita ut sequatur solutio in 4. Elementa: sed aliquando *tantùm partialis* est putredo, quando mistum tantùm ex aliquâ parte dissolvitur, & à naturali constitutione recedit, non tamen omninò in Elementa mutatur, ut patet in vino & aliis hujus generis, quæ dupliciter putrescunt, vel *putredine totali*, ita vinum redditur putridum omninò, *vel partiali*, ita mutatur in Acetum, ubi tamen à Naturali statu quodammodo recedit. Sic etiam Elementa partiali putredine putrescunt, excepto igne, ut inquit *Arist. lib. 4. Meteor. cap.* 1. quod tamen iis accidit *non simpliciter*, sed *quatenus sunt impura*, quia putredo est affectio mixtorum corporum. Ex his patet *quid & quotuplex sit putredo* quæ Naturalis corruptio misti dici potest, per quam mistum naturaliter corrumpitur.

*Elementa putrescere.*

Dicitur autem *putredo corruptio Naturalis*, ut distinguatur à *combustione & putrefactione*, quæ violentæ dicuntur corruptiones, propterea, quod hic non fiat resolutio in quatuor Elementa, sed *vi agentis totum mistum in Naturam unius Elementi mutetur*: sic in combustione ab igneo calore mutatur mistum in Ignem. In Putrefactione vi frigoris in petram, vel aliquid analogum mutatur mixtum, quod præ reliquis animadvertere voluit. *Zabar. lib. 2. de mist. gen. cap. 2.*

*Quomodo putredo à combustione & putrefactione distinguatur.*

CAPUT V.

## DE IIS QUÆ MIXTIONEM IMMEDIATE CONSEQUUNTUR.

Intellectâ Naturâ mixtionis, meritò accedimus, ad ea, quæ in genere ad mixtionem consequuntur, ubi præ reliquis in principio sese offert *mixti forma*, *quæ est quasi terminus ad quem totius mixtionis.* Cùm verò determinatum sit in præcedenti capite ipsa Elementa quo ad formas & qualitates remanere in mixto, jam rectè quæritur, *an sit aliqua forma, quæ ex mixtione resultet.*

Pro affirmativa parte pugnat ipsa veritas, *quomodo enim absque peculiari forma nova species introduceretur?* Nam mixtum non differret specie ab ipsis Elementis. Undè *Zimara*, formam misti formis Elementorum superadditam, ab iisque realiter distinctam esse voluit: sic etiam *Fernelius* formam mixtionis à Cœlo deducit, tanquam æthereum, & cœleste quiddam, ipsis Elementis superaditum. Verùm hæc forma superaddita absque necessitate introducitur, ut habet *Zabarell. lib. 2. de Motu grav. & levit. cap. 6.* Quod enim supra diximus, ipsas Elementorum formas remanere in mixto, illud etiam hoc loco ulterius confirmatur. Nam quamvis remaneant formæ, nihilominus tamen non amplius obtinent officium informationis, sed per amicum congressum unicam constituunt mixti formam, quæ realiter non differt ab Elementorum formis, ut sunt in mixto. Hoc confirmat experientia, quæ *teste Philosopho*, deducitur ab eo, quod unumquodque mixtum moveatur ratione prævalentis Elementi, qui motus mixto est Naturalis: hic autem motus pendet à mixto, ut actu constat, ex illo Elemento prævalente: quod si concederetur in mixto, forma alia superaddita, & realiter differens ab Elementis, sequeretur in uno mixto inanimato esse diversos motus naturales, ut in Animatis deprehenditur, ubi motus ab anima pendens alius, quàm ille, qui procedit à forma mixtionis: nam anima est forma superaddita, nec tamen sequitur mixtum non esse unum, quia formæ Elementorum non amplius singulæ informant, sed conjunctim unicam formam constituunt, quæ *mixti forma* dicitur.

*Quæstionis affirmativa tenetur.*

*Formam superadditam absque necessitate introduci.*

*Elementorum formas per amicum congressum, in mixto unicam constituere formam.*

Hanc formam mixti immediatè, tanquam propria affectio sequitur *temperamentum*, quod non substantiæ, concentus aut proportio, ut quidam volunt, esse potest, *sed mixti qualitas*, *Avicennæ dicitur*, *ex unione primarum qualitatum in mixtione resultans.* Dico ex *Unione primarum*, ubi intelligitur, *quod non in summo remaneant qualitates*, ut vult *Fern. lib.* 3. *Phys. cap.* 2. *& Iobert.* 1. *de Cad. par.* 8. quomodo enim contraria possunt uniri nisi remittantur: Statuitur autem Temperamentum *qualitas mixti*, quia tempe-

*Temperamentum quid?*

temperamentum immediatè consequitur Naturam mixti, undè propriè temperamentum tantùm dicitur de mixtis homogeneis.

*Temperamenti divisio.* Dividitur *Temperamentum in Temperatum & Intemperatum. Temperatum* vel est ἁπλῶς, vel κατά τι. *Temperatum* ἁπλῶς vocatur, aliàs *temperamentum temperatum ad pondus*, quod æquâ Elementarium qualitatum portione constat. Hoc cogitatione magis, quàm reipsâ in rebus subsistere putamus, *contra Fernelium lib. 2. Phys.* quia qualitates elementares in mixtione non obtinent æquales vires ad agendum. *Temperatum* κατά τι, quod etiam *ad Iustitiam* dicitur *à Galeno*, consistit in tali mediocritate, quæ sufficit ad mixti operationes producendas. *Intemperatum* est, quando vel unica tantùm excedit qualitas, & vocatur simplex, estque Calidum, Frigidum, Humidum & Siccum. Vel duæ simul: *calidum & humidum: calidum siccum: frigidum siccum.*

*Qualitates secundæ.* Hîc etiam referuntur *secundæ qualitates*, quæ mixta in genere consequuntur, ut *Mollities*, quæ ab humiditate oritur; cujus ratione mixta tactu facilè cedunt. *Durities* contrà à siccitate oritur, inde corpora magis compacta & tactui resistentia efficit, *Crassities* res solidas, *Subtilitas* res tenues efficit: *Ariditas* corpora exsucca, & humore destituta: *Lubricitas* verò efficit, ut corpora facilè tactum effugiant: *Lentor* partes glutinosas: *Friabilitas* partes non cohærentes constituit. *Asperitas* propter partes prominentes ex siccitate tactum afficit: *Lævitas* contra tactu grata corpora efficit propter humiditatem, quæ æqualem superficiem efficit.

*Qualitates occultæ.* Quæ autem operationes mixtorum ad qualitates secundas non possunt referri, nec ad primas, illæ dicuntur *occultæ*, & continentur sub συμπάθεια & ἀντιπάθεια. Συμπάθεια est mutua & naturalis quædam affectio in rebus, ubi res ex peculiari cognatione conspirare videntur. *Scalig. Ex 344.* Sic taurus sylvestris ad ficum alligatus redditur placidissimus: sic vitis & olea mutuo junguntur & copulantur quasi consortio. Ἀντιπάθεια contra est Naturalis Dissensio in rebus ab occultâ causâ: sic lupus ovibus terrori est.

---

## LIBRI II. SECTIO III.
## De
# IMPERFECTE MIXTIS.

## CAPUT I.
## DE METEORES IN GENERE.

POstquam de Mixtione & Mixtis in genere egimus, consequens nunc est, ut ulterius ad Mixtorum species accedamus. Hic primò generalis sese offert Divisio quod mixta alia sint *perfectè mixta*, alia *imperfectè*: de his ordinis ratio primo agendum esse præcipit. *Sunt autem imperfectè mixta corpora Naturalia ex Elementis per imperfectam mixtionem producta.*

*Imperfectè mixta quomodo differant à perfectè mixtis.* Differunt ergò mixta imperfectè à mixtis perfectè, non quidem eâ ratione, ut quidam volunt, quod ex paucioribus constant Elementis, utpote cùm ad omnem mixtionem omnia quatuor Elementa necessariò concurrant, quomodo enim materiæ remitti possent, nisi omnia Elementa in iis statuerentur? Sed alio modo, scilicet quo ad ipsam mixtionis rationem, quæ in hisce imperfecta est, eam ob causam facilimo negotio, rursus etiam in Elementa resolvuntur, undè constantem durationem non obtinent. Quare rectius cum plerisque dicimus, imperfectè mixta, illud enim magis modum ipsius mixtionis respicit, & differentiam à perfectè mixtis innuit.

*Ratio nominis Meteor.* Vocantur autem hæc imperfectè mixta *Meteora*, sumptâ denominatione à præstantiori parte, quod pleraque in sublimi fiant, à μετὰ αἴρω, *in sublimum tollo.* *Materia eorum quænam?* Undè etiam manifestum est, meteororum materiam esse quatuor Elementa, quatenus scilicet considerantur, ut peculiaribus formis substantialibus differunt, aliàs respectu accidentalium differentiarum, alia statuenda est materia proximior, quæ *Aristoteli lib. 1. Meteor. cap. 2. & lib. 2. cap. 4.* ἀναθυμίασις *exhalatio* vocatur: Estque duplex, *calida & humida*, diciturq; ἀτμὶς, id est, *vapor*: Vel *calida & sicca*, & καπνὸς vel *fumus* vocatur.

*Quomodo fiant?* Fiunt autem Meteora actione Cœli, & adjuvante calore, per motum & lumen producto, concurrente quoque frigore, quatenus scilicet Aquæ & Terræ partes attenuatæ, in ejusmodi exhalationes mutantur, & interdum à frigore constringuntur & congelantur, imò solvuntur.

*Efficiens Meteororum.* *Primarium ergò efficiens Naturale est Cœlum*, teste *Philosopho 1. Meteor. cap. 2.* cui tanquam instrumentum inservit calor. *Dico* primarium agens Naturale. Nam, quamvis non negandum, interdum ab ipso Deo dependere Meteora quædam, ut testantur plagæ Ægyptiis immissæ, aliaque plurima, tamen cùm illa miraculosa sint, & à Naturæ viribus non producantur, idcircò hoc loco omittuntur, quia limites naturalis scientiæ taanscendunt.

*Formæ Meteororum, aliæ essentiales.* *Formæ meteororum duplices sunt, vel Substantiales, vel Accidentales.* Quo ad *substantiales formas*, omnia meteora dividuntur *in vaporosa & fumosa*: Undè omnia meteora in eo conveniunt, quod vel sint vapores, vel fumi, & ita formaliter inter sese differunt. Postea plurimæ differiæ dantur *Accidentales*, quæ *à materiæ dispositione, à motu, à refractione, à loco* & aliis circumstantiis desumuntur, & hic primùm illud sese offert: *Alia accidentales.* *Meteora alia esse* συςατικὰ, alia ἐμφατικά. Illa vicissim *in ignea, aquea & aërea* subdividuntur.

Plurimum quoque ad differentias hasce inservit *locus*, in quo generantur Meteora, qui triplex est. Vel enim *in terræ sinu* fiunt, ut sunt terræ motus, fontium scaturgines, &c. Vel *in Aqua*, ut Aqua Nitrosa, salsedo maris. Vel *in Aëre*, ejusque vel *prima regione*, ut Nebula, ignis fatuus, &c. Vel *in secunda*, ut tonitru, grando, &c. Vel *in tertia*, ut Cometa.

*Finis Meteororum.* *Finis Meteororum Naturalis* est duplex, *primo* ut totum Universum perfectum sit, quia non tantùm perfecta, sed etiam imperfectè mixta ad totius pulchritudinem concurrerere debent. *Deindè* ut salus animantium conservetur, quia meteora faciunt ad terræ fertilitatem, aëris puritatem, & alia ejusdem generis, sine quibus animantia diu durare nequeunt.

## CAPUT II.

# DE METEORIS PURIS IGNEIS.

Sequitur nunc, ut ad speciales declarationes Meteororum accedamus, ubi primò considerabimus συςατικά, quatenus generantur, aut *ex fumo*, ut ignea, aut *ex vapore*, ut aquea, aut *ex utroque*, ut aëra. De igneis meteoris hoc loco agendum.

*Ignea Meteora quid.*

> *Sunt autem Ignea Meteora imperfectè mixta ex fumis calidis & siccis genita, & accensa à calore, motu, aut etiam per Accidens, frigore, ut aër ab exhalationibus purgetur.*

Ita *Essentialiter omnia ignita Meteora* inter se conveniunt, quia sunt corpora imperfectè mixta, fumosa, quæ accenduntur à calore loci, quando scilicet *ad summam aëris regionem calidam* perveniunt, interdum etiam *à motu* tantùm, qui vim calefaciendi habet, quatenus partes rarefacit & attenuat: non rarò *à frigore circumstante*, quod fit in secunda aëris regione, ubi propter circumstans frigus calor insitus fumosi corporis intenditur, & à seipso accenditur. *Finis* ordinibus idem proponitur scilicet, ut aërem purificent, & ita ad universi perfectionem, & animantium salutem inserviant. Hæc ignita Meteora *à Magiro lib. 4. Phys. cap. 2.* dividuntur *in pura & mixta magis.*

*Ignitorum Meteororum divisio.* Illorum materia *minus terrestris & viscosa est*, eorumque variæ sunt species & formæ, ut ex *Aristotele lib. 1. cap. 4.* patet. Horum locus præcipuè est *Aër*, quamvis non impossibile sit in terræ quoque cavernis talia meteora generari posse, ut testantur ii, qui Metalla inquirunt. Ergò præcipua & communia consideranda sunt, quatenus in hac, aut in illa aëris Regione conspiciuntur.

*Quæ in summa aëris regione generentur?* *In summa aëris regione* generantur hæc: *I. Cœlum ardens*, quomodo materia copiosa in longum latumq; protenditur, & tota simul inflammatur. II. *Trabs*, quando materia tantùm secundum longitudinem, & æqualiter incensa est. II. *Ignis perpendicularis*, quando ad perpendiculum ardet. IV. *Sydus volans*, quando discurrente flamma in altero extremo accenditur. V. *Pyramis*, quando materia aliquanto densior in basi subsidet, & tota flagrat. VI. *Candela ardens*, quando in una tantùm parte ardet. VII. *Saltantes capræ*, quando materia inæqualiter disposita, & in aliquibus partibus accensa est, unde flamma quasi dissilire videtur. VIII. *Stipulæ ardentes*, quando materia frustulatim dispersa accenditur.

*Quæ in media?* *In media aëris regione* conspiciuntur sequentia. I. *Stella cadens*, quando halitus quidam in mediæ regionis frigore constringitur, ut veluti Nucleus ex compressione digitorum erumpere cogatur. II. *Sagitta ardens*, quando idem halitus accensus & expressus oblongus est.

*Quæ in infima?* *In infima aëris regione* generantur Meteora ignita, quæ ob caloris inopiam, altius evehi nequeunt, huc referuntur. I. *Draco volans*, cùm materia productior tota ardet, & in anteriori parte scintillas quasi exspuit, vel quod aliquid humidi admixtum habeat, vel quod frigori reluctetur. Cauda verò quasi constricta apparet propter frigidam nubem, quam attingit II. *Ignis fatuus*, quando in halituosis locis crassus vapor assurgens, secum luctatur, donec tandem vel calore aëris, vel frigore circumstante, ratione suæ intentionis inflammetur. Hic si unicus in antennis navium à Nautis conspicitur, dicitur *Sydus Helenæ*, quando verò duplex est, *Castor & Pollux* nominatur. III. *Ignis lambens*, qui ex ima & subtili exhalatione animalium calidorum oritur, unde propè Equorum aures sæpissimè conspicitur. IV. *Domus ardens*, quando materia est copiosa, ut instar Domus ardentis conspiciatur.

## CAPUT III.

# DE METEORIS IGNITIS IMPURIS, UT SUNT COMETA ET FULMEN.

Inter ignita Meteora supersunt adhuc *Cometa & Fulmen*; quæ *propter materiam viscosam & fumosam impura* dicuntur.

*De Cometis variæ opiniones veterum.* Quamvis autem de Cometa inter veteres diversæ fuerint opiniones, ut patet ex *Aristotele l. 1. Meteor. cap. 6.* ubi quidam Cometas ad stellas erraticas, alii ad fixas retulerunt: nihilominus rectè *à Philosopho* hæc omnia refutantur *ex Natura Cometarum*, quæ propter suam inconstantiam cum cœlestibus corporibus non convenit. Nec etiam probat aliquid observatio Mathematica, quâ Cometæ supra Lunæ Sphæram demonstrati sunt aliquando, quia nihil aliud confirmat, quàm τὸ ὅτι, quod scil. ibidem conspectus sit

*Dubium de Cometis supra Lunæ sphæram existentibus.* sit Cometa, ubi non immeritò dubitatur, concesso quod in æthe[illegible]a regione fuerint, *an etiam Naturales sint dicendi*, quod nondum affirmabimus, sed dicimus esse miraculosas, cùm causis Naturalibus ibidem non producantur. Sic igitur Cometam describimus.

*Quid Cometa?*

*Cometa est Meteorum Igneum, ortum ex sicca exhalatione, viscosa & compacta, quæ in suprema aëris Regione accenditur.* Arist. lib. 1. Meteor. cap. 7.

Ut autem Cometarum Naturam penitius intelligamus, notandum, quod juxta peripateticam Philosophiam, nulla sit *alia materia Cometæ*, quàm exhalatio copiosa, pinguis & crassa, ex partibus benè coagmentatis constans, unde flammam concipit, eamque diu retinet. *Materia Cometæ.* Hæc materia ad supremam aëris regionem attollitur, ibique motu circulari aëris, ejusdemque calore accenditur, augetur, & diminuitur, pro varietate, quæ ascendentibus exhalationibus novis incrementum assumere potest. *Accenditur in suprema aëris regione.*

Quod autem Cometæ in suprema aëris regione appareant, hoc potissimùm illorum *motus ab ortu in occasum* demonstrat, quo illa aëris pars circumvolvitur, unà cum firmamento, propter viciniam. Adde, quod in media aëris regione propter frigiditatem ejusmodi inflammata materia subsistere non possit tamdiu.

*Cur rarò circa æquinoctialem Cometæ appareant?* Magis autem extra tropicos versus Austrum, & Boream conspiciuntur Cometæ, quàm circa æquinoctialem, quia *teste Aristotele 1. Meteor. cap. 6.* nimius calor, qui partes tropicis subjectas pervadit, illam Cometarum materiam citius dissolvit.

*Quamdiu durent.* Quamvis autem tempus durationis omninò certum non sit, nihilominus *Plinio lib. 2. cap. 25.* brevissimum tempus apparitionis Cometarum *septem diebus*, longissimum verò *octoginta* absolvitur: quæ diversitas durationis, ab ipsa materiæ varietate proficiscitur, cui etiam inservit ipsius loci proprietas, cum in una parte citius, quàm in altera, materia illa consumatur; cumque Cometa non fiat, nisi ad supremam aëris Regionem magna exhalationum copia elevetur, ideò verisimile est in inferiori aëris Regione magnam halituum copiam relinqui, quæ postea ventorum materia existit, *unde Cometæ ventorum agitationem & tempestates in mare prænunciant.* *Coll. Conimb. tr. 3. c. 6.* Adde *sterilitatem terræ*, & quæ eandem consequuntur, hic quoque prædicantur: quia terra nativâ humiditate destituitur, exuiturque: imò aëris quoque intemperies præter naturam, quæ multorum morborum causa existit, non potest non adesse propter alienam, halituum frequentium, qualitatem, quibus Aër inficitur. *Quid præsagiant?*

*Pro diversitate figuræ Cometa dividitur in Crinitum & Barbatum.* Arist. lib. 1. Meteor. cap. 7.

Hæc distinctio est Aristotelis, qui omnes Cometas ad hasce duas species referre voluit. Est autem *Crinitus Cometa*, qui figuram rotundam, sparsis undique radiis æqualiter, propter materiæ æqualem dispositionem exhibet. *Crinitus & Barbatus Cometa.* *Barbatus* verò productiorem figuram refert appendicem instar caudæ suæ barbam, deorsum vergentem habens. Hâc divisione *Plinius l. 2. cap. 25.* non est contentus, sed pro diversitate materiæ & luminis plurimas addit distinctiones. Verum de Cometa tantùm.

*Fulmen quid?*

*Fulmen est Meteorum igneum ex calida & sicca exhalatione viscositatem quandam habente constans, quod in media Aëris regione per antiperistasin inflammatum impetu quodam excutitur & decidit.* Aristot. 1. Meteor. cap. 9.

Sequitur alterum Meteorum ignitum impurum, scilicet *Fulmen*, quod ab exhalatione viscosa generatur in media aëris regione, quando eadem per Antiperistasin accenditur, & postea majorem locum quærens, inter tonitrua & fulgura erumpit.

*Quid Tonitru.* Patet igitur *Tonitru & Fulgur* accidere fulmini. Nam *Tonitru est sonus*, ut inquit *Aristoteles*, *quem Nubes disrupta efficit.* Undè etiam manifestum est veterum sententias, qui tonitru extinctionem ignis in nubibus esse voluerunt, rectè *à Philosopho* rejectas esse, quia non appareret nobis coruscatio ignita, quod tamen experientia confirmat. Est autem Tonitru diversum pro diversitate causarum, quæ sonum illum efficiunt, quatenus scilicet vel uno, vel pluribus ictibus Nubes disrumpitur.

*Fulgur quid?*

*Fulgur autem est ipsa flammæ micatio, quæ unà cum Tonitru erumpit.*

*Cur flamma prius animadvertatur, quàm Tonitru?* Nihil autem impedit, quod primò videatur flamma priusquam audiamus sonum Tonitru, quia visus in momento recipit species visibiles: Auditus autem non eâdem ratione suam peragit operationem propter anfractus auris, sicut *in Doctrina de Anima* declaratur.

*Est autem triplex fulmen*, Terebrans, Discutiens, & Urens. Seneca lib. 2. quæst. nat. cap. 28.

Ex effectis colligitur fulmen non semper esse ejusdem generis. Nam experientia teste, observatum esse scimus integra vagina gladium à fulmine liquatum. Hoc ergò vocatur *Terebrans fulmen*, quod admodum subtile est, ita, ut angustissima quæque penetret, illa verò quæ maximè resistunt, lædere soleat, undè durissima percutit, illæsis aliis, quibus vim suam imprimere nequit, propterea quod in iis propter corporum raritatem nullam inveniat resistentiam. *Terebrans fulmen.*

*Discutiens.* Ubi verò magis dissipat & ictu rumpit, tunc vocatur *discutiens fulmen*. In hoc enim materia magis coacta & conglobata est. Cum hoc fulmine interdum

terdum *Cuneus fulmineus* dejicitur, qui ex multis fuliginibus viscosis in Nubibus coagulatur, & postea unà cum fulmine diverberatur, durissimaque corpora disrumpit atque evertit.

*Urens fulmen.*

Præterea datur enim *fulmen Urens*, quod non ita penetrat ut primum, nec tantâ vehementiâ discutit ut secundum, sed *infuscat*, & amburit, accenditque.

*Fulminum tempus & finis.*

Fiunt autem fulmina frequentiora, quando materia iisdem magis suppetit sc. æstivo tempore, *eorumque finis* in Natura est, ut Aër à fuliginosis exhalationibus purgetur.

---

*CAPUT IV.*

# DE METEORIS AQUEIS.

*Meteora aquea quid.*

*Meteora Aquea sunt imperfectè mixta, ex calida & humida exhalatione genita.*

Postquam impressiones ignitas declaravimus, jam sequitur, ut accedamus *ad Meteora Aquea, quæ ex vapore generantur.* quando enim calore Solis & aliarum Stellarum vapor excitatur, tunc frigore circumstantis corporis densatur & solvitur, unde ex aërea Natura vaporis aqua oritur.

*Locus in quo fiant.*

Fiunt autem hæc Meteora aut in *Aëre, aut in visceribus terræ*; de illis primum agendum est. Cùm verò vapor aquosam gravitatem habeat, ideò ad supremam usque aëris regionem non elevatur, sed vel *in Media*, *vel in Infima* remanet. In media aëris regione ante omnia *nubes* considerantur, cum consequentibus, *Pluvia* scil. & *Nive*.

*Nubes quid.*

*Est autem Nubes nihil aliud, quàm vapor crassus, ad mediam aëris regionem elevatus, in qua frigore illius loci constrictus apparet.* Arist. 1. Met. cap. 9. Connimb. c. 7. Met. tract. 7.

*Nubes moveri.*

Hasce nubes moveri testatur experientia, quatenus scil. à motu ventorum impelluntur, aut etiam motum Solis consequuntur.

*Inter se differre.*

Est autem inter Nubes quædam differentia, quatenus aliquæ sunt *sicciores & evanidæ*, undè etiam *infœcundæ* dicuntur. Aliæ *scatent irriguo humore*, ideòque ad pariendam pluviam idoneæ sunt. Illæ sunt *lucidæ* ob raritatem & tenuitatem materiæ, undè Ventorum impulsu & Solis calore facilè dissipantur. Hæ verò *ad nigredinem vergunt*, ob materiæ densitatem, ideòque magis ad aqueam, quàm aëream Naturam accedunt.

*Pluvia quid.*

Ex his fœcundis Nubibus generatur *pluvia*, *quæ nihil aliud est, quàm Nubes in aquam soluta.* Hæc quando *leviter* tantùm defluit, vocatur *stillicidium*, quando *turmatim* descendit, *Imber* accidit: quando *guttæ sunt magnæ & continuæ*, *Nimbus* dici solet.

Porrò quando nubes friabili densitate congelatur in initio mediæ regionis aëreæ, & antequam in Aquam solvatur, à frigore Aëris quodammodo inter descendendum constringitur, *fiunt flocci nivis*, *instar lanæ carminatæ*, *albescentes* propter partes magis aëreas, *ut teste Arestotele 2. de gen. anim. cap. 2.* Spuma & aqua cum oleo mixta, albescunt.

*In Infima aëris Regione* generantur. I. *Nebula*, quando vapor in infima aëris regione dispersus permanet: hæc à præsentia Solis dissipata serenitatem significat; ascendens autem ad mediam aëris regionem in nubem sæpiùs concrescit, & postea pluviæ causa est. II. Si pluvia decidens aucto aëris frigore leviter in glaciem vertatur, fit *Granula*. III. Si verò crassus vapor constringatur, *Lapilli* generantur. IV. Ubi vapor paululum elevatur à Sole, eoque recedente frigus subsequitur, propè terram oritur *Ros*. V. Si frigus in hoc casu violentum fuerit, *Pruina* oritur. VI. ascendente cum vapore tenui simul terrestreitate quâdam, per mistionem debitam fit *Manna & Mel*, quod in floribus hærens ab Apibus colligitur, *teste Arist. 5. de hist anim. c. 22.* VII. Ubi frigus intensum est, in inferiori regione fit *Glacies*, ubi Aqua multum terræ sibi admistum habet, quia Terrestreitas ad constrictionem plurimùm inservit.

*Nebula quid. Granula. Lapilli. Ros. Pruina. Manna & Mel. Glacies.*

Atque hæc sunt præcipua Meteora aquea, quæ in Aëre generantur. Supersunt adhuc *Fontes & Flumina*, quorum origo in terræ cavernis quærenda est. Hæc *Arist.* ex vaporum resolutione in Terræ cavernis facta fieri autumat, quod quidem probabile videtur de fluviis & fontibus minoribus. Quod autem majora flumina attinet, dicendum esse putamus horum causam *ex ipso maris refluxu* dependere, quod per cœcos meatus in terræ cavitates sese insinuat, & hinc inde frequentes suos distribuit rivulos. Huc illud *Ecclesiast.* 1. refertur: *Omnia flumina intrant mare, quod non redundat: ad locum undè exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Hinc igitur est illa perpetuitas fluminum, ad quam sola vaporum copia vix sufficere potest, *ut contra Cardanum colligit Scaliger.*

*Fontes & Flumina. Scaliger Connimb. tract. 9. de Meteoris. Unde majora mundi flumina? Perpetuus fluminum fluxus & refluxus ex mari.*

Notandum præterea, quod fluminibus & fontibus diversas qualitates inesse deprehendamus, quatenus scil. diversa loca in terræ Cavernis, aliis atque aliis qualitatibus prædita percurrunt. Sic flumina reperiuntur Sulphurea, aluminosa, nitrosa &c. imò in plurimis locis calida reperiuntur, & vocantur *thermæ*, quæ variis atque diversis qualitatibus præditæ, pro Natura & diversitate materiæ bituminosæ, quæ in terræ speluncis accensa, juxta communem opinionem, aquam illam transeuntem calefacit. Inter multos sapores alios *Salsedo* etiam quibusdam fontibus accidere solet, quæ *secundum Aristotelem 2. Met. cap. 3.* provenit *ex mixtione humidi & sicci, à calore improbè decocti.* Hanc plurimùm adjuvat Solis calor, quando partes tenuiores, magisque dulces exsugit, relictis partibus terreis & adu-

*Fluminibus & fontibus diversas inesse qualitates. Thermæ quid? Salsedo fontium.*

*Causa salsi maris.* & adustis, quæ facilè salsum saporem recipiunt: idcircò Aqua Marina quoque salsa est magis in superiori, quàm in inferiori parte, quam salsedinē maris propter hasce causas perennem esse putamus, quamvis non negemus, quod idem sapor à Deo in prima Creatione, propter animantium salutem mari sit concreatus, ut innuit *Conn. tract.* 9. *Met cap.* 5.

*Causa motûs Maris.* Pluribus etiam *de Maris motu* in hoc loco disputari solet, ubi omissis aliis sententiis, quas omnes compendii Ratio examinare non patitur, sufficiat nobis dixisse quod præcipua causa *in Lunam humoris Dominum* referenda sit: hæc enim per radios suos in mari plurimos excitat halitus, quorum ratione motum eorum diversum existere, probabile est.

---

*CAPUT V.*

## DE METEORIS AEREIS.

*Meteora aerea quid.* Meteora aërea sequuntur, quæ sic dicuntur, ob quandam convenientiam cum aëre: Sunt enim flatuosa, & ex vapore, cum exhalatione permixto, generantur. Hîc sese offerunt *Ventus & Terræ motus.*

*Ventus quid.* *Ventus est meteorum ab exhalatione copiosa cum vapore permixtâ genitum, quando materia in altum sublata, à frigore repellitur, & in aëre propter repugnantes qualitates obliquè agitatur.* Arist. Meteor. cap. 4.

*V. Coll. Connimb. tract. 6. de Meteoris. Quomodo Venti generentur.* Ita enim generantur *Venti*, quando vi Cœli multi halitus in sublime feruntur ad mediam aëris regionem ubi ab aeris frigiditate ibidem repelluntur: cùm verò insitam habeant levitatem quandam, ideò quodammodò resistunt, & obliquè tantùm moventur. Dividuntur venti potissimùm *in Regulares & erraticos.* *Regulares* ex certa Mundi plaga oriuntur, suntque vel *Cardinale*, *vel Collaterales.* *Cardinales* sunt, quià quatuor Mundi Cardinibus, sc. ab Ortu, Occasu, Septentrione & Meridie spirant directè, ut sunt *Eurus, Zephyrus, Boreas & Auster.*

*Venti Regulares. Cardinales.*

*Eurus.* *Eurus vel Subsolanus*, germanicè **Ostwind**/ spirat ab ortu æquinoctiali, qui cum suis collateralibus est moderatè calidus & siccus atque omnium saluberrimus.

*Zephyrus.* *Zephyrus seu Favonius* garm. **Westwind**/ ab occasu æquinoctiali, qui cum suis collateralibus frigidus est & humidus, ideoque pluviosus.

*Boreas.* *Boreas vel Septentrio* germ. **Nordwind**/ est ille, qui spirat ex ea Cœli parte, ubi latent duæ ursæ, scil. à polo arctico: hic etiam Aquilo dicitur, & cum suis collateralibus est frigidus & siccus, ideoque nives & grandines excitat.

*Auster.* *Auster* denique Græcè νότος germ. **Sudwind**/ à meridie spirat, qui cum collateralibus calidus & humidus est. *Arist. lib.* 2. *Meteor. c.* 7.

Notandum tamen, quod totus Horizon primò dividendus in partes quatuor, ita ut totidem puncta statuantur, quæ Cardinalibus Ventis attribuantur. Sit igitur Ortus æquinoctialis. A. Occasus æquinoctialis. B. Sit. Meridies. C. Sit septentrio. D. Ex his locis Cardinales Venti spirant.

*Collaterales* a. ab Aristotele unicuique adduntur duo; sic Euro additur *Cæcias* germ. **Ostnord**/ qui spirat ab ortu Solstitiali & *Vulturnus* germ. **Ostsud**/ qui spirat ab ortu brumali. Secundo Zephyro additur *Corus*, qui flat ab occasu sôlstitiali, germ. **West Nord**: & *Africus*, qui ab occasu brumali descendit: germ. **Westsuden**. III. Aparctiæ, qui etiam Aquilo dicitur versus ortum additus est, propriè dictus *Boreas*, germ. **Nordwest** versus occasum, *Circius* germ. dicitur **Nordwest**. denique quarto adduntur etiam Austro collaterales, ut est versus ortum *Euronotus*, germ. **Sudost**: versus Occasum *Libonotus* germ. **Sudwest**. Atque hæc est Ventorum, descriptio ex sententia *Philosophi*, undè in universum 12. sunt Venti, tres Orientales & Occidentalis, totidemque Meridionales & Septentrionales.

*Cæcias. Vulturnus. Corus. Africus. Boreas. Circius. Euronotus. Libonotus.*

*Nautæ plures numerant.* Nautæ verò in hac distinctione non acquiescunt, sed usque *ad trigesimum secundum* Numerum ascendunt, qui horizontem adhuc in plures partes dividunt & Ventorum differentias observant, Patet a. ex hisce, qui Venti propriè sint contrarii, scil. illi, qui ex oppositis punctis directè oriuntur, quam ob causam diu subsistere nequeunt simul.

*Venti stati. Etesiæ. Ornithiæ seu Chelidoniæ.* Inter hosce Ventos regulares dantur quidam, qui statis temporibus observantur; ut sunt *Etesiæ*, ex aquilonarium Numero, qui circa Caniculæ ortum per 40. dies observari solent: & *Ornithiæ seu Chelidoniæ*, circa hirundinum adventum per dies aliquot spirantes. Atque hi Venti *Regulares* dicuntur. Supersunt adhuc *Erratici*, qui non è certa mundi plaga oriuntur, undè Errantes dicti sunt hactenus, in quorum Numero sunt *Ecnephias, Turbo, & Prester. Ecnephias Aristoteli* est ventus vehemens, ex multis spirationibus densis collectus, qui nube violenter compressâ & fractâ, cum impetu deorsum fertur.

*Erratici. Ecnephias*

*Turbo.* *Turbo* autem in gyrum convertitur, & obvia quæque corripit, sursumque attollere conatur.

*Prester.* *Prester* denique per Antiperistasin & motum ignem concipit, ideòque ex nube erumpens, obvia quæque accendit, & prosternit: differt tamen à fulmine, quòd hoc minùs flatuum habeat, & sine tonitruo præeunte, non generetur. Hæc de Ventis, sequitur, ut ad Terræ motum perveniamus, quem sic describimus.

*Terræ motus quid.* *Terræ motus est agitatio terræ, ex impulsu spirituum & flatuum, cavernis terræ inclusorum, proveniens, quando propter obstructos meatus vi erumpere conantur.* Arist. 2. Meteor. c. 7.

Quamvis Terræ Motus in sua Essentia non sit meteo-

meteorum, vel corpus imperfectè mixtum, sed potius affectio quædam terræ satis horrenda. Undè à *Philosopho* 3. *Ethic. cap.* 7. inter ea terribilia recensetur, quibus etiam vir fortis perterreri debet: nihilominùs tamen huc pertinet *ratione causæ*, quæ ad Meteora refertur.

*Causa Terræ motus.*

Nam *causa terræ motus est materia flatuosa, visceribus terræ inclusa & foràs exilire contendens*, ubi deinde exitum non inveniens, motum terræ excitat.

*Materia flatuosa unde?*

Hæc materia flatuosa in terræ Cavernis generatur, vel *à calore terræ*, qui aut à Sole, aut ex ignibus subterraneis originem suam habet: vel *à frigore per Antiperistasin*, ubi calor in ima parte propter occlusos meatus sese magis colligit: *vel quando vi flante vento opposito intus truditur.*

*Dubitatio.*

Quomodo autem tam vasta terræ moles à tenuissimo spiritu moveri possit, dubitatur à quibusdam, ubi notandum, quod hoc ipsum quoq; flatus in aëre, & spiritus in animalibus comprobent. Videmus n. vi ventorum lapides de loco ad locum transferri, ædes & turres corruere, arbores ingentes dejici. Imò in corpore humano videmus, vi spirituum id interdum ab uno præstari, quod plurimi alii ne tentarent quidem, ut apparet in Phreneticis, propterea quod omnes spiritus ad hoc unum præstandum colligantur.

Quod autem nulla sit alia causa terræ motus, contra veteres concludit *Philosophus*, partim *à tempore*, partim *à locis* etiam, in quibus frequentes accidere solent terræ motus.

*A tempore:* quia plerumque Autumno & Vere frequentes sunt terræ motus, tunc enim sunt plurimæ exhalationes flatuosæ in terræ Cavernis.

*A locis*, quia frequentius quatiuntur regiones fungosæ, & plurimis Cavernis abundantes.

*Præsagia terræ motus.*

Manifestum igitur est, undè sint desumenda præsagia ex terræ motu, ex iis scilicet, quæ demonstrant, in terræ Cavernis copiam flatuum collectam esse, ut sunt *Cœlum serenum in consueto tempore*, quod indicat omnes flatus in terra colligi: deinde *rara & oblonga nubecula aliquandiu in tali serenitate Cœlo apparens*, quæ *Plinio teste l.* 2. *c.* 81. ideò significat, quod sc. omnis materia ventorum absit, aliàs non diu subsisteret. Denique *Aqua fontium & fluminum ebulliens*, quod indicat, flatus in terræ Cavernas sese insinuare, & exitum quærere.

*Terræ motus vel repræsentat tremorem, vel pulsum.* Arist. 2. Meteor. c. 7.

Quamvis pro varia Dispositione copia & paucitate spirituum, varia quoque possint esse discrimina terræ motuum, ut patet ex *Aristotele l.* 3. *tr.* 2. *c.* 18. *Georg. Agricola l.* 2. *de ortu subterr. Coll. Connimbr. tract.* 11. *de Meteor. c.* 3. *Arist.* tamen omnia *ad tremorem & pulsum* retulit.

*Tremor in terræ motu.*

Est autem *motus tremori* non absimilis, quando spiritus præ multitudine terram longè, latèque pervadit, undè etiam interdum ædificiorum ruina solet provenire.

*Pulsus.*

*Pulsus* autem repræsentatur, quando ex imo terra concutitur, & sursum, deorsumque agitatur, spiritu scilicet rectè conscendere conante; hunc etiam hiatus interdum comitatur, quando terra dehiscit, & ædificia atque oppida absumit. Distinguitur etiam prætereà terræ motus ratione durationis, quæ vel continua est, vel interpolata, pro diversitate ipsius causæ in Cavitatibus terræ latente.

---

## CAPUT VI.

# DE METEORIS APPARENTIBUS.

Hactenus Meteora συςατικὰ consideravimus, supersunt adhuc Meteora ἐμφατικὰ, quæ ultimo loco consideranda veniunt. Quamvis autem hæc Meteora non revera existant, undè etiam Nomen suum accepisse videntur: nihilominus tamen semper præsupponunt alia Meteora συςατικὰ, in quæ ejusmodi formæ apparentes imprimuntur.

*Chasma.*

Hîc primo sese offert *Chasma*, quod speciem Cœli sese aperientis refert, quando scilicet halitus in extremitatibus rarior, in medio obscurior ascendit cujus extrema à radiis superiorum corporum illuminata, constituunt quasi voraginem in medio.

*Colores nubium.*

II. *Colores nubium* huc etiam pertinent, quatenus in nubibus à Sole & Luna illuminatis diversimodè effinguntur, & numerantur quatuor, *Albus*, *Niger*, *Rubeus*, *Viridis*. *Albus* generatur quando Nubes rarior æqualiter illuminatur. Unde etiam hic color serenitatis & siccitatis nuncius est, quia tales nubes sunt steriles. *Niger* contrà conspicitur quando Nubes crassæ sunt, quæ parum luminis recipiunt. Undè cùm tales sint fœcundæ, graves etiam imbres denunciant. *Rubeus* color apparet iis in nubibus, quibus aliquid fumosum terrestri adusto commixtum adest, undè radius repercutitur, & talem colorem effingit. Hic color serenitatem nunciat, quando vesperi apparet, *quia nubem exsiccatam æstu solis diurno ostendit*, contrà matutino tempore tempestatis index est, propterea quod sol plurimos vapores in sublime attrahat. *Viridis* denique apparet color quando jam stillare incipit materia, ideoque nubes est aquosa, & rorida, pluviamque promittit.

*Albus.* *Niger.* *Rubeus.* *Viridis.*

*Halo.*

III. *Halo*, quando nubes rara & uniformis directo sub Astro consistens, circulatiter illustratur: talis corona sæpiùs sub Luna apparet, quæ, ubi magis addensatur, pluviam, ubi dissipatur, ventos, ubi paulatim extenuatur, serenitatem indicat, *teste Aristotele* 3. *Meteor. cap.* 3.

*Virga.*

IV. *Virga*, quando radii solares in nubes inæquales

æquales incidunt, & Virgarum speciem referunt.

*Parelius.* V. *Parelius*, quando Nubes densa & concinna ad latus Solis ponitur, in quam idolum suum imprimit.

*Paraseline.* VI. *Paraseline*, quando ejusdem generis nubes imaginem Lunæ recipit ac refert. Quod igitur plures Soles & Lunæ interdum apparent, hoc fit propter talem nubium Dispositionem, quæ apta est eandem figuram recipere.

*Iris.* VII. *Iris* Aristoteli est arcus multicolor in nube rorida, opaca & concava, ex radiis Solis oppositi apparens. Concurrit ergo ad generationem. Iridis Sol & Nubes, quamvis interdum etiam *lunaris appareat Iris*, quæ tamen rarissima. Sol est q. efficiens causa, quæ lumine suo in Nube tanquam in materia varios efformat colores, ubi *Aristoteles* præcipuè notat *puniceum, viridem & cæruleum*, qui generantur pro diversa refractione radiorum Solarium, ad quam ipsa materiæ dispositio plurimùm inservit.

*Via lactea.* VIII. Huc etiam refert *Aristoteles viam lacteam*, quia eandem in nube tenui & rara à minutissimarum stellarum plurium lumine illustrata consistere putat. Verum potius statuendum, *lacteum circulum non in Aëre, sed in Cœlo consistere*, quia tot annorum seculis nihil in eo mutatum est, adde etiam plures alias rationes quas adducit *Coll. Connimb. tr. 4. de Met.* Ideóque verisimilior est illorum sententia, qui vel statuunt, *Lacteum circulum fieri à multitudine minutissimarum Stellarum sphæræ octavæ*, vel propter *densiores partes in Cœlo, in quibus visus noster magis colligitur*. De Meteorologia tantùm pro compendii ratione dictum sit.

*Lacteus Circulus unde?*

---

## LIBRI II. SECTIO IV.

## De FOSSILIBUS SEU PERFECTE MIXTIS INANIMATIS.

### CAPUT I.

### DE FOSSILIBUS IN GENERE.

*Perfectè mixta quid.* Hactenus *imperfectè mixta* consideravimus, jam sequitur tralatio *perfectè mixtorum*, ubi sese primò offerunt *inanimata*, quæ communiter *fossilia* dicuntur, quod ex terræ visceribus pleraque effodiantur. Hæc corpora Naturalia *perfectè mixta* dicuntur, quia solidâ & constante Elementorum concretione constant, qua etiam mixtionis ratione ab imperfectè mixtis, de quibus hactenus egimus, distinguuntur.



*Unde generantur?* Notandum tamen proximam materiam fossilium esse eandem cum illa, ex quibus Meteora constant, *scilicet duplex halituum genus*, ex quo in terræ visceribus ab agentibus principalibus & minus principalibus varia generantur fossilia, quibus nullam aliam formam attribuimus, quam eam, *quæ post mixtionem ex Elementorum formis conjugatis resultat* à qua proprietates hujus aut illius mixti dependent.

*Differentia fossilium.* Pro harum causarum itaque diversitate, fossilia quoque diversa generantur, undè variæ fossilium divisiones, ubi præ reliquis nobis illa placet, quæ habetur *apud Agric. tr. de Metall. & Fallop. tr. de fossilib. c. 1.* quod fossilia vel sint *Metalla*, vel *Lapides*, vel *Terræ* vel *Succi concreti*. Hæc igitur omnia in specie considerabimus, ex quibus fossilium Natura magis elucebit.

*Cur Inanimata vocentur.* Adde, quod *inanimata* vocentur ad differentiam corporum animatorum, de quibus postea in sectionibus sequentibus agendum erit. Generantur autem *Fossilia* id terræ gremio ex 4. Elementis tanquam communi materia omnium mixtorum actione Cœli, quod tanquam commune efficiens hic quoque inservit.

---

### CAPUT II.

### DE METALLIS IN GENERE.

*Metallum quid.* *Metallum est Corpus fossile durum, ex halituosa materia in terra genitum, quod malleo deduci, & igne liquefieri potest.*

*Origo nominis Metallorum.* A Metallis incipimus, quæ dicuntur vel à μεταλλᾷν à scrutando, ut vult *Fallop. tract. de fossilib. c. 10.* Vel quia μετὰ τὰ ἄλλα inveniuntur, ut placet *Plino lib. 33. Nat. hist. c. 6.* Generantur autem Metalla in terræ Cavitatibus ex halitu humido vaporis & exhalationis Natura constante, qui virtute Cœli & caloris subterranei præparatur, & postea vi frigoris condensatur atque constringitur.

*Coll. Conimb. tr. 13. de Meteor. c. 1. Fox. lib. 3. phys. c. 6.*

*Unde Metalla, & quænam eorum materia proxima? Chymicorum opinio repudiatur.* *Quò ad materiam* igitur, rectè quidam dixerunt, Metallorum materiam esse quattuor Elementa, verum hæc Materia est remotior, nos inquirimus hoc loco *proximam*, quam cum *Philosopho* dicimus esse *ejusmodi halitum* ut determinavimus.

Non igitur subscribendum sententiæ Chymicorum, qui materiam Metallorum statuunt *sulphur. & argentum vivum*, nisi per Sulphur & Mercurium intelligatur idem halitus magis magisque præparatus, & ita magis in verbis, quàm in rebus consistit controversia, ut dicit *Libavius. l. 1. de Metall. cap. 1.* Nec etiam alicujus momenti sunt illa, quæ de causa metallorum efficiente proferuntur à Chymicis, ubi totum illud ad Planetas refertur unicuique Metallo peculiarem Planetam attribuendo, quæ omnia *teste Connimb. cit. lib. tr. 13. cap. 2. Scaliger exerc.* 106.

106. *f.* 1. *Fol.* 3. *phyſ. c.* 6. de Meteoris ſine ratione proferuntur.

*Metallorum cauſa efficiens quænam?*

Cum *Ariſtotele* potius dicendum putamus, efficientem Metallorum cauſam eſſe *Cœlum per virtutem ſyderum, præſertim Solis*, cui inſervit calor, qui humidam expirationem gignit & coquit, & frigus, quod ſuopte ingenio congregat & condenſat, unde *Scalig. Exerc.* 20. Metallum vocat terream Aquam, multo frigore congelatam, quæ propterea non niſi intenſo calore in priſtinum fluorem reſtituitur, quod etiam *Savanor. lib.* 9. *Epiſt.* 8. innuere videtur. Nec tamen *ſimpliciter frigori* hoc loco, omnis attribuitur actio, ſed potius *cum Libavio lib.* 1. *Metall. cap.* 1. ſtatuimus *in ipſa materia Metallica plaſticum principium cavernis terræ inſitum* à ſummo Creatore ſimul concurrere ad producendum talem effectum.

*In Alchym.*

*Forma quæ?*

*Forma Metallorum* unicuiq; ſua eſt, per quam unum ab altero differt eſſentialiter. Nam quamvis alia aliis puriora ſint, nihilominus tamen unumquodque in ſua ſpecie ſuam obtinet perfectionem; ut colligit *Scalig. Exerc.* 106. *ſect.* 2. Ideòque placitum illud Chymicorum negat, quod unum Metallum ex altero fieri poſſit.

*Quæſtio.*

Quæritur ergò *an mutatio Metallorum ſit poſſibilis*, vel quod idem eſt, *num Arte Chymicâ verum Aurum fieri poſſit.*

*Affirmativa.*

Pro *Affirmativa* pugnant, *Albert.* 3. *de Miner. cap.* 9. *Janus Lancinius referente Cardano lib.* 17. *de ſubtil.* qui idem affirmat. *Anton. Mirand. de Everſ. ſing. certam. lib.* 19. *ſ.* 7. *Connimb. quæſt.* 7. *cap.* 1. *lib.* 2. *Phyſ. Thom.* 2. *quæſt.* 77. *art.* 2. ubi nota, quod horum ſententia ſit Artem poſſe præſtare quiddam in Auro producendo beneficio cauſarum Naturalium, applicando ſcilicet agentia paſſivis.

*Negativa.*

Contrà *Negativam* partem defendunt *Avicenna, referente Ægid. in* 3. *Quodlib. quæſt.* 8. *qui idem ſentit Averr. ſuper primum lib. de gener. anim. c.* 1. *Thom.* 2. *ſentent. diſt.* 7. *quæſt.* 3. *art.* 1. *Conciliator diff.* 209. quibus etiam additur *Scaligeri* ſententia *citato loco.*

*Deciſio.*

Pro *deciſione* ex ſententia *Pererii l.* 8. *Phyſic. in fine & Magir. lib.* 5. *phyſ. c.* 1. notandum, quamvis probabile ſit, artem per media Naturalia poſſe producere Aurum Naturale, nihilominus tamen, cum experientia ſucceſſum non comprobet, & ſæpiùs pro vero, fucatum Aurum proferatur, ideò hanc Artem, ſi modò hoc Nomen ſibi vendicat, tanquam inutilem & Reipubl. pernicioſam, quoad χρυσοποιΐαν rejiciendam & damnandam judicamus. Verum igitur, ipſas ſpecies non transmutari, quamvis non negandum, quod mediis naturalibus ex unius corruptione alterius generatio fieri poſſit, quod laboribus Chymicorum continuis probatur, qui nil agunt, quàm quod reſolvant Metalla, & poſtea aliud atque aliud producant.

*N. B.*

Formis ergò hoc modo inter ſe differunt Metalla, non tamen aliter, quàm inanimata mixta, quia *Cardani placitum lib.* 5. *de ſubtil.* quod Metalla vivant & nutriantur, cui conſentit *Foxius lib.* 3. *Phyſ. c.* 6. rectè refutatur à *Scalig. Exerc.* 102. quia Metalla non ſecundum omnes partes augentur ut plantæ, ſed tantùm per appoſitionem, quod veræ nutritionis, & vitæ ſignum non eſt.

---

## CAPUT III.
# DE METALLIS IN SPECIE.

Ad Metalla *in ſpecie* accedimus, ubi primò notandum, quod Metalla vel ſint *ſimplicia vel mixta.* Illa, naturam obtinent homogeneam, & numerantur plerumque ſeptem: *Aurum*; *Argentum*; *Æs*, *Ferrum*, *Plumbum*, *Argentum vivum*, *& Stannum. Dico plerumque*, quia argentum vivum quibusdam Metallum eſt, aliis excrementum Metallorum, aliis Metallare, vel via ad Metallum dicitur.

*Metallorum alia pura, alia impura.*

Dividuntur *in pura & impura.* Metalla *pura* ſunt, in quibus magis elaborata eſt coctio, ut ſunt *Aurum & Argentum*: *impura* ſunt, quæ ſordibus magis abundant, ideòque imperfectiori coctione facta ſunt, *æs*, *ferrum*, *plumbum*, *ſtannum.*

*Alia perfecta, imperfecta alia & quomodo?*

Hanc igitur ob cauſam Metalla alia *perfecta* dicuntur, alia *imperfecta*, ut annotat *Libavius* 1. *comm. met. cap.* 3. non quod Eſſentiales formas non habeant, quia unumquodq; peculiarem ſuam ſpeciem conſtituit, ſed ratione mixtionis, quæ ratione materiæ & efficientis in uno eſt perfectior, quàm in altero, unde & illud fingitur à Chymiæ Profeſſoribus, quod inter Metalla Accidentalis ſit differentia ratione magis & minus.

*Metalla mixta.*

Præter hæc Metalla ſimplicia dantur etiam *mixta*, quorum Natura de reliquis Metallis aliquid participat, ſic *Electrum* ad Auri & Argenti Naturam accedit; ſic *Orichalcum* ex ære percolato generatur, auri colorem referens. Huc etiam *Chalybs* pertinet, quod Metallum cum ferro convenientiam habet, eoque durius propter coctionem majorem exiſtit.

Quamvis autem omnia Metalla, ut patet, in terræ gremio potiſſimùm generentur, nihilominus tamen, non omnis fert omnia tellus, propter ipſorum Metallorum Naturas diverſas, ubi notandum ex *Seb. Fox. lib.* 3. *Phyſ. cap.* 6. quod communiter *tepor & humiditas terræ, Cœlique temperatio* requiratur ad Metallorum generationem, unde in Africa & aliis ſiccis Regionibus raro inveniuntur metalla. Deinde *calida & humida Regio* magis ad Argentum & Aurum. *Frigida & humida* magis ad reliqua producenda inſervit. Ex quibus colligere licet, *omnia metalla* in eo convenire, quod *frigidæ & humidæ Naturæ* ſint, ad quam aliis alia magis accedunt.

*Metalla cujus naturæ?*

*Quæſtio de Chalybe.*

Ergò non incommodè movetur hic quæſtio, cum *Chalybs* reponatur ad illa Metalla, quæ *exceſſis humida & frigida ſunt, quomodo ex attritu ejuſdem ignis eliciatur*,

Responsio. ciatur, cum ignis omnino contrariis qualitatibus sit præditus? Ubi notandum, quod ignis non ex substantia Chalybis eliciatur, quod *Durand. distich.* 15. q. 3. & alii statuerunt, qui ex virtuali calore chalybis ignem producunt, quod impossibile est, propter ipsius Metalli Naturam frigidam: adde quod motus producat calorem attenuando & rarefaciendo: imò cum potius experientia hoc attestetur, quod, quò duriora sunt, tanto felicius ad opus hoc præstandum inserviunt. Dicimus igitur cum *Coll. Connimb. lib.* 2. *de Cœl. c.* 7. *q.* 6. *ar.* 2. ex attritu *chalybis & lapidis ignem generari ex intercepto aëre intermedio, qui per vehementissimum illum modum rarefit, attenuatur, & in ignis Naturam mutatur*: Unde etiam *ex angulis chalybis & lapidum* facilius ignis excutitur, quàm *ex plano* quia ibidem partes duriores magis magisque sese attingunt, & minima quoque pars aëris intermedia, citius in ignem mutatur: adde testem experientiam, quæ monstrat, ex pluribus ictibus continuis faciliori negotio ignem elici, quàm ex paucioribus. Hinc etiam testatur *Plinius lib.* 9. *cap* 56. quod ex aliis quoque corporibus durissimis, ut quibusdam lignis possit ignis generari *per attritum vehementem*.

*Scalig. Exerc.* 17. *f.* 1.

## *CAPUT IV.*
# DE LAPIDIBUS.

*Lapides quid.* *Lapides sunt Corpora perfectè mixta inanimata, ex halitu sicco, cum humido quodammodò permixto vi virtutis mineralis calore & frigore adjuvante genita.* Magir. lib. 5. Physic. c. 2.

*Lapidum differentia.* Altera Classis fossilium continet lapides, qui in terræ Cavernis generantur, & eandem ferè generationis rationem habent cum Metallis. Sunt autem in duplici differentiâ; alii enim sunt *rudiores*, alii *pretiosiores*. Illi generantur ex teneris & aqueis partibus impurioribus, per inæqualem præparationem, & passim effodiuntur, ut sunt *Silex, Cos, Pumex, Saxum, Pyrites* &c. De quibus consule *Scalig. in exerc. diversis.*

Pretiosiores sunt *gemmæ*, quarum materia purior, coctio exquisitior, & præparatio perfectior; hæ sunt vel *tanslucidiores*, vel *magis opacæ*.

*Chrystallus. Adamas. Smaragdus. Sapphirus.* *Translucidæ* sunt *Chrystallus, Adamas*, cujus tanta durities, ut nec ictibus mallei, nec ignis flammis cedat, sed solo hircino sanguine solvitur occultâ ratione *teste Scaligero exerc.* 344. *sect.* 8. *Smaragdus*, qui *Scaligero exerc.* 33. *f.* 2. Castus lapis dicitur, quod in coitu frangi dicatur. *Sapphirus*, qui cor corroborat &c.

*Turcois. Hyacinthus. Amethystus.* *Magis Opacæ* sunt *Iaspis*, cujus etiam species *Turcois*, cui vis sanguinem sistendi tribuitur. *Hyacinthus*, qui teste *Alberto Magno*, à pestilentia præservat, *Amethystus*, qui alligatus umbilico, ebrietatem prohibere dicitur, unde etiam derivatum ejus Nomen ab ἀ & μεθύσκω niebrior. Plures quoq; alii lapides huc referuntur, quos brevitatis causâ ommittimus.

*Corallium* Notandum huc quoque *Corallium* pertinere, quod mistam Naturam obtinere videtur, propterea quod fruticis lapidescentis figuram referat, unde quibusdam λιθοδένδρον dicitur, hujus usus in Medicina maximus, ubi scil. refrigerandum & astringendum est.

Quamvis autem proprius locus Lapidum sit Terra, non tamen negandum, quod etiam alibi interdum generentur: ita in Nubibus lapides generari, interdum patet ex *Meteorologicis*. Sic plurimi lapides in animalium corporibus generantur, & ibidem inveniuntur, ubi præ reliquis primò *Magaritæ* sese offerunt, quæ ex rore in Conchis marinis generantur. *Alectorius* in Ventriculo Caponis ætatis 9. & quinque annorum inveniri solet. *Borax* aliàs Chelonites in capite bufonis magni generatur, & alii plurimi, quorum usus in Medicina declaratur.

*Margarita. Alectorius. Borax. Vide Anshelmum Boetium de Gem. & Lap.*

## *CAPUT V.*
# DE TERRIS.

*Terra quid.* Tertium genus fossilium nimirum *terræ* succedunt, ubi non ipsum terræ Elementum, sed corpus quoddam mixtum intelligitur, quod ratione prævalentis Elementi sic dicitur. Sunt autem varia genera terrarum, quæ omnia hîc declarantur, ut v. g. *Ochra*, ex qua rubrica fabrilis arte conficitur: *Argilla* quæ pinguis & lenta est, figulinis testis formandis aptissima. Item *terra Lemnia*, quæ etiam *sigillata* dicitur, quæ manifestam vim adstringendi; occulta verò ratione vim venenis resistendi obtinet. *Calx* etiam huc pertinet, quæ, quamvis frigida, nihilominus tamen intus latentem habet calorem, qui ante affusam Aquam non percipitur ubi autem aqua affunditur, tunc ille in partes solidas confugiens, propter contrarietatem seipsum colligit, & condensatione colligitur, ut declarat hoc *Scaliger Exerc.* 5. *f.* 9. Unde postea aqua calefacta, exhalare incipit. Et hanc ob causam *Calx viva* dicitur, non quod vitam habeat, sed quia insitum & latentem obtinet calorem, qui postea affusa Apua extinguitur. Hujus quoque loci sunt *Creta, Auripigmentum, Cinnabaris, Sandaraca* & similia, de quorum Natura & viribus hoc loco in Physicis disputari solet. Qui plura de terris in specie cognoscere studet, ille *ad Dioscorid. lib.* 5. *de remed. c.* 44. *Fallop. de metall. c.* 5. *Wecker. in Antidot. spec. l.* 1. *Sect.* 4. & alios confugiat.

*Ochra. Argilla. Terra Lemnia. Calx. Calx viva.*

## CAPUT VI.

# DE SUCCIS CONCRETIS.

Ultimum genus fossilium superest, nimirum *Succi concreti*, qui vel sunt *pingues*, vel *macri*. *Pingues* succi facilè accenduntur, ut sunt *Sulphur* & *Bitumen*: quæ vicissim in alias species distinguuntur. *Seidelius* huc quoque refert argentum vivum. Ex his succis ignes subterranei aluntur, ut statuit *Agricola lib. 4. de non fossilib.* ubi tamen notandum ex sentent. *Connimb. tract. 12. cap. 1.* quod *Bitumen* ad ignem alendum, diuque servandum, potiores partes obtineat quàm *Sulphur*, quia majorem obtinet pinguedinem ideóque ab Aqua difficulter extinguitur ignis à bitumine excitatus.

*Succi pingues.* *Bitumen Ignis alimentum.*

*Macri* sunt succi, qui non constant tali materia unctuosa, ut sunt *Sal, Nitrum, Alumen, Vitriolum.*

*Succi macri.*

Est autem *Sal* corpus friabile, mixtum & siccum, ex succo aqueo & terreo permisto, per calorem decoctum, undè etiam facilè in loco humido solvitur, in sicco autem conservatur. Obtinet igitur præcipuè exsiccandi, adstringendi & abstergendi vim: adde quod etiam quoddammodo Venerem excitet. Undè etiam Venerei salaces dicti sunt. Huc igitur varia salium genere pertinent, ut sunt *Sal gemmæ, Sal Ammoniacum, Sal Indicum, Salpetræ*, cum quo etiam convenientiam habet *Nitrum*, quod ex terra salsuginosa arte excoquitur. Sic etiam *Alumen Plinio* Salsugo & salsus terræ sudor dicitur ex aqua, limoque concrescens. *Vitriolum* quoque calidum & siccum concrescere solet. Quamvis autem *Naturale vitriolum* rarius inveniatur, ejus tamen loco *artificiale vitriolum* usurpari solet, ubi præ reliquis laudatur *Romanum*, quod ad oleum & spiritum vitrioli præparandum utilissimum, propterea quod in eodem tanta non sit vis corrosiva, quàm in reliquis. Hæc ergò de fossilibus.

*Sal.* *Ejus vires.* *Nitrum.* *Alumen.* *Vitriolum.*

LIBRI II. SECTIO V.

De

# PLANTIS SEU VEGETABILIBUS.

## CAPUT I.

# DE NATURA PLANTARUM IN GENERE.

Hactenus consideravimus *perfectè mixta inanimata*. Jam sequitur, ut ad illa accedamus, quæ *animata & viventia* dicuntur, in quorum Numero primò se offerunt *Plantæ*: Deinde *Animalia Bruta* & denique ipse *Homo*. Omnia hæc corpora animata in eo conveniunt, quod *vitam* habeant, quæ *Scaliger Exerc. 102. f. 5.* nihil aliud est, quàm *unio corporis & animæ*, ideoque animam mox consequitur.

*Vita quid?*

*Est autem Planta Corpus perfectè mixtum Organicum animâ vegetativâ tantùm præditum* Arist. 1. de plant. c. 2. Seidelius l. 2. phys. c. 2. Mag. l. 5. c. 4.

*Planta quid?*

*Planta* Græcis φυτὸν *à nascendo* dicitur atque *Corpus organicum*, quia ex pluribus dissimilibus partibus constat: cùm enim animata planta sit, necessariò præsupponiaur, illam quoq; ex partibus dissimilis Naturæ constare. Nam *omnis anima est Actus Organici Corporis*, teste Philosopho, quia operationes suas beneficio tanquam per instrumentum peragit. Additur, plantam *vegetativâ Animâ* præditam esse, quia videmus plantas vim crescendi & vegetandi obtinere, undè constat, pariter formam mixti iis quoque inesse vim crescendi & vegetandi, ideóq; non tantum formam mixtionis, sed etiam aliam animam scilicet superadditam habent, quæ nutritionis, augmentationis, & generationis causa est in ipsis plantis. Quamvis autem statuamus in plantis esse *formam mixti & animam*: nihilominus non sequitur illud absurdum, rem unam simul eodem respectu pluribus formis informari, quia tamen *unica forma est ultimata*, *reliquæ* verò *subordinatæ* dictæ, sunt quasi conditiones materiæ.

*Rem unam pluribus formis informari posse certo respectu.*

Ita in Plantis forma ultimata est *anima vegetativa*, quæ causa est, quod plantæ augeantur, & nutriantur, imò etiam generentur. Mixti verò forma est q. *conditis materiæ plantarum*, quia Anima vegetativa pro materia requirit corpus mixtum organicum, hoc autem absque forma esse nequit, ideóque planta per formam mixti, non planta sed mixtum. Additur denique in definitione *tantùm*, quia Anima vegetativa convenit etiam animalibus, sed non sola, ideóque hoc modo planta ab animalibus differt; non igitur planta est *sentiens*, ut quidam opinati sunt, quia nulla adsunt ad sensum adæquata Organa, ut dicit *Arist. 1. de plant. c. 1.* Adde, quod sensus adsit, propter *fugam* inutilium & apprehensionem gratorum: *3. de an. c. 10.* quibus tamen plantæ uni semper loco affixæ non afficiuntur. Utitur autem anima vegetativa, ut in reliquis viventibus, sic etiam in planta, duobus principiis, vitalibus, scil. *calore & humido*, in quibus vita consistit, quorum defectu ut in Animalibus *Mors*, sic in stirpibus *ariditas & corruptio* succedit.

*Animam vegetativam plantis esse formam ultimam.*

## CAPUT II.

# DE GENERATIONE PLANTARUM.

Superest, ut aliquid *de plantarum Generatione* subjiciamus, ubi notandum, quod plantæ dupliciter-

*Seidelius l. 2 f. 7. c. 2. Magirus l. 5 physs. c. 7.*

pliciter generentur, vel *ex semine manifesto*, vel *occulto*.

*Modus generationis plantarum manifestus.*

Generantur *ex semine manifesto*, quando semen ab iisdem per insitam facultatem productum, terræ commendatur, in qua facultas insita & latens à Calore Cœli exuscitatur, & semine emollescente & intumescente, propter humorem à terra communicatum, germen nascitur, quod partim sursum ascendit, quatenus Natura aërea præditum est, partim etiam deorsum quatenus terreum ac crassum est. Et hic generationis modus manifestus est.

*Occultus.*

Interdum plantæ generantur *absque semine manifesto*, quod probabile videtur *per putredinem*, ubi sc. Aquæ & terræ partes putrescentes, ita miscentur, ut aptæ sint, ex quibus tum calore Solis, tum etiam proprio, planta producatur. Imo ex durissimo lapide, sæpius etiam plantas productas esse videmus, ubi scil. aër insitus lapidi exitum non inveniens, reflectitur & calefit, attrahitque humorem, unde postea calore Solis concurrente, planta educitur, ut inquit *Aristoteles 2. de plantis cap. 5.* Hæc tamen non diu durat, ut animadvertit *Seidelius lib. 2. sect. 7. c. 2.* quia destituitur suo Nutrimento.

Postquam vero generata est planta, augmentum assumit ab alimentario humore, quem ex terra haurit per radicem, ideoque plantæ etiam Soli, in quo nascuntur, Naturam imitari solent, unde aliis aliæ præstantiores, quamvis ejusdem sint speciei, quatenus ipsa loca, in quibus nascuntur, diversa sunt. Imo etiam hoc modo nutritur, unde etiam plarimus obtinet particulas, quæ ratione officii, quo funguntur in nutritione, varia acceperunt Nomina. Sic radice veluti ore haurit alimentum, per fibras & venas, per analogiam sic dictas illud attrahit, quo postea reliquæ partes integrantes, utpote caulis vel truncus, rami, surculi, & folia nutriuntur.

---

*CAPUT III.*

## DE VITA PLANTARUM.

Ubi planta generata est, tum demum vivere incipit, quod quamvis omnibus animatis commune sit, nihilominus tamen modus vivendi diversus est. Alia est vivendi ratio in animalibus, quibus peculiare Organum vitam custodiens *Cor* scil. concessum est: alia etiam vita in Plantis est, in quibus, quamvis aliquid *Cordi analogum* sit statuendum, nihilominus tamen *illud per totum Plantæ corpus diffusum est.*

*Ubi vita plantarum?*

Hæc igitur est ratio, quod partes Plantarum resectæ, vivant aliquandiu, animalium vero item, quia plantæ vim animæ insitam & diffusam habent ubique, cui etiam inservit *tenax humor* in plantis, qui magis conservat illas facultates. Quod etiam in quibusdam animalibus apparet, quæ exempto corde ad tempus moventur & vivunt, ut patet in Ranis, ubi notandum, hoc fieri *propter humorem tenacem*, cui communicatus spiritus animalis ad tempus adhuc suum præstat officium. Hinc etiam Ars Naturæ imitatrix, nos docuit stirpes per surculos propagare, ubi enim resectæ partes terræ, aut alii plantæ insitæ fuerint, vicissim suum assumunt incrementum & reficiuntur. Ubi vero deficit Nutrimentum facilius etiam partes resectæ arescunt & moriuntur, quod tamen difficulter accidit in iis, quibus humor admodum lentus & viscosus inest, ut sunt *Telephium, Sedum, Allium,* &c. quæ etiam ad tempus perdurare, imo etiam augeri possunt.

---

*CAPUT IV.*

## DE PLANTARUM VIRIBUS.

*Duplices plantarum vires.*

Cum duplex sit forma in Plantis, sc. *mixti forma & Anima*, hinc etiam duplices sunt qualitates vel vires, quibus Plantæ præditæ sunt, scil. quæ vel consequuntur *formam mixti*, vel quæ *formam animæ* consequuntur.

*Quanam formam mixti consequantur?*

Ad *formam mixti* consequuntur facultates calefaciendi, frigefaciendi, humectandi & exsiccandi, vel in primo, vel in secundo, vel in tertio, vel in quarto gradu: item secundæ qualitates odores, sapores, &c. Nam hæ qualitates omnes, ut supra determinatum est, consequuntur mixtionem in genere: ideoque rebus animatis insunt, *non quod animata, sed quod mixta sint.* Adde, quod ejusdem generis vires interdum magis in exsiccatis, & ita de mortuis herbis observentur, quam in virescentibus. Cum vero in iis Anima vegetativa non amplius adsit, virisimile, illas vires ab alio principio deducendas esse. Huc etiam referuntur illæ qualitates herbarum, quæ certum & determinatum quiddam respiciunt, *ut sunt Topica*, quæ ad peculiares partes in Corpore humano diriguntur, & *purgantia*, quæ determinatos humores denotant.

*Quæ formam animæ?*

Quæ autem ipsam Animam, ab ea quoque occultæ quædam procedunt facultates, quæ potissimum in plantis viventibus adhuc observantur. Ita, Olea quercum aversatur, Brassica Viti odiosa, Ruta fico dicitur amicissima.

---

*CAPUT V.*

## DE PLANTARUM DIVISIONE.

Omissa Enumeratione partium plantarum, quæ quodammodo respondeat secundum Analogiam partibus animati corporis, accedimus ad denotanda summa genera plantarum. Dividuntur

*Arbor quid?* autem communiter omnes plantæ in *Arbores, Frutices, Suffrutices & herbas.* Est autem *Arbor* planta lignosa maxima, cui candex cum superficie est perennis, naturaque simplex: huc pertinent *Pyrus, Malus, Quercus,* &c.

*Frutex quid?* *Frutex* vero mediocrem crassitiem & altitudinem obtinet, multiplicique caudice constat, ut *Sambucus, Corylus, Sabina,* &c.

*Suffrutex?* *Suffrutex*, mediam Naturam habet inter herbas & frutices, ut *Ruscus, Myrtillus, Ruta, Genista,* &c.

*Herba?* *Herba* denique vel *ex foliis* tantùm constat, ut Adianthum, muscus vel etiam *ex Caule*, ut beta, valeriana, succisa, &c.

Sunt aliæ divisiones plurimæ à loco, à qualitatibus, aliis accidentibus desumptæ; quas omnes declarare non patitur Compendii Ratio: ideóque auditores *ad Plinium l.* 12. *& seq. Gal. l. de simpl. Medic. facul. Costæum de universali stirpium naturâ, Dioscor. Mathiol. Tabernæmont. Tragum, Lobel: Camerar. Fuchs. in suis herbariis, Cardanum lib.* 8. *de subtil. cui in pluribus sese opponit Scalig. Exerc.* 138. 139. *& seq. remittimus.* Plurima hic subministrabit *Herbarium Horstianum*, in quo juxta menses selectæ, rarioresque & vulgares plantæ proponuntur & declarantur.

## CAPUT VI.
## DE PLANTANIMANTIBUS.

AD Plantarum Naturam maximè accedunt *Plantanimantia* græcis ζωόφυτα *quæ sunt composita corpora perfecta, quæ mediam Naturam obtinere videntur inter plantas & animalia*, ideoque in eo conveniunt cum plantis, quod nutriuntur & loco non moventur; quatenus autem contactum refugiunt, eandem cum Animalibus cognationem habere videntur. Huc igitur referuntur *Spongiæ marinæ, urticæ marinæ*, quæ suaviter attactu dilatantur, compuncta vero sese contrahunt. Notandum & illud, quod *Scaleger Exerc.* 181. *sect.* 29. refert, de arbore exotica, quæ adveniente homine ramos contrahit, recedente vero, eosdem expandit. Præter cætera *Agnum vegetabilem Scythiæ*, huc quoque refert *par.* 2. *sing. sect.* 11. *cap.* 2. de quo vide *Scaligerum citato loco*. Quidam huc etiam referunt herbam nostratem, quæ *Noli me tangere* dicitur, quæ, ubi maturata attingitur, cum violentia ejusdem rumpuntur siliquæ, & semen emittitur instar sagittæ, sed minus rectè; hic enim potius est respicienda membranula tenuis, quæ siliquas constituit, quæ, ubi attingitur, etiam leviter, tamen statim rumpitur, qua disrupta, cum violentia semen illud, quod antea in parvo spatio detinebatur, erumpit, ideoque hic motus non præsupponit sensum quendam, sed ex alio deducitur principio. Videatur *de Zophytis Doctiss. Libavij* dissertatio *par.* 2. *singul.* 13. *sect.* ubi eleganter de earum natura disserit.

*Spongia marina. Urtica marina.*

*Agnus vegetabilis Scythiæ. Noli me tangere.*

## LIBRI II. SECTIO VI.
# De ANIMALIBUS BRUTIS.

## CAPUT I.
## DE NATURA ANIMALIUM IN GENERE.

IN augustissimo Naturæ libro sensim ab imperfectioribus ad magis perfecta ascendimus, undè consideratis Plantis ad ipsa *animalia* accedimus, in quibus Creatoris summi omnipotentia & sapientia, tàm manifestè apparet; ut oculis etiam externis demonstrari possit. Brevibus igitur de Natura animalium differendum erit, propterea, quod pleraque in hominis declaratione, qui præ reliquis præstantissimus, declaranda veniant.

*Est autem Animal corpus Organicum vivens, anima sentiente præditum.* *Animal quid.*

Undè patet in genere, omnia animalia in eo convenire; quod sentientem habeant animam, cujus ratione per Organum cognoscibilia percipere possunt, quamvis sentiendi modus in omnibus idem non sit: hæc igitur *Anima sentiens* est animalis forma, quæ actus est corporis organici viventis, quia Anima sentiens præsupponit vitam, quare vicissim subordinaræ formæ hic conspiciuntur: nam cum sentiens anima sit nobilior quàm vegetans, ideò nobiliorem quoque materiam requirit, ideòque non sufficit ad recipiendam animam sentientem corpus mixtum organicum, sed opus est, ut quoque vitam habeat. In eo igitur Natura Animalium in genere consistit, jam sequitur, ut aliquid de eorundem generatione dicamus. *Anima sentiens quid?*

## CAPUT II.
## DE GENERATIONE ANIMALIUM.

ANimalium Generatio duplex potissimùm observatur. *Univoca & Æquivoca. Univoca Generatio*, quando gignens & genitum specie conveniunt, ita hominem ab homine generari experientia confirmat. *Generatio univoca quid?*

Hæc vel *vel fœtum*, vel *per ova* perficitur. *Per fœtum* genera-

*Animal per fœtum generat, & per ova.* generatur Animal in utero materno per coitum maris & fœmellæ utriusque semine concurrente. *Per ova* verò foris excluduntur fœttus, ubi tamen notandum, quod ova fœcunda non sint, nisi post maris & fœminæ congressum genita sint. Quibus prior generatio convenit, illa *vivipara* dicuntur, quod vivum fœtum edant, ut sunt Animalia perfectiora, scil. *Homo*, *Bos*, *Canis* &c. Quæ autem posteriori modo generantur, illa dicuntur *ovipara*, ex ovis enim generantur, ubi partes ex albumine disponuntur, & à Vitello nutriuntur, agente calore fœmellarum incubantium, donec excludantur, ut ex *Aristotele* patet 6. *de hist. ani.* c. 3. *Iulio Scaliger. exerc.* 188. Quædam etiam ova committunt calori externo, ut sunt pisces aliqui, committentes ova aquæ, ubi à calore cœlesti foventur, & in piscium speciem mutantur. Ex talis Generatio est adhuc *Univoca*.

*Vivipara.* *Ovipara.*

*Generatio æquivoca quid?* Sequitur altera, quæ *Æquivoca* dicitur, quando scil. id, quod generatur, non est ejusdem speciei cum eo, quod generat, ita plurima Animalia ex putri materia nascuntur, quod dupliciter accidit: vel enim *ex putrescente materia simplici* ortum habent, ita præcipua causa est *Calor cœlestis*, qui materiam præparat, coquit & ita disponit, ut indè producatur & evocetur anima, ut generentur ex aqua putri, culices, & ex luto, vermes &c. Vel ex *putrescente cadavere*, ubi *calor proprius mixti corporis* plurimum præstat in productione Animati corporis, ita ex putrefacto leone apes generantur.

*Imperfecta animalia quæ?* Omnia, quæ tali generatione æquivoca producuntur dicuntur *imperfecta animalia*, tùm propter imperfectam conformationem, tùm etiam quod generandi potentia destituantur, quod signum imperfectionis est. Hinc *Averroes* mures ex semine progeneratos, & mures ex putri materia ortos, specie differre voluit, ut videre licet apud *Pererium l.* 8. *Phys. cap.* 17.

Quamvis autem talis æquivoca generatio quibusdam animalibus imperfectis conveniat, nihilominus tamen Sententia *Avicennæ & Alberti*, item *Paracelsi* erronea est, ubi statuunt, omnia quæ generantur in matrice, posse quoque extra matricem generari, cum nunquam homo, aut bos extra matricem per putredinem generatus sit. *Scalig.* 193.

---

CAPUT III.

## DE ANIMALIBUS BRUTIS IN GENERE.

*Brutum quid?* Animal rectissimè dividitur *in Rationale & Irrationale*. Hoc *brutum vel bestia* dicitur, & animal ratione carens: Quamvis autem ultimæ animalium differentiæ nobis incognitæ sint, nihilominus non negandum, quod in unoquoque bruto præter animam sentientem, detur adhuc alia forma informans ultimata, cujus ratione animal ab animali differt.

Nam cum equus non sit bos, & bos non sit canis, cumque unumquodque horum peculiarem constituat speciem, necessariò sequitur in unoquoque præter animam sentientem, quæ omnibus æqualiter inest, dari quoque in omnibus peculiarem, & distinctam aliam formam specificam, per quam unum ab altero differt. Ut enim in plantis, præter vegetativam animam, quâ omnes plantæ conveniunt, datur alia adhuc forma, quâ ruta differt à salvia: ita etiam in animalibus brutis hoc etiam necessarium est.

*An Bruta quoque rationem habeant?* *Hæ formæ ultimatæ animalium nobis incognitæ sunt*, quare omnia bruta in eo ab homine distinguimus, quod ratione careant: quamvis autem reperiantur, qui brutis quoque rationem attribuere non verentur, in quorum numero est *Valla lib. dial. cap.* 9. nihilominus tamen horum sententiæ salvâ veritate subscribere non possumus, quia opera illa apparentia, quæ aliquid rationis sapiunt, in quibusdam ab instinctu naturæ & assuefactione potius, quàm à ratione procedunt. Viderant enim, quod semper eodem modo sese habeant. Adde rationem *Scaligeri Exer.* 307. *sect.* 5. quod *Ratio sit facultas Animæ*, à causis ad effecta, & ab effectis ad causas procedens, quod minimè convenit brutis.

*Ratio quid?*

---

CAPUT IV.

## DE VOLATILIBUS.

Quamvis variis modis ipsa *bruta* dividi possint, illa tamen præ reliquis observanda est, ubi animalia dividuntur ratione loci, in quo vivunt, vel in *Volatilia*, sive *Aerea*, vel in *Aquatilia* sive *Palustria*, vel in *Terrestria*.

*Volatilia quid?* De *Volatilibus* hoc capite agendum est, quæ etiam *Aerea* dicuntur, propterea quod iis facultas volandi insit propter excessum aëreæ substantiæ, cui postea plurimùm inservit pennarum constructio, quæ intra suas cavitates aërem magis recipit, ut eo citius sursum ferantur.

*Alas magnum robur habere.* Præterea huic operi plurimùm inserviunt *Alæ*, undè *omnes aves alatæ*, quarum beneficio sese attollunt & in aërem sublevant, cùmque alæ continuum motum requirant, ideò in iisdem movendis, maximum robur obtinent aves, *propter musculos pectorales*, qui ob hunc usum in volatilibus *majores*, quàm in animalibus terrestribus conspiciuntur, ut in avium sectione satis apparet.

*Respondere pedibus anterioribus.* Quemadmodum igitur in Animalibus terrestribus plerisque 4. pedes reperiuntur: ita in volatilibus loco pedum anteriorum respondent alæ, tanquam iisdem ad volandum membra aptissima: hinc Aves omnes sunt *bipedes*, & in eo cum homine conveniunt, cui loco pedum anteriorum provida Natura

tura *Manus tanquam Rationis optimum instrumentum concessit.* Paucissimæ tamen aves ἄπ... & quadrupedes excipiuntur, de quibus consule *Scalig. Exerc.* 228.

*Temperamentum avium.* Quo ad *temperamentum*, omnes aves respectu piscium & animalium terrestrium sunt *calidæ & siccæ Naturæ*, quæ constitutio respectiva tantum est: aliàs pro variis conditionibus, variis etiam qualitatibus prædite sunt.

*Differentia avium.* Sunt autem hæc volatilia vel *domestica*, ut capo, pullus, gallina, columba, ancer &c. vel *Sylvestria* ut perdix, turtur, ficedula, passer, hirundo, palumbus. Possunt & aliæ plurimæ differentiæ proponi ab adjunctis locis & aliis accidentibus desumptæ. Hoc tamen notandum, quod quædam quasi mediam Naturam obtinere videantur, quæ à volatilium Natura quodammodò discedere videntur, ut Gryphus, Struthiocamelus, item vespertilio.

## CAPUT V.
## DE AQUATILIBUS.

*Differentia aquatilium. Quæ in aqua tantum vivant:* Sequuntur illa animalia, quæ *in Aquis* potissimùm vivunt, hæc distinguuntur in ea, quæ *tantum in aqua* degunt & in ea; quæ *partim in Aqua, partim etiam in terra* vivere possunt. Illa sunt vel *sanguinea*, ut pisces propriè dicti, in quibus numero sunt, Cete, Carpio, Lucius, Perca &c. vel *exanguia*, ut Polypus, Cancer, Ostrea, Conchilia &c.

*An respirent?* De his Aquatilibus non immeritò quæritur, *an etiam respirent*, quod negat *Philosophus de Respir.* c. I. addi potest Ratio firmissima, quod pulmonibus tanquam organo respirationis destituantur, quorum loco ipsis branchiæ sunt concessæ, quæ idem præstant officium, non quidem in respirando, sed in refrigerando, quia hauriunt aquam refrigerandi causa.

*Quæ partim in aqua, partim in aëre?* Quæ *partim in Aqua, partim in Aëre* vivunt, illa dicuntur ἀμφίβια, & majorem obtinet convenientiam cum perfectioribus animalibus, ideòque pulmones obtinent & respirant, ut sunt *Rana, Delphin, Castor* &c.

## CAPUT VI.
## DE TERRESTRIBUS.

*Differentia terrestrium. Gressilia quæ?* Supersunt Animalia *terrestria*, quæ in terra potissimùm vivunt, & sunt *vel gressilia, vel reptilia*.

*Gressilia* animalia sunt perfectiora, pedibus potissimùm quaternis incedentia, quæ propter perfectiorem corporis conformationem *perfecta* dicuntur; ideòque eorum partes cum hominis quoq; corpore maximam habent convenientiam. *Mansueta, Fera.* Hæc animalia terrestria gressilia vel sunt *mansueta & domestica*, ut taurus, bos, canis &c. Vel *fera & sylvestria*, partim *Cornuta*, ut Cervus Ragelapsus &c. partim *non Cornuta*, ut Ursus, Leo, Lepus, Cuniculus, Talpa. Huc etiam refer feles agrestes, *Scaligero* volantes, non quod alas habeant, sed quod citissimè, ut etiam *Sciuri* hinc indè in arboribus moveantur.

*Reptilia quæ?* Deniq; *Reptilia* sunt, quæ corporis contractione & intensione innituntur ad promovendum sese. Huc pertinent Vermes, Serpentes, & pleraq; etiam insecta, quamvis inter ea plura quoque ad aviam Naturam quodammodo accedere videntur. *De hac sectione videatur Aristoteles ejusq; Interpretes, & post illos Gesnerus & Aldrovandus.*

Et hoc modo animalium adumbratam aliquam delineationem proponere voluimus, ubi plurima, quæ ad usum partium animati corporis dexterius intelligendum facere videntur, omisimus, propterea, quod in sequenti sectione *de homine*, illa omnia plenius & perfectius declaranda nobis relinquantur.

## LIBRI II. SECTIO VII.
# De HOMINE.

Tandem ad *ipsius hominis* Essentiam declarandam accedimus, ubi Delphicum illud γνῶθι σεαυτόν sese offert, quod omnibus iis, qui vitam homini propriam vivere cupiunt, penitus cognoscendum, ne alia percipiendo nos ipsos negligamus. *Homo quid?* Est autem *Homo* inter creaturas corporeas præstantissima, ideòque reliqua omnia propter hominem condita esse rectissimè declarat *Scaliger Exerc.* 250. Quod sacra quoq; testatur pagina, ubi affirmat, in totius mundi creatione, ultimo denique hominem creatum esse marem scil. & fœminam, duo scil. individua ad vitæ societatem & posteriorum propagationem necessaria. *Fœmina à mare non specie, sed accidentaliter tantum differre.* Quamvis autem fœmina post marem creata sit, videaturque imperfectior, in hominis tamen specie eandem contineri, manifestissimum est, quia à mare non aliter, nisi accidentalibus tantum differentiis, distinguitur, quæ in genitalium partium conformatione consistunt, ideoque non monstrum naturæ, aut mas oblæsus, fœmina nominari potest, quod etiam *Philosophus in* 4. *de gener. an. c.* 6. innuere videtur, quia finis naturæ in producendo homine consistit, cujus sunt differentiæ accidentales, marem aut fœminam esse. *Marem fœmina præstantiorem esse.* Hoc autem verum est, quod in comparatione ad se invicem *mas præstantior sit fœminâ*, ut innuit *Thom.* 1. *par. q.* 92. *ar.* 1. Unde fœminam propter marem conditam esse legimus. *An transmutatio.* Quare & illud, quod *de Sexu transmutato* referunt historici, quibusdam non videtur

*sexus possibilis à Plin. l. 7. cap. 4. Fulgosius l. 1. c. 6. Sabell. l. 9. c. 8. Livius l. 4. Gellius l. 9. c. 9.*

videtur erroneum aut commentitium, præsertim à fœmina ad marem, & non contrà, quia ut *Seidelius lib. 2. phys. pag.* 444. fœmininus sexus est quasi quædam *ἀδυναμία* Naturalis, intellige accidentalis, quæ à Natura perfici potest. Ideòque de maribus in fœminas mutatis nil legimus. Nihilominus tamen cum *Laurent. lib. 7. quæst.* 8. dicendum putamus illud portentosum esse, & verisimile videri, utriusque sexûs membra adesse, quæ propter calorem debiliorem intus latent ad tempus.

*Partes essentiales hominis.*

Ut a. in hominis cognoscenda Natura, methodo procedamus, ideo ejusdem partes Essentiales declarandas suscipimus *Corpus scilicet & Animam.* De illo priori loco agendum: quia eodem tanquam instrumento suo utitur Anima, ideoque ad ejusdem facultates & operationes declarandas, postea nobis plurimùm: inservit cumque animales facultates in homine sint præstantissimæ, ideò ipsius quoque corporis conformatio, optima est, ideòque homo est quasi Norma & Regula omnium reliquorum Animalium, quam ob causam plurima, quæ ad partes animalium cognoscendas faciunt, in hominis corpore pulcherrimè demonstrari possunt. Prætereà cùm in homine non tantùm Rationalis Anima, quæ ultimata hominis forma est, sed etiam sentiens & vegetativa maximè appareant: idcirco declarato corpore ad animæ Essentiam & facultates secundum omnes species investigandas postea accedendum erit. Quare hæc nostra sectio ultima in duas partes subdividenda, quarum prior *de Corpore Humano*, altera de *Anima* inscribenda est.

---

PARS PRIOR.

De

# CORPORE HUMANO.

*CAPUT I.*

## DE CORPORIS HUMANI PARTIBUS.

*Corporis humani duplex acceptio.*

Notandum in principio hujus tractationis, quod *Corpus Humanum* dupliciter accipiatur, vel ut est *Corpus mixtum*, corpus ex quatuor Elementis constans: vel ut est *Corpus Humanum* ita ordinatum ac conformatum, ut operationibus animæ optimè inservire possit. *Prior consideratio* non est hujus loci, quia superius actum est de mixtis in genere & specie, ideòque omnia illa, quæ humano Corpori communia sunt cum mixtis, illa hic merito omittuntur.

*Instantia.*

*Sed instas*, quî fiat, quod Medici in consideratione sui subjecti, corporis scil. humani statim ab Elementis incipiant, & ita retineant priorem illam considerationem, quia Elementa conveniunt homini, quatenus est mixtum aliquod, non quatenus homo?

*Responsio.*

*Ubi respondemus*, quod alia sit *consideratio hominis*, quæ *à Medico* instituitur: alia etiam quæ *à Physico*. Ille considerat hominis Naturam non *propter cognitionem, sed propter actionem*, sui finis gratiâ, ut scil. sanitatem partium conservare & restituere possit: cùm verò sanitas homini non tantùm conveniat, ut homo est: sed etiam quatenus constat ex Elementis, ideò Medicus meritò cognoscere debet prima principia partium similarium, ut per sua contraria iisdem læsis succurrere possit. At *Physicus* solum hominem *quatenus homo est*, cognoscere studet, ideoque illa tantùm proponit, quæ humano corpori conveniunt, quatenus illud animæ subjacet, quocirca præsuppositis illis communibus principiis, accedit ad proximiora, quæ animati corporis propria. Hæc igitur est altera corporis humani consideratio, quæ huc referenda est, cujus ratione corporis humani partes determinandæ sunt.

*Partis acceptio duplex.*

*Partis* autem Vocabulum dupliciter accipitur. Vel *impropriè*, vel *propriè*. *Impropriè* pars dicitur quicquid totum complet, ut dicit *Galenus.* 1. *Meth. cap.* 5. & 1. *de Element. cap.* 6. *Ita Hipp.* 6. *Epid.* partem corporis humani dividit in continentia, contenta & impetum facientia. *Per continentia* intelligit partes propriè dictas. *Per contenta* humores innuuntur. *Per impetum facientia*, spiritus intelligit.

*Quid pars corporis propriè.*

*Poprìè* verò pars definitur corpus vivens, toti cohærens, ad ejusque actionem & usum comparatum. Quæ definitio merito *à Fernel. lib. 2. phys. c. 2. & Laurentio in princ. vet. edit. quæst.* 1. comprobatur. Nam cùm hoc loco consideretur corpus humanum ut Animæ instrumentum, ideo merito *Partem* vocabimus illud, quod communi vitâ cum toto fruitur, & certæ cuidam animæ operationi inservit.

*Continentia sola propriè partes corporis esse.*

*Sola* igitur *continentia* remanent in partium classe, ideoque partium Nomen amittunt *contenta & impetum facientia*, ut sunt *Calidum Nativum, humores, adeps, spiritus, pili, ungues.*

Hæ partes adulterinæ, quamvis partes propriè dici nequeant: nihilominus tamen earum declaratio necessaria est, quia quædam sunt principia, *ex quibus partes generantur*, ut *semen*, & *sanguis Menstruus*: aliæ *partes constituunt*, ut *calidum innatum*: aliæ *ad partium Essentiam conservandam faciunt*, ut *humores & influentes spiritus*, aliæ denique *actione partium*, ob usum aliquem producuntur, ut sunt *adeps, pili & ungues.*

Cùm verò natura partium propriè dictarum absque declaratione seminis & materni sanguinis, calidi innati, humorum & spirituum intelligi nequeat; ideò de hisce primum agendum esse videtur.

## CAPUT II.

# DE SEMINE ET SANGUINE MATERNO, EX QUIBUS PRINCIPIIS PARTES IN UTERO GENERANTUR.

UT *de partium Essentia* in sequentibus certiores fieri possimus, necessarium esse videtur, ut primò demonstremus, *ex quibus principiis* partes corporis nostri generentur, ubi speculatio *seminis & sanguinis materni* sese offert, quæ nostræ generationis sunt primordia, & principia materialia proxima.

*Gal. lib. de sem. Semen quid?*

*Est autem Semen corpus humidum multo calore & spiritu perfusum, à peculiari testium vi ex sanguine, & spiritu vitali transmisso genitum, ut ad speciem perpetuandam inserviat.*

Ex hâc definitione patet, *Semen* testium vi generari, ideòque iisdem facultatem σπερματοποιητικὴν attribuimus, ut suo loco dicetur.

*Materia seminis.*

*Materia seminis* est sanguis & spiritus, ex quibus illud ipsum elaboratur, & non ab aliis partibus transmittitur aut deciditur, nisi *ratione spiritus*, ut innuit *Laurentius lib. 8. quæst. 3. novæ edit.* qui propter convenientiam, quam habet cum spiritu insito partium omnium ideam præ se ferunt, quatenus omnes partes corporis oberrant.

*Duplex semen. Virile quid? Fœmininum quid?*

Est autem *duplex semen, masculinum & fœmininum: illud* præcipuum in partium conformatione obtinet officium, quia calore & spiritu maximè abundat: *hoc* verò quamvis suâ quoque agendi facultate non omninò destituatur, nihilominus tamen eidem in prima partium conformatione *Virili* dominatur, ideòque hoc *instar materiæ* sese habet quæ postea, ubi in disponendis partibus virile semen suo functum est officio, actuatur, ubi in labore secundò in efformandis scilicet & elaborandis partibus suum præstat in agendo officium, quod patet in Animalibus, ex diversis speciebus generatis, que partim patrem, partim etiam matrem referunt.

*Dari semen muliebre.*

*Quod* autem detur *muliebre semen*, hoc partim ex partium structura, partim ex voluptate mulierum propter semen emissum in coitu, partim etiam oculari demonstratione, quâ semen in testibus Mulierum conspiciunt, Medicorum corona demonstrat contra *Aristotelem*. His rationibus alii coacti sun ipsum τὸ ὅτι non negare, qui tamen omnem agendi vim detrahunt semini muliebri, sed illud in generatione *merè passivè* sese habere opinantur, quibus non subscribimus, propterea quod testetur experientia, *prolem interdum matrem, interdum patrem referre.*

*An merè passivè sese habeat?*

*An ejusdem cum virili semine sit efficacia?*

An autem semen Maternum ejusdem sit efficaciæ cum virili in generatione, ut plerique Medicorum existimant, illud nondum omninò demonstratum est. Non enim video quid obstet, quod fœmina non concipiat absque mare, si illud quoque quod seminis virilis proprium est, scilicet partium dispositio, Materno quoque semini attribuitur. Hoc duplex semen præbet fundamentum ipsis partibus humani corporis, ideòque præcipuum generationis principium non tantùm efficiens, sed etiam materiale meritò dicitur. Vndè non evanescit omninò, sed partium substantiam simul cùm aliis constituit.

*Ex semine utroque partes conformari.*

Ex semine igitur utroque partes conformantur omnes simul *secundum Hipp. I. de Diæta*, cujus rei maximum argumentum ex αὐτοψίᾳ petitur; quia in abortu primis etiam diebus ejectis omnia membra conspicua sunt; & maximè principalia, ut sunt cor, jecur, & cerebrum.

*An hepar primo generetur?*

Quamvis autem *Galenus* & multi alii primò *hepar* generari autument, quod ad nutritionem magis inserviat reliquis, quæ primò in Embryone colligitur, nihilominus nihil concludit Argumentum, quia infans non indiget præparatione sanguinis, hic enim à matre prius attrahitur.

*An Cor primo generetur?*

Nec etiam *Aristot. Avicenn. Thom. & Albert.* aliquid concludunt, *Cor* primo generari, quia principium vitæ est, quia Embryo vivit vitâ matris per Arterias umbilicales, quibus eidem spiritus vitalis communicatur.

*Mẽstruus sanguis quid?*

Post partium conformationem, per venam umbilicalem incipit affluere *menstruus sanguis*, qui alterum Generationis principium est, & à *Laurentio lib. 8. cap. 3.* definitur *Excrementum alimenti ultimi partium carnosarum, quod certis temporibus moderatâ quantitate per uterum expurgatur in fœtus generationem & nutricatum.* Dicitur autem *sanguis hic excrementum*, non quod inutilis & noxius sit qualitate, ut vult *Fernelius*, sed propter quantitatem, quia propter debiliorem calorem, victusque & vitæ institutum in mulieribus non assimilatur, ideòque à partibus saturatis per uterum transmittitur tanquam per viam commodissimam, ut idem post conceptionem ad ipsius fœtus nutricatum inserviat. Hic igitur sanguis infantem in utero nutrit, in ejusque partium substantiam convertitur, quod patet ex defectu mensium in prægnantibus, & quamvis infans vel fœtus trahat purissimum sanguinem, ut inquit *Hippocrates*, nihilominus tamen grandior factus, non tantùm purissimum, sed etiam impurum simul attrahit, ut innuit *Galenus I. de sympt. caus. c. 7.* undè non omninò falsa videtur *Arabum* sententia, qui *causam variolarum & morbillorum* referunt ad menstrui sanguinis vitia, ut approbat etiam *Laurent. cit. loco quæst. 9.*

*Causa variolarum quæ?*

Quo concesso, non tantùm sequitur *omninò venenatum esse* hunc sanguinem menstruum. Nam, quod stirpes exedat, sata strangulet & suffocet, specula inficiat, &c. hoc

*An sanguis menstruus venenatus?*

hoc eidem non inest, sed quatenus extra corpus purrescit & corrumpitur, vel, ut habitum mulieris vitiosum consequitur. Benignam hujus esse substantiam manifestissimum est ex eo, quod excretus, mulierum genitalia non exulceret, iisque augmentum præstet. Adde denique causam à priori, quod absurdum sit huic sanguini naturam alienam à reliquo sanguine affingere, cùm ex eadem materia iisdemque efficientibus constent.

---

*CAPUT III.*

# DE CALORE INNATO, HUMIDO PRIMIGENIO ET SPIRITU INSITO, QUÆ SUNT PRINCIPIA PARTES CONSTITUENTIA.

*Calidum innatum quid?*

POstquam naturam seminis, & sanguinis materni, ex quibus partes generantur, præcedenti capite declaravimus, jam consequens est, ut ad *Essentiam calidi innati* determinandum accedamus. Hoc est illud, quo præsente, vita, & absente, mors adest necessariò: ideòque non incommodè *principium*, *naturam partium constituens*, vocari potest. Cùm verò *calidum innatum* non unâ simplici constet essentiâ, sed *ex humido primigenio, spiritu insito & calore nativo* constituatur, idcircò non inconcinnè *à Fernelio* describitur, quod *calidum nativum sit humidum primigenium, insito spiritu & calore undique perfusum.* Nam ante omnia notandum, quod calidum innatum, non denotet *solam qualitatem*, *sed subjectum quoddam*, quod tribus constat, scilicet *humido primigenio, calore nativo & spiritu insito.* Dum demùm igitur calidi nativi natura nobis cognita erit, quando hæc tria in specie declarata fuerint.

*Calor nativus quomodo distinguatur à calido nativo?*

Et primò quod *Calorem Nativum* attinet, hic semper distinguendus est *à calido nativo*, quia hoc non est qualitas, sed substantia omnibus partibus innata, quæ illam tanquam qualitatem continet. *Hic calor Nativus* non est ille, qui ex Elementorum mistione omnibus partibus inest, undè Elementaris dicitur, sed is, *qui blandus & benignus*, secundum *Aristotelem 2. de Generatione anim. cap. 3.* omnibus partibus à seminis calore ingeneratur, qui *teste Aristot. lib. de respir. & Gal. 2. de temp. cap. 2.* vitæ conservator est. Hoc calore viventia perpetuò perfunduntur, undè viventia tactu calida, mortua verò refrigerata percipimus.

*Quid sit humidum primigenium?*

Cùm autem hic calor sit qualitas, ideò sine subjecto proprio esse nequit, quare *humidum primigenium* vel Radicale conditum & partibus ingeneratum est in prima conformatione ex aërea sanguinis & seminis portione, ut foveat hunc calorem nativum. Ergò *primigenium humidum* non est illud, quod ex Elementis generatur, & Elementare dicitur, nec etiam est illud, quod ex alimentis comparatum, alimentare vocari solet. *Sed est oleaginea humiditas partibus ingenerata.*

*Quid spiritus insitus?*

His duobus, addidit natura *spiritum insitum*, qui unà cum humido primigenio, & calore nativo in generatione ex subtiliori seminis portione genitus, omnibus viventibus partibus insidet, eorumque Essentiam conservare nititur.

Patet igitur ex hisce, calidi Nativi natura, quæ in illis tribus consistit; cumque sine illis nulla pars vivens esse, aut operari possit, ideò non incommodè possunt vocari *principia Partes constituentia.*

*Instantia.*

*Solutio.*

Nec moveat aliquem, si interdum apud *Galenum* & alios legat, calidum Nativum esse spiritum insitum vel humidum Radicale, hoc enim aliter non accipitur ab Autoribus, quàm quatenus arctè hæc tria inter se conjuncta sunt, undè etiam omnes in eo conveniunt, quod *calidum innatum sit quiddam substantiale*, non verò accidens, quod de calore nativo dici potest. Ergò manifestum est ex dictis, calidum innatum esse quiddam, quod partibus ingeneratum, à semine & sanguine materno ortum suum ducat.

Undè ipsius *Fernelii* sententia, *lib. 4. Phys. cap. 1. lib. de abditis rerum causis*, qui statuit calorem nativum cœlestis esse naturæ, probatur minimè, quia hoc statim sequeretur absurdum, nativum calorem esse immortalem, quò igitur abibit post obitum cum suo spiritu: magis autem hoc patebit ex sequentibus, ubi demonstrabimus, quomodo hic calor foveatur, & recompensetur ab alimentis.

---

*CAPUT IV.*

# DE HUMORIBUS ALIMENTARIIS ET CALORE SPIRITIBUSQUE INFLUENTIBUS QUÆ SUNT PRINCIPIA PARTES CONSERVANTIA.

QUamvis Calor nativus non sit corruptivus, sed blandus & amicus, nihilominus tamen quotidiè agit in humidum tanquam suum adæquatum pabulum: ne igitur facili negotio absumpto humidò calor ipse quoque evanescat, idcircò natura condidit quædam *principia partes conservantia*, ubi sese offerunt *alimentares humores*, *calor influens*, & *spiritus influens.*

*Calor nativus quomodo conservetur?*

Etsi verò *Aristoteles 2. de ortu text. 9.* sub humidi ratione omne id intelligat, quod suo termino difficulter continetur: *hic tamen humor est corpus fluidum, ex chylo vi jecoris (secundum Veteres; cordis vero secundum Recentiores) nutritionis gratiâ genitum*, ut inquit *Avicenna.* Quarè propriè in corpore humano *per humorem* intelligitur is, qui nutrire potest, qualis est alimentarius, qui in Epate vel Corde generatus & abso-

*Quid sit humor alimentalis?*

lutus ad omnes partes nutriendas defertur. Hæc est illa humiditas, per quam recompensatur humidum primigenium.

*Quotuplex in corpore humiditas?* Manifestum igitur est in omni parte vivente *triplex esse humidum, Elementare, primigenium vel Radicale, & alimentare*, id quod in combustione lignorum viridium ad oculum demonstrare potest, ubi primò effluit aquea humiditas, quæ ex alimento à terrâ hausto superest, & respondet humido alimentario in corpore animalis: deinde, ubi absumpta est illa, incipit humidum radicale, cujus ratione facilè flamma concipitur & conservatur, quia est oleagineum & aëreum, hoc per calorem absumpto, quandiu adhuc consistunt carbones obtinent in sese humidum elementare, donec omninò in terreum cinerem redigantur, ubi illud quoque humidum absumitur.

*Alimentare humidum ex quatuor diversis partibus constare.* Cùm verò omnium partium natura non sit eadem, ideò hoc alimentare humidum, quo insitum illud quotidiè reficitur, ex 4. diversis partibus constat, scilicet *Sanguine*, qui calidus & humidus, *Phlegmate*, quod frigidum & humidum, *Bile flava*, quæ calida & sicca: & *Melancholia*, quæ frigida & sicca est.

Hi 4. humores, qui ex diversis chyli partibus uno tempore, eodemque calore in hepate generantur, justo modo inter sese commisti, constituunt massam sanguineam, ad unamquamque partem nutriendam aptissimam: ideòque in venis sub unius humoris specie continentur, ex quibus tanquam per certos rivulos omnibus partibus adæquata transfertur portio.

*An ex propriè dicto sanguine humor alimentarius constituatur?* Undè etiam manifestum est, non solùm sanguinem ad alimentarium humorem constituendum sufficere, quod *Aristoteli* attribuunt *Averroës 2. col. lib. cap. 1 & Vallesf. lib. 1. controverf. cap. 14.* Sed contra ejusdem mentem, qui quamvis 2. *de par. cap. 3. & 4. & 1. de generatione cap. 19. & 2. de generatione 4.* sanguinem statuat nutrimentum, reliquos tamen non excludit, sed simul comprehendit sub sanguine, quod patet ex *2. de part. anim. c. 3. 4 5.* Cùm enim alimentum in substantiam nutriti converti debeat, requiritur, ut massa humoris alimentarii ita sit constituta, ut proportione respondeat quatuor Elementis, ex quibus omnes partes constant.

*An radicali humido nobilitate respondeat? Quamdiu duret?* Quamvis autem alimentum plurimas alterationes per varias concoctiones subire cogatur, nihilominus tamen non est tantę nobilitatis, ut illud radicale humidum, quod ex semine ortum est, ideòque consequitur illud vulgatum: *homini denique moriendum esse*, quod testantur sacræ literæ *Iobi 14. & Psal. 139.* Reparatur enim & restituitur illud humidum ad tempus, undè etiam calor nativus hoc modo diutius conservatur, quò pertinet illud *Philosophi lib. de respir. cap. 6.* calorem nativum esse ignem internum qui alimentis alitur.

*Insitum spiritum per influentem conservari.* Præterea cùm *Spiritus* quoque *insitus* ad partis Essentiam conservandam maximè spectet, ideò ne hic quoque deficiat natura, condidit *influentem spiritum*, qui Medicis triplex statuitur: *Vitalis, Animalis, & Naturalis*. *Spiritus Vitalis* est, qui in corde tanquam fonte caloris, ex purissima sanguinis portione elaboratur, & reliquis partibus omnibus, per arterias tanquam vitæ principium communicatur. *Animalis* ex vitali in cerebro elaboratur, ut sit instrumentum animalibus actionibus aptissimum. *Naturalis* denique unà cum sangnine in Epate generatur, ut nutritioni inserviat.

*Quid spiritus Vitalis? Quid Animalis? Quid Naturalis?*

*Objectio. Aristoteles in fine lib de Natura Animalium.* *Contra Philosophi*, qui citra necessitatem Entium multiplicationem non concedunt, *Unicum* tantùm *Spiritum* esse volunt scil. *Vitalem*, à quo *Essentialiter* ipsis non differt *Animalis spiritus*, quamvis non negent, accidentalem hic esse differentiam, quam etiam alius consequitur usus, qui non statim differentiam specificam infert, aliâs etiam calor nativus esset multiplex, qui a & ille ad omnes animæ operationes tanquam instrumentum præcipuum inservit. *Naturalem* verò Spiritum non necessarium judicant, quia venis eam ob causam sunt conjunctæ Arteriæ, ut Nutritio fieri possit communicato vitali spiritu. Hinc etiam ipse *Galenus 12. Methodi med. c. 5.* de eodem dubitat.

*Unus spiritus in corpore habet sese ut malleus in Arte fabrili.*

*Decisio.* *Pro conciliatione* tamen notandum, quod Medici in suis differentiis non semper tantam adhibeant ἀκρίβειαν, ut Philosophi, qui tantummodò actionem respiciunt, ideòque distinguant ea diversimodè, quæ actiones variant, sive omninò specie differunt, sive accidentibus tantùm, de quo *Coll. Connimb. lib. 1. de ortu cap. 5. quæst. 11.*

*Contra Scaligerum Exerc. 280. An spiritus vivat?* Quamvis autem spiritus pręcipuum instrumentum sit animę, non tamen vivit, quia non nutritur propriè, sed tantùm per appositionem reficitur, nam nulla adsunt adæquata organa, quę necessariò ad vitam requiruntur, adde quod cum toto non cohæreant omninò, quod partis proprium est, ut patet ex *Coll. Connimb. lib. 1. de generat. & corrupt, c. 4. quæst. 24.*

Ut autem *spiritus influens* à corde communicatur toti corpori, ita etiam *calor influens* cum eodem, tanquam comes individuus conjunctus est, qui quamvis non sit idem *numero* cum insito, *specie* tamen ab eodem non differt, quia inter omnes calores nullam specificam agnoscimus differentiam cum *Averroe, Thoma. Colleg. Connimb.* & aliis. Nam sequeretur hoc absurdum, quod plura specie distincta uni contraria esse possint, quia *frigus* omni calori contrariatur.

*An calores specie differant?*

Ex his ergò patet, quænam sint illa Principia, quæ naturam conservant & reficiunt, quibus calidum nativum ad tempus restituitur. Liquet autem ex superioribus, quod alimenta plurimas cogantur subire alterationes in corpore, ut eam acquirant similitudinem, quæ ad partes nutriendas apta est; idcircò pro varietate mutationum illarum, varia quoque in corpore humano generantur excrementa, de quibus tanquam communioribus ante partium tractationem consequenter agendum est.

*CAPUT V.*

# DE IIS, QUÆ ACTIONE PARTIUM SECERNUNTUR.

HActenus illa, quæ necessitate quadam ad partes generandas, constituendas, & conservandas requiruntur, declaravimus, jam ad ipsarum partium propriè dictarum naturam declarandam, accedendum esset, nisi alia quædam se offerrent, quæ in partium numero, ut præcedentia non continentur, quamvis sint pleraque ignobilioris constitutionis. Huc igitur pernent *Alvi excrementa, humores excrementitii, pili, ungues, & adeps.*

*Tot esse excrementa, quot coctiones.*

Cum enim triplex sit coctio in humano corpore, ideò varia quoque excrementa generari, & Ratio & Experientia suadet. Ita in *prima coctione* cibi, ubi in ventriculo Chylus elaboratur, excernitur & separatur illud quod noxium est, ut sunt *alui excrementa*. In *secunda coctione*, ubi humores alimentarii in hepate (vel secundum Recentiores in corde) generantur, fiunt humores excrementitii scil. *bilis in Vesicula fellea*, *Melancholia*, quæ à liene recipitur, & *Serum* vel *Urina*, quæ à Renibus attracta, vesicæ transmittitur: hi humores superioribus non annumerantur, quia nullam nutritionis vim obtinent. De his autem omnibus manifestum est, quod in numero partium humani corporis minimè contineantur: reliqua vero, quæ *tertiæ coctionis* excrementa videntur, majori diligentia declaranda sunt, quia ab aliquibus pro partibus propriè dictis agnoscuntur, in horum numero sunt *Adeps, pili, & ungues*, de quibus in specie agendum est.

*Adeps quid?*

*Est autem Adeps vel Pinguedo* nihil aliud, quam sanguinis tenuissima & aërea portiuncula, quæ per venas transsudans, vel ex earum orificiis exiens, in membranosis partibus concrescit. Quare excrementum tertiæ coctionis utile vocari potest, quatenus à saturatis partibus non assumitur, sed tanquam utile quiddam separatur, atque reponitur ad partes membranosas in quibus concrescit. *De causa efficiente* hujus concretionis, inter *Aristotelem & Galenum*, orta est controversia: hic Adipem à frigiditate membranarum concrescere statuit, ideòque totam actionem frigori referre videtur: ille verò 3. *de part. an. cap.* 9. & 3. *de hist. anim. cap.* 16. hanc actionem calori adscribit, ideòque non vult instar glaciei adipem concrescere.

*Adipis efficiens causa quæ sit? 1. de temper. c. ultimo.*

*Decisio?*

*Pro determinatione* hujus quæstionis notandum, quòd ad pinguedinis generationem requiratur *Calor remissior*, quem etiam *Galenus* intellexisse videtur, qui alias nihil actu frigidum in humano corpore concedit, undè obesiores sunt illi, qui remissioris sunt caloris, ut patet in mulieribus & virginibus, quia calor non est tantus, qui omninò absumere possit illam materiam Adipis, quod fit in naturis calidioribus. Rejicitur autem Adeps ex partium numero, quia certis terminis non circumscribitur, quod omnibus partibus convenit; adde quod inedia cæteras partes nutriat, ideòque tùm temporis fit alimentum partium.

*An adeps sit pars corporis?*

*Quid pili?*

*Ad Pilos* progredimur, horum materia est excrementum tertiæ concoctionis, siccum & vaporosum, quod eo in loco, ubi cutis rarior est, in fili modum enascitur, protrudente illud calore per poros cutis. Undè consequitur, quod humoris abundantis naturam color crinium imitetur, imò & hoc deducitur, quo sicciores crines eo calor intensior. Hos nec vitâ præditos, nec partes esse, rectè probat *Fernelius*, *Vallesius*, *Conciliator contra Scotum*, *Vergam*, *Bonaventuram*, quia crescunt interdum pili, ubi facultas nutritiva languet: imò crescunt etiam in mortuis, ideòque tantùm secundum longitudinem augentur non verâ nutritione, sed tantùm appositione.

*An vivant?*

*Ungues quid?*

Denique *ad Ungues* accedimus, qui ex nervosarum partium excrementis in extremitatibus oriuntur. Hos etiam animâ destitutos, arguit post mortem accretio, & incertus magnitudinis terminus. Quamvis autem *Valess. 2. Contr. cap.* 5. ungues in inferiori parte vivere dicat, propterea quod ibidem dissecti, vehementissimum inducant dolorem, & manifestas etiam Venas & Arterias habere videantur: nihilominus tamen potius dicendum putamus, quod dolor ille respectu membranæ subjacentis accidat, ad quem etiam illa vasa tendunt.

*Objectio.*

*Solutio.*

Aque hæc de adulterinis partibus, quæ partim principia, partim etiam effecta reliquarum partium nominari possunt.

*CAPUT VI.*

# DE PARTIBUS PROPRIE DICTIS SIMILARIBUS.

QUid propriè pats humani Corporis sit, patet ex superioribus: consideratis ergò iis, quæ ad partium naturam cognoscendam necessaria videntur, ad ipsas propriè sic dictas partes accedimus. Quamvis autem partes humani corporis variè dividantur, nihilominus hæc divisio ex ipsa partium Essentia dependet, ubi *ab Aristotele* 1. *de hist. an. cap.* 1. *Gal.* 8. *de plac. cap.* 4. *Avicenna lib.* 1. *fen.* 1. *doctr.* 5. *cap.* 1. in similares & dissimilares, distinguuntur. *Pars similaris* iisdem est, quæ in ejusdem Essentiæ particulas dividi potest, ideòque definitur.

*Corpus mixtum homogeneum à facultate generatrice ex semine ortum, & certo temperamento, ut alicujus actionis causa sit, definitum.*

*Quid sit pars similaris?*

Harum partium communiter decem numerantur, ut sunt *Os*, *Cartilago*, *Ligamentum*, *Membrana*, *Ner-*

*Pars similaris dupliciter consideratur.*

*Nervus, Arteria, Vena, Tendo, Caro, Curtis.* Dico *communiter*, quia notandum, quod pars similaris dupliciter accipatur, vel *exquisitè similaris*, cui optimè convenit Definitio tradita. Vel tantùm *ad sensum similaris.* Priori modo partis similaris nomen amittunt *Venæ, Arteriæ, Nervi, Membranæ, Caro musculosa, Cutis*, quæ partes tantùm ad sensum similares sunt, quia non omninò simplicem compositionem obtinent. Quare propriè dictæ similares partes tantùm remanent, *Os, Cartilago, Tendo, Ligamentum, Caro simplex*, quibus adnumerari potest, *fibra, & humor Crystallinus*, de quo in oculi declaratione.

*Distinctio partium similarium.*

*Quid partes spermaticæ? Contra Iobertum v. Laurent.*

*Quid sanguineæ?*

Omnes autem partes similares *in spermaticas & sanguineas* distinguuntur: *Spermaticæ* sunt, quæ magis ex crassamento seminis generantur, quàm ex sanguine, ut sunt Os, Cartilago, Vena, Arteria, Ligamentum, Tendo, Nervus, Fibra; hæc enim proptereà exanguia sunt, & per consequens frigidioris constitutionis, undè etiam ob imbecillitatem efficientes difficulter coalescunt partes spermaticæ primario coalitu, cui etiam inservit materiæ dispositio, quæ non confertim affluit, & naturalis partium siccitas, quæ unionem impedit, quia in omni mixtione aqueum requirit *Philosophus*, quod officium obtinet. *Contra sanguineæ* partes, quæ aliàs *Carnosæ* dicuntur, ex sanguine magis constant, ideòque calidiores & humidiores, & facili quoque negotio coalescere possunt, quia materiæ copia affluit disposita scilicet sanguinea massa, quæ non admodum alterata in harum substantiam converti potest.

*Quæ propriè partes similares.*

Cùm verò non omnes partes enumeratæ propriè similares vocentur, ideòque de iis hoc capite tractabimus, quæ sub definitione similaris partis continentur, ut sunt *Os, Cartilago, Ligamentum, Tendo & Fibra. Carnem* verò simplicem ad viscerum declarationem revocabimus.

*Quid Ossa?*

*Sunt autem ossa partes similares, frigidæ & siccæ, & per consequens duræ ex seminis crassiori parte genitæ, ut totum fulciant, ejusque motui inserviant.*

*Ossium usus 1.* — *2.* — *Cur plura ossa.*

Undè Ossa sunt quasi fundamenta Totius, ideòque sensu quoque destituuntur, & nullos nervos recipiunt, omnia, exceptis dentibus, hanc ob causam, ne perpetuum excitent dolorem. Verùm præter hoc officium, alter quoque usus non negligendus est, quod scil. ossa ad motum, quo de loco ad locum movemur, inserviant, ex quo colligitur, quam ob causam natura plura ossa condiderit, quæ inter sese necessariò conjuncta esse debuerunt, aliàs totum minimè sustinerent.

Hæc conjunctio fit vel κατ' ἄρθρον, vel κατὰ σύμφυσιν, quod modis diversis accidit, ut patet ex *Galeno lib. de Ossibus.*

*Omnium ossium distinctio.*

Omnia verò ossa inter sese conjuncta σκελετὸν constituunt, & distinguuntur in *Caput, Truncum &* *Artus. Caput* vicissim in *Calvariam & Faciem* dividitur. *Calvaria* constat 8. ossibus. 1. *Os frontis*, 2. *Occipitis.* 3. *duo bregmatis.* 4. *duo temporum.* 5. *Cuneiforme.* 6. *Ethmoides.* Hæc octo ossa conjunguntur per *suturas* octo, tribus veris, ut sunt *coronalis, sagittalis & lambdoides*: duabus spuriis, & tribus communibus, quæ omnes ad liberam fuliginum transpirationem faciunt. *Faciem* constituunt *maxilla superior* undecim, *& inferior* duobus ossibus constantes, quibus utrisque *Dentes* 16. infiguntur, quos sub ossium numerò meritò comprehendimus, quamvis sensum habeant, quia ossis natura non semper ponit denegationem sensûs. His annumerari possunt *processus temporum*, qui *Zygoma* dicitur, item *os hyoides* linguæ fundamentum, & officula auditus tria, *stapes, malleus & incus.*

*Ossa Calvariæ.* — *Ossa Faciei.*

*Ossa Trunci.*

Nunc *ad Truncum*, qui *in spinam, costas, & os innominatum* dirimitur. *Spinam* in *Cervicem*, cujus septem. *Dorsum* cujus undecim, *lumbos*, quorum quinque sunt vertebræ & *Os Sacrum*, cujus extremum *Coccyx*, partimur. *Costæ* in utroque latere duodecim, superiores 7. veræ, reliquæ nothæ vel spuriæ: his in anteriore parte *Os pectoris*, in superiore *claviculæ duæ*, in posteriore *scapulæ* totidem annumerantur. *Os innominatum*, quod *D. Platerus coxam* vocat, in *os ilium*, *os ἰσχίον seu coxendicis*, *& os pubis* dividitur.

*Ossa artuum.*

Supersunt *artuum* ossa, *manuum* videlicet *& pedum.* In manu primum os est *Brachii*, duo *Cubiti*; *Carpi* octo: *metacarpii* 4. *digitorum* 15. Eodem modo in pedibus, primum est *femoris*, duo *tibiæ*, *pedii* 7. *Metapedii* quinque, *Digitorum* 14.

*Cartilago quid?*

Ossibus declaratis succedit *Cartilago*, osse mollior, ex terrestri seminis parte genita, ut ossium conjunctioni inserviat, aut etiam alias partes firmet, ut ex tractatione dissimilarium patebit.

*Ligamentum quid?*

*Cartilagine mollius est Ligamentum*, quo Articuli colligantur, ne dissiliant, & luxationem patiantur.

*Tendo quid? Fibra.*

*Ligamento mollior adhuc tendo*, musculi scilicet extremitas, que motus gratiâ in Articulum inseritur.

Denique *Fibra* pro diversitate actionis, partibus etiam diversa ingeneratur, ut ex ipsa partium dissimilarium tractatione patebit.

---

## CAPUT VII.

# DE PARTIBUS SIMILARIBUS AD SENSUM.

*Quæ ad sensum similares partes?*

Inter Partes Similares sic dictæ communiter, supersunt illæ, quæ *ad sensum* similares dicuntur, ut sunt *Vena, Arteria, Nervus, Cutis, Musculus vel musculosa caro, & Membrana*, de quibus hoc capite agendum est.

*Vena quid?*

*Vena* Græcis φλὲψ est pars corporis oblonga, rotunda & cava, tenui tunicâ, omni villorum genere texta constans, ut sanguinem à partium nutrimento re-

siduum

ſiduum ab omnibus partibus recipiat & ad epar & cor ad perfectionem debitam acquirendam deferat. *Dico oblonga, rotunda, & cava*, quia vena juſtam conformationem requirit, in quo, cum organicis convenit. *Dico tenui tunicâ*, quia venarum tunica ſimplex eſſe debet, in quo ab Arteriis differt. *Dico omni villorum genere*: nam in venis triplices ſunt fibræ propter uſum communem, ut ſcilicet ſanguinem trahant, contineant, & transmittant, undè *fibras rectas, obliquas & transverſas* obtinent.

*Omnium venarum delineatio.* Sunt autem duæ venæ, ex quibus reliquæ ſuam ducunt originem: *Vena Portæ, & Vena Cava. Vena Portæ* ex ſinu hepatis progrediens, primùm mittit ramulos in ventriculum, veſiculam felleam, duodenum & Epiploon, poſtea dividitur *in Splenicum & Meſentericum ramum*, ille in ſplenem diſſeminatur, hic verò in Meſenterium abſumitur, à quo venæ hæmorrhoidales & Meſeraicæ conſtituuntur. *Propagines venæ portæ.*

*Propagines venæ cavæ* *Vena Cava* hepar quaſi pertranſire videtur, ideòque duos ramos maximos, *aſcendentem & deſcendentem* conſtituit. *Superior aſcendens* mox ramulum Diaphragmati inſerit, deindè ad dextrum cordis ventriculum, in baſin cordis mittit venam *Coronariam*: poſtea à corde ad caput aſcendens primò conſtituit venam *azygon*, mox *intercolaſtem*, denique *mammariam* ad pectus emittit, quibus fuſis rivulis, *internam & externam jugularem* ad caput & duos *axillares* ad brachia mittit. *Inferior deſcendens* truncus primò emittit *Adipalem* venam ad externas renum tunicas. 2. *Emulgentem* ad Renes. 3. *Spermaticam* ad teſtes. 4. *Lumbarem* ad lumbos. *Muſculam* ad muſculos inferioris Regionis. Poſteà *in duos iliacos ramos* diſtinguitur, ex quibus in Corpore adhuc exiſtentibus generantur quatuor venæ, *Sacra, Hypogaſtrica, Epigaſtrica & Pudenda*, præter Cavum & portæ venam eſt & alia, quæ infantem in utero nutrit & vocatur *umbilicalis*. De venis tantùm, ad Arterias accedo.

*Arteria quid?*

> *Arteria eſt pars corporis oblonga rotunda, & cava duplici tunicâ conſtans, & triplici fibrarum genere texta, ut à Corde ſpiritum vitalem & ſanguinem ad univerſi corporis nutritionem & conſervationem devehant.*

*Dico pars oblonga, &c.* quia habet eandem conformationem cum venis. *Dico duplici tunicâ*, quo differt à venis, quia duæ ſunt tunicæ propriè, quarum una tenuis exterior ſcil. interior verò *Herophylo* quintuplo craſſior eſt venis, hunc ob finem, ut apta ſit ad ſpiritum vitalem continendum, quia aliàs facilè exſpiraret. *Dico triplici fibrarum genere*, quæ ad attractionem, retentionem & diſtributionem inſerviunt, cumque poſterior actio maximè requiratur, ideò plures ſunt fibræ transverſæ, quibus diſtribuit & expellit, pauciores rectæ & obliquæ. *Dico à Corde*: ut enim venæ ab Epate, ſic Arteriæ à Corde oriuntur, cui etiam inſerviunt tanquam miniſtræ. Undè etiam Corde dilatato, dilatantur, & eodem conſtricto, conſtringuntur ab eadem facultate, qua Cor movetur, ideòque vicCordis funguntur in reliquis partibus. Quamvis *Scalig. Exerc.* 296. ſit opinio: Corde conſtricto, dilatari Arterias, & contrà, Corde dilatado Arterias conſtringi ob ſpirituum impulſum, nihil tamen concludit hæc Ratio, quia Arteriæ non dilatantur ob ſpirituum impulſum, ſed ſpiritus ingreditur propter dilatationem, quæ fit à facultate inſita, cujus rei Exemplum in follibus fabrorum, qui, dum dilatantur, imbibunt aërem, dum concidunt, repellunt eundem. *Instantia.* *Dico ut ſpiritum vitalem & ſanguinem ad univerſi corporis nutritionem & conſervationem devehant*, ubi finis arteriarum apparet, ita ut officium primarium earundem in eo conſiſtat, ut iiſdem mediantibus cor totius corporis conſervationi præeſſe poſſit: cumque omnes partes nutritione & vitâ indigeant, ideò *Arteria magna* è ſiniſtri cordis ſinu egrediens ſtatim in duos Ramos *aſcendentem & deſcendentem* dividitur. *Aſcendens* primò baſi Cordis inſerit Arteriam *Coronariam*, deindè *Intercoſtalem*, *Mammariam* & *Cervicalem* diſſeminat. Denique *Corotidam* ad caput mittit. Poſtea ad brachia mittit inſignes truncos ſcilicet *Axillares Arterias*. *Deſcendens* Arteriæ truncus primò *cæliacam* ad Ventriculum, Omentum, Jecur, &c. multis rivulis procedentem: *Meſentericam* ſuperiorem ad eam Meſenterii partem, quæ inteſtina tenuia continet; *Renalem*, vel *emulgentem*, *Spermaticam*, *Lumbarem & Muſculam* emittit. Poſtea in Ramos *Iliacos* dividitur, quorum uterque adhuc in Corpore quinque ſurculis fruticatur, *hypogaſtrico, umbilicali, Epigaſtrico & pudendo*. *Arteriæ magnæ propagines.* Atque hæc eſt Arteriæ magnæ diſſeminatio, cui annumerari poteſt *vena Arterioſa cum Arteria venoſa*, quæ ex corde in pulmones tendunt, & *aſpera Arteria*, per quam Aërem attrahunt pulmones. *Vena arterioſa & arteria venoſa. Arteria aſpera.*

*Nervus quid?*

> *Nervus eſt vas à Cerebro aut ſpinali medulla ortum, interius medulloſum, externis duabus membranis amictum, ſpiritum animalem à Cerebro, ſenſus & motûs gratiâ, partibus deferens.*

*Dico Vas*, quia convenit in eo cum Venis & Arteriis, quo ad conformationem, exceptâ cavitate, quæ in eo perſpicua non eſt. *Dico à Cerebro*, quod principium nervorum eſt, cui etiam tanquam fideliſſimi miniſtri famulantur. *Nervorum principium.* *Dico ſpinali Medullâ*: Nam hæc Cerebri vice fungitur in partibus inferioribus, ideòque plurimos nervos emittit. *Dico medulloſum*, quia in interna parte ſpongioſi & medulloſi ſunt nervi, in quo ſui principii ſcilicet cerebri naturam imitantur. *Dico duabus membranis*, quia Nervi ad motum præſtandum firmi eſſe debent, ideò optimè duplici pariete interior eorum ſubſtantia munitur, adde quod hoc modo aptiſſimi ſint ad ſpiritum animalem continendum & vehendum.

Dico

*Dico sensus & motus gratia*, quia utrique inserviunt Nervi, nam unus idemque Nervus sensum & motum præstare potest, ut patet in Nervis, qui à spinali medulla ad manus derivantur, à quibus sensus & motus dependet.

*Cur interdum motus pereat illæso sensu?* Quod enim interdum motus pereat, illæso sensu, hoc propterea accidit, quia major spirituum copia ad motum, minor ad sensum requiritur: adde quod per occlusos, & cœcos meatus pauci spiritus sensui sufficientes transmitti possint.

*Nervorum paria.* Numerantur autem *octo nervorum paria*, quæ à *Cerebro* descendunt, quibus adduntur *paria triginta*, quæ à *spinali medulla* oriuntur, in quorum exortu observavit *Laurentius*, quod enasci interdum incipiant à Cervice, & postea in lumbis erumpunt, unde causam reddere potest, quare luxata vertebra cervicis, lædatur pedis, vel femoris motus.

*Cutis.* Ad partes similares ad sensum annumeratur etiam *Cutis* pars corporis nervea, ex semine nata, quæ corpus totum extrinsecus integit, ideoque in eam plurima vasa definunt: unde etiam exquisito sensu prædita est, licet in una parte minus quam in altera.

*Musculi.* Huc etiam *Musculi* referuntur, qui sunt corpora Carnosa, quibus Nervi motus facultatem deferentes, implantantur, & constant tribus partibus: *Capite*, quod ex osse enascitur, *media Carne*, quæ princeps motus organum & *tendine* in membra movenda desinente. Horum omnium addere descriptionem, nostrum non patitur institutum, quorundam tamen & præcipuorum mentionem faciemus in Tractatione dissimilarium.

*Membrana quid.* *Membrana* denique est pars Corporis cute tenuior, & siccior, ex semine progenerata, cujus usus in corpore est multiplex, ut patebit ex sequentibus. Inter membranas autem, omnium maxima est *membrana Carnosa*, quæ cuti subjacet & in brutis atque facie hominis musculosa ut cutim movere possit: in reliquo vero hominis Corpore membranosa undique Adipe obducitur.

---

## CAPUT VIII.
## DE PARTIBUS DISSIMILARIBUS IN GENERE.

*Quid partes dissimilares?* Ita partes similares hactenus consideravimus *ad partes dissimilares* accedendum est, quæ in partes diversæ Essentiæ dividi possunt, & definiuntur hoc modo.

*Partes dissimilares sunt corpora composita ex similaribus debito numero, figura & justa magnitudine coëuntibus, cum idoneo situ & consensu ad certam aliquam actionem perfecte edendam.*

Patet igitur totam dissimilarium naturam in compositione consistere, quæ propter usum requiritur, unde fluit illa divisio dissimilarium partium *in principales & minus principales*.

*Quid principales?* *Principales* sunt, quæ absolute ad individui conservationem necessariæ sunt, ubi sese offerunt *Cerebrum*, *Cor & Epar*: sunt enim tres præcipue facultates Totum conservantes, scilicet Animalis, Vitalis, & Naturalis, quibus hæc membra præsunt. Quamvis autem hoc loco pluribus disputari soleat de partium principatu, nihilominus tamen notandum, quod hæ partes tres merito principes dicantur, quatenus usum & necessitatem earundem respicimus.

*Cordi principatum deberi.* Non tamen negandum est, quod in comparatione unius ad alteram principatus *Cordi* remaneat, *quia Anima in Corde radicaliter inhæret*, unde etiam Cor reliquis vim quandam agendi communicat. Quare *Conciliator diff.* 38. inquit, *radicaliter*, unum tantum esse principale membrum, scilicet *Cor*, *manifestative*, vero & *secundario* plura.

His tribus principalibus membris Galenus in Arte parva annumerat etiam *testes*, quos hic omittimus, quia etiamsi testes sint necessarii ad conservationem speciei propter generationem, non tamen simpliciter ad Individui conservationem sunt necessarii.

*Corporis Divisio.* Hæc tria principalia membra totum corpus in tres cavitates insignes dividunt, in *ventrem Infimum*, *Medium & Supremum*. In infimo & medio ventre, considerantur illa membra, quæ nutritioni, generationi, & vitæ dicata sunt: in summo vero, resident illa, quæ sensui & motui aptissime judicantur.

---

## CAPUT IX.
## DE INFIMO VENTRE, ATQUE PRIMUM DE MEMBRIS NUTRITIONI DICATIS.

Naturali facultati potissimum inserviunt illa membra, quæ in *Infimo ventre* continentur. Cum vero ad hanc facultatem non solum pertineat nutritio, sed etiam generatio, ideo in hac infima cavitate *duplicia* continentur *membra*, partim *nutritioni*, partim etiam *generationi* inservientia. De illis hoc capite agendum est.

Quamvis autem præcipuum nutritionis instrumentum sit *Iecur*, secundum veteres, nihilominus tamen illud non sufficit, sed alia etiam organa minus principalia requiruntur: nam cum nutritio fiat per conversionem nutrimenti in substantiam nutriti, necessario requiritur, ut alimenta assumpta plurimas subeant coctiones & alterationes, unde in infimo ventre statim *duplex instituitur coctio, prima & secunda*.

*Prima concoctio quomodo fiat?* *Primam coctionem* perficit *Ventriculus*, qui est pars corporis membranosa, concava, duabus tunicis propriis,

priis, carnosis, certo & peculiari temperamento prædita, ut alimentum in chylum convertere possit, unde ejus actio dicitur χύλωσις Huic primò inservit *Os*, in quo cibus assumptus comminuitur, & quoddammodo alteratur: item *Oesophagus* vel *Stomachus*, qui constituit canalem, per quem cibus ad ventriculum transmittitur. Hic conjungitur cum superiore orificio ventriculi, quod sensu exquisito præditum propter insignes nervos, qui à cerebro descendentes inter ventriculum & cerebrum consensum constituunt. Ventriculo continua sunt *intestina* corpora oblonga, rotunda & concava, quæ chylum à ventriculo recipiunt, eumque magis elaborant. Hæc connectuntur inter sese *per Mesenterium*, in quo sunt *Venæ lacteæ*, quæ chyli partem optimam ex intestinis sugunt, eamque ad Hepar deferunt, ex qua venarum suctione fames generatur, quando chylus deficit. Quod in intestinis à venis relinquitur, illud tanquam inutile per secessum rejicitur. Incumbit autem intestinis & ventriculo corpus membranosum duplex plurimis arteriis & venis constans, quod *Epiploon vel Omentum* dicitur, quod adjuvat operationem ventriculi & intestinorum, quatenus fovendo calorem internum auget & fovet.

*Stomachus quid?* *Intestina quid?* *Mesenterium.* *Fames unde?* *Omentum.*

*Secunda concoctio quomodo fiat?* *Hepar quid?*

Chylo hoc modo elaborato succedit *secunda concoctio*, ad quam prima ordinata est: unde hepatis consideratio subsequitur, quod definitur hoc modo: *Hepar* est pars corporis dissimilaris, venis, arteriis, nervis, atque proprio parenchymate ita conformata, ut optimum sanguificationis instrumentum esse possit, unde ejus actio dicitur αἱμάτωσις. Hoc membrum in infimo ventre principatum obtinet, & est præcipuum nutritionis instrumentum, quatenus ex chylo, per venas lacteas ab intestinis transmisso, sanguinem conficit, quem postea cava ad cor, ut ibi novas accipiat vires, deportat. Quamvis autem hæc actio αἱματώσεως ab *Aristotele, Averr. Conciliatore* attribuatur cordi, falsò tamen innititur idipsum fundamento, quatenus statuit à corde venas omnes, tanquam à suo principio, procedere, id quod experientiæ, & observationi Anatomicæ reclamat. Firmum igitur est illud, sanguinem in Epate elaborari, cui plurimum inservit propria hepatis caro, quæ concreto sanguini non absimilis, unde etiam sanguis propterea rubedinem assumit.

*Excrementum secundæ coctionis triplex.*

In hac secunda coctione *triplex* generatur *excrementum*, crassum scilicet & terrestre, tenue & biliosum, & serosum: unicuique recipiendo peculiaria sunt dicata organa, ubi *vesicula fellea, lien & renes* sese offerunt, de quibus agendum est.

*Vesicula fellea quid?*

*Vesicula fellea* est pars membranosa simplex, triplici fibrarum genere constans, ex dextra hepatis parte propendens, ut biliosum excrementum à jecore recipiat. *Dico pars membranosa*: quia constat membrana simplici, quæ tamen firma est, propter fibras diversas: obtinet fibras rectas, quibus allicit; obliquas quibus retinet; & transversas, quibus expellit bilem. *Dico ex dextra parte propendens*: quia in vicinia hepatis continetur hoc membrum, ut noxium hunc humorem à laudabili sanguine statim separet, ne unà cum reliquis humoribus ad partes corporis per venas transmittatur. *Dico ut biliosum excrementum*: quia bilis non ut nutrimentum recipitur à vesicula, sed ut excrementum, ideòque bile non nutritur vesicula fellea, quod *Iobertus* vult, quia videmus conspicuas venulas, quæ in substantiam vesicæ inseruntur, unde nutrimentum à vena portæ recipit.

*Duplex meatus vesiculæ fellis.*

In hac vesicula fellea duplex observatur meatus, vel χολέδοχος, *unus* in hepar desinit, per quem vesicula recipit bilem: *alter* ad duodenum intestinum procedit, qui bilem ex vesicula ad intestina mittit, ubi excrementum hoc quoddam usu adhuc inservit corpori, quatenus intestina ad rejicienda excrementa extimulat. Atque hoc modo excrementum biliosum excernitur.

*Quid Lien?*

Ad Lienem accedimus, qui Melancholicum recipit succum. Est igitur *Lien* pars corporis omni vasorum genere, & propriâ carne spongiosâ ita conformata, ut crassum excrementum recipere, & à bono sanguine separare possit. *Dico omni vasorum genere*, quia lien obtinet venas, arterias & nervos: venæ oriuntur à vena portæ, quæ multâ & copiosâ serie in substantiam lienis desinunt, per quas sanguis plurimo excremento terreo commixtus lieni communicatur: Arteriæ plurimæ sunt in liene, quæ oriuntur à ramo Cœliaco arteriæ magnæ, per quas spiritus vitalis & calor influens lieni communicatur, ut eò citius Melancholicum hunc sanguinem, suâ naturâ frigidum, elaborare possit, unde maximè inserviunt ad ipsius lienis usum præstandum, ubi id quod bonum est in nutrimentum lienis cedit: Id verò quod omninò excrementitium est, vel per vas breve ad ventriculum mittitur, ubi est causa appetentiæ in famelicis, unde etiam Melancholici voraces dicuntur; aut etiam per splenicas venas ad intestina transfertur. Et hoc modo lien inservit hepati, sequitur ut cognoscamus etiam illas partes, quæ tertium excrementum, scilicet serosum expurgant.

*Renes quid?*

Hic offerunt sese *Renes* partes corporis dissimilares, ad serosum excrementum à sanguine separandum optimè conformatæ. In harum substantiam desinunt *arteriæ & venæ emulgentes* dictæ, à quibus unà cum sanguine arteriali & venali recipitur serum, quod in renum cavitatibus exiguis separatur à laudabili parte, quæ in renum nutrimentum cedit. Id verò quod omninò excrementitium est, per duos ductus *Ureteres* nominatos ad vesicam urinariam demittitur, per cujus cervicem voluntate jubente excernitur: nam cervix vesicæ clauditur peculiari musculo, quam Græci σφιγκτῆρα vocant, cujus munus proprium est, exitum illum custodire, ne nobis invitis urina effluat.

*Ureteres.*

Et hoc modo secunda & prima concoctio in corpore perficitur; quod tertiam attinet, illa in unaquâque parte ab insitâ facultate præstatur: patet ergo quænam membra in inferiori cavitate coctionibus dicata sint.

---

## CAPUT X.
## DE MEMBRIS GENERATIONI INSERVIENTIBUS.

PRæter illa membra, quæ coctionibus inserviunt in infimo ventre, considerantur etiam hoc loco *membra genitalia*: nam cum omnibus rebus appetitus æternitatis sit insitus, ideò corporibus animatis, quæ quo ad numerum corruptibilia sunt, speciei conservatio concessa est, quæ per generationem propagatur; hinc igitur omnibus Veneris appetitus à naturâ quasi ingeneratus est: quis enim aliàs, ut utar *Laurentii* verbis, per Deum immortalem concubitum, rem adeò fœdam sollicitaret, amplexaretur, ei indulgeret? Cùm verò supra dictum sit, hanc ob causam diversi sexûs individua, scilicet Marem & Fœminam Deum Opt. creavisse, meritò hæc genitalia membra distinguimus *in virilia & muliebria*, quia ex diversitate horum membrorum diversitas sexuum nascitur. Cùm verò mas non in sese, sed in alio generet, quatenus scilicet semen prolificum alteri communicat; ideò omnia membra genitalia, vel ad semen conficiendum, vel ad semen emittendum ordinata erunt.

*Membra genitalia.*

*Eaque duplicia.*

*Semen conficiunt testes*, corpora rotunda, oblonga, duabus tunicis propriis & totidem communibus tecta carne cavernosâ constantia, in quibus semen elaboratur & perficitur. *Dico duabus propriis tunicis*: harum una est exterior, quæ ἐρυθροειδὴς vocatur, quod propter fibras carnosos subrubeat, & interior, quæ præcedenti subjacet, & substantiam testium inmediatè continet, quæ *Galeno* δαρὸς dicitur. *Dico totidem communibus*, quæ scilicet utcunque testem continent & bursam, sive vasculum exterius, in quo testes continentur, constituunt. *Dico in qua semen*, &c. quia testibus propriè convenit vis illa σπερματοποιητικὴ, ut rectè contra *Aristotelem* concludit *Galenus*, ideòque hanc ob causam testes etiam ad principalium partium numerum refert *in arte parva*.

*Testes quid?*

His membris inserviunt alia, ut sunt primò quatuor vasa, quæ seminis materiam deferunt, duæ arteriæ & duæ venæ spermaticæ quæ seminis materiam præparant & ad testes deducunt: illæ oriuntur ab arteriâ magnâ; hæ à venâ cavâ, ubi notandum, quod una, scilicet dextra vena à trunco venæ cavæ, altera verò, scilicet sinistra, originem habet ab emulgente venâ, unde dexter testis nobilior sinistro in generatione, quia ad sinistrum sanguis serosus defertur, unde semen ignobilius generatur. Deinde inservit *epidydimis*, corpus varicosum candidum, in quod vasa illa deferentia desinunt, cujus usus est, ut semen quodammodo præparet. Denique semen excoctum deferunt alia duo vasa, à testibus orta, & ad vesicæ cervicem tendentia, quæ dicuntur *ejaculatoria*. Postremò à deferentibus semen recipiunt *duo prostatæ*, glandulosa corpora, vesiculas plurimas continentia, in quibus semen asservatur ad usum.

*Vasa deferentia & spermatica.*

*Epipydimis.*

*Ejaculatoria.*

*Prostatæ.*

Cùm verò semen virile in corpore nullum habeat usum, sed extra corpus emitti debeat, idcircò *Penis* mari concessus est, qui κατ' ἐξοχὴν μόριον sive membrum dicitur, cujus substantia & conformatio talis est, ut ad seminis emissionem, generationis gratiâ, sit aptissimus: nam hoc ipsius præcipuum officium est. Atque hæc sunt virilia membra, sequuntur muliebria.

*Penis.*

Cùm verò non tantùm virile, sed etiam muliebre semen ad generationem requiratur, ut supra determinatum est, ideò in mulieribus quoque sunt testes, semen præparantes & conficientes, qui tamen plurimùm differunt à virorum testibus, quia minores, frigidiores, simplici tantùm tunicâ tecti, & in interiori cavitate repositi sunt: his materiam seminis deferunt duæ arteriæ & venæ, quæ exortu non differunt à vasis deferentibus virorum. Ex testibus postea oriuntur vasa ejaculatoria, flexuosa magis, quàm in viris, quæ semen muliebre ad uterum deducunt.

*Testes mulierum.*

*Vasa præparantia.*

Reliqua membra genitalia peculiaria habet mulier à viro, ut scilicet sunt *uterus & ejus cervix*. *Uterus*, quem veteres μήτρην καὶ ὑστέραν dixerunt, est membrum membranosum, ex pluribus similaribus partibus ita conformatum, ut ad generationem, tanquam hortus fœcundissimus, inservire possit. Nam in eo semen concipitur, retinetur, & actuatur, unde sequitur partium dispositio, conformatio & elaboratio. Ut autem semen virile ab utero recipiatur, ideò *cervicem oblongam*, vaginæ instar, obtinet, qua membrum virile recipit, ejusque semen generationis attrahit. Hæc *uteri cervix*, aliàs collum uteri, duobus finitur orificiis, interiori, quod post conceptionem arctè clauditur; & exteriori, quod variis particulis, tàm exterius oculis incurrentibus, quàm interius latitantibus constat.

*Uterus quid?*

*Uteri cervix.*

Ita membra genitalia in utroque mare & fœmina ad generationis opus concurrunt, quæ omnia oculis philosophicis consideranda, auribus medicis percipienda, & speculatione theologicâ ad usum transferenda sunt, ita ut indè nihil aliud, quàm summi artificis omnipotentiam & sapientiam colligamus & addiscamus.

Atque hactenus ita consideravimus membra in infimo ventre contenta, quæ omnia à *Peritonæo*, corpore membranoso, undique continentur, cui incumbunt *musculorum abdominis* quinque paria, duo obliqui ascendentes, duo obliqui descendentes, duo recti, duo transversi, & duo pyramidales, qui infimum ventrem comprimunt & extendunt, ideòque excretioni fæcum præcipuè inserviunt.

*Peritonæum quid?*

*Musculi abdominis.*

C A-

CAPUT XI.

## DE MEMBRIS VITALI FACULTATI INSERVIENTIBUS, QUÆ IN MEDIO VENTRE CONTINENTUR.

AD *medium ventrem*, qui undique ferè ossibus circumdatus & munitus conspicitur, accedimus. In hâc corporis cavitate vitæ principium, *Cor* scilicet, residet, quod cum suis ministrantibus considerabimus. Ante omnia tamen notandum, quod *continentes pectoris partes* vel pectori inserviant tantùm, vel aliis etiam simul.

*Cor.*

Pectori tantum inserviunt *defendendo* in anteriori parte *os pectoris*, in lateribus *costæ*, in superiori parte *claviculæ*, in posteriori *scapulæ*: item *membrana costas succingens*, quæ *pleura* dicitur: *motui pectoris* dicati sunt *musculi intercostales*.

*Os pectoris. Costæ. Clavicula. Pleura.*

Aliis etiam partibus simul famulantur *musculi pectorales & mammæ*: nam quamvis inserviant pectori defendendo, nihilominus alios etiam obtinent usus: sic musculi pectorales brachia movent: sic *mammæ* ad infantis nutritionem inserviunt, quatenus lac præparant in mulieribus, unde etiam glandulosam propriam substantiam obtinent, in qua vis illa λαγακτοποιητικὴ residet, unde etiam mammæ in virginibus minores, in mulieribus majores conspiciuntur, propterea quod in illis adhuc fine suo ultimo destituantur. Huc etiam referri potest *Diaphragma*, vel *septum transversum*, quod quamvis primariò respirationi famulatur, tamen inservit quoque cordi defendendo, quatenus scilicet mediam cavitatem ab infima separat, & ita fuligines à coctionibus inferioribus exhalantes ad cor non transmittit.

*Musculi intercostales & pectorales. Mammæ. Diaphragma.*

*Est autem Cor pars corporis humani principalis, omnis generis fibris & vasis, propriaque carne, durâ, & ægrè partibili, ita conformata, ut munia vitalis facultatis optimè subire possit.*

*Cor quid?*

*Dico pars principalis*, quod ex superioribus manifestum est, quia cor reliquis omnibus membris, quo ad usum, præstantius, quatenus scilicet omnes actiones reliquarum partium adjuvat & promovet simul. *Dico omnis generis fibris*, scilicet rectis, obliquis, & transversis, quæ attractionem, retentionem & expulsionem adjuvant. *Dico omnis generis vasis*, quia cor recipit arterias, venas & nervos: ubi primò notandum, quod cor duobus constet ventriculis dextro & sinistro: *ille* major est, & recipit à vena cava sanguinem, eumq; præparat, attenuat, & ad sinistrum ventriculum *per venam arteriosam & arteriam venosam* pro ulteriori elaboratione transmittit. *Sinister verò ventriculus* minor est dextro, in quo præparatur & elaboratur sanguis & spiritus vitalis; ex hoc igitur cordis ventriculo egreditur *arteria magna*, quæ omnes in corporis partes disseminatur, ut patet ex *cap.* 7. præcedenti. Cùm verò magna arteria ad pulmones non perveniat, ideò aliud est vas scilicet *arteria venosa*, quæ ex hoc quoque ventriculo ad pulmones tendit, per quam cor spiritum vitalem pulmonibus communicat, & aërem frigidiorem præparatum recipit. Hæc quatuor vasa in cordis basin inseruntur, ubi exterius in utroque latere conspiciuntur *Auriculæ*, à similitudine sic dictæ, corpora scilicet cavernosa, quorum usus præcipuus est, ut sint velut promptuaria quædam sanguinis & aëris, derepentè irruentium, ne fiat subita suffocatio: Interius autem in orificiis vasorum *Valvulæ* conspiciuntur, quæ vel sunt *semilunares*, quod scilicet signum lunæ falcatæ referunt; vel sunt *tricuspides*, quæ fibris plurimis ad imum cordis cuspidem pertinentibus, constituuntur: hæ valvulæ, vel foris clauduntur, ita ut iis clausis, nihil injiciatur: vel extra, ut nihil egrediatur: ita valvulæ venæ cavæ intus clauduntur, quia sanguis ad cavam à corde non remeat: arteriæ magnæ valvulæ extra clauduntur, quia spiritus vitalis ex arteria non vicissim in cor assumitur. Et hæc sunt vasa, quæ in cordis ventriculos desinunt: præter hæc sunt alia, quæ dicuntur *coronariæ venæ & arteriæ* quæ in cordis substantiam inseruntur nutritionis & vitæ gratiâ. *Dico ut munia vitalis facultatis*, &c. quod præstat cor, quatenus est sanguinis & spirituum officina vitalium, quibus toties vita conservatur; ut autem hoc suum officium ritè præstare possit, idcircò motum continuũ obtinet, qui constat systole, diastole, & intermediâ quiete: nam in systole sanguinẽ & aërem recipit: in Diastole spiritus, & spirituum excrementa expellit. Residet autem cor *in pericardio*, tanquam in arce sua, quod est corpus membranosum, cor undique circundans, ab eoque aliquântulum distans, ne motum ejus impediat: in hujus cavitate, ut plerique volunt, humiditas quædam continetur, humectandi & refrigerandi cordis causâ genita, quæ magis in mortuis, quàm in viventibus conspicitur. Hoc annectitur *Mediastino*, quod totum ventrem medium in duas partes, dextram & sinistram dividit, quo etiam cor quasi suspenditur, ita ut basis ejus versus dextram, mucro versus sinistram dirigatur. Tantùm de corde, sequitur ut ad pulmones accedamus.

*Vena Arteriosa. Arteria magna origo. Arteria venosa. Auriculæ. Valvulæ. Pericardium quid? Mediastinum quid?*

*Pulmo est pars corporis propriâ carne, tenui, ac spongiosâ, omnique vasorum genere ita conformata, ut ad respirationem facilè inservire possit.*

*Pulmo quid?*

In præcedentibus dictum est, cor esse fontem caloris & officinam spirituum, & per consequens vitæ principium: cùm verò absque respiratione non vivamus, necessariò sequitur Respirationem non esse actionem solitariam, sed eandem ad vitam conservandam ordi-

*Lib. de usu Respir.*

ordinatam esse. Hujus caloris conservationem *Galenus* rectè comparat cùm flamma, quæ duplici modo extinguitur; vel enim propter defectum olei hoc accidit; vel propter denegatam eventilationem: sic etiam nativus calor vel conservatur ab interno principio, à nutrimento scilicet, & humido, in quo tanquam in subjecto inhæret, vel etiam in ventilatione, quæ respiratione accidit. Ut autem flamma, denegatâ ventilatione, extinguitur, ita etiam animal moritur suffocatione per inhibitam transpirationem.

Est autem duplex respirationis officium, scilicet, ut aërem frigidiorem, ventilationis gratiâ, afferat & fuligines expellat, undè duæ ejusdem partes: *Inspiratio & expiratio.* Per inspirationem aërem attrahimus, qui in pulmonibus magis præparatur, attenuaturque & cordi communicatur, ut calor ejusdem conservetur, spirituumque generatio adjuvetur. Cùm verò in spirituum generatione fuliginosa generentur excrementa, imò cum aër quoque attractus fumosum quid in pulmonibus relinquat, ideò expiratio quoque adest, qua id, quod noxium est, expellimus. Hoc totum respirationis opus cordi inservit, quia ad vitalem facultatem conservandam ordinatum est: meritò igitur omnia organa huic operi dicata cordi famulantur, & præcipuè *pulmones*, qui undique thorace cor circumdant, cujus substantiam propria carne constare diximus, quæ tenuis & spongiosa est, ut plurimum aëris recipere, eumque attenuare & corde præparare possint. Hi per Inspirationem attolluntur, & aërem hauriunt: per exspirationem concidunt & excrementa expellunt, cui motui diaphragma, & reliqui pectoris musculi plurimùm inserviunt.

*Respirationis usus.*

*Aspera arteria quid?*

Perficit pulmo has operationes mediante *aspera arteria*, quæ in pulmonibus incipiens ad fauces usque desinit: hæc constat multis cartilagineis semicirculis in anteriori parte, quæ continuantur membranoso corpore in posteriori, ne subjacentem gulam lædant: In superiori parte clauditur *corpusculo cartilagineo*, quod ἐπιγλωττὶς dicitur, ne alimenta ad pulmones delabantur. Per hunc meatum fit exspiratio & inspiratio, ideòque primarium ejus officium Respirationi ordinatum est. Verùm præter hunc usum datur & alius, quatenus scilicet Asperæ arteriæ voci formandæ plurimùm inservit, quâ ob causam recipit *nervos recurrentes* dictos, quibus eidem vis vocalis à cerebro communicatur.

*Epiglottis.*

*Nervi recurrentes.*

---

CAPUT XII.

## DE INSTRUMENTIS ANIMALI FACULTATI INSERVIENTIBUS, QUÆ POTISSIMUM IN SUPREMO VENTRE CONTINENTUR.

Accedimus denique ad supremum ventrem, qui *capite* circumscribitur, in quo principium animalis facultatis, scilicet *Cerebrum* residet.

*Est autem Cerebrum pars corporis spermatica alba, temperamento frigido & humido, talique conformatione prædita, ut sensui & motui optimè inservire possit.*

*Cerebrum quid?*

*Dico pars spermatica* quia magis ad seminis, quam sanguinis naturam accedit, undè etiam ex semine maxima ex parte cerebrum conformatum esse videtur. *Dico frigido:* quia spiritus animales præparare debet, ad motum & sensum aptissimos, cui maximè inservit tale temperamentū. *Dico humido:* quia hoc modo ad rerum species recipiendas aptum est. *Dico tali conformatione:* nam quamvis temperies maximè inserviat ad cerebri actiones præstandas, nihilominus requiritur etiam apta conformatio, quæ has operationes adjuvat. Hoc cerebrum exterius *Cranio* munitur, quod pluribus ossibus, certis suturis distinctis, constat. Interius ab injuriis ossium defenditur *duabus membranis*, quarum prior à cerebro aliquantulum distat, & vocatur *dura Meninx*, vel *dura mater*, hæc undique duplex plurimas recipit, venulas & arteriolas, undè etiam quatuor effingit sinus, quos venæ percurrunt. Altera vocatur *pia mater*, quæ immediatè cerebri substantiam attingit & continet.

*Cranium.*

*Dura Meninx.*

*Tenuis Meninx.*

His partibus continentibus remotis, ipsius cerebri conformatio in conspectum venit: ubi primò in superiori parte in dextram & sinistram dividitur cerebrum, mediante durâ meninge, quæ sese insinuat: in posteriori verò à cerebro propriè sic dicto, quodammodo separatur *Cerebellum*, cujus substantia durior & siccior, quàm cerebri. Deindè plures etiam conspiciuntur *cavitates vel ventriculi*: ut sunt primò duo superiores, qui per *Callosum corpus* continuantur superius, per *speculum lucidum* inferius distinguuntur. In his conspiciuntur arteriolæ, *plexus choroides* dictæ, in quibus spiritus animalis præparatur & elaboratur: his substernitur *corpus concameratum*, quod est propugnaculum tertii ventriculi, cujus duo sunt ductus: unus versus anteriora ad cerebri basin descendit, & in membranam *pelvi* similem desinit, quæ *glandulæ pituitariæ* insistit, undè pituita ad fauces & palatum destillat. Alter tendit ad cerebellum, ubi quartus sinus constituitur: & ne hic ductus concidat substernitur *glandula pineæ nuci similis*: & via illa laxatur per adjacentia corpuscula, quæ *natibus & testibus* assimilantur. Hæ cerebri cavitates spiritum ex arteriis recipiunt, eumque magis ad sensum & motum præstandum præparant.

*Cerebellum.*

*Ventriculi.*

*Corpus callosum*

*Speculum lucidum.*

*Plexus Choroides.*

*Pelvis.*

*Glandula pituitaria.*

*Testes, Nates.*

Consideratâ cerebri conformatione, organa sensuum in conspectu veniunt, cum iis partibus, quæ motui voluntario inserviunt; quia hæc omnia cerebro, tanquam principi, famulantur. Quamvis enim in ipsius, cerebri substantia sensus interni peragantur: nihilominus tamen, cum illi externa sensuum objecta non perci-

*Organa sensuum.*

percipiant primariò, ideò alii sensus, externi dicti, sunt conditi, in quorum numero sunt *Visus*, *Auditus*, *Gustus*, *Olfactus*, *Tactus*, de quorum organis hoc loco paucis.

*Visui* inservit *Oculus*, cui vim videndi defert primum par nervorum à Cerebro, scilicet opticorum, juxta illud vulgatum:

*Optica prima, Oculos movet altera, tertia Gustat*
*Quartaque, quinta Audit, vaga Sexta, Septima Linguæ est*,

de quibus notandum, quod optici extra substantiam cerebri egressi, vicissim coëant, & ita literam x constituant, unde, altero oculorum clauso, citius rem videndam percipimus, quia spiritus statim, propter illam conjunctionem, in altero nervo colligitur, & ita hujus actio est fortior. Maxime necessarium instrumentum est *humor Crystallinus*, cui servit & *humor Aqueus*, & *Vitreus*. Continentur autem hi humores à certis tunicis, inter quas perspicuæ sunt *primo adnata* vel *conjunctiva*, quâ oculis exterius annectitur: secundo *Cornea*, quæ omnes tenuiores tunicas ab externis injuriis defendit: tertio *Uvea*, quæ folliculum uvæ refert, alias pupilla dicitur, & variis est prædita: quarto *Aranea*, quæ ob suam tenuitatem sic dicitur, & continet humorem crystallinum: quinto *Reticularis*, à retis similitudine: sexto *Vitrea*, quæ vitreum humorem circumdat. Obtinet autem oculus *sex musculos*, quibus hinc & inde movetur, in quos musculos secundum nervorum par à cerebro pendentium inseritur.

*Humor Chrystallinus. Aqueus. Vitreus. Tunica adnata. Cornea. Uvea. Aranea. Reticularis. Vitrea. Musculi Oculorum.*

*Auditui* inservit *auris*, inter ossa & carnem mediam naturam obtinens, cartilagineam scilicet pauco sanguine irrigatam. Constat autem *Auris* quatuor cavitatibus: *prima* est exterior, semper patens, tortuosa & angusta, in hujus fine est septum membranosum, quod *tympanum* dicitur, quo hæc prima cavitas à secunda distinguitur. Secunda cavitas à secunda distinguitur. Secunda cavitas vocatur *cochlea*, in qua continetur *aura innata*, quæ *Philosopho* princeps est auditus organum: in hac secunda cavitate *tria illa auditus ossicula* continentur, quæ membranam extendunt & sustinent, atque ad impulsum aëris quodammodo inserviunt.

*Auditui inservire Aurem. Cavitates in aure. Tympanum. Aura innata. Tria ossicula auditus.*

Tertia cavitas in angustos definit meatus, & dicitur *Labyrinthus*, per quam transiens sonus acutior redditur, & denique quarta est, in quam nervus auditorius definit, qui omnium sonorum species sensui communi refert.

*Olfactus Nasus* inservit, cujus primarium instrumentum sunt processus albicantes, *mamillares* dicti, à cerebro procedentes, unde etiam inspirando olfacimus, quod innuit, non ad externum nasum hanc actionem esse referendam.

*Olfactui Nasum.*

*Gustui* inservit *Lingua cum palato*, cui per nervum gustatorium à cerebro communicatur hæc vis, ut inter sapores distinguere possit. Quamvis autem Gustus non fiat absque tactu, nihilominus tamen *tactus* non statim gustum præsupponit, idcirco hunc ipsum diversum sensum à reliquis merito agnoscimus, cui cutis tanquam præcipuum organum inservit, quo exterius qualitates tactiles percipimus. Ita cerebrum sensum producit, mediantibus aliis partibus: quod idem quoque in motu voluntario accidit, cui præter alias partes plurimum inserviunt artus, *manus* scilicet & *pedes*, in quibus propter varios motus diversæ sunt articulationes, quæ à cæteris musculis quibusvis animalis à cerebro per nervos communicatur, voluntario motu moventur.

*Gustui Linguam.*

Atque hoc modo humanum corpus, quatenus animæ subjacet, ejusque functiones adjuvat, ratione partium consideravimus. Restat ut ad nobilissimam doctrinam de anima accedamus.

## LIBRI II. SECTIO VII.

# PARS POSTERIOR DE ANIMA.

### CAPUT I.

## DE ANIMÆ DOCTRINA IN GENERE.

Hactenus de animatis corporibus actum est, jam sequitur ut *animam ipsam*, quæ illorum principium est, *teste Aristotele* 1. *de anima text.* 2. consideremus. Restant igitur declarandi libri tres de anima *à Philosopho* diligentissime conscripti, de quibus non immeritò quæritur, *quodnam eorum sit subjectum*? *Paul. Venetus* & alii recentiorum statuunt *Subjectum librorum de anima esse corpus animatum*; quia est pars physicæ: ideoque tractabit partem corporis mobilis: quia affectiones de quibus hic agitur, ut sunt nutriri, sentire, &c. primo conveniunt animato corpori. *Contra Thom. Albertus. Ægid. Tolet.* & alii statuunt subjectum librorum de anima esse *Animam*: quia animæ definitio in his libris investigatur, quod subjectum requirit *lib.*1. *post. cap.*19. cui etiam favet inscriptio librorum, non de animato corpore, sed de anima. *Pro Determinatione* notandum est, quod doctrina de anima dupliciter considerari debeat, vel absque respectu ad reliquas physicæ partes, & ita subjectum horum librorum est *Anima*: nihil enim obest in peculiari tractatu absolute considerato, peculiare quoque subjectum statuere; vel cum respectu ad reliquos libros physicos, & ita agitur in *libris de anima* de principio corporis naturalis organici.

*Quod subjectum librorum de anima? Diversæ opiniones.*

*Decisio.*

 Hâc

*An libri de anima posteriori loco tradendi.*

Hâc ergò ratione doctrinam *de Anima* libris tribus *ab Aristotele* conscriptam considerabimus, quam, usque in postremum physicæ locum retinuimus, cum *Averroe* 4. *Meteor. Alexand.* 1. *de anima & Zabarell. lib. de constit. Phys. cap.* 35. & aliis propterea, quod præcedentia ad animæ cognitionem plurimum inserviant. Quamvis autem contrarium sentiant, *Thom. Themistius. Tolet. in procem. lib. de anima quæst.* 3. *Colleg. Connib. in procem. ll. de anima*, & omnes ferè Latini, & *libros de anima* præponant *libris de patribus animalium*, his rationibus, vel quia principium animati corporis: nihilominus nullâ ratione aliquid concludimus. Non enim perfectio rerum in ordine attenditur, sed nostra cognitio: adde, quod Anima non solùm sit principium, sed etiam corpus inter ea numeratur: cumque corpus sit sensile, & in oculos incurrat, anima verò minimè, ideò primum de corpore, quod nobis notius est, postea verò de anima agendum est: quòd in tractatione principiorum observatur, ubi semper illa præmittuntur, quæ nobis notiora, ut rectè statuit *Zab. lib. de constit. phys.* quia ordinis rationem semper à nostra cognitione deducendam esse statuit. Hæc animæ doctrina præ reliquis extollitur, *à Philosoph. lib.* 1. *de anima text.* 1. & 2. & quod nobilia tractet, & quòd exquisitè rem explicet: quibus duobus una scientia alteram sæpius superare potest: videmus enim animæ cognitionem ad veritatem omnium rerum nobis inservire, quatenus facultates nobis insitas cognoscimus: adde quòd plurimùm facit ad scientiam physicam rectè percipiendam, cujus pars est: nam anima sub naturæ definitione continetur, ut contra *Simplic.* 2. *Phys. cap.* 1. *text.* 1. & 3. *Albert. ibidem tract.* 1. *cap.* 2. *probat sufficienter, Zabar. de natura cap.* 4. *Pererius lib.* 7. *physicor. cap.* 11. quia anima est principium motûs & quietis in animalibus: quia motus animalium ipsis naturalis est: quia 8. *phys. cap.* 4. *text.* 27. apertè confirmat *Philosophus*, quod animalia etiam à natura moveantur.

*An forma vel materia ordine disciplinæ præcedat.*

*An anima sub definitione naturæ contineatur.*

*Iam* duplex oriri potest dubitatio: primò *an de anima detur scientia:* deindè *cur hæc à Philosopho statuatur nobilior reliquis? ad primam* respondemus, quamvis doctrina de anima sit difficilis, nihilominus tamen dupliciter cognoscitur: uno modo, quod sit principium animati corporis, quod ex diverso animalium motu, & ex materia quam informat, anima quæ reliquis nobilior est, colligitur: deindè datur etiam scientia propria de anima, quatenus quædam prædicata de eadem demonstrari possunt, non respectu informationis. *Ad secundam* notandum, quod *Philosophus* hanc physicæ partem non absolutè reliquis aliis scientiis præferat, quia 3. *Metaph. c.* 3. scientiarum nobilissima proclamatur Metaphysica: quia 2. Metaphysic. disciplinæ Mathematicæ, quod ad certitudinem, reliquis præferuntur: sed dicendum cum *Col. Conn. in Com. ad tex.* 1. *l.* 1. *de an.* contra *Tol. Aristotelem* ad nobiliores scientias tantùm reponere hanc doctrinā de anima.

*An de anima scientia detur?*

*An doctrina de anima reliquis scientiis nobilior?*

## CAPUT II.

# QUID VETERES DE ANIMA STATUERINT.

*Aristoteles lib.* 1. *de Anima cap.* 1.

Postquam *Philosophus* intellexerat, Animæ doctrinam difficilem esse, tum quod arduum sit determinare, quid Anima sit, tum etiam quod affectiones ejus partim corpori communes, partim eidem proprie difficillime declarentur, ut patet *ex tex.* 3. *l.* 1. methodo accommodata uti conatur: ideoque *primo capite* totam rei difficultatem oculis proponens, innuit, antea determinandum esse, *num anima sit substantia, vel accidens aliquod, text.* 6. Deinde *num potentia sit vel actus, tex.* 7. *an omnis anima ejusdem speciei, vel an etiam species à genere differat: ibidem, num anima partes habeat, & an prius de partibus, quam de tota anima agendum sit tex.* 9. *num partes vel partium operationes primò determinandæ text.* 10. cum vero sola quidditatis determinatio non sufficiat, merito quoque ad affectiones cognoscendas acccedendum est, *text.* 11. Hic igitur de animæ affectibus dubitatur, *utrum omnes communes sint cum eo, quod animam habet? vel an etiam quædam affectio detur animæ propria, text.* 12. dato posteriori, sequetur, & animam separabilem esse quodammodo: *text.* 13. omnes autem affectus & simul corpori convenientes non absque corpore definiri posse manifestum, quod de Ira, Mansuetudine, Timore, &c. probat *Philosophus tex.* 14. 15. 16. 17. 18. Has difficultates proponit *Aristoteles primo capte libri primi de Anima*, quas, ut cursu felicissimo examinare possit, ideo pro more subjicit statim veterum placita de anima, ut ita colligendo quid anima non sit, eo citius animæ naturam postea intelligere possit, quod innuit *tex.* 19. ubi dicit, quod ea, quæ bene dicta sunt à veteribus, recipienda, quæ minus recte affirmata, refutanda proponantur.

*Cap.* 2.

Cum vero animata ab inanimatis sensu & motu præcipue differunt, ideo ex hoc fundamento veteres potissimum placita sua de Anima deduxerunt.

Qui ad motum respexerunt, id esse animam dixerunt, quod maxime moveret & moveretur, unde ipsam quiddam αὐτοκίνητον esse volunt. Hinc *Democritus & Leucippus* animam *igneum corpusculum* esse opinati: *text.* 20. Huc etiam referre potest illorum sententia, qui animam *substantiam seipsam moventem* esse volunt: *tex.* 22. Imo *Anaxagoras* quoque *suam mentem*, quæ primo movit omnia, ex eodem deducit fundamento, *text.* 23. & 24. Omnes hi, qui ad animalis motum respiciunt, in eo conveniunt, quod putent animam esse maxime quiddam motivum.

Atqui reliqui sensum respicientes animam, ex principiis rerum deducunt, quia putant simile cognosci non posse, nisi per simile, igitur animam quoque ex rerum primordiis conflatam esse autumant: *tex.* 25.

Ut

Ut autem de rerum principiis, non una omnium fuit sententia, ita etiam anima diversimodè ab iisdem declaratur: *tex.* 29. Undè *Diogenes aërem*, *Hippoc. aquam*, *Critias sanguinem*, alii alia principia constituere conati sunt: *tex.* 32.

His duobus igitur de animæ essentia veteres judicarunt, *sensu scilicet & motu*, quibus addi potest *incorporeum*: quia reperiuntur, qui animam minutissimum quoddam corpus esse voluerunt: *tex.* 33. *& seq.*

*Cap. 3.*

*An anima sit quiddam αὐτοκίνητον.*

Quod attinet illorum sententiam, qui animæ naturam *ex motu* colligere conantur, illi falso utuntur fundamento, quatenus statuunt omne movens rursus moveri, cujus propositionis contrarium alibi demonstratum est: *text.* 36. Adde quod anima per se in loco esset, nam si natura motus est particeps, eidem sine controversia locus concedendus est: *text.* 29. Imò si anima motum in suâ naturâ habet, non propter aliud movebitur, quod tamen accidit in anima, quæ ab objectis moveri potest: *text.* 42. 43.

*Error Democriti.*

Quod verò attinet *Democritum*, qui vult animam *ab æternis ignibus moveri*, ut statua Dædali ciebatur ab infuso argento vivo, is hallucinatur maximè, quia difficile dictu est, quomodo vicissim hoc modo quiescere possit: *text.* 44.

*Error Timæi.*

Nec probat aliquid *Timæus*, qui perperam animam *magnitudinem esse* supposuit, ubi eandem ex rectitudine in circulum reflexa, numerosque harmonicos incitante componit. *text* 45. 46. *& seqq.*

*Cap. 4. Anima an Harmonia?*

Est & alia opinio quorundam, qui animam *harmoniam esse* contendunt, quæ sententia rejicitur, quia statuit harmoniam esse motus principium, quod absurdum est; adde quod harmonia sit ratio quædam eorum, quæ permista aut conjuncta sunt, sed animæ nihil horum convenit. *text.* 55. Hinc igitur colligimus animam in corpore non moveri per se, sed eandem *Ubique mutare ad motum corporis*, nam ipsum corpus movetur, ut patet, ab anima, undè alio modo fieri nequit, ut ipsa moveatur motu ad locum accommodato. *text.* 62. Cùm verò dicamus animam dolere, gaudere, sentire &c. ipsam quoque animam moveri aliquis existimabit, quia illa motus dicuntur. *text.* 63. verùm hi motus non tàm animæ, quàm homini attribuuntur; quia idem est ac si dicat aliquis, animam ædificare & texere. *text.* 64.

*Anima gaudere, dolere &c. qui dicatur?*

Ex præcedentibus quoque patet illorum error, qui statuunt animam esse *numerum seipsum moventem*, nam hîc primum impossibilia emergunt ex motu, de quibus hactenus: Deinde alia quoque absurda ex naturâ numeri cum motu complicati resultant. *text.* 67. Præterea ex his quoque sequitur, *animam non esse corpus quoddam*, sive illud subtile, sive crassum fingatur, quia duo corpora essent in uno loco, & se invicem pertransirent, quod fieri nequit. *text.* 71. & ita concidit etiam illorum sententia, qui animam *corporeum quiddam* esse statuunt.

*Cap. 4. An anima sit corpus?*

Supersunt illi, *qui ex variis rerum principiis* animam constituunt, quorum sententia, etiam secundum propria fundamenta non sufficit, quia non tantùm elementa & principia, sed etiam composita cognoscuntur, quorum tamen similitudinem non ponunt in anima. *text.* 76. 67. Adde, quod elementa & principia, de quibus agunt communia sint, quomodo verò ex illis communibus propria essentia intelligi potest? *text.* 78. Has difficultates & plures *Philosophus* per totum hoc caput quintum ad summum usque deducit. Atque hoc est examen; quod *Philosophus* instituit cum sententiis veterum *in libro primo de Anima.*

*An anima ex elementis constet propter cognitionem?*

---

CAPUT III.

## DE ANIMÆ DEFINITIONE.

*Anima est actus primus corporis naturalis potentiâ vitam habentis.* Arist. l. 2. de an. text. 6.

*Arist. l. II. de an. cap. 1.*

Postquam cognovimus veterum placita ad essentiam animæ determinandam nobis non sufficere, sequitur ut cum *Aristotele*, missis aliorum opinionibus, ad animę definitionem constituendam accedamus, ut ita intelligamus quid anima sit, quænam sit ejus communis maximè ratio. *text.* 1.

Ut autem Methodo utamur, à summa rerum divisione ordimur, & cùm substantia sit genus quoddam eorum quæ sunt. *text.* 2. præsupponimus cum *Philosopho*, animam non esse accidens, sed *Substantiam*, quia anima informat materiam & nobilissimarum operationum primaria causa, quæ duo accidentibus minimè conveniunt, ut patet *ex Javello lib.* 2. *de an. q.* 1. *in Colleg. Conn. lib.* 2. *de an. c.* 1. *q.* 1.

*An anima sit substantia?*

Ex hac assertione illa quoque resultat, animam non esse *temperamentum* quod *Gal. lib.* 3. *de locis aff. c.* 6. affirmare videtur, quamvis aliàs de animæ essentia dubitet, ut patet *ex lib de facult. natur. substant. & lib. de diff. sympt. item lib. de usu partium.* Nam temperamentum est accidens, atque ad operationes non aliter, quàm sub ratione instrumenti inservit: adde quod temperamentum non tantùm animatis, sed etiam inanimatis rebus convenit.

*An temperamentum sit anima?*

Ergò statuto, animam esse substantiam, meritò quæritur, *num anima sit materia, aut forma, aut compositum*, quia tot modis substantia dicitur? *text* 2. Ipsum verò compositum, scilicet naturale corpus, magis substantia dicitur, quàm materia & forma, quia hæc principia in illo subsistunt. Aliud autem naturale corpus, vitam habet, aliud minimè & ita corpus vitâ præditum ad substantias compositas reponitur. *text.* 3. Talis substantia non est anima, quia non subit ratione eorum, quæ sunt in alio, undè sequitur animam esse sub-

*Anima an sit materia, aut forma, aut compositum?*

substantiam, perinde atque formam corporis naturalis, potentia vitam habentis, ideoque corporis illius actus & perfectio, *text.4.* Sed cum duplex sit perfectio & actus, vel ut scientia, vel ut contemplatio, patet animam esse actum, ut scientia, quia scientia contemplatione prior, & ita scientia est primus actus, contemplatio est secundus actus, *text.5.* hinc igitur constituitur definitio: Anima est ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει· τοιοῦτον δὲ ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν. *Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis, & talis plane, ut ejus partes sint instrumenta text.6. Dico* ἐντελέχεια, quod vocabulum recte vertitur, *actus & perfectio*, quia anima nihil aliud esse potest, quam talis substantia, quæ rebus perfectionem largitur: unde minus recte *à Tullio* declaratur, *lib.1. Tuscul.* per motionem perennem, quia supra *Philosophus* illorum sententiam refutavit, qui animæ essentiam in motu consistere commenti sunt, unde etiam patet non per δ. sed per τ. scribendum esse hoc vocabulum. Dico ἐντελέχεια πρώτη, ut omnis anima intelligatur, quia actus est primus & secundus. *Actus secundus* est forma, quatenus simul operatur: cum vero anima non semper operetur, nihilominus tamen semper informat, rectius definitur per *primum actum*, qui *informationem*, quam per *secundum*, qui *operationem simul* constituit. Etsi vero plerique Interpretes Latini, ut patet *ex Colleg. Conn.* putent per actum secundum non intelligendam esse formam, sed tantum operationem à forma profluentem, ita ut actus *à Phil.* communiter dividatur in actum substantialem & accidentalem: Attamen *Aver. com. 2. Cajetani ibid. & Mercenarii* sententia verisimilior, qui per actum intelligunt formam in otio, per actum secundum formam operantem; illo modo forma est quidem actus, non tamen ab eadem provenit actio, ut in secundo modo. Hanc sententiam retinuimus, quia consentanea videtur menti *Aristotelis*, qui affirmat, omnem actum esse formam, eamque postea dividit in primum & secundum, ut ex superioribus constat. *Dico corporis naturalis:* quo distinguitur anima, à separatis substantiis, quæ quamvis actus dici possint, non tamen sunt actus corporis naturalis. Unde colligitur, *omnem animam formam esse alicujus corporis*, ut patet *ex D. Thom.1.p. q.76. ar.1. Perer. Phys. cap.12. Zabar. de mente hum.cap.6.* & aliis, quia omnis anima per actum definitur: adde, quod omnis esse specificum constituat, quatenus scilicet ex actu & corpore illo *Unum quid essentiale* efficitur.

*Quid vox ἐντελέχεια significet?*

*An actus secundus sit operatio.*

*An omnis anima sit forma?*

*Dico potentia vitam habentis*: ubi non illud, quod animam abjecit, eaque vacat, intelligitur, sed id potius, quod ipsam jam habet, *text. 10.* tale igitur corpus significatur, quod actu jam animam continet, & in promptu est, ad eas operationes exercendas.

*Dico cujus partes sunt instrumenta*; quia anima non cujusque corporis, sed organici tantum est perfectio; quando quidem operationes suas ad nobilitatem non nisi in organico corpore producere potest. Et hoc modo anima secundum essentiam suam per hanc definitionem notificatur in genere: quare absque causa *Philos.* à quibusdam accusatur, quod non exacte dixerit, quid sit anima, sed potius cujus sit, ut vult *Proclus cap. 5. in Timæum & Avicen. 6. Natur. quæst.*

*An anima secundum essentiam definita?*

Nam cum consideramus animæ essentiam in genere, tum non possumus aliter concipere animam, nisi quatenus est actus organici corporis, quia ex his duobus constituitur Compositum essentiale, unde etiam anima quatenus forma est, per se, absque corpore non existit, ut *Philos. text. 11.* quod præcipue brutorum animæ convenit, quæ una cum corpore intereunt: rationalis autem anima remanet quidem, non tamen amplius ut forma: quia nihil impedit, quandam animæ partem remanere, præsertim quæ non ita est actus corporis, ut formæ mere physicæ.

*An anima pereat cum corpore?*

Et hoc modo patet animæ definitio, qua generaliter ejusdem essentia describitur, quæ ut magis innotescat, ex notioribus secundum, nos ulterius declaranda est. *text. 12.*

*Cap. 2.*

Manifestum autem illud est, *animatum ab inanimato vita differre*: quæ cum in vegetatione, sensu, intellectu, & motu consistat, merito illud animatum dicimus, cui hæc conveniunt, etiamsi unum illorum tantum insit. *text. 12. 14.*

Hinc igitur constat animam, quam definimus esse *principium vegetativum, sensitivum, intellectivum & locomotivum* in viventibus *text.18.* Utrum autem unumque quodque horum sit anima, *an animæ pars, quærendum est? et si pars, quo pacto separari prest, t.19.* Perspicuum enim est, in quibusdam animæ partes loco non differre, ut patet in plantis & insectis, quæ vivere videntur, quamvis divisa sint, propterea, quod actu quidem planta talis una sit, potentia vero plures. *tex. 20.* in aliquibus autem difficulter hoc demonstratur, ut in intellectu, qui non ita organo affixus est, ut reliquæ partes *text 21.*

*An animæ partes loco differant?*

Quamvis autem hoc modo per totum corpus diffusa sit anima, non tamen in animalibus perfectis æqualiter omnibus partibus inest, sed maxime inhæret parti illi, ex qua reliquit dependent, qualis est *Cor*, quod primo vivit, *teste Philos. 2. de par. an. cap. 4. l. de vita & motu. c. 2.* imo quod sine vitæ, & per consequens reliquarum facultatum periculo, infestari nequit, secundum *Gal. 4. de simpl. med. facult. cap. 17. lib. 1. de loc. aff. cap. 5.*

*An anima sit in corde radicaliter?*

Ex dictis sequitur, animam non esse corpus, nec tamen sine corpore, quia est corporis quæ actum & formam significat: cumque de essentia formarum esse videatur, ut materiam informent, ita & ad materiæ extensionem extensæ videantur, quæritur merito hoc loco, *an anima ad extensionem materiæ extensa sit?* hoc ratio formæ requirere videtur, unde *Iandun. 3. de an. q. 5. Zabar. l. de part. an. cap. 11. Pomponat. 1. de nutrit. c. 11.* omnem animam ad

*Anima non est corpus.*

*An anima ad extensionem materiæ extendatur?*

ad materiæ extensionem divisibilem esse statuunt, ideoque totam in toto, & partem in parte esse affirmant, quia *teste Philos.* 8. *Phys. text.* 78. Omnis forma informans ad materiæ quantitatem extenditur. Adde, quod nullum indivisibile in divisibili recipiatur. 3. *de cæl. text.* 7. undè sequitur, omnem animam ad materiæ quantitatem sese extendere, & illius ratione divisibilem esse. Quamvis autem de anima vegetativa & sentiente plana res sit, quod ratione corporis quantitatem assumant, ut probat *Tataretus lib.* 2. *de an. ad c.* 1. nihilominus dubitat *D. Thom.* 1. *par. qu.* 76. *ar.* 3. qui animam brutorum perfectorum quoque indivisibilem statuit, sed frustra: nam etsi in brutis perfectioribus æqualiter non exerantur omnes vires animæ, ita ut magis in hac, quàm in illa parte anima residere videatur, undè membrorum principatus resultat, tamen illud non tollit animæ divisionem ratione quantitatis corporis, quia respectus informationis merè physicæ non tollitur: adde, quod illa anima educatur etiam ex materiæ potentia, & per consequens *quanta* meritò dicatur: Cùm verò de anima rationali maximè dubitetur, *quomodo ad extensionem corporis quanta dici possit*, ideò communis est sententia, quam habet *Ægid.* 1. *distin.* 8. *Aver.* 8. *phys. Com.* 78. *Garbius in sua tract.* 5. *qu.* 49. *Tolet.* 2. *de an. q.* 5. *Conn. l.* 2. *de an. qu.* 9. quâ omnes animæ statuuntur divisibiles, ratione corporis, exceptâ solâ anima rationali: hæc enim quantitate materiæ non conspurcatur, ideoque eadem ratione, ut reliquæ animæ ad materiæ quantitatem non extenditur. Non tamen negandum est, ipsam quoque rationalem animam informationis officium retinere, quia quod indivisibilis sit, hoc eidem convenit eâ ratione, quatenus non eundem productionis modum habet cum reliquis, ita ut omninò à materia dependere cogatur. Quare communis est sententia, *animam rationalem esse totam in toto, & totam in qualibet parte*, quæ assertio, quomodo sit intelligenda, inferius declarabimus. Non autem cogunt nos aliud sentire primæ opinionis argumenta, quæ animam quoque rationalem divisibilem concludit, quia sit forma, ideoque ad materiæ quantitatem extendi debeat; quod non sequitur, quia tantummodò verum est de illis formis, quæ omninò à materiâ pendent, qualis non est anima rationalis. Adde, quod indivisibile, non recipiatur in divisibili, scilicet tale indivisibile quod est ut punctum, quale non dicitur anima.

*An anima brutorum perfectorum sit indivisibilis.*

*An anima rationalis extensa ad quantitatem corporis.*

## CAPUT IV.

### *DE ANIMÆ SPECIEBUS ET FACULtatibus in genere.*

*Cap.* 3.

ET hoc modo animæ essentiam per declarationem definitionis intelleximus. Jam sequitur, ut in specie *ad animæ partes & facultates* declarandas accedamus. Quamvis autem quibusdam viventium omnes insint potentiæ, quibusdam nonnullæ, quibusdam una tantùm, ut in plantis solùm est nutritivum in aliis sensitivum, quod præsupponit appetitivum *text.* 27. 28. nonnullis insuper loco motivum inest; aliis ratiocinativum. *text.* 29. nihilominus tamen una animæ ratio communis est: ut enim in figuris fieri potest, ut una sit communis definitio, quæ omnibus figuris conveniat, nullius autem sit propria ratio, ita etiam in animabus fieri potest. *text.* 30. Quemadmodum autem in figuris, aliæ aliis perfectiores, ita ut una alteram includat: ita etiam in animabus: nam sicuti in quadrato est triangulus: ita in sensitivo vegetativum inest. *text.* 31. Imò quibus ratio inest, his continuo & cetera cuncta: sed non contra, quibus aliquid inferiorum inest, necessariò quoque insunt superiora. *text.* 32.

*Est igitur triplex Anima, Vegetativa, Sentiens & Rationalis.*

*An anima rectè dividatur in Species.*

Nam hæ sunt species animæ, quæ interdum etiam *à Philosopho* partes dicuntur, de quibus hactenus communiter dictum est. De his dubitari potest, in principio, *quomodo species dicantur*, cùm non sit una, eademque ratio omnium, propterea, quod anima vegetativa & sentiens potius sint genera, quia alias species sub se continent: nam alia est anima Equi: alia Bovis: alia platani, alia rutæ &c. Anima rationalis autem est tantùm species infima, quia homines non differunt specie, sed numero. Resp. *Coll. Con. hoc cap. qu.* 1. *ar.* 1. nec propriè tria genera, nec tres species propriè dictas animæ dari, sed triplicem esse, ex diverso modo, quo anima informat viventia.

*Instantia.*

*Solutio.*

Etsi verò in anima vegetativa & sentiente inferiores dentur species: non tamen tripartita divisio nostra tollitur, quia, ut *Connimb.* dicunt citato loco, omnes vegetativæ animæ sortiuntur inter se eundem operandi modum, quem hic inquirimus, quod etiam de sensitiva manifestum est.

*An tantum tres Species animæ?*

Cum verò *Philosophus* dicat, unum gradum animæ perfectiorem esse alio, ita ut superior inferiorem includat, quæritur, *an in uno vivente plures animæ esse possint*, ita ut in homine anima rationalis sentiens & vegetans realiter distinguantur. *Negativam* defendit *D. Thom.* 1. *par. qu.* 76. *ar.* 3. *Albert. tr.* 2. *cap.* 1. *Connimb.* 1. *de gen. & corr. cap.* 4. *qu.* 21. *Tolet.* 2. *de an. q.* 7. *Avic.* 6. *Natur. par. l. c.* 3. *Lact. de op. Dei.* Contra *Affirmativam* partem, quæ verisimilior videtur, defendunt *Averroistæ, Jandun.* 1. *de an. qu.* 12. *Zabarell. l. de facult. c.* 3. *Philopon.* 1. *de an. text.* 91. *& Occam quodl.* 2. *qu.* 2. his rationibus: quia una forma simplex diversam essentiam largiri nequit: undè anima rationalis non potest dare essentiam viventis & animalis. Undè *Arist.* 2. *de an. tex.* 74. docet vitam, quia una est, à pluribus principiis non dependere, sed à solo principio vegetativo. Adde, quod unum principium contrarii motus non possit esse causa: Atque anima sensitiva sæpius repugnat intellectui. *Notandum* tamen pro decisione, quod sententia *Averroistarum* defendi possit, modo distinguamus inter *formas subordinatas & ultimas*: ita unumquodq; vivens tantùm unicam habet animã, tanquam ultimam formã, à qua essentia specifica & unitas rei dependet, interim subordinatæ plurimæ esse possunt. Et hoc modo species animæ conveniunt corporibus ani-

*An in uno vivente plures esse possint animæ?*

*Diversæ sententiæ.*

*Decisio.*

animatis, jam sequitur, ut ad facultates earundem declarandas accedamus.

*Facultas animæ quid?*

*Facultas animæ est habitudo ab essentia animæ profluens, quâ ipsa ad operandum apta est.* Tom. 77. q. par. 1. ar. 1. Gal. 1. de nat. facult. c. 4. Zab. de facult. c. 3. q. 3. & 4. Tolet. 1. de an. q. 9.

*An facultas animæ sit ipsa anima?*

*Dico est habitudo* &c. quia facultas ab ipsa anima essentialiter distinguitur, ex sententia superiorum Authorum, contra Nominatos, cum quibus quodammodo consentire videtur *Pitcol. 1. de anima cap. 10. & Marsilius 1. sent. qu. 7.* qui statuunt solam animam ad variè agendum seipsam determinare. Manifestum n. est, facultatem habere se ad animam, ut potentia ad materiam. Omnis autem potentia est in qualitate, ergò etiam animæ potentia & facultas non erit ipsa anima. *Dico ab anima profluens:* quia facultates essentialiter promanant ab anima, ideoque ratione essentiæ, ubi datur anima, ibidem quoque ejus dantur facultates.

*An omnes animæ facultates sint in quavis parte?*

*Dubitatur* autem hoc loco, *an omnes facultates animæ sint in quavis corporis parte.* Hic primò notanda sententia *Albert. & Joh. Grammat. Conn. & aliorum*, qui non omnes facultates in quavis parte concedunt, propterea quod quædam pendeant, à suis instrumentis. *Contra Alex. & Themistius*, omnes facultates in qualibet parte statuunt, quia facultates immediatè profluunt ab anima, quæ cùm tanquam forma sit in omnibus partibus, meritò facultates quoque sibi conjunctas habebit. *Pro decisione nota* ex sententia *Zabarell. lib. de part. an. cap. 14.* quod facultates animæ sint in quavis parte corporis *originaliter*, quatenus ab animæ essentia emanant: non autem sunt in omnibus partibus *subjectivè*: ita ut omnis pars facultatem ita recipere possit, ut sit ejus instrumentum: ita visiva facultas est in pede *originaliter*, quia anima sentiens pedem quoque informat: non autem est ibidem *subjectivè*, quia hoc modo tantùm in oculo recipitur, ideoque oculus tantùm videt. Ex hujus quæstionis determinatione resultat illa, *an anima sit subjectum omnium facultatum*; ubi nota *ex D. Thom. 1. par. q. 75. ar. 5.* quòd ex sententia *Philosophi* sit distinguendum inter facultates, quæ organo corporis perficiuntur, quæ etsi ab anima promanant, non tamen sunt in anima ut subjecto, quia operantur beneficio corporis, ideoque potius in parte animatâ hærent: & inter illas facultates, quæ organo non indigent, qualium subjectum est anima.

*Decisio.* *Num anima sit subjectum omnium facultatum?*

*An animæ facultates influant?*

*Veruntamen* cùm illud firmum remaneat, *omnes facultates originaliter esse in anima*, ideòque in omnibus partibus, meritò dubitatur, quid sit sentiendum de Medicorum sententia, qui passim *de Influentibus facultatibus* disserunt, ut patet *ex Galeno 7. de placit. lib. art. cap. 9. Fernel. lib. de facult. animæ, Valles. lib. 2. controvers. c. 15. & 16.* Videtur enim hæc assertio in Philosophia absurda, quia sequeretur, quod accidens cerebri, cordis aut alterius membri è subjecto suo prosiliret: adde quod facultates non essent animæ accidentia: *Connimb. 3. de an. cap. 4. q. 1. Verùm pro conciliatione* notandum, quod Medicorum sententia defendi possit, si dicamus per facultatem influentem non ipsam facultatem intelligendam esse; sed potius *instrumentum quoddam*, quod ad operationes facultatibus proximè inservit: ita per nervos non influit facultas animalis, sed spiritus & calor, quibus insita facultas unicuique parti perficitur.

*Conciliatio.*

*Numerantur quinque facultates à Philosophis, Vegetativa, Sensitiva, Appetitiva, loco Motiva, Rationalis seu Intellectiva.* Arist. lib. 2. de an. c. 3.

Tot sunt facultates, quæ *communiter* numerari solent, quarum prima in plantis sola est: *Sensitiva* verò in animalibus observatur, cum quâ coincidit *Appetitiva*, quia ubi datur sensus, ibi datur etiam appetitus secundum *Philosophum lib. 2. text. 27. 28. Loco Motiva* ad sensitivam & intellectualem refertur: denique *Intellectiva* præcipuam corporis animati speciem constituit.

*An facultates per actus dividantur?*

Hæ facultates quamvis quo ad originem & essentiam, cum anima sint in toto corpore, tamen quoad operantur, à se invicem per suos actus distinguuntur, ut patet *ex D. Thom. part. 1. quæst. 77. ar. 3. Connimb. lib. 2. de an. cap. 3. quæst. 1. Tolet. lib. 2. de an. quæst. 1.* quia aliud est sentire, aliud intelligere, aliud appetere &c. ipsi autm actus per sua objecta distinguuntur: aliud enim est τὸ αἰσθητόν, aliud τὸ νοητόν, aliud τὸ ὀρεκτόν. Etsi verò quinque sint facultates quas enumeravimus, non tamen plures indè constituuntur animæ, quia omnes quinque ad tria principia, ut dictum est, referuntur.

*Medici quâ ratione facultates dividant in naturales, vitales & animales.* *An vitalis facultas à Medicis rectè ponatur?*

*Sed meritò* hoc loco quæritur, quid sibi velint Medici, qui facultates animæ dividunt *in naturales, vitales & animales:* ubi notandum, quod ferè idem dicant cum *Philosophis* aliis verbis, quia per *naturalem facultatem* intelligunt *vegetativam*, *per animalem sensitivam, motivam, appetitivam & rationalem* intelligere solent, ut patet *ex Gal. l. de diff. symptom. Per vitalem* verò plerique facultatem peculiarem à reliquis distinctam constituere videntur, ut patet *ex Galeno 9. Meth. cap. 10. lib. 7. de placit. & 1. natur. facult. Fernel. l. 5. physs. cap. 13. Valles. l. 2. Controvers.* verisimilior tamen videtur illorum sententia, qui vitalem facultatem à vegetativa non separant, quia tàm diu nutrimur, quàm diu vivimus, ut probat *Aver. 2. Coll. cap. 7. Avic. lib. 1. doct. 6. cap. 2. Ibidem Jac. de partibus.* Interim suo modo defenditur Medicorum sententia, quatenus scilicet animam hominis potissimùm considerant, ubi vitalis, quæ separata videtur à reliquis, quatenus in corde tanquam parte principali radicatur, nobiliorem quendam gradum animæ vegetativæ constituit.

## CAPUT V.
## DE ANIMA VEGETATIVA EJUSQUE FACULTATIBUS IN GENERE.

*Cap. 4.*

De animæ speciebus & facultatibus in genere egimus hactenus: sequitur ut inposterum, tum quid

quid unum quodque sit, tùm quid horum consequatur essentiam perscrutemur. Exordiendum autem est *ab operationibus & objectis*, quæ animæ facultates demonstrant, siquidem, ut supra demonstratum est, hæc duo potentias distinguunt. *text.* 33.

Cùm verò *vegetativa anima* cæteris insit, & prima sit, & maximè communis, ita ut omnia viventia eandem habeant, meritò reliquis præmittitur.

*Opera Animæ vegetativæ.*

*Hujus opera sunt alimento uti & generare*, quòd maximè naturale est viventibus, scilicet iis, quæ perfecta sunt, & non sine semine generantur, quandoquidem ultimum finem, scilicet æternitatis assimilationem, intendit. *text.* 34. Cum enim duplex sit finis, qui expetitur, & cui expetitur, generans sibi expetit æternitatem & generationem, & sese perpetuat, non *in numero, sed in specie. text.* 35.

Quod autem hæ facultates ab anima dependeant manifestum est, quia anima est principium viventis corporis tripliciter, *ut efficiens, ut forma, ut finis. text.* 36. Nam primò quod anima *forma* & perfectio rerum viventium sit, patet ex præcedentibus, quia anima cunctis viventibus est causa ut sint, ideòque rectissimè & actus & perfectio viventium dicitur: Deinde anima est quoque *finis*, sive *id cujus gratiâ*, quia ab efficiente intenditur: denique est etiam *efficiens*, quia nihil sine anima nutritur propriè. *text.* 37.

*Error Empedoclis. Quid sit causa nutritionis?*

Errat igitur *Empedocles*, qui radices deorsum tendere putat, propter terræ gravitatem, reliquum corpus sursum, propter ignis levitatem, ita ut *elementa causæ nutritionis* videantur; quia primò non unâ eâdemque ratione superum & inferum sumitur in viventibus & in universo. *text.* 38. Deinde quæritur quid sit illud, quod continet ignem & terram; quæ in contraria loca feruntur, quod non dissolvantur: hoc autem profectò anima est, igitur illa erit nutritionis causa. *text.* 39. Sunt alii, qui *ignem* eò quod solus ali videatur, nutritionis statuunt causam. *text.* 40. sed cùm primaria causa non sit, & in infinitum etiam, si materia suppetat, augeri possit, ideò potius animam causam nutritionis statuimus. *text.* 41.

*Alimenti natura.*

Ergò cùm ejusdem animæ vis sit nutriendi & generandi, primum *de alimento* determinare necessum est. *text.* 42. Hoc nonnulli *contrarium esse* statuerunt, sicut humor alit ignem, non autem quodvis, sed quod nutritum simul auget. *text.* 43. Alii contra statuunt alimentum *simile* esse, cum simile simili facilè apponatur. Quod autem alimento contrarietas quædam insit, docet actio nutriti in alimentum, siquidem omnis actio fit à contrario. *text.* 44. Interim distinguendum inter *alimentum crudum*, quod quatenus incoctum est, nutritioni opponitur, quatenus autem assimilatur, simile dici potest. *text.* 45.

*Decisio.*

Alia autem est ratio alimenti ut auget, alia ut nutrit, quia animatum, quatenus quantum, augetur, quatenus hoc aliquid in substantia, nutritur. *text.* 47. Quod cum ita sit, dicimus

*Anima vegetativa quid sit.*

*Animam vegetativam esse actum organici corporis, quo illud nutritur, augetur, & simile sibi producit.*

*An facultates animæ vegetativæ realiter differant.*

Tres igitur facultates præcipuas includit, scilicet *nutritivam, augmentativam, & generativam*, quas consequenter in specie considerabimus. Etsi verò plurimi has facultates inter se confundant, attamen *cum Galen. lib. de nat. facult. subst. Fernel. lib.* 5. *phys. cap.* 3. *Zabarell. lib. de accret.* easdem realiter meritò distinguimus, quia diversa objecta, diversosque actus obtinent, ut patet ex *Aristot. citatis locis.*

*Quæst.* 32.

*An nutritiva facultas sit eadem cum augmentativa? Instantia. Solutio.*

Concidit igitur assertio *Colleg. Connimb. lib.* 2. *de an. cap.* 4. *quæst.* 1. *ar.* 2. quod potentia augens non distinguatur à potentia nutrice, quod etiam statuunt *Durand.* 1. *dist.* 32. *par. dict. quæst.* 2. *Philopon. hoc lib. ad text.* 46. *Niphus ad text.* 42. *Vall.* 2. *controv. Med. cap.* 26.

Moventur autem hâc ratione, quod actus nutritionis & augmentationis inter se conjuncti sint, ita ut unus alterum præsupponat. *Sed respondemus cum M. Alber.* 2. *part. Sum. de homine, quæst. de nutrit. ar.* 3. *Javello quæst.* 18. & aliis; quod *realiter* inter se hæ duæ facultates distinguantur, quia *facultas augens*, quo ad operationem perit, quando vivens ad statum pervenit; *nutritiva* verò per totam vitam operatur: quia objectum nutritionis est alimentum ut substantia; objectum augmentationis, ut est quantum: quia nutritio tendit ad substantiam, augmentatio ad quantitatem, ut annotat *Zabarell. l. de accret. & nut. c.* 25. Imò hoc ipsum quoque *Conn. l.* 1. *de ort. c.* 5. *q.* 13. *ar.* 2. statuere videntur, ubi nutritionem & augmentationem realiter distinguunt.

*An facultas generativa sit eadem cum nutritiva?*

*Nec etiam* firma est satis altera assertio *Collegii & reliquorum*, quâ statuunt *generatricem quoque realiter non distinctam esse à nutrice facultate*: nam facultas generatrix non respicit individui nutritionem, sed speciei conservationem: imò datur virtus nutritiva absque generante, ut patet in iis, quorum ætas effœta jam est: addè quod nutrix per totum corpus diffusa sit, generatrix verò certam tantummodo partem respicit. Quamvis autem hoc modò inter se rectè distinguantur hæ animæ facultates, nihilominus tamen iis omnibus suo modo inserviunt, aliæ minus principales scilicet *attractrix*, quæ materiam allicit; *retentrix*, quæ retinet, *concoctrix*, quæ perficit & appetit, *expultrix*, quæ supervacanea rejicit.

*An plures dentur facultates inservientes.*

Horum numerum sufficere rectè concludit *Gal.* 5. *de l. cis aff. cap.* 7. *contra Averr.* 2. *Coll. cap.* 79. & 3. *Coll. cap.* 16. qui plures introducit: nam *secretrice* non opus est, quia ejus actionem perficiunt expultrix & attractrix: *distribuens* quoque ad concoctricem & *appetens* ad attractricem referuntur.

*An Calor tantùm primariò inserviat animæ non frigus?*

Omnibus his facultatibus tanquam commune instrumentum subservit *calor*, qui rem generat, constituit & conservat; quia frigus & coctionem & generationem secundariò tantùm promovet, ut patet *ex Gal.* 3. *de caus. sympt. c.* 3. *Zabarell. l.* 1. *de misti gen. c.* 5. *Colleg. Connimb. lib.* 2. *de or. c.* 3. *q.* 7. *ar.* 3. *Contra Conciliat. diff.* 61. & *Mercen. in dilucid.*

*Num calor animalis specie differat à reliquis?*

Etsi verò differentia subeat hic calor, cùm aliter ad nutritionem, aliter ad munia generationem, aliter aliis operationibus inserviat, ita ut longè aliter, quàm elementaris operetur: nihilominus speciem non variat, cum omnis calor sive ab igne, sive à cœlo, sive ab anima dependeat, sit ejusdem rationis, quamvis accidentales differentiæ negari nequeant, ut rectè concludit *Zabar. de calore cœlest. cap.* 11. *Argenter.* 1. *de som. & vig. c.* 5. *Coll. Connimb. l.* 2. *de ort. c.* 3. *q.* 7. *ar.* 2. *Contra Fernel. lib.* 4. *phys. c.* 1. *& l.* 1. *de abd. rer. causis.*

## CAPUT VI.

### *DE NUTRITIVA ET AUGmentativa facultate.*

Tandem igitur unamquamque facultatem vegetativæ animæ in specie considerabimus à nutritiva incipiendo.

*Facultas nutritiva.*

*Est autem facultas nutritiva, quæ partium animati corporis perennem defluxum restaurat, ex alimento, in substantiam partium converso.*

*Utrum vivens semper nutriatur?*

Hæc facultas perpetuò in vivente corpore suo fungitur officio, undè vivens, quamdiu vivit, nutritur, ut habet *Arist. lib.* 1. *de or. cap.* 5. *text.* 41. *l.* 2. *de an. cap.* 4. *text.* 47. *& lib.* 3. *de an. c.* 12. *text.* 59. *l. de som. & vig. cap.* 1. Nam cum rei viventis essentia continuâ vi caloris dissipetur, igitur, ne brevi intereat, continuam restaurationem instituit natura, ut patet *ex Coll. Connimb. lib.* 2. *de ort. c.* 5. *quæst.* 10. *Nec obstat*, quod quædam animalia ad tempus absque alimento assumpto vivant, & quod in atrophia vita supersit, ubi tamen nutritio abesse videtur: quia in his nutritio non omninò neganda est, sed tantummodo imperfectior statuitur.

*Instantia.*

*Solutio.*

*An nutrimentum possit esse elementum purum?*

Perficit autem hæc facultas operationem suam per alimentum assumptum, quod proportione ipsis partibus animati corporis respondere debet: unde manifestum est, purum elementum nutrimenti rationem habere non posse, quia nulla animalium pars ex unico solùm elemento constat, ut rectissimè *Gal. de alimentorum facult. passim cum aliis*, demonstrat. Hoc alimentum in plantis è terra per radicem hauritur: in animalibus verò foràs accipitur tunc temporis, quando membra exinanita naturali inclinatione alimentum appetunt, venasque sugunt, quæ ventriculum, ejusque orificium superius vellicant, ut doleat, & peculiariter alimentum appetat. Ad hoc ipsum inservire potest etiam Melancholiæ ex liene in ventriculum transmissio. Ita ultimus orificii ventriculi appetitus excitatur, fames scilicet & sitis. Est autem *fames Aristoteli* 2. *de an. text.* 38. appetitus calidi & sicci: *Sitis* verò humidi & frigidi. *Galen. verò* 1. *de sympt. caus. c.* 7. *famem* vocat sensum suctionis sive penuriæ alimenti. Has duas definitiones rectè conjungit *Piccolomineus*: Fames *est appetitus substantiæ calidæ & siccæ, apta nutrire, oriens ex suctione, sensu percepta in ore ventriculi pro restauratione partium animalis*: Sitis *est appetitus substantiæ humidæ & frigidæ, ex desiccatione & tristi sensu suctionis in ore vetrili prodiens, pro contẽperandis partibus consimilibus animalis.*

*Fames.*

*Sitis.*

*An fames & sitis appetitus?*

Rectè igitur per appetitum definit *Aristoteles* famem & sitim, quicquid dicant *Connimb. lib.* 1. *de gen. & corrupt. cap.* 5. *quæst.* 5. *ar.* 2. qui famem per sensum divulsionis definiendam esse putant, cum tamen tristis ille sensus non tàm fames, quàm famis causa sit. Quamvis autem tali appetitu alimentum assumatur, nihilominus tamen cùm corpori proportione respondere debeat, plurimas postea subit concoctiones, ubi actione caloris nativi præparatur & elaboratur.

Numerantur autem in animalibus tres concoctiones, quarum *prima* fit in ventriculo, ubi alimentum quodammodo in ore alteratum, in Chylum convertitur. *Sed hoc Chylo* ventriculus propriè non nutritur, ex sententia *Aristotelis* 2. *de par. an. contra Vegam. Jobert. Valles. & alios*, quia omnes partes corporis nutriuntur massâ sanguineâ: quia conspicuæ & insignes venæ passim in ventriculum sparguntur, quas frustrâ conditas esse minimè dicendum est.

*An Chylo nutriatur ventriculus?*

*At verò quid respondebis*, quod assumpto cibo statim satietur ventriculus, cum tamen in tantâ temporis angustia cibus concoqui, & in sanguinem elaborari nequeat? *Tribus verbis* objectioni satisfacies, quod scilicet fames duplex, *animalis & naturalis*: illa saturatur per cibum assumptum: hæc verò per sanguinem ab hepate transmissum: undè fieri potest, *ut adsit animalis fames, absente naturali*, quemadmodum patet in famelicis, ubi propter humores noxios, quibus ventriculi tunicæ vellicantur adest perpetuus appetitus.

*Instantia.*

*Cur assumpto alimento fames desinat.*

*Solutio.*

Ita alimentum per primam concoctionem alteratur: verum cum nondum aptum sit, ut partibus apponatur, igitur adhuc aliam *concoctionem, secundam* scilicet, subire cogitur, quæ in hepate perficitur, ubi ex chylo ad intestina transmisso, & per venas lacteas attracto, massa sanguinea elaboratur, quæ ab excrementitiis humoribus separata, in venas delabitur, & ita secundæ concoctionis officina est *hepar*, in quo ex chylo quatuor specie differentes humores alimentarii, uno & eodem calore, eodemque tempore generantur.

*An eodem tempore & calore omnes humores in hepate fiant?*

Ubi verò sanguinea massa, absolutâ secunda concoctione, ex hepate delabitur, varias adhuc alterationes subit, donec tandem per *tertiam* concoctionem omnibus membris assimiletur, & hoc est ultimum opus nutritivæ facultatis, quâ alimentum in ipsius nutriti substantiam convertitur.

Hic igitur alimentum, quod antea contrarium, fit nutrimentum propriè dictum, eamque requirit similitudinem, ut in ipsam partis substantiam converti possit, ut rectè concludit *D. Thom.* 1. *p. q.* 119. *ar.* 1. *Conn. l.* 1. *de gen. & cor. c.* 5. *q.* 11. *Zabar. lib. de accret. cap.* 10. *& alii contra M. sentent.* 2. *dist.* 30. qui contrariam sententiam demonstrare conatur.

*An nutrimentum in substantiam nutriti converti debeat?*

Interim tamen non sequitur *corpus vivens, quod nutritur, idem numero non remanere*, quia nihil amittit ratione formæ: nec etiam ratione materiæ omninò mutatur: nam partes, quo ad materiam, successivè restituuntur, & reficiuntur, non mutato suo ordine & figu-

*An idem numero subjectum maneat in nutritione?*

figura, quo pacto omnis homo per totam vitam unus idemque remanet.

*An homo per nutritionem perpetuo conservari possit?*

Hâc igitur ratione nutritiva facultas per nutritionem corpora viventia conservat, quatenus scil. alimentum in substantiam partium convertit: & ita ad tempus quidem conservantur corpora viventia per alimentum, æternari tamen nequeunt: quia alimentarius humor tantæ non est bonitatis, ut æqualiter absumptam substantiam restituere possit, ideoque humidum radicale, ut supra dictum est, vergit in deterius, & calorem magis præter naturam parit, qui postea & ipse corruptionis causa est, undè *Seneca*, idem, qui nos generavit calor, est corruptionis causa. Atque hactenus de nutritiva facultate, sequitur, ut ad augmentativam accedamus.

*Facultas augmentativa.*

*Est autem facultas augmentativa, quæ quantitatem totius, secundum omnes dimensiones, auget, ut corpus animatum ad justam perveniat magnitudinem.*

Hæc facultas, licet cum nutritiva circa idem objectum, scil. circa alimentum versetur, non tamen unâ eademque ratione hoc accidit, ut supra dictum est, undè *Scalig. Exerc.* 101. *sect.* 17. frustrà hanc ob causam auctricem & nutricem confundit. Patet enim ex *Philosophi* sententia, quod alia sit ratio nutrimenti ut nutrit, alia ut auget. Hinc igitur opus est augmentatione, quæ *à Zabarel. lib. de accret. & nat. cap.* 9. dicitur mutatio ad majorem quantitatem per motum extensionis, ex alimento in substantiam converso, tanquam ex materia. Ergò non quælibet augmentatio & accumulatio hoc loco intelligitur, sed illa tantùm, quæ animatarum rerum propria, ad quam tria necessariò requiruntur, teste *Philosopho* 1. *de ort.* 1. ut res fiat major, ex aliqua materia extrinsecus accedente. 2. ut id, quod augetur, idem numero maneat: 3. ut non modò totum majus fiat, sed & omnes ejus partes.

*An augmentatio sit eadem cum nutritione?*

Etsi verò augmentatio includat nutritionem, non tamen est ipsa nutritio, vel tantum aggeneratio majoris particulæ, sed novam motûs speciem constituit à nutritione, qui ad quantitatem terminatur, ut patet *ex Zabarell. l. de accret. c.* 9. *Coll. Conn. l.* 1. *de ort. cap.* 5. *quæst.* 13. 13. *ar.* 2.

*An Augmentatio sit continua?*

Hoc autem concesso, quod novam motûs speciem constituat, necessariò quoque concedendum est augmentationem esse continuam, quia omnis motus est continuus: 5. *Metaph. text.* 18. Cùm sit actus Entis in potentia, quatenus in potentia 3. *phys. text.* 6. Erit igitur accretio continua, tàm ex suâ naturâ, quàm propter concomitantia, ut rectè concludit *Zabarell. l. de acc. c.* 9. *& Coll. Connimb. l. de ort. c.* 5. *quæst.* 16. *ar.* 2.

*An id quod rarefit augeatur?*

Cùm verò ex materia extrinsecus accedente incrementum fieri debeat, sequitur necessariò, quòd illud, quod per rarefactionem tantum majorem requirit locum, propriè non augeatur: nam quamvis ad majorem locum moveatur, non tamen manet idem numero, ideoque conditiones propriè dictæ nutritionis eidem non conveniunt.

*An augmentatio fiat extensione?*

Consistit igitur hic motus in appositione alimenti & partium extensione, dum nimirum pars augescens ad materiæ præscriptum extenditur, & novum ipsi alimentum apponitur, *teste Zabarell. de accret. c.* 4. Atque hoc modo totum secundum omnes dimensiones augetur, quod in tertia conditione requiritur, beneficio extensionis, qua totum æqualiter secundum omnes partes extenditur in augmentatione.

*Cur in adultis cesset augmentatio?*

Illud etiam patet ex eo, quod in adultis desinat accretio, quia tum temporis partes solidæ, ut sunt ossa, & reliquæ spermaticæ, non patiuntur sese amplius extendi, proptereà quod sensim exiccatæ sint, ut probat *Zabarell. lib. de accret. c.* 6. *Colleg. Connimb. lib. de ort. cap.* 5. *quæst.* 14. *art.* 1.

*An unà cum augmentatione pereat etiam augmentativa?*

Etsi verò in adultis desinat augmentatio propriè dicta, quâ totum ad majorem quantitatem movetur, interim tamen facultas augmentativa non perit: quia fieri nequit, ut formales animæ vires corrumpantur, nullâ factâ in anima mutatione: *nec obstat*, quod absque operatione remaneat, quia ad essentiam facultatis non necessariò requiritur operatio: potest enim superesse facultas absque operatione, quod patet etiam in aliis: Quis enim non intelligit, nos non semper sentire: interim tamen sensitiva facultas à nullo negatur.

Fungitur ergò augmentativa facultas hoc modo suo officio, donec ad ἀκμὴν perveniat totum, ubi secundum operationes, ut dictum est, desinit.

*Unde anima in appositam materiam derivetur?*

Cùm verò per augmentationem novum addatur alimentum, meritò quæritur, *undè alimentum appositum animam recipiat*: quamvis enim alimentum animatum non sit actu, nihilominus potentiam habet ad animam recipiendam. Hic primò sese offert sententia *Zabarell. lib. de accret. cap.* 15. 16. *Thom.* 1. *par. qu.* 119. *ar.* 1. & aliorum, qui statuunt animam à corde derivari in particulam appositam. *Contra*, verisimilior videtur sententia *Scoti lib.* 4. *sent. dist.* 44. *qu.* 1. *Marsilii de gen. q.* 13. *Piccol. de Acret. c.* 9. qui animam è potentia materiæ appositæ evocant: quia aliàs, aut anima in corpore præeistens; è subjecto migraret, quod neque secundum partem, neque secundum totum fieri potest: aut extra subjectum seipsam produceret, & quidem ex nihilo. Adde, quod anima vegetativa & sensitiva haberent potestatem seipsas movendi in corpore, ut colligit *Scalig. Ex.* 307. *sect.* 13. undè concludit animam seipsam movere posse, quod supra improbatum est.

*Vide Conimb. lib.* 1. *de ort. c.* 5. *q.* 12. *Scaliger Ex.* 307.

*An idem remaneat subjectum quod augetur?*

*At verò, quomodo idem numero remanebit id quod augetur?* annon compositum ex materiæ & formæ ratione subibit mutationem? *ubi notandum breviter*, quod in augmentatione fiat quidem mutatio, ratione materiæ & formæ, non tamen talis, quæ subjecti identitatem tollat, quod etiam *Arist.* innuere videtur, *l.* 1. *de gen. cap.* 5. nam totum augetur per materiam appositam novam, quæ statim reliquis partibus assimilatur, ita ut nihil, quàm terminus quantitatis mutetur, & ita materia & forma quodammodo mutari videntur, illa ut est radix quantitatis, hæc verò, ut eandem variè determinat. Idem verò remanet totum, quia hæc mutatio, ratione totius, accidentalis dici potest: Vide de hac quæstione *Zabarell. lib. de accret. cap.* 20. 21. 22. 23. *Thom.* 1. *par. q.* 119. *Conimb. lib.* 1. *de ort. cap.* 5. *q.* 12.

*An totum ratione formæ vel materia augeatur?*

Quamvis autem ratione formæ & materiæ totum augeri dicatur, aliter tamen partes materiæ, aliter partes formæ augentur. Nam cùm quantitas tantum insequatur materiam, terminus verò quantitatis à forma perveniat, ideò materiæ apponitur quidem aliâ quantitate induta materia, illa verò non sortitur novam quantitatem, sed tantùm terminum alium recipit, qui cùm à forma sit, inde est illud, quod dicamus etiam omnes partes augeri secundum formam, ut colligi potest ex *Arist.2.de ort.cap.5.*

## CAPUT VII.

### *DE FACULTATE GENERATIVA, cum Appendice de facultate.*

*An generativa facultas rectè postremo loco tradatur?*

Supra diximus, quod viventibus omnibus perfectioribus æternitatis quidam appetitus ingeneratus sit, quo sese ratione speciei conservare annituntur: hoc autem perficitur *facultate generativâ*, quæ ab anima vegetativa, ut præcedentes facultates, tanquam à principio fluit. Etsi verò hæc facultas, ratione dignitatis & perfectionis, reliquas præcedat, ut patet ex *Duodo lib. 4. de an.c.5. & Riolano in com.l.5.Fernelij*, quia hæc facultas speciei conservationem respicit: quia eadem tantum perfectioribus inest animalibus: interim tamen postremo loco traditur, ordine doctrinæ, quia præsupponit facultates reliquas, & sine iis vix intelligitur, propterea quod illæ huic suo modo inserviant.

*Facultas generativa.*

*Est autem facultas generativa talis animæ vegetativæ vis, quâ ex semine prolifico, nova substantia ejusdem speciei à vivente producitur.*

*An omnis generatio, pendeat à facultate generativa.*

Hæc facultas solis inest viventibus perfectioribus: nam quamvis omnibus rebus sublunaribus generari conveniat, non tamen omnia quoque generant, sed hoc solum convenit animatis perfectis, quorum præcipuum opus est, *teste Philosopho*, generare. Ergò manifestum est, qualis generatio à facultate generativa perficiatur, non illa de qua supra in generali & speciali physica actum est, quâ mixta generantur, sed talis quâ res animatæ producuntur, ex semine, actione univocâ. *Dico actione univoca*, ut excludantur generationes animalium imperfectorum, quæ ex putri materia generantur, ubi generans & generatum specie non conveniunt. Cum verò generativa facultas novum quiddam ex semine producat, manifestum est, facultatem hanc in eo plurimum à reliquis differre, quod semen generet, & totam animam de novo ex semine producat: nam quamvis nutritiva quoque facultas novum quiddam partibus apponat, atque illud, quod potentia animatum, actuale reddat; alia tamen est ratio generativa facultatis, quæ semini quodammodo communicatur, quod insitam quandam vim obtinet, quâ generationis opus perficitur. Nam seminis spiritus ita contemperatur in testibus, ut facultatem πλαστικὴν induere possit, quæ in spiritu sustentata, & à matre excitata, operatur.

*An facultas generativa de subjecto ad subjectum migret?*

*Verùm* quis non dubitabit, *quomodo facultas generativa suum subjectum relinquat, & semini communicetur?* sed breviter notandum, quod ipsa facultas generativa, quæ est accidens animæ, non relinquat subjectum proprium, sed quod illa habitudo & potentia in spiritu producatur à generativa facultate, vi testium operante.

*An semen vivat?*

*Intricata* tamen est quæstio, *quomodo facultas illa animati corporis conservetur in semine: annon semen necessariò vivens est constituendum:* quod tamen negat *Philosophus 2. de an. cap.1.text.10.& lib.2.de gen. cap.1.* Imò communis Philosophorum sententia est, semen non actu, sed potentia animatum esse. *Quomodo autem illi, cui anima denegatur, facultas quædam ab anima profluens inesse potest?* Hic nullum aliud video refugium, quàm quod inter illam vim πλαστικὴν latentem, & excitatam, distinguendum sit: priori modo, vis illa potius est proxima aptitudo ad facultatem recipiendam, quàm ipsa facultas, ideò non statim ipsam quoque animam præsupponit, quamvis in corpore ab anima producta sit: posteriori modo quoad operationem, pendet ab anima matris, quæ hanc latentem vim excitat, & ad actum traducit. Non igitur semen propriam obtinet vitam, etiamsi insitam obtineat vim, quæ postea ad opus generationis concurrit, quoniam actuata & excitata est. Ita in perfectis animalibus primum beneficio generativæ facultatis semen generatur in testibus, quod postea in coitu ab utero recipitur, ubi insitæ facultates, alteratrix scil. & formatrix, excitantur à matre, ope caloris, qui in semine inest, non quidem ignei, sed familiaris ipsius naturæ, & cœlesti calori respondentis: hic calor imbecillior est in semine muliebri, fortior & præstantior in semine virili, unde supra determinatum est, utriusque sexus semen in generatione eandem vim non obtinere.

*An facultas πλαστικὴ in semine propriè?*

Et hoc modo facultas generatrix ad speciei conservationem inservit: jam sequitur, ut pauca addamus *de vitali facultate*, quam supra à vegativa anima deducendam esse diximus. Quamvis enim rectissimè dicatur illud, quod animal perfectum tribus potissimum facultatibus præcipuis regatur, scil. naturali, vitali & animali, ut ex *Platone, Aristotele, Galeno & aliis* manifestum est: nihilominus non sequitur, vitalem facultatem omninò peculiarem esse à reliquis facultatibus, quia omnis anima vitam præsupponit. Quare concludimus vitalem facultatem ab illa animæ specie dependere, quam reliquæ includunt: at talis est vegetativa anima, quia superiores gradus non sunt absque vegetativâ animâ. Ergò vitalis quoque facultas dependebit ab illa anima, quæ omnibus inest.

*Vitalis facultas unde. Vita quid?*

Hinc rectè *Philosophus lib.de respirat. vitam* definit, *quod sit permansio animæ vegetatricis, cum calore. Dicit, cum calore*, quia præcipuus administer vitalium facultatum est calor, quo tanquam instrumento anima suas operationes perficit.

*Vita quid?*

Etsi verò facultas vitalis ab anima vegetativa deducatur, non tamen sequitur in omnibus viventibus cum nutritiva facultate hanc ipsam confundendam esse, sed inter viventia animata perfecta & imperfecta distinguē-

dum

dum est: In illis enim hæc facultas peculiaria sua habet organa, quibus conservatur, ut patet in corde, in quo vitalis facultas residet: hinc etiam cor peculiare officium habet in continendis omnibus animalibus, undè generatione spirituum ad nutritionem, sensum atque motum inservit reliquis facultatibus.

*Vitalis facultas in quo consistat.*

Ergò facultas vitalis consistit in conservatione caloris nativi, qui primò in corde generatur, beneficio respirationis conservatur, & postea per arterias reliquis partibus communicatur, undè vitalis facultas vitam, & per consequens omnes reliquas facultates in animato corpore conservat. Ex his facilè colligitur, quid sit vita & mors, quæ sunt quasi affectiones animæ vegetativæ.

## CAPUT VIII.

### *DE ANIMA SENSITIVA, AC PRIMUM de sensu in Genere.*

DEterminatis hactenus iis, quæ ad animæ vegetativæ cognitionem faciunt, jam sequitur, ut ad *sensitivam animam* progrediamur.

*Sensitiva anima.*

*Est autem sensitiva anima ἐντελέχεια corporis organici, cujus ratione vivens τὰ αἰσθητὰ* percipit *atque dignoscit.*

Hæc igitur est illud principium, quo omnia animalia apta sunt, ad apprehendendum ea, quæ extra posita sunt, undè noxia devitare & salutaria persequi solent. Priusquam verò progrediamur ad sensitivam facultatem declarandam, notandum est, quod de loco sensitivæ animæ inter *Aristotelem & Galenum* sit controversia. Ille *in lib. de invent. cap. 2. lib. 2. de par. an. cap. 3. lib. de somn. cap. 4.* cor statuit primum sensorium: Hic verò *lib. 8. de decretis*, *cum Medicis*, cerebrum pro sentiendi principio agnoscit. *Pro hujus quæstionis determinatione* observanda distinctio, quod anima sensitiva possit considerari, vel *secundum suam essentiam*, vel *secundum suas operationes*: priori modo *Aristotelis* sententia recipi potest, quia ratione essentiæ, anima cum omnibus suis facultatibus *radicaliter* est in corde: posteriori modo rectè concludit *Galeni* sententia, quia, *quo ad operationem*, non cor, sed cerebrum est sentiendi principium, undè etiam *Aristoteles* fallitur, quod nervos à corde deducat.

*An anima sensitiva in corde?*

Declaratis autem hisce, *ad sensum ipsum* accedimus, de quo primo in genere agendum esse censemus. Cùm verò *sensus* fiat, quando sensorium movetur atque patitur aliquid, ob apprehensionem objecti, sequitur ipsum sensum esse alterationem quandam: *text.* 51.

*Cap. 5. Aristotelis. Sensus.*

*Dubium* tamen est, *cur sensus seipsum non sentiat, vel cur visus se non videat; sive, cur sine iis, quæ extra sunt, non fiat sensus, cum insit ignis, terra & cætera visibilia.* Verum responsio facilis est, quia sensitivum non est actu, sed potentiâ: ut igitur combustibile non comburitur, nisi externa accedat violentia, ita etiam actus sentiendi non fit, nisi ab externo objecto; *text.* 52. At verò, quoniam sentire bifariam dici consuevit, (nam & id quod potentia sentit, etiamsi dormiat, sentire dicimus, & id etiam, quod jam actu sentit & videt) dupliciter & ipse sensus dicetur, quidam ut potentiâ, quidam ut actu: *text.* 53. Sciendum verò, quod pati & alterari sit motus: quicquid igitur patitur & alteratur, ab eo, quod actu est, patitur: *text.* 54. Quod autem *in potentia est*; illud quoque simpliciter non dicitur, nam alia *est potentia ad habitum*, alia etiam potentia *ad operationem*: ita homo sciens dicitur potentiâ, quia habitum sibi comparare potest: præterea & ille vocatur sciens potentiâ, qui habitum sibi scientiæ comparavit, & quocumque tempore contemplari potest, non tamen jam actu speculatur: *text.* 55. 56. Nec *ipsum pati* semper eâdem ratione sese habet: alia enim est alteratio *corruptiva*, quâ id, quod à contrario alteratur, corrumpi solet: alia est *perfectiva*, quâ id, quod potentia est, ad actum perducitur, & ita suam acquirit perfectionem: *text.* 57. Duos igitur alterationis modos esse fateamur oportet, unus ad privativas dispositiones, alter ad habitum atque perfectionem tendit. *text.* 58. His præmissis dicimus sensum primam potentiam, quæ scilicet habitui opponitur à generante habere: & ita sensitivum in remota potentia est id, quod anima caret, & per consequens etiam sensu, ita tamen ut aptum sit ad recipiendam animam; ut semen. In secunda verò potentia sensus est, quasi scientia, ejusque actus quasi contemplari, quia hic talis intelligitur potentia, quæ ad actum est proxima. In eo tamen differunt sensus & intellectus, quòd illa, quæ actu sensum efficiunt, extra sint: *text.* 59. Quapropter sensus est singularium tantùm, scientia verò universalium quoque, quæ in ipsa anima quodammodo sunt; undè semper quidem intelligere possumus, non tamen semper sentimus actu, propterea quod interdum externa objecta desint. *text.* 60. Patet igitur, quo pacto sensitivum dicatur, secundum duplicem potentiam, *remotam scilicet & proximam*: sicuti puer est in potentia remota ad arma tractanda, erit autem in potentia proxima tum temporis, cum ad perfectam venerit ætatem. In hac potentia sensitivum tale est, quale jam ipsum sensibile est actu: undè patitur, cum non est simile quoniam scil. adhuc in potentia est. *text.* 61.

*Sensitivum secundum duplicem potentiam dicitur.*

Hæc ita proponuntur *à Philosopho capite quinto hujus secundi libri*, ex quibus manifestum est, *sentire* esse quandam *alterationem*, *non quidem corruptivam*, ab habitu ad privationem, sed potius *perfectivam*, quâ aliquid ab imperfectione ad perfectionem ducitur. Est igitur *sensus potentia quædam*, non quidem passiva tantùm, ut *Albert. Ægid. Cajetan.* & alii voluerunt, *sed activa & passiva simul*, nam quatenus objectum recipit, aliquid pati dicitur ratione receptionis; quatenus verò objectum receptum dijudicat, eatenus non potest esse passiva potentia, sed potius agendi rationem obtinet: Est enim eadem anima sensitiva, quæ informat organum, & quæ organo informato utitur: ratione prioris officii, patitur sensitiva facultas, quia organi proprium est recipere objectum externum: sed ratione posterioris officii, sensus est activa facultas, quatenus scilicet obje-

*Sentire esse alterationem.*

*An sensus tantùm passiva potentia.*

*Cur sensus seipsum non sentiat?*

objectum receptum ab organo dijudicat, & cognoscit, ut patet *ex Zabarell. lib. de sen. ag. cap. 9. Connimb. lib. 2. de an. cap. 6. quæst. 1. Tolet. ibidem quæst. 12. Duod. lib. 5. de anim. cap. 12.*

*Cap. 6. Aristotelis.*

*Objectum sensibile.*

Cùm autem sensus fiat comprehensione objecti, sive illius quod sentitur, necessariò sequitur, ut *sensibilia objecta* consideremus. Est autem *triplex sensibile*, vel *proprium*, vel *commune*, vel *ex accidente text. 62.*

*Proprium sensibile.*

*Proprium sensibile*, quod alio sensu sentiri non potest, & circa quod error fieri nequit, ut color respectu visus *text. 63.* Hic meritò quæritur, *an sensus circa proprium objectum errare nequeat?* Quidam totius veritatis judicium in sensibus collocârunt, *ut Epicureorum secta*: alii omnem fidem à sensibus ablegarunt, ut *Academici*: Media sententia est *Peripateticorum*, ut videre licet *in Tolet. lib. 2. de an. quæst. 13. Coll. Connimb. 2. de an. cap. 6. quæst. 6. Albert. 2. de an. tr. 3. cap. 5. Savan. lib. 11. epit. phys. concl. 6.* qui statuunt sensum, nec perpetuò falli, nec nunquam decipi: Nam certum est sensus judicium de objecto proprio, modo *justa* adsit *organi dispositio, medium adæquatum, & justa distantia*: ubi verò hæc requisita non adsunt: aut ubi sensibilia non sunt propria, aut non sub ratione propriorum percipiuntur, ibi facili negotio sensus fallitur.

*An sensus circa proprium objectum fallatur?*

*Communia sensibilia.*

*Communia sensibilia* vocantur illa, quæ nullius sensus sunt propria, sed omnibus communia, ut sunt motus, quies, numerus, figura, magnitudo; & ita per se aliquid sentitur, velut proprium objectum, vel ut commune: *text. 64.*

*Sensibilia per accidens?*

*Sensibilia per accidens* sunt, quæ non per se movent sensum, sed ea tantùm ratione sentiri dicuntur, quatenus conjuncta sunt cum eo, quod per se cadit sub sensum, ita substantiæ corporeæ quælibet sentiuntur non per se, sed beneficio cujusdam accidentis, quod sub sensum cadit: *text. 65.*

*An sit species sensibilis?*

*Quæritur* autem non immeritò *quomodo sensus objecta sua recipiat?* nam cum manifestum sit, quod illud per conceptionem & conjunctionem realem fieri nequeat, necessariò sequitur alio quodammodo hoc fieri, scilicet intentionali ratione, undè resultat *species sensibilis*, quæ nihil aliud est, quam imago objecti, quæ sensorio oblata effectivè facultatem movet, ipsumque objectum repræsentat, ut videre licet apud *Fonsec. 1. Metaph. cap. 7. quæst. 1. Conn. lib. 2. de an. cap. 6. quæst. 2. art. 3. Tolet. lib. 2. qu. 34.* Hinc etiam sensum rem quandam percipere dicimus, eo modo, ut cera recipit formam sigilli, quod etiam *Philos. hoc lib. text. 121.* innuit: Si enim rem ipsam secundum materiam reciperet sensus, sequeretur hoc absurdum, quòd res eadem numerò non esset una, sed plures, quia à pluribus simul videri potest, ut annotat *Scal. Ex. 298. sect. 14.* Sunt igitur sensibiles species qualitates spiritales, quæ ab ipsis objectis producuntur: quia objecta obtinent eam vim, ut sese spiritualiter per medium multiplicare possint, undè ad producendam speciem sensibilem non opus est peculiarem sensum agentem constituere, ut rectè colligit *Zabarell. lib. de sens. cap. 5. & Scal. Ex. 298. sect. 16.* Hæc ergò species concurrit ad actum sensionis, ubi potentia sensitiva eandem speciem recipit, quatenus cum organo complicata est, ratione informationis, eandemque dijudicat quatenus vim agendi obtinet. *Undè manifestum redditur*, sensum agentem distinctum à patiente nullo modo concedendum esse, ut sufficienter declaratur *in Zabarell. lib. de sensu agente.*

*An ad producendam speciem sensibilem opus sit agente sensu?*

*An sensus agens statuatur ratione operationis.*

Verum dubitatur, *an etiam communia sensibilia agant per speciem*, quod negare videtur *Thom. 1. par. qu. 78. Venet. 2. de an. cap. 12. Connimb. & Tolet. 2. de anim.* Verisimilior est tamen sententia *Aristotelis*, qui *2. de an. text. 65.* sensibilia per accidens distinguit, à sensilibus per se in eo, quòd illa sensibus nullam speciem imprimant: atque ad sensilia per se referuntur etiam sensilia communia, ergò & illa operationem producunt; quod ulterius quoque confirmatur *à Zabarell. de sensu ag. c. 4.* ex sententia *Averr. 2. de an. Com. 65.* Hæc in genere de sensu hoc loco præmittenda fuerunt: sequitur ut in specie ad sensuum declarationem accedamus.

*An communia sensibilia producant species?*

## CAPUT IX.

### DE VISU ET VISIONE.

PRæsupposito, quòd sensus alii sunt exteriores, alii interiores, quod inferius *lib. 3. de an.* ex sententia *Philos.* confirmabitur, ad exteriores sensus primò declarandos accedimus: horum numerus ex numero sensibilium propriorum colligitur, undè quinque numerantur, *Visus, Auditus, Odoratus, Gustus & Tactus.*

*Sensus externi quot?*

Etsi verò naturæ ordine *Tactus* reliquis prior esse videatur, quia commune est, undè etiam *Avic. & Plato* in tractatione sensuum à tactu incipiunt: nihilominus cum *Philosopho*, hoc loco, à *Visu* incipimus, quia principium cognitionis non semper est principium rei. *5. Metaph. cap. 1.* sed id undè facilius addiscimus: *Visus* autem facilius à nobis cognoscitur, quia requisita sensuum in visu magis apparent, quàm in reliquis sensibus, & hâc occasione *Aristoteles in cap. 7. hujus libri* statim subjicit tractationem de visu, de qua quæstione vide *Zabarell. lib. de Method. & lib. Apolog. ut etiam Piccol. lib. introd. in decem grad.* Hic sensus reliquis præstantior est, tùm ratione finis, tùm ratione operationis perfectissimæ & velocissimæ, ut innuit *Philosophus lib. de sens. cap. 1.*

*An tractatio sensuum à visu incipere debeat?*

*Cap. 7. Aristotelis.*

*Est autem Visus facultas animæ sensitivæ, quæ per certum organum, rectè constituto medio, id quod visibile est, percipit.*

*Visus quid.*

Tria igitur in tractatione visus consideranda sunt, *Objectum, Medium & Organum*: nam quod ipsam attinet facultatem, illa hoc loco nullam requirit declarationem, quia ex iis, quæ supra de facultatibus in genere dicta sunt, ejus natura facilè intelligitur: Cujus autem visus est perceptivus, id est objectum visus, & dicitur *visibile, ut est color*: & hic statuitur in eo, quod per se visibile est, quatenus in se habet causam, ut videri possit. *text. 67.*

*Visionis requisita tria.*

*De colore* igitur primum agendum est. *hic Philosopho, citato textu*, dicitur motivum ejus, quod perspicuum est

*Objectum Visionis.*

est actu: & *in lib. de sens. & sen. cap.*3.definitur, quod sit *extremitas perspicui in determinato corpore*: undè manifestum est, colorem hoc loco rectè considerari respectu visus, ideoque color in profundo latens, non actu, sed potentiâ tantùm color est, quia visum movere nequit, ut *contra Bodin. in Theatro. Vallef. lib.* 1. *controv. c.* 25. *Scal. ex.* 325. *f.* 4. rectè concludant. *Zabar.* 1. *de vis. c.*2. *Con. l.* 2. *de an. cap.* 7. *qu.* 17. *Tolet. ibid. quæst.* 17. Cùm verò duplices sint colores, *apparentes & reales*: ideò utriusque naturam considerabimus pro respectu ad visum.

*An color in profundo latens sit color?*

Quod *reales colores* attinet, hos quidam, ut alias secundas qualitates, ex primis oriri putant, ideò originem colorum quatuor elementa statuunt, cum quibus *Connimb. cit. loc. q.* 3. consentire videntur: Verùm cum cœlestibus quoque corporibus insint colores, ubi primæ elementares qualitates denegantur: idcircò potius cum *Zabarell. lib.* 1. *de visu cap.*2. statuimus, colorem oriri ex condensatione perspicui: ubi enim perspicuum desinit esse tale, tùm redditur coloratum. Accidit autem hæc condensatio perspicui dupliciter: vel ob solam constipationem: vel ob admistionem opaci. Priori modo, cœlestia corpora colorata sunt reddita: quia illorum colores absque admistione alienæ substantiæ sunt creati, ideoque rectè simplicissima corpora dicuntur, ut in *doctrina de Cœlo* declaratum est. Posteriori modo, res sublunares coloratæ redduntur, ubi non per solam constipationem, sed per opaci admistionem coloris ratio constituitur. Et ita ad coloris generationem tria requiruntur, *lucidum, perspicuum, & opacum*, ut innuit *Alexand. lib. natur. qu. cap.*2. *Zabarell. de vis. cap.* 2. *Perer. lib.* 13. *c.* 9. Pro varietate horum trium, varii quoque generantur colores in rebus mixtis, quę communiter distinguuntur *in extremos, & medios*: *Extremi colores* sunt *albedo & nigredo*: hujus causa est opacitas, cum privatione quadam luminis & perspicui: illius causa est lux & perspicuitas in mixtione, cum privatione quadam opacitatis: *Medii autem colores*, quorum communiter plurimi numerantur, ut sunt flavus, ruber, viridis, purpureus &c. ex varia horum trium permixtione generantur.

*An colores ex primis qualitatibus oriantur?*

*Colorum origo.*

*In cœlestibus corporibus.*

*In sublunaribus.*

*Colorum requisita.*

Hîc oritur illa quæstio, *an colores intermedii specie differant ab extremis?* *Negativam* partem defendit *Themistius & Simplicius*, in explanando *text.*6. *l.*5. *phys.* ubi dicunt, medios colores mixtos & compositos esse, ex coloribus extremis, qui in ipsis insunt, non aliter, quàm id, quod est tepidum, constat calore & frigore, *Contra affirmativam* habet *Perer. lib.* 3. *phys. cap.* 9. quam verisimillimam judicat, quod scilicet medii colores ab extremis specie diffideant, quia qualitates intermediæ sunt quoque simplices, & ita colores intermedii non habent alia principia, quam extremi: quia ex iisdem quoque tribus constituuntur: Verùm quâ ratione *Peripatetici* medios colores ex extremis constare affirmant? dupliciter *Pererius cit. loco* respondet, & *ratione originis*, quia illa principia, ex quibus omnes colores constant, in mediis magis miscentur: & *ratione effecti*, quia extremi lædant sensum: album enim nimium dissipat, nigrum nimium congregat visum, & ita uterque visum afficit: reliqui autem colores medio modo sese habent.

*An colores intermedii specie differant ab extremis?*

*Cur medii colores dicantur compositi?*

Et hoc modo sese habent *colores reales*, sequitur, ut etiam aliquid dicamus *de coloribus apparentibus*: sunt autem *apparentes colores* nihil aliud ferè, quàm ipsum lumen variè refractum, in subjecta diversis qualitatibus prædita incidens, undè, evanescente lumine, & ipsi languescunt: Sic in sole color apparet rubeus, quando species coloris albi commiscetur cum speciebus coloris nigri alicujus exhalationis interpositæ, & à lumine illustratæ.

*Colores apparentes.*

Hactenus de objecto visus, *ad ipsum medium* considerandum transcendimus. Est autem τὸ διαφανὲς *perspicuum* quo utitur visus, quod non suo, sed alieno colore sensum movet: ut est aer, & aqua, & solidorum corpora quam plura, veluti vitrum, glacies &c. Non autem aër, quatenus aër, est perspicuum quiddam, sed quatenus eidem inest raritas quædam, ut cœlesti corpori. *text.* 68. Ergò perspicui, quatenus tale est, actus ipsum lumen, quod est quasi color pellucidi, quando actu pellucidum est ab igne, vel alio lucido corpore: manifestum est igitur lumen non esse corpus quoddam, quia in eodem duo corpora simul essent, id quod absurdum judicatur: *text.* 69. Consequentia manifesta est, quia lumen in perspicuo ubique reperitur: jam si corporeum quiddam est lumen, quid impedit, quin fiat dimensionum penetratio, quæ *tamen in Philosopho* impossibilis statuitur. Vide de hac quæstione *Thom.* 1. *part. qu.* 67. *ar.* 2. *Zabarell.* 1. *de vis. cap* 5. *Piccol. de vis. cap.* 7. *Casman. Somat. cap.* 10. *qu.* 1.

*Medium visionis.*

*An lumen sit corpus?*

Sed meritò quæritur hoc loco, *utrum lumen & lux inter se conveniant? vel num una eademque luminis & lucis essentia?* ubi notandum *ex Zabarell. lib.* 1. *de vis. c.* 4. quod *lux* propriè dicatur illa qualitas, quæ est in corpore lucido, ut in sole & astris, vel etiam flamma: *lumen* verò est id, quod à luce producitur in perspicuo, ita ut in Sole sit, non lumen, sed lux: in aëre verò non lux, sed lumen; undè lumen est quidem effectus lucis, quia in perspicuo à luce generatur. Imò respectu visûs, magnum quoque est discrimen inter lumen & lucem, quia lumen est visibile *ut quo*, quatenus scilicet est actus perspicui: lux autem est visibile objectum *ut quod*.

*An lux & lumen differant?*

*Verùm dubitatur, quomodo lux sit objectum visus*, cum determinatum sit supra, colorem esse proprium objectum hujus sensûs? ubi notandum, quod lux sit objectum visûs, quatenus hunc sensum determinat, & ita sub ratione coloris præsertim albi contineri potest: hinc etiam *Philosophus l. de sens. l. de color. & l.* 1. *Met. c.* 4. Solem album vocare solet, propterea quod sit lucidus.

*An lux sit objectum visus?*

Cum igitur à luce in perspicuo producatur lumen, meritò quæritur, *an lumen sit Ens reale, vel intentionale?* *Prius* defendit *Thom. par.* 1. *q.* 77. *ar.* 3. quia lumen realiter ab aëre, vel alio corpore perspicuo recipitur; quia lumen effectum in natura obtinet, undè per Solis radios corpora calefiunt. *Posterius* habet *Ægid. l.* 2. *de an. c. de vis.* qui statuit, lumen tantummodo Ens intentionale esse in perspicuo, propterea quod à corpore lucido derivetur. *Mediam sententiam* invenit *Zab. l.* 1. *de vis. c.* 7. qui utrumq; diversâ ratione concedit: nam *contra*

*An lumen sit Ens reale vel intentionale?*

*Vide Conimb. lib. de Coel.*

tra Thomam concludit, lumen quodammodo esse ens intentionale, quia est quædam imago & species, quæ à corpore lucido profluit: *Contra Ægidius* probat, lumen etiam esse ens reale, quia realiter in perspicuo, tanquam in subjecto, recipitur; cui etiam positivè inhæret.

*Tenebræ quid?*

Ex his igitur luminis natura intelligitur, cui opponuntur *tenebræ*, quæ sunt quasi *privatio luminis in corpore perlucido*: cùm enim lumen sit actus quidam, necessariò sequitur, tenebras esse privationem illius actus in eodem subjecto. Ergò lumen non est defluxus quidam corporeus, medium illustrans, ut *Empedocli* visum est, quia dubitatur, quomodo in momento ad occasum ab ortu moveatur: *text.* 70. Ideoque dicimus, illud tenebris affectû esse, quod colore vacat, & nihilominus eundem recipere potest. *text.* 71. Sunt tamen quædam visibilia, quæ in tenebris apparent atque splendent, ut piscium squammæ, fungus, aliaque similia. *tex.* 72. *Hic quæritur*, quâ ratione hoc accidat, *quod quædam in tenebris conspiciantur nocturno tempore, quæ tamen interdiu non apparent?* ubi notandum, quod quædam corpora tenui luce sint prædita, quæ medium illustrant, quantum satis est, ut ipsa videantur, & ita in tenebris quoque apparere possunt: & hoc est illud, quod tacitè innuit *Aristot.*, ubi dicit in *citato textu*, quam ob causam hæc videatur, alia est ratio. Illud tamen manifestû, quòd color absque lumine, quod est actus perspicui, non percipiatur, undè color super ipsum visum positus non videtur: *tex.* 73. Hinc etiam manifestus est error *Democriti*, qui putavit formicam in cœlo existentem exactè videri posse, si spatium à terrâ ad cœlum omninò vacuum esset, propterea quod medium visum quodammodo impediat: rationem falsitatis addit *Philosophus*, quia visio fit, patiente aliquid sensorio, quare necessum est, esse aliquod intermedium inter colorem & ipsum instrumentum videndi, quia à vacuo nihil pati potest, ideoque in tali vacuo omninò nihil videtur: *text.* 74.

*Cur quædam in tenebris conspiciantur?*

*V. Coll. Conn. in tr. probl. sect. 6.*

Quod autem *de colore* hoc loco dicitur, illud etiam *de sono & odore* procedit, nihil enim, ipsorum sensus instrumentum tangens, sensum efficit: idem in tactu & gustatu quoque apparebit. *text.* 75. Medium quidem in sonis est aër, in odoribus autem nomine *vacat. text.* 76. ut suo loco declarabitur. Hactenus *Aristot. in cap.* 7. de facultate videndi, præsertim quo ad objectum & medium disseruit, ubi simul quoque de natura luminis actum est, propterea quod sine lumine visio fieri nequeat.

*Quæst. 78. Quam ob causam lumen requiratur ad visionem?*

*Quæritur autem ulterius, num lumen tantum ratione medii*, ut *Averroës voluit*, *vel tantum ratione objecti*, ut *Avicenna statuit*: vel *ratione utriusque* ut *Albertus voluit*, *requiratur? ubi notandum*, quòd non tantùm ratione objecti, & ratione medii, quod *Albertus* voluit, sed etiam ratione instrumenti requiratur, quod observavit *Zabar. lib.* 1. *de vis. cap.* 11. *Piccol. de vis. cap.* 14. quia humor crystallinus est perspicuus, propter externum lumen receptum: quod etiam innuit *Arist. lib. de sen. & sensil.* Videtur autem sicut exterius ita etiam interius non sine lumine. Imò usus specillorum hoc quoque comprobat, quia specilla faciunt ad congregationem luminis, quatenus in oculo recipitur. *Dubitari possit* hoc loco, cur *Aristoteles* neque de organo visus, neque de modo visionis aliquid addat, cum tamen hæc quoque ad sensum visus intelligendum maximè faciant? *Breviter notandum*, quòd *Aristoteles* hoc loco facultatem visivam potius, quàm visionem considerare voluerit, ideoque illa, quæ ad visionem declarandam ulterius facere videntur, *ad lib. de sensu & sensili* rejicit. Cùm verò nostrum institutum sit hoc loco, utramque considerationem conjungere, idcirco reliqua adjicimus. Restat igitur tertium requisitum visionis, *instrumentum*, scil. *oculus*, cujus conformationem supra declaravimus; cumque ejusdem diversæ sint particulæ, meritò quæritur de proprio visus organo: hîc *humor crystallinus* sese offert, qui species recipit & sentit, quem communiter proprium visus organû dicunt, ita ut reliquæ oculi partes sint ministrantes; ubi præcipuè notandum, quod hæc actio absque spiritu fieri nequeat, undè nervi optici eundem à cerebro adducunt, qui propterea coëunt, ut uno oculorum clauso vel læso, spiritus ad alterum oculum influere possit: vana enim est sententia illorum, qui hunc coalitum fieri putant, ut non gemina gemini oculi concipiant, quia oculi naturæ providentia æqualiter sese obvertunt rebus percipiendis.

*Cur Aristoteles hoc loco non agat de organo visus & de modo visionis?*

*Instrumentum visionis?*

*Cur nervi optici coeant?*

Cum verò visio perficiatur humore crystallino, cumque maxima pars oculi aquea sit, ideò rectè *Philosophus de sensu & sens.* oculum aqueum statuit, cum quo consentiunt *Peripatetici plerique*, ut patet ex *Zabar.* 2. *de vis. cap.* 5. *Scal.* 397. *sect.* 2. *Conn. lib.* 11. *qu.* 3. *Contra Platonem in Timæo*, *Gal.* 10. *de U. P. & alibi* &c. qui organum visus igneum statuit. Etsi verò quidam sententiam *Platonicorum* ad bonum sensum reducere conentur, hâc ratione, quod oculus ratione spirituum igneus dicatur: nihil tamen obtinent hâc conciliatione, quia hoc modo non tantùm oculus, sed omnia sensuum organa ignea essent, quia nullus sensus absque influxu spiritus perficitur. Ut autem oculus ad percipienda objecta visibilia aptissimus esse possit, ideò non tantùm obtinet situm sublimiorem in corpore humano, sed suos etiam habet musculos, quibus variè movetur: Sed meritò dubitatur, *cur ambo oculi semper eodem motu moveantur?* Respondet *Laurent. lib.* 11. *quæst.* 6. duplici ratione, quod scilicet hoc accidat, ratione *finis*, & ratione *efficientis*. Ratione *finis*, quia ambo oculi uni operationi inserviunt, actu videndi operantur, ideoque unum eundemque requirunt motum: ratione *efficientis*, quia hic motus perficitur beneficio nervorum secundæ conjugationis, quos in exortu conjunctos esse observavit idem author. His determinatis causam reddit *Laurentius*, *cur magis tolerabilis sit affectus utriusq; oculi, quam alterius tantùm*, quia is oculus, qui sanus est, variis motibus agitatur, quâ motione cum simul quoque æger oculus afficiatur, ideò magis irritatur: ubi verò ambo laborant, ibi simul quoque quiescunt. Et hoc modo patet, quale objectum, quale medium, & quale organum, ad operationem visivæ facultatis requiratur.

*An visus organum sit aqueum?*

*An oculus igneus dici possit ratione spiritus?*

*Ambo oculi cur eodem motu cieantur?*

*Cur affectus utriusque oculi tolerabilior sit, quam unius tantum?*

Jam restat unica quæstio, *de videndi modo, quo visus perficitur*: Hic primo offert sese sententia *Platonicorum*, quam recipit *Galenus*, *Valles. Macrobius* &c. qui statuunt, visionem fieri *extra mittendo aliquid*: ita *Plato* flam-

*An visio fiat recipiendo?*

flammam exilire putavit, ita *Galenus* emissam speciem ad objectum prosilire voluit: *Verùm* cùm hæc sententia meritò rejicienda sit: quomodò enim lumen, quod est accidens, ex oculis ad tantum intervallum excurret? quomodo spiritus emissi continebuntur absque dissipatione? quomodo emissi absque anima sentient? *Merito* sententia contraria, quæ est *Peripateticorum*, retinenda est, quâ statuitur visionem *fieri per receptionem specierum sensibilium*, quæ assertio deducitur ex natura sensus, qui receptione quadam fieri debet. Vide de hac quæstione *Aristotelem lib. de sens. & sens. Averr. 2. de an. c. de vis. Zabar. lib. de vis. Piccolom. de vis. cap. 17. Concil. differ. 64. Connimb. 2. de an. c. 7. quæst. 5. Scalig. Ex. 325. Laurent. lib. 11. quæst. 1.*

*An aliquid intra oculum videri possit?*

Veruntamen ex hac quæstione secundum placitum determinatum *Peripateticorum* sequitur illud, *quod nihil intra oculum videri possit*, cui tamen repugnare videtur experientia, quia in suffusionibus interdum plurima videntur, quæ non sunt extra oculum, sed in oculo: adde quod interdum & alia visa appareant alicui, quæ tamen ab aliis non conspiciuntur: *Ubi nota ex Laurent. cit. loc. qu. 2.* quod interdum in oculo aliquid videri possit, quando scilicet vapor aliquis in medio pellucido oculi ante humorem crystallinum continetur, qui non sub sua specie: sed sub ratione alterius externi objecti in aëre conspicitur: humor enim crystallinus non ad interna, sed ad externa objecta percipienda est assuefactus. Ergò visio perficitur receptione specierum rerum visibilium, quæ species visibiles immateriales sunt, & realiter ab oculo recipiuntur in instanti, ubi dijudicantur & cognoscuntur.

*Num imago vel res ipsa conspiciatur in speculo?*

*Colophonidis loco notandum est in hoc capite, quomodo aliquid in speculo videatur*: hîc quidam sunt in ea sententia, quod imago tantùm conspiciatur: alii statuunt, imaginem & rem simul videri: denique *Opticorum* est opinio, quæ verisimilior statuitur, quod non imago, sed res ipsa conspiciatur in speculo: quia præter colorem & lucem nil continetur sub objecto visûs: quia imago rei est in superficie speculi, at res visa apparet in profundo. Adde etiam rationes, quas videbis in *Colleg. Connimb. lib. 2. de an. cap. 7. quæst. 8. ar. 2.*

## CAPUT X.

## DE AUDITU ET ODORATU.

AD Auditum, quem *Scalig. Exerc. 297. s. 2. & 298. sect. 6.* post *Philosophum*, disciplinæ sensum vocat, accedimus.

*Auditus.*

*Est autem Auditus animæ sentientis facultas, quâ sonora percipit.*

Hic vicissim tria, nimirum *objectum, medium, & organum*, consideranda sese offerunt.

*Cap. 8. Aristotelis. Objectum auditûs.*

*Objectum auditus*, à quo cum *Philosopho* incipimus est *Sonus*, qui dupliciter consideratur, vel ut est actu, vel potentiâ: nam sunt quædam corpora, quæ omninò non sonare possunt: ut lana, spongia, alia verò inter se collisa sonare possunt. *text. 77.*

*Soni generatio.*

Ad sonum igitur actu producendum tria requiruntur, *corpus percussum, corpus percutiens & medium*, ubi nota, quod corpora debeant esse talia, quæ apta sunt ad sonum efficiendum, scilicet *solidiora*: *text. 78.* imò *aëri & aqua* etiam non omninò denegatur sonus, quatenus scilicet ad naturam solidorum corporum accedunt, & in vehementi percussione instar solidorum resistunt. *text. 79.*

*Echo.*

Ubi verò soni species per medium delata ab obstante quodam corpore repercutitur, nascitur *Echo*, scilicet aliqua soni reflexio, quæ quidem semper fieri videtur, non tamen semper percipitur, propterea quod plerunque debilis sit illa species repercussa: *text. 80.*

*An Echo sit alius sonus à priori?*

Hic oritur quæstio, *an Echo sit alius sonus numero à priori*: ubi cum *Tolet. lib. 2. de an. qu. 22. negativè* respondemus, quia à reflectente corpore non producitur, quod maximè patet in sono rerum animatarum, in quibus etiam, ut in reliquis, hæc soni reflexio audiri solet: quomodò autem corpus reflectens, quod est inanimatum, vocem articulatam edere potest. Accidit autem hæc soni diversitas in aëre, undè rectè à veteribus *aër auditus medium* statuitur: ita igitur sonum efficit, quod movet usque ad auditum continuatione aërem unum. *text. 81.*

*An solus aër sit medium auditus?*

Hic attingit *Philosophus* medium auditus, ubi ex sententia veterum ponit *aërem*: Undè meritò dubitatur, *an solus aër sit medium auditus?* ubi statuitur ex sententia *Tolet. 2. de an. qu. 19. Connimb. 2. de an. cap. 8. quæst. 1.* quod non tantùm aër, sed etiam *aqua* sit medium auditus, quia teste *Plinio, 10. Hist. natur. 70.* pisces etiam in aqua audiunt. Quod autem *Philosophum* attinet, ille hoc loco tantùm aëris mentionem facit, ut & faciliori negotio audiendi modum declarare possit.

*An aër continuatione usque ad auditum moveatur?*

Sed alia ex textu præcedenti resultat quæstio, *an scilicet reali & continuatâ aëris motione usque ad auditum semper opus sit? Affirmativam* multi defendunt, ubi statuunt aërem continuitate quâdam realiter moveri usque ad aures, eâdem ratione, ut lapis, flumini quiescenti injectus, aquam per circulos continuatos usque ad extremitates movet. Verùm cum pisces immotâ aquâ audiant, cumque in locis occlusis sonos percipiamus: ideò potius *cum Tolet. 2. de an. quæst. 21. & Conn. c. 8. qu. 1. & 2.* Statuimus sonum *non realiter, sed per speciem* sensorium attingere, quod & *Philosophus in dicto loco* intelligit, ubi scilicet aër continuitate quâdam propter speciem delatam usq; ad sensorium alteratur.

Hâc igitur ratione per medium species soni communicatur auribus, in quibus continetur *aura ingenita*, quam cum *Philosopho, hoc loco*, præcipuum auditus organum statuimus. *text. 82.* Hæc *aura insita* immobilis est, ut omnis motûs species, hoc est, omnia sonora percipere possit: & hanc ob causam in aqua quoque audimus, quia ipsum aërem insitum non ingreditur aqua, quod ubi accidit, læditur hic sensus: ita etiam membrana, quæ *tympanum* dicitur, rectè constituta esse debet: ut enim visus læditur, tunicâ, quæ pupillam contegit, læsâ; ita etiam auditus afficitur membranâ affectâ. *text. 83.*

Sed dubitatur, *quomodo aër ingenitus possit esse proprium*

*An aura ingenita sit auditus organum?*

*prium instrumentum tam præstantis operationis?* Imò potius cum *Themistio* spiritus statuendus esse videtur, aut cum *Vesalio* hæc operatio est attribuenda tribus auditus ossiculis: *Verùm* cum spiritus non sit pars corporis, cumque ossa sint partes insensibiles, ideò meritò hæ opiniones rejiciuntur, & retinetur illa, quæ est *Philosophi*, ubi *aura ingenita*, statuitur, quæ est pars corporis, similaris ad hunc sensum perficiendum aptissima. Et hoc probatur *ab Aristotele* tali signo, quod sonante illo aëre interno, minus rectè audiamus, quia sonus, qui percipitur, alienus est, scilicet præter naturam. *text.* 83.

Cum verò ad sonum requiratur *corpus percussum & percutiens*, quærit *Philosophus*, *quodnam sonet?* & respondet pro utroque, ita, ut percutiens & percussum sonet, sed diverso modo, *quia percussum resistendo, percutiens feriendo* sonum efficit. *text.* 85. Sonus autem non semper unus idemque est, sed ejusdem sunt quædam differentiæ, quæ in actu sonorum apparent: hinc sonum gravem & acutum vocare solemus, translatione quâ iam. *text.* 86.

*Quæ sit causa soni gravis & acuti?*

Causam soni gravis & acuti refert *Aristoteles sect.* 19. *probl. quæst.* 37. ad aëris copiam & paucitatem, ita ut sonus acutus fiat ex aëris percussi inopiâ, gravis autem ex copiâ: quod *Toletus super hunc textum* demonstrat in chordis, quæ acutiorem sonum edunt, ubi sunt intensiores, quia tum parum aëris percutiunt. Jam restat, ut *de voce* aliquid dicamus, quia soni species dicitur.

*Est autem vox sonus quidam, animantibus iis proprius, quæ aërem hauriunt:* ideoque aëris duplex est instrumentum ad refrigerandum scilicet internum calorem, & ad formandam vocem *text.* 87. 88. Instrumenta autem respirandi sunt *fauces & pulmo: text.* 89. Necessarium igitur est, aërem respiratione attractum ingredi; vox ergò generatur ictu aëris in larynge, ubi aër repercutitur, ab eo quod animatum est, cum aliqua imaginatione, undè vox est sonus significativus. *text.* 90.

*Pisces cur muti.*

Hinc etiam patet, cur pisces vocem non edant, quia destituuntur respiratione, & per consequens etiam his membris, quæ maximè ad formandam vocem inserviunt: *text.* 61. Et hæc sunt illa, quæ proponit *Philosophus* de Auditu, ex quibus patet, quomodo, & ex quibus requisitis hic sensus suam operationem perficiat: jam sequitur, ut ad odoratum accedamus.

*Cap. 9. Arist.*

Ergò postquam melioris cognitionis gratiâ Visum atque Auditum præmisimus, consequenter *ad odoratum*, quia inter visum & auditum atque inter gustum & tactum medius esse videtur, teste *Aristotele lib. de sens. & sens. c.* 6. accedimus.

*Odoratus.*

*Est autem odoratus facultas animæ sensitivæ, quæ certo corporis organo per aërem & aquam odores percipit.*

Hic iterum in reliquis sensibus *objectum medium & organum* considerabimus.

*De Odorabili.*

Ab *Odore* igitur & *Odorabili* incipiendum est, quo non æquè benè ut de præcedentibus discernere atque determinare possumus, propterea quod hic sensus in homine non sit actus omninò, ut in brutis; quia homo remissè olfacit, & nihil absque dolore vel voluptate percipit, cujus causa est ipsum instrumentum: *text.* 92. Consentaneum autem est rationi quoddam animalium genus eâdem ratione colores sentire, ut non aliter eorum differentias percipiant, quàm timendo aut non timendo: quod homini accidit in odoribus dignoscendis. *text.* 93.

*An odoratus in homine ignobilior?*

Quamvis autem negari nequeat, quod plurima animalia hoc sensu hominem superent, quod patet in cane, vulture, & aliis: dubitari tamen potest, *an odoratus in brutis rectè dicatur præstantior?* Hic quidam *negativam* defendunt hac ratione; quia in homine est præstantior forma ultimata: omnia enim ab anima rationali dependere videntur: imò homo quoque odores magis dijudicare videtur. *Contra affirmativa* communiter defenditur, atque experientiâ teste comprobatur.

*Decisio.*

*Pro decisione quæstionis* notandum est, quod odoratus dupliciter considerari possit, vel quo *ad perfectionem essentialem potentiæ*; vel quo *ad perfectionem accidentariam*: *Priori modo* olfactus in brutis non est perfectior, quàm in homine, quia in unâ eâdemque specie conveniunt: *poriori modo* bruta superant hominem, quo ad hunc sensum, quia citius & perfectius odorantur, undè *Scal. Ex.* 247. innuit, quod bruta quædam, quoad olfactum excellentiâ receptionis & celeritatis hominem superent, ab eodem tamen vicissim superentur, dijudicatione, in qua sensus consistit. *Verum* dubitatur ulterius, *undè sit imperfectio olfactus in homine, an ratione organi:* quod rectè affirmat *Philos. in text.* 92. quia in homine instrumentum odoratûs non ita comparatum est, ut in reliquis animalibus, propter cerebri frigiditatem & humiditatem, de quo *V. Conn. cap.* 9. *quæst.* 5. *Tolet. lib.* 5. *quæst.* 24.

*An odoratus in homine imperfectior ratione organi?*

*Odor quid.*

Sed missis his quæstionibus ad objectum odoratus declarandum accedimus, *ad odorem* scilicet. *Philosophus lib. de sens, cap.* 5. dicit *passionem sicci sapidi in humido:* q.d. odorem esse qualitatem ex commistione primarum resultantem, dominante sicco & calido, quæ olfactum movere possit: *Dico esse qualitatem:* quia odor non est substantia fumosa & vaporosa, ut quidam voluerunt, quia vapor facilè in aquam resolvitur: at aqua nullum odorem obtinet: quia quædam animalia in aqua etiam odores percipiunt, at fumosa exhalatio non descendit in aquam: quia propter continuam exhalationem corpora odorata contabescerent, ut hæc probantur *à Philosopho citato. Vide Zab. lib. de sens.* 4. *Concil. diff.* 155. *Alber.* 2. *de an. tr.* 3. *cap.* 21. *Conn.* 2. *de an. cap.* 9. *quæst.* 1. *Dico ex commistione primarum:* ubi proprium subjectum odoris determinatur, scilicet *mixtum*; Elementis enim non conveniunt odores, quatenus sub elementi ratione, *ut pura* scilicet considerantur, quia in illis nulla qualitatum mistio hâc ratione fingitur. Dico *dominante sicco*; ubi innuimus, quod non omninò absumatur humidum, sed quod illud à calore excoctum subjiciatur dominio sicci: nam ubi omninò absumitur humidum, ibi odor quoque tollitur, quod patet in cinere ligni odorati. *Dico quæ olfactum movere possit:* quia hoc loco odor considera-

*An odor sit substantia vaporosa?*

deratur, quatenus sensum movet, ideoque refertur ad tertiam qualitatis speciem. Hæc igitur odoris essentia, undè manifestum est, quod odores ad odoratum sese habeant, sicut sapores ad gustum, nisi quod gustus in homine sit perfectior, quia est tactus quidam, quem sensum (tactum intellige) homo exactissimum habet: Quare & omnium animalium prudentissimum est: Imò in hominum genere, ob instrumentum hujus sensus, ingeniosos, hebetesve cognoscimus: nam qui carne duri sunt, mente inepti, qui verò carne molles, ingeniosi dicuntur: *text.* 94. Ut autem sapores alii dulces, alii amari, ita etiam in odores hæc nomina derivata sunt, undè odorem mellis dulcem dicimus: *tex.* 95.

*Inodorum quid sit?*

Verum ut reliqui sensus non tantum sua objecta, sed etiam privationes objectorum percipiunt: ita etiam odoratus est odorabilis & inodorabilis, h. e. percipit odores & non percipit odores, quod autem inodoratum est, tripliciter dicitur: vel enim omninò caret odore, neque unquam odorem habere potest: vel exiguum odorem habet: vel denique tetrum odorem spirat: *text.* 96.

Determinato objecto, *ad Medium* accedimus: fit autem olfactus per aërem aut aquam, tanquam per medium; per aërem enim manifestè odores sentiuntur; per aquâ verò pisces odorata esculenta explorare videntur. *text.* 97. Hoc loco quæstio movetur, *quomodo aër & aqua sint Medium odoratus, cum tamen utrisque humiditas conveniat, quæ odores impedire videtur?* ubi notandum, quod aër & aqua hoc loco non considerentur ut pura, sed quatenus in rerum universitate saluti animantium inserviunt; ita iisdem peculiares proprietates sunt concessæ, quibus ad actum sensuum inserviant. Sic aër & aqua inserviunt visui, quatenus perspicui rationem obtinent; famulantur auditui, quatenus personora sunt, ad odoratum faciunt, quatenus sunt perodora, h. e. quatenus odorum species transmittere possunt. Quamvis autem animantia cuncta similiter olfaciant, interim tamen homo non nisi inspirans odores sentit: ubi enim non inspirat, minimè odoratur: *text.* 98.

*Quomodo aer & aqua sint odoratus Media?*

*An igitur illa, quæ non respirant sensum odoratus alium obtinent?* minimè, quia omnium odoratus circa odores versatur; quia omnium odoratus vehementi odore, scilicet sulphuris, aut alterius, læditur, ideoque specie inter sese non differunt hi sensus: *text.* 99.

*Quæritur denique de organo odoratus*, ubi *Nasus* sese offert, in cujus interiori parte duæ partes albicantes, *processus mamillares* dicti in artificiosa dissectione observantur; hæ particulæ præcipuum odoratus organum statuuntur *ab Avic.* 3. *fen.* 4. *tr.* 1. *Concil. diff.* 45. *Tolet. h. l. qu.* 26. *Conn. h. l. qu.* 4. *Laurent. lib.* 11. *Vesal. l.* 4. *cap.* 3. Nec magni momenti est assertio *Averrois*, qui statuit odorandi facultatem in membrana narium consistere; non verò in illis processibus, propterea quod processus illi sint ejusdem substantiæ cum cerebro: Ubi notandum, quod hæc sententia nullo nitatur fundamento: nam cum tunica narium sit extensa per totum nasum, sequeretur nos quoque absque inspiratione odores percipere: adde quod coryza non obtunderet hunc sensum, quia non tunica, sed cavitates opplentur.

*An processus mamillares sint odoratus organon.*

*An tunica nasi sit organum odoratus?*

*Quod verò attinet illam rationem*, quâ concluditur, processus mamillares esse ejusdem substantiæ, cum cerebro, illam quoque negamus, quia processus hi cerebro tenuiores & sicciores sunt.

Etsi vero *Aristoteles* non expressè ponat Instrumentum odoratus, indicat tamen, quod illud ipsum sit circa cerebrum, ut patet *ex lib. de sens. & sens. c.* 2. Cùm verò homo non olfaciat absque inspiratione, ideò *Aristoteles in text.* 100. colligit instrumentum odoratûs in interiori Nasi cavitate, quasi velamine quodam, tectum esse, ita ut species odoris non percipiamus, nisi inspiratione facta hoc velamen aperiatur. Verùm quid sit velamen illud, non declarat *Philosophus*, ideoque à pluribus hæc ipsius sententia omninò tanquam falsa rejicitur; ut patet ex *Galeno*, *Vesalio*, *Laurentio & aliis*. Attamen ad bonum sensum revocari potest hæc opinio, si dicamus cum *Conn. hoc cap. qu.* 5. *Toleto*, *cit. l. Fernelio lib.* 6. *physic. cap.* 10. quod per illud ἐπικάλυμμα Aristotelis interiores partes membraneæ in naso, quæ per inspirationem dilatantur, intelligendæ sint.

*An Aristotelis velamen in naribus defendi possit?*

Manifestum est igitur quodnam sit præcipuum instrumentum odoratûs, scilicet illa pars in Naso, quæ peculiarem obtinet substantiam, figuram & compositionem à reliquis, ut sunt illi processus in anteriori cerebri parte, qui mamillares dicuntur: his reliquæ partes nasi inserviunt, ubi odores præparantur, & ad partem principem deferuntur.

Verùm cum à faucibus ad nares patentes sint viæ, ita ut nares simul etiam respirationi inservire possint, *quæritur, cur odores cibi & potus ex ore & ventriculo non percipiamus?* Hic *Laurent. lib.* 11. *quæst.* 12. dupliciter respondet: 1. quia odor in naribus præparari debet; ideoque nares sunt quasi causa sine qua non odor percipitur. 2. Quia odor ille humore oris & ventriculi perfusus sese non exerit. Tertiam rationem, quæ firmior & melior est præcedentibus, addit *Connimb. c.* 19. *quæst.* 4. *ar.* 2. quia sentimus odorem, quem inspiramus; inspiratio autem ducit aërem ad fauces & pulmones, igitur in inspiratione non potest odor à faucibus pervenire ad odoratûs organum.

*Cur cibi & potus odores non percipiamus in ore?*

*Ita hactenus Objectum, Medium atque Organum odoratus* declaravimus, jam superest, ut aliquid addamus de illa quæstione, quæ ad Modum odorandi pertinet: *an scilicet odor semper realiter, cum vapore quodam, mittatur ad organum? vel, an esse intentionale habeat, ita ut per speciem tantùm cognoscatur?* Priorem sententiam plurimi recipiunt, ut patet ex *Galeno*, *Fernelio & aliis*, quia odor cerebrum confortat & lædit; quia à vento impellitur; quia cum odorandum, inspiratione aerem attrahimus; quia pomum odoriferum propter exhalationem odoris marcescit. *Verum contra*, posteriorem sententiam rectè defendunt alii, qui statuunt, non semper necessum esse, ut odor realiter attingat sensorium beneficio concomitantis vaporis, quia certum est, pisces in aquâ etiam odores percipere: quomodo autem vapor in aquam descendet? *Adde*, quod corpora odorabilia semper minuerentur ratione odoris, quod tamen non accidit, nisi simul aliæ adsint causæ, quæ ad immutationem temperamenti, atque per con-

*An odor realiter semper ad nares perveniat?*

consequens ad corruptionem faciunt: ita etiam pomum marcescit, ubi calor internus evocatur, quando scilicet manibus gestatur, ubi sensim postea ad putredinem tendit. *Vero igitur consonum est*, sensibilem speciem odoris communicari instrumento odoratus, quod in reliquis etiam sensibus fieri manifestum est.

*An odores nutriant?* Veruntamen negari nequit illud, quod affirmat *Hipp. Odores spiritus reficere*, hinc etiam odores nutrire dicimus: ubi notandum, quod illud intelligendum sit *de odore unà cum vapore conjuncto*: ita etiam tetri odores, propter noxiam substantiam vaporis conjuncti, interficere solent animalia. *Tantum de Odoratu.*

## CAPUT XI.

### *DE GUSTATU ET TACTU.*

SUpersunt adhuc duo sensus externi, magis terrestres, magisque necessarii ad conversationem animalium, scilicet *Gustus & Tactus*.

*Gustus.* *Est autem Gustus facultas animæ sentientis, quæ certo instrumento sapores in corpore sapido percipit atque dijudicat.*

*An in gustu adsit externum mediũ. Cap. 10. Arist.* Cùm verò hactenus in reliquis sensibus ubique, præter objectum & organum, medium quoque externum demonstratum sit: meritò dubitatur hoc loco; *an etiam in gustu adsit tale externum medium, per quod species sensibilis percipiatur?* Sed cùm gustabile sit quoddam tangibile, non necesse est medium externum constituere, quia, quo ad medium, convenit gustus cum tactu: at tactus externum medium non habet: *text.* 101. Ad objectum igitur declarandum accedimus: ut autem visibile est color, ita gustabile est sapor: nihil autem gustum afficit absque humiditate, ideoque omne sapidum humiditatem obtinet vel potentiâ, ut sal, vel actu, quod in reliquis patet: *text.* 102.

Verùm ut invisibile vel dicitur quod omninò impossibile est, vel quod ægrè videtur, vel quod opponitur tanquam privatio, ut tenebræ, ita etiam gustabile respectu gustus considerari potest. Videtur potabile & impotabile esse principium gustabilis & ingustabilis, quia humiditas ad gustum inservit: *text.* 103.

*Objectum gustatus.* Est igitur *objectum hujus sensus corpus sapidum*, quod ratione saporis percipitur à gustu: Etsi verò unà cum gustatu tactus quidem conjunctus esse videatur, ut ex verbis *Philosophi* concludimus: immeritò tamen quidam, in quorum numero est *Venetus* 2. *de an. text.* 102. tactum & gustatum pro uno eodemque sensu habent; nam hi duo sensus objecta realiter distincta obtinent: aliud enim est sapor, aliud calor: adde quod etiam sint distincta organa, quæ his sensibus inserviunt, quia non ubique perficitur gustatus, sed tantummodò in lingua, ut innuit etiam *Philosophus lib.* 2. *text.* 112. Versatur ergò hic sensus *circa saporem*, quem ex mente *Aristot. lib. de sens. c.* 4. hoc modo definire possumus:

*An gustus & tactus unus sensus?*

*Sapor quid.* *Sapor est qualitas corporis mixti, à sicco terrestri in humido aqueo per calorem generata, quâ gustus, qui potentia est, ad actum deducitur.*

*Dico qualitas mixti*: quia sapor est secunda qualitas, quæ ex mixtione primarum qualitatum elimentarium resultat, ideòque nullum simplex corpus, quatenus tale est, saporem quendam obtinet. *Dico à sicco terrestri in humido aqueo*, quia hæc duo, tanquam materia saporum, requiruntur: nam nec solum humidum est subjectum saporis, undè aqua & aër insipida sunt; nec etiam solum siccum sufficit, undè lingua sicca nihil saporis percipit: requiritur siccum & humidum conjunctum, ubi siccum terrenum & humidum aqueum potissimùm eligitur, quia siccum igneum & humidum aëreum facilè dissipatur, propter tenuitatem. *Dico per colorem generata*: quia ut calor est causa totius mistionis, ita etiam pro variis suis gradibus diversos sapores producit, pro diversa commistione sicci terrestris & humidi aquei. *Dico, qua gustus ad actum traducitur*: ubi innuimus, quod respectu sensus hoc loco illa qualitas consideranda sit: quamvis autem ratione suæ originis pertineat ad doctrinam de mixtione, attamen quatenus est objectum gustus, eatenus huc spectat.

*An sapor in mixto simpliciter, vel an ratione sensus mutetur?* *Hic oritur quæstio, an sapor ita oriatur ex mistione, ut insit rei?* Negativa quibusdam probabilis videri posset, quia videmus quædam hominibus ingrata, animantibus omnium gratissima, ita ut illa, quæ homini amara sunt, ipsis brutis dulcia videantur. *Sed contrarium* vero consonat, quia gustus potentiâ æqualis est in omnibus animantibus, ideòque non fallitur circa proprium objectum, modo omnia impedimenta remota sint: quod autem quædam jucunda & salubria sint animantibus, quæ homo non expetit, illud ratione peculiaris temperamenti accidit: imò in hominibus hoc observatur, quod hic tali sapore, ille verò alio delectetur.

Cùm verò saporum quædam sit diversitas, ideò notandum, quod species ita sese habeant, quemadmodum species colorum, ita ut alii sapores sint extremi, alii intermedii: Extremi sapores, qui simplices & contrarii vocantur, sunt *dulcis & amarus*: Intermedii sunt *salsus, acer, acerbus, austerus, acidus. text.* 105.

*Qui sapores sint extremi?* Hic quæritur, *an dulcis & amarus sapor rectè constituantur extremi?* Contrarium tenet *Galen.* qui acerbum & acrem pro extremis agnoscit. *Pro decisione notandum*, quod sapores dupliciter considerentur; *vel ratione suæ originis*, & ita extremi illi dicuntur, qui ad extremas qualitates primas magis accedunt: ita sapor *acer* & *acerbus* sunt extremi: quia *acer* ex caloris excessu immoderato, & materia tenui, *acerbus* verò ex materia crassa & calore imbecilli gignitur: *Vel ratione sensûs*, & ita illi sunt extremi, qui maximè contrario modo potentiam gustatus afficiunt, ut *dulcis & amarus. V. Galen.* 4. *lib. simpl. med. cap.* 10. *& seq. Concil. diff.* 145. *Conimb. lib.* 2. *de an. cap.* 10. *quæst.* 1. Dulcis enim generatur ex mediocri temperato sicco terrestri & humido aqueo, moderatoque calore gignitur, ideò suaviter

sensum afficit, & omnium optimè ad nutritionem inservit: *Contra amarus* ex magno sicco terrestri & parvo humido aqueo, per abundantem calorem generatur, ideoque gustum afficit, & ad nutritionem ineptus est. Reliqui autem intermedii sapores medio modo sese habent.

*Linguâ gustatus instrumentum.*

Perficit autem gustatus hanc suam operationem, ut neque omninò humida sit actu, neque etiam talis est, ut humectari nequeat, teste *Philosopho text.* 104. undè saporis expers esse debet, ut omnes sapores dijudicare possit: hinc illi, quibus lingua bilioso humore infecta est, circa sapores falluntur, quia ipsis cuncta amara videntur, propterea quod lingua iisdem sapore amaro infecta sit.

Præcipuum organum est *caro interior spongiosa*, cui simile quiddam in reliquo corpore invenire non licet: reliquæ linguæ partes, ut nervus gustatorius, tunica &c. plurimum inserviunt ad hanc operationem, ita ut sine iis gustus fieri nequeat.

*An gustus omninò nullum medium habeat?*

Patet igitur, quodnam sit *Objectum & quale Organum* hujus sensus: *de Medio* verò dubitatur, præsertim cum suprà ex *Philosophi* mente dictum sit, in hoc sensu non esse Medium externum, ut in præcedentibus sensibus: *Quæritur ergò, an nullum omninò sit medium in gustu?* ubi notandum, quod medium duplex sit, internum & externum hoc in prioribus sensibus demonstratum, illud verò in tactu & gustu observatur, ubi medium cum instrumento conjunctum est, & ita in gustu medium esse potest *tunica linguæ, salivali humiditate irrigata*; quæ sapores percipit.

*An homini tactus præstantissimus?*

Ex hactenus dictis gustatus essentia manifesta est, jam sequitur, ut *Tactus* declarationem addamus. Hic sensus communissimus est, undè sine eo animal ne dici quidem potest, exactissimus tamen est in homine, ut innuit *Philosophus*, quia tactus sequitur bonitatem temperamenti, hominis autem temperamentum est præstantius reliquorum animalium constitutionibus: Nec obstat communis illa sententia in his versiculis contenta:

> *Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,*
> *Vultur odoratu præcellit, aranea tactu:*

Nam quod de gustu & tactu dicitur, illud secundum communem opinionem Poëticè dicitur: nam quamvis simia plurimas gesticulationes ostentet in capiendo cibo, quod vulgum fefellit, non tamen colligitur gustatûs præstantia, quia simia est aliàs animal gesticulatorium, ideòque illæ gesticulationes non sunt indicium præstantioris gustus: sic etiam aranea præstantiorem tactum reverà non obtinet, etsi levissimum bestiolæ in rete incidentis motum percipiat; quia hoc accidit propterea, quod aranea semper expectet prædam: adde, quod aranea tactum imperfectum obtineat, propterea quod sit frigidi temperamenti, & viscosâ abundet humiditate, ut colligit *Albert. lib. 26. de anim.* Hujus igitur sensus maximè necessarii naturam considerabimus, ideoque primum generalem hanc proponimus definitionem:

*Tactus quid?*

*Tactus est facultas animæ sensitivæ, quæ per corporeum instrumentum tactiles qualitates percipit atque dijudicat.*

*Cap. 11. Aristotelis. An tactus unus sit vel plures.*

Hic primo quæritur, *an tactus unus sit, vel plures: text.* 106. imò dubitatur etiam de instrumento tactus, *an illud sit ipsa caro, & id quod in cæteris simile est carni,* vel *num caro sit sensus hujus medium, instrumentum verò aliud quid intus?* Quod primum dubium attinet, videntur *tactus plures esse*, quia in tangibili plures sunt contrarietates; quia tactus versatur circa calidum, frigidum, humidum, siccum, molle, durum, & similia *text.* 107. Sed hic adest solutio; in cæteris enim sensibus plures etiam contrarietates adesse videntur, quæ tamen in uno conveniunt, quatenus sunt objectum alicujus sensus, & ita non plures constituuntur auditus, vel visus: *text.* 108. Etsi verò *Aristoteles hoc textu* dicit, non manifestum esse, quodnam sit illud unum objectum tactus: nihilominus illud innuit in *textu* 120. ubi ἁπτὸν, vel *tactile* dicitur, cujus privatio vocatur ἀναπτὸν, *intractabile*: hoc comprehendit sub se omnes qualitates tactiles, ut sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, asperum, leve, durum, molle, aridum, lubricum, lentum, friabile: hæ qualitates omnes huc pertinent, quatenus sunt objecta tactus: aliàs, ratione suæ originis, pertinent ad doctrinam de Mixtione & mixtis in genere.

*Objectum tactus.*

*Sequitur*, ut ad *tactus instrumentum* accedamus, ubi quærit *Aristoteles, an illud sit caro, vel aliud quid intus:* quod verò illud non sit, indè patet, quia etiamsi subtilem pellem circa carnem aliquis extendat, nihilominus similiter tactus perficitur: *text.* 109. Quapropter talis pars corporis, ut caro, perindè sese habere videtur, atque medium ipsi instrumento conjunctum. *text.* 110. 111. Videtur autem tactus non unus, respectu illius, qui in lingua existit, & cum gustu conjunctus, undè etiam gustus à tactu distinguitur, quia gustus præsupponit quidem tactum; tactus verò omnis non præsupponit gustum, *text.* 112.

*An detur intermedium externum corpus inter ea quæ sese mutuo attingunt in aere & aquis.*

At verò dubitabit hoc loco non injuriâ quispiam, *an etiam intermedium corpus externum detur inter ea, quæ sese mutuò attingunt in aëre & aqua*, quod obscurè videtur affirmare *Philosophus tex.* 113. 114. non tamen tale intermedium intelligit, ut in visu & auditu, quia in illis sensibus medium quandam agendi vim obtinet in nos: hic autem unà cum medio sentimus: *tex.* 115. Ut autem aër & aqua sese habent respectu visus: ita caro quodammodo respectu tactus: non enim fit sensus, si objectum supra instrumentum sensus ponatur, quod in omnibus sensibus procedit; at si super carnem ponatur tangibile, percipitur sensus, ergo caro non est instrumentum tactus, sed medium: *tex.* 116. Ea autem tactu percipiuntur, quæ corporis, ut corpus est, differentiæ sunt, scilicet qualitates tactiles: instrumentum autem, quo dictæ qualitates sentiuntur, & in quo primò sensus is collocatur, quem tactum appellare consuevimus, pars ea sanè est, quæ est potentia talis, *text.* 117. Est autem sentire pati quoddam, quare id quod sen-

*Caro medium quo tactus perficitur.*

ſentit, perficit illud, quatenus potentiâ tale eſt, quale illud, quod ſentitur: *text.* 118. Ut autem album nigrumque non actu, ſed potentiâ eſt in inſtrumento: aliàs enim non perciperetur: ita etiam in tactu, neque calidum, neque frigidum actu adeſſe oportet, ſed potentiâ tantùm: *text.* 119. Hoc autem objectum tactus tangibile dicitur, cui intangibile, tanquam privatio, opponitur: *text.* 120.

Hæc eſt ſententia *Ariſtotelis*, quæ *in cap.* 11. *de tactus eſſentia* proponitur, ex quâ primò colligitur, *Objectum tactus eſſe tangibile*, quod ſub ſe omnes qualitates tactiles comprehendit: *de Medio tactus* dubius eſſe videtur; nihilominus tamen ſatis perſpicuè docet, ſe in tactu non externum, ſed internum tantum medium requirere: denique Inſtrumentum tactus determinat, quale illud ſit, ſcilicet potentiâ ſit calidum, frigidum &c. quid autem ſit illud, non declarat.

*An ſenſibile poſitum ſupra ſenſorium nunquã ſentiatur?*

Reſtat igitur, ut *de Medio & organo tactus* aliquid addamus: Hic primò quæritur, *an ſenſibile poſitum ſupra ſenſorium ſentiatur?* *Negativam* communiter defendunt *Peripatetici*, ut patet *ex Thom. Janduno Javello, Alberto Ægid. & aliis*, quia ut objectum percipi poſſit, requiritur accommodatio quædam inter ſpeciem objecti & inſtrumentum ſenſus; hoc autem fieri debet per medium. *Sed contrariam* alii defendunt, qui ſtatuunt in tactu & guſtu axioma illud *Ariſtotelis* verum non eſſe, quia hic nullum tale medium conſpicitur, ubi oritur duplex quæſtio, *an in tactu etiam adſit medium?* Deindè, *an hi duo ſenſus poſteriores agant etiam beneficio ſpecierum.*

*An tactus habeat nullum mediũ?*

*Quod primum attinet*, notandum eſt ex mente *Philoſophi*, duplex eſſe *medium externum & internum: externum medium* in his ſenſibus non datur, quia magis terreſtres ſunt, ideoque ob objecti craſſitiem ſine intermedio corpore ſentiunt; adeſt tamen *medium internum*, quod cum inſtrumento tactus omninò conjunctum eſſe videtur. Hòc medium *Ariſtoteli*, ut patet ex præcedentibus, *eſt Caro*, ubi non propriè dictam carnem, *ſed ſubſtantiam carnoſam in cute* intelligit.

*An tactus & guſtus agant per ſpecies?*

*Ad poſteriorem* quæſtionem accedendum eſt, ubi quæritur, *an hi duo ſenſus poſteriores ſua objecta percipiant abſque ſpeciebus ſenſibilibus?* Hic plurimi inveniuntur, qui ſpecies ſenſiles in tactu & guſtu non neceſſarias judicant: quia manus propterea ab aëre æquali non patitur, quia nequit alterari: adde quod ſentiatur guſtus acrimoniâ, propter inciſionem, quod non niſi realiter fieri poteſt. *Sed contra* ſententia *Peripateticorum* eſt, quod in his etiam ſenſibus ſint ſpecies ſenſibiles, quia aliâs opus eſſet diu alterari organum tactus, priuſquam eidem objectum imprimatur: quia nunquam ſentiremus calorem in ſuo gradu, nam quod alteratur, procedit à minore ad majus: quia non eadem numero qualitas perciperetur, nam in alteratione continuò nova producitur.

*An cutis organum tactus?*

Denique de *Inſtrumento tactus* controverſæ ſunt autorum ſententiæ, ubi notandum, quod præ reliquis veriſimilior ſit illa ſententia, quæ ſtatuit, *tactus inſtrumentum eſſe cutem, & præſertim illam, quæ eſt in vola manus*; quia cutis ita conſtituta à natura, ut ſit in potentia ad omnes tactiles qualitates percipiendas: eſt enim temperata: adde quod objectis propinquior ſit.

*An nervus, caro vel alia Pars ſit organum tactus.*

Sed dubitari poſſet, *cur non cum Averr. Philopono, Themiſtio Carnem*: Vel *cum Galeno, Fernelio, Veſalio, Conciliatore, Thom. & aliis nervum*: vel etiam *omnes partes* pro inſtrumento tactus agnoſcamus: nam nervo, carni, imò & omnibus partibus, exceptis oſſibus, ſenſus quidam tactus ineſſe videtur. *Ubi notandum*, quod abuſivè hæc membra dicantur tactus inſtrumenta: etſi enim percipiant qualitates tactiles, non tamen eaſdem ſub ſuâ ſpecie comprehendunt atque dijudicant: hoc autem *ſoli cuti* convenit, ideò eandem pro organo tactus conſtituimus. *V. de hac quæſt. Concil. diff.* 43. 44. *Laur. l.* 6. *qu.* 1. *Connim. l.* 2. *De an. c.* 11. *q.* 1. ubi plures autores allegãtur.

*Cap. 12. Ariſtotelis.*

Explicatis autem hoc modo ſingulis ſenſibus, tandem *Ariſtoteles in cap.* 12. *libri ſecundi*, colligit quædam, quæ omnibus ſenſibus ſunt communia: nam primò omnes ſenſus in eo conveniunt, quod ſenſibiles ſpecies abſque materia concipiant, perindè ut annuli ſignum, ſine ferro, vel auro, ſuſcipitur à cerâ: *text.* 21. Inſtrumentum verò ſentiendi eſt illud, in quo ſentiendi potentia primò reſidet: ſunt autem inſtrumentum & facultas ſubjecto idem, ſed ratione diſtinguuntur, ut enim candor à lacte tantùm ſeparatur ratione, etiamſi realiter differant; ſic etiam inſtrumentum & ſentiendi potentia: *text.* 122.

*An vehemens ſenſibile lædat ſenſum?*

Cùm verò potentiæ requirant juſtam temperiem in ſubjecto, in organo ſcilicet, ideò manifeſtum nunc eſt, *cur vehemens ſenſibile ſenſum lædat*, quia inſtrumenti vires diſſolvit: *text.* 123. Hinc etiam patet, *cur plantæ non ſentiant?* quia præterquam quod ipſis ſentiendi principium denegetur, mediocritas quoque organi, quæ requiritur non adeſt: *text.* 124.

*An ſenſibile agat etiam in res inanimatas?*

Hic dubitatur, *an etiam inanimatum pati poſſit ab objecto ſenſuum?* quod primò negandum eſſe videtur, quia ſenſitivum reſpicit ſenſibile: ſenſitivum autem non eſt inanimatum, & ita nihil patitur à ſenſibili, niſi ut unumquodque eſt ſenſitivum: *text.* 125. ita ſonus & odor in corpora inanimata nihil agunt, ſed id, cum quibus ſunt conjuncta, ſcilicet ſubjecta harum qualitatum: *text.* 127. Veruntamen odor obtinet etiam agendi vim in res inanimatas, quatenus conſideratur, ut alicubi recipi poteſt, non verò reſpectu potentiæ ſenſitivæ: *text.* 127. Patet igitur ſenſibile non tantum obtinere vim quandam agendi in ſenſorium, illudque immutandi, undè vehemens ſenſibile, ut dictum eſt, ſenſum omninò deſtruit, quod ſigillatim de unoquoque ſenſu demonſtratur *in Conn. Coll. lib.* 2. *cap.* 12. *qu.* 1. Sed etiam obtinet potentiam alterandi ſuæ originis, quatenus cum ſuo ſubjecto cohæret.

## CAPUT XII.

### DE SENSIBUS INTERIORIBUS.

HActenus quinque potentias animæ ſenſitivæ, quæ abſque externo objecto præſente, non operantur, conſideravimus, jam ſequitur, ut videamus, *an etiam*

*præ-*

*præter hos sensus externos dictos, adhuc plures dentur? & sin minus, num interna quædam sint facultates Animæ sensitivæ, quæ absque externo objecto operari possint?* Quod autem sufficiens sit numerus sensuum externorum, ita ut non sint plures sensus quam quinque, scilicet visus, auditus, odoratus, gustus & tactus, illud in animalibus perfectis, præsertim in homine, manifestum est, quia in illis tot instrumenta, sensibus inservientia, inveniuntur: quod si sensus aliquis deesset, & instrumentum quoque deficere quoddam verisimilimum esset: *text.* 128. Imò in mediis etiam, quæ ad sensum requiruntur, idem apparet, quorum vel interna, vel externa sint, nullum deficit: *text.* 129. Adde organorum compositionem, quæ idem arguit: *text.* 130. Conspiciuntur autem hi sensus omnes in illis animalibus, quæ perfecta sunt: *text.* 131. Concludimus igitur non plures esse sensus externos, quod etiam ex iis, quæ sentiuntur, scilicet ex propriis sensilibus, colligi potest, quorum numerus sensus exteriores determinat: nam facultates per objecta distingui solent: *text.* 132.

*Lib. III. Aristotelis cap. 1. secundum Græcorum & Latinorum distinctionem. An Numerus sensuum sit sufficiens?*

Etsi verò, præter quinque sensibilia propria, dentur etiam sensibilia communia, non tamen peculiaris sensus statuendus est, qui circa hæc occupatus sit: propterea quod sensibile commune per se cognoscatur ab unoquoque sensu, quod fieri non posset, si eidem proprius sensus attribueretur, quia hoc modo à reliquis per accidens sentiretur: quo ad propria verò sensibilia, unusquisque sensus suum percipit objectum per se, & non alterius, ita visus non percipit amarorem bilis per se, sed solum colorem & ejus species: per accidens verò unus sensus alterius objectum sentit, quatenus inter se conjuncti sunt: *text.* 133. 134.

*An præter quinque sensus detur alius qui circa communia sensibilia versetur?*

*Si verò quærat aliquis, cur plures sint sensus*, illi respondet *Aristoteles text.* 135. quod unico tantum sensu dato, nullum relinqueretur discrimen inter sensibilia communia & propria: hic enim sensus, aut nihil, nisi sub una ratione, cognosceret, vel omnia communiter tantum apprehenderet: adde, quod inter flavedinem & amaritiem bilis distinguere nesciremus: ergò pro diversitate objectorum, diversi quoque sunt sensus. Ex his igitur manifestum est, quinque tantum esse sensus, qui circa objecta externa versantur, atque sine præsentia illorum operari nequeunt: Cum verò sentiamus nos videre & audire, necesse est, aut visu vel auditu, nos illud percipere, aut alio sensu: *text.* 136. Prius fieri nequit, quia visus tantum objectum suum percipit, scilicet colorem, at visio non est color, igitur à visu non percipitur: *text.* 137. Sed & hæc ratio insufficiens videtur, quia tenebras quoque percipit visus, non tamen per speciem quandam. *Ut igitur quæstioni* satisfiat, notandum est aliud esse actionem, quæ producitur ab objecto, & in sensu vocatur passio, quam sensus intelligit: aliud objecti sensationem, quæ in solo organo à potentia sensitiva perficitur, undè in aliquibus sensibus diversa etiam nomina acceperunt, sic in auditu actus objecti dicitur sonatio, actus sensationis auditus: *text.* 138. hoc ulterius confirmat *Philosophus usque ad text.* 144. Cùm autem unusquisque sensus sui objecti differentias tantùm cognoscat, ideò posteriorem actionem, quæ in sensu visûs est visio, in auditu auditio, percipere non potest: adde, quod superior quædam facultas requiratur, quæ proprium objectum ab alieno distinguat: nam quamvis organa habeant diversa illi externi sensus, non tamen distinguere possunt inter diversa objecta, quia idem est ac si alter homo dulce gustet, alter amarum tantùm, & tamen uterque dulce ab amaro, quorum unum tantum gustasset, distinguere debeat: *text.* 144. *ad* 147. Hinc igitur sensuum interiorum, præsertim sensus communis necessitas deducitur, qui conceptas species, etiam contrarias, uno eodemque tempore distinguit, quia easdem intentionaliter recipit; undè perindè sese habet, ut centrum, in quod omnes lineæ à circumferentia cadunt: *text.* 147. 148. 149. Hæc de necessitate sensuum Interiorum proponit *Arist. in cap. 2. hujus libri tertii*, undè patet, quid sentiendum de illa quæstione, ubi dubitatur: *An sensus exteriores suas operationes percipiant?* Hanc enim ex sententia *Arist.* rectè negat *Thom. 1. part. qu.* 78. *ar.* 4. & *qu.* 87. *art.* 3. & *alii* multi, quod non tantùm ex hoc capite, sed etiam *ex libro de somno & V. cap.* 2. manifestum, ubi inquit *Philosophus*: non visu se videre videt animal, nec gustu de differentia saporum judicat, sed particulâ communi. Nec etiam reflexa quædam cognitio hoc loco fingi potest, quia hæc tantùm intellectui convenit: nam potentia sensitiva est organica: ideoque tantum à constitutione organi determinatur. *Vid. Conn. l.* 3. *de anim. c.* 2. *qu.* 1. *ar.* 2. Nec etiam ad intellectivam animam est hæc dijudicatio referenda, quia brutis quoque convenit, quod ex operationibus eorum manifestum est. Ergò tandem, præter sensus exteriores quinque hactenus declaratos, colligimus dari sensus quosdam internos: horum communem definitionem proponimus:

*Cur plures sensus exteriores?*

*Cap. 1. Aristotel.*

*Inquisitio sensus Communis.*

*An sensus exterior suas operationes percipiat?*

*Sunt autem sensus interiores facultates animæ sensitivæ, quæ sensibilium species non tantùm præsentes, sed etiam absentes recipiunt, dijudicant atque conservant.*

Patet igitur, quomodo sensus interiores ab exteriobus sint distinguendi: hi enim non operantur, nisi objectum externum adsit; in illis autem objectum hoc minimè requiritur: Ita nihil videmus absque objecto externo, nihil audimus absque sono.

*Horum sensuum interiorum communiter tres numerantur, ut sunt, Sensus Communis, Phantasia & Memoria.*

Circa numerum sensuum interiorum admodum controversæ authorum sententiæ sese offerunt: sunt enim quidam, qui unicum tantum sensum internum numerant, quos refutat diversa operatio internæ facultatis sensitivæ: *Avicenna* quinque numerat, ubi tribus illis addit *imaginationem & æstimativam*, quæ absque necessitate introducuntur, quia operatio imaginationis, quam ille statuit, scilicet conservatio specierum, pertinet ad memoriam: operatio æstimativa com-

*Quot sint sensus interni?*

prehenditur sub Phantasia. *Averroës & Thomas* quatuor numerant, ubi addunt *cogitativam*, sed frustrà, quia cogitatio propriè ad intellectum pertinet. *Galenus* tres retinet sensus interiores, ubi numerat *Imaginationem, Cogitationem & Memoriam*: confundit autem *sensum communem cum Phantasia*, & frustrà cogitationem, quæ ad rationem pertinet, introducit: Denique *Fonseca & Conimb.* probabilem judicant hanc opinionem, quæ duos tantùm sensus internos agnoscit, scilicet *sensum communem & Phantasiam*, ubi *memoriam* comprehendunt *sub Phantasia*, ita ut *memoria*, non sit peculiaris facultas, sed tantùm singularis quædam operatio phantasiæ: hæc sententia etsi nova, maximè tamen veritati consona videtur, ut patebit legentibus articulum 3. *qu.* 1. *cap.* 3. *lib.* 3. *de anima.* Cùm tamen *Memoria* præcipuam quandam operationem ab aliis phantasiæ operationibus diversam perficiat, ideò communem sententiam interpretum, quam supra proposuimus, retinebimus atque declarabimus. Qui declarationes atque refutationes cujusque sententiæ exspectat, ille ad *Piccol. de sens. Intern. Conn. l.* 3. *& c.* 3. *q.* 1. *Tolet.* 3. *de anim. q.* 4. *Avicen.* 6. *natur. part.* 4. *Albert.* 2. *de anim. tr.* 4. *c.* 7. *Jand.* 2. *de an. quæst.* 37. *Thom.* 1. *p. quæst.* 78. *ar.* 4. & alios confugiat.

*Unde sit colligendus numerus internorum sensuum?*

*Dubium tamen est, undè hæc sensuum interiorum diversitas sit desumenda*: quidam hoc loco respexerunt *ad numerum ventriculorum cerebri*, ex eoque numerum interiorum sensuum deduxerunt: alii ex diverso modo læsionis interiorum sensuum, quâ interdum uno affecto alter superstes est, numerum investigare conati sunt, ut patet *ex Gal. lib. de differ. sympt. cap.* 3. *& lib.* 4. *de locis aff. c.* 1. Verisimilior autem videtur illorum sententia, qui numerum sensuum interiorum colligunt *ex diversitate operandi circa objectum diversum*: quomodo autem ratione operationis unus ab altero differat, id ex cujusque declaratione speciali patebit.

Ut autem supra determinavimus, *Cerebrum esse principium animæ sensitivæ*, ita etiam hoc loco, omnes sensus interiores *in cerebro*, tanquam præcipuo sensuum instrumento, insidere putamus: ubi tamen quæritur, *an hæ facultates sedibus distinguantur in cerebro?* Affirmat: Defendunt *Arabes & plurimi Doctores Scholastici*, qui *sensum communem in fronte*, vel anteriori parte cerebri: *phantasiam in medio*, & *memoriam in posteriori parte* collocant. *Sed contrà* tutior est sententia multorum, qui statuunt *negativam partem* verissimam, ita ut in toto cerebro ubique omnes sensus contineantur, quia totum cerebri systema mediocriter humidum est, ita ut ubique recipiendo & conservando idoneum sit: non tamen negandum est, quod in una parte magis recipiantur, in alterâ magis memoriæ inserviat, anterior verò magis ad sensum communem comparata, verùm quia magis & minus speciem non variant, igitur non opus, ut omninò sedibus distinguantur hi sensus: Jam unum quemque in specie considerabimus, à sensu communi incipiendo.

*An interni sensus sedibus distinguantur?*

*Sensus communis.*

*Est autem sensus communis facultas animæ sensitivæ interior, quæ omnium exteriorum sensuum species recipit, atque sensibilia propria à se invicem, & à communibus distinguit.*

Hic est primus sensus interior, cujus officium est species ab externis sensibus accipere, & judicium inter eas ponere: hujus igitur objectum primo movens statuitur species sensuum externorum tàm propria, quàm communis: manifestum igitur est, quod hic sensus *à Philosopho* rectè comparetur cum centro: ut enim omnes lineæ à circumferentia in centro coëunt in uno puncto, sic etiam omnes species externorum sensuum à sensu communi cognoscuntur & dijudicantur. Hic igitur est ille sensus, quo nos videre & audire percipimus: hujus beneficio inter diversa sensibilia distinguimus: undè etiam manifestum est, quomodo species sensuum exteriorum sint objecta sensus communis, scilicet quatenus jam recepta sunt à sensibus exterioribus: comparat igitur hæc facultas diversa sensuum objecta inter se, illorumque discrimen cognoscit, non tamen operatur, nisi unà cum sensibus externis.

*Phantasia.*

*Alter sensus interior, Phantasia dicitur, quæ est facultas animæ sensitivæ interior, quâ ex perceptis rerum sensibilium speciebus, etiam absentibus, alias elicimus.*

*Cap. 3 Aristotelus*

Cùm veteres maximè duabus differentiis, scilicet sensu & motu, animam descripserint, hinc plurimi sensum cum intellectu confundere conati sunt, propterea quod intelligere sit quasi sentire quoddam *text.* 152. Verùm cùm non tantùm notitia, sed ignorantia pendeat ab intellectu, idcircò hujus quoque mentio fieri debuisset, quia deceptio & scientia sunt contraria: *text.* 151. Non idem est igitur sensus & intellectus, quia ille omnibus inest animalibus, hic verò minimè: intellectus percipit rectè & non rectè, undè interdum falsa ratiocinamur: at sensus propriorum semper verus est: *text.* 152.

*Quomodo Phantasia differat à mente?*

Hinc etiam manifestum, *quomodo Phantasia vel imaginatio à sensu (scilicet communi) & mente differat*: possumus enim imaginari quicquid volumus: at opinari in nobis situm non est, necesse est enim opinantem aut veram aut falsam existimationem habere: *text.* 153. Præterea cùm opinamur aliquid malum atque terribile, perturbamur: at cum imaginamur talia, perindè afficimur, atque si in pictura eadem spectaremus: *text.* 154. Si igitur Phantasia vel imaginatio id est, quo visum vel Phantasma quoddam in nobis fieri dicimus, fortassis erit ex nnmero illarum facultatum, quibus aliquid percipimus: ut sunt *sensus, opinio, scientia & intellectus*: *text.* 155. Quod autem imaginatio non sit sensus quidam externus, probatur *text.* 156. Quod non sit opinio confirmatur *text.* 157. & sequentibus: imò quod etiam scientia vel intellectus non sit, manifestissimum est.

Erit

*Phantasia.* *Erit igitur Phantasia ejusmodi facultas sensitivæ animæ, quâ animal objecta, etiam absentia, nunc verè, nunc falsò imaginatur, quod innuit* Philosophus in in text. 161.

Inest autem hæc facultas tàm brutis, quàm hominibus, in illis summa est, in his verò rationi subjacet, eidemque obedire cogitur: hinc beneficio Phantasiæ plurima agunt bestiæ, quæ ratione destituuntur, & homines, quando ob somnum mens submergitur, aut ob morbum perturbatur: *text.* 162.

*Memoria.* Superest denique *Memoria, quæ species receptas atque dijudicatas retinet atque conservat, undè* Philosopho l. de Mem. *describitur, quod sit facultas animæ sensitivæ, conceptas rerum imaginationes conservans.*

Quod autem hæc quoque facultas ab anima sensitiva dependat, illud in brutis manifestissimum est: in his enim certa memoriæ indicia deprehenduntur, quia latibula sua repetunt, dominos agnoscunt, sobolem à reliquis distinguunt; quæ omnia indicant, in brutis etiam retineri species rerum sensibilium. Etsi verò à quibusdam Memoria distinguatur *in sensitivam & intellectivam*, tamen cùm hæc posterior non differat ab ipso intellectu, ut patet ex *Philos.* 3. *de an. cap.* 3. ubi dicit, intellectum esse locum specierum, ideò eandem cum plurimis ad doctrinam intellectûs rejicimus.

*An sit Memoria Intellectiva?*

*Dubitari tamen potest, quomodo rerum præteritarum possit fieri recordatio, cùm non tantùm species à Phantasia receptæ semper adsint?* Hic notandum ex sententia *Philosophi lib. de Memor. cap.* 2. quod species sensibiles dupliciter considerari possint: *Vel absolutè* ut sunt species, & ita semper præsentes sunt, vel ut sunt hujus & illius rei species, & ita à memoria custodiuntur. Videtur autem *Memoria quodammodo differre à Reminiscentia*, quia hæc ex aliquibus memoria comprehensis in cognitionem illius nos deducit, quod memoriæ non occurrebat, undè in hac discursus quidam adesse videtur: iccircò *reminiscentiam homini tantùm, non brutis*, attribuere solemus, quia reminiscentia videtur esse memoria quædam cum operatione præstantioris Phantasiæ vel intellectûs conjuncta.

*Quomodo fiat recordatio?*

*An differant Memoria & Reminiscentia?*

## CAPUT XIII.

### DE SOMNO ET SOMNIIS.

HActenus de animæ sensitivæ essentia, facultatibus atque operationibus, tàm sensuum exteriorum, quàm interiorum egimus: jam sequitur, ut aliquid addamus *de Somno*, qui est quasi affectio quædam sensitivæ facultatis, quia functionibus ejusdem, tanquam privatio, opponitur: ut enim per vigiliam facultates, rectè constitutis organis, liberè operari possunt, ita per somnum sopiuntur atque suis operationibus privantur, ut inquit *Philosophus l. de Som. & V. c.* 1. Definitio talis sit:

*Somnus.* *Somnus est quies naturalis operationum animæ sensitivæ, facta à revocatione caloris nativi ad partes internas, ut salus animantis per virium restaurationem conservetur.*

*Dico est quies:* ita enim *Philosophus lib. de som. & V.* utitur vocabulo κατάληψις, & alibi ἀκινησίαν καὶ δεσμὸν τῆς αἰσθήσεως vocat. *Dico quies naturalis:* ut somnus distinguatur ab affectibus præter naturam, ut sunt Apoplexia, Syncope, Caros &c. in quibus etiam quies operationum animæ sensitivæ, vel quarundam adesse solet. *Dico operationum animæ sensitivæ:* ubi proximum subjectum innuitur: ex quo duplicis quæstionis decisio desumenda: *prima*, quod rebus inanimatis & plantis somnus non conveniat, quia illa omnia animâ sensitivâ & per consequens etiam operationibus ejusdem destituuntur: ubi autem habitus denegatur, ibi quoque ejusdem habitus privatio ponenda non est. *Deindè* ex iisdem colligitur etiam, quodnam sit proprium subjectum somni, nimirum illud membrum animalis, quod etiam est principium operationum sensitivæ animæ: at hoc non est *Cor*, ut *Philosophus* passim affirmat, sed *Cerebrum*, ut supra demonstratum est: Ergò somni quoque subjectum non erit *Cor*, ut voluit *Aristoteles*, sed potius *cerebrum* cum instrumentis sensuum.

*An rebus inanimatis & plantis somnus conveniat?*

*An somnus fiat in Corde?*

*Quæ sit proxima Somni causa?*

*Dico à revocatione caloris nativi ad partes internas:* ubi proxima causa somni additur: nam quamvis plurima ad somnum inserviant, ut sunt utilis vapor ex coctionibus ad cerebrum exhalans, vigiliæ, labor, usus veneris, tenebræ, suavis cantus, frictio pedum &c. ea tamen omnia in eo convenire videntur, quod suo quodam modo instrumentis sensuum calorem subtrahant, ita ut postea facultate agendi destituantur.

Hinc *Concil. diff.* 108. & *Albert. in lib. de som.* dicunt, *somnum esse conventum quendam caloris ad interiora*: perfectius adhuc confirmat hoc *Argenterius lib.* 1. *de som. cap.* 12. *Somnus est affectio, quæ ex sensuum quiete, factâ à certa caloris revocatione, nascitur.* Revocatur autem calor ad interiora per quandam obstructionem in cerebro, quâ spiritibus & calori nativo transitus denegatur: hæc etsi à pluribus causis fieri possit, maximè tamen accidit à vaporibus è ventriculo in caput ascendentibus, quibus radices nervorum opplentur, quod innuit *Philosophus lib. de som. & V. c.* 5. quia copiosiore alimento assumpto somnus gignitur: quia somnifera sunt vaporosa: quia infantes phlegmatici somnolenti: quia multi ob inediam insomnes noctes ducant. *Hinc etiam patet*, quo fundamento nitatur assertio illa communis, *quod somni tempore perfectior fiat concoctio*, quia tunc temporis calor magis circa interiora colligitur: undè *Gal.* 7. *Meth. c.* 6. cibos concoctu difficiles in cœna apponore jubet: & *lib.* 1. *de sympt. caus.* breviorem somnum statuit causam frustratæ coctionis. Hæc igitur communis sententia firmiter retinenda est, quicquid dicat *Jobertus*, qui *dec.* 1. *parad.* 8. contrarium statuit.

*Somnus quid.*

*An somni tempore concoctio perfectior?*

*Fin's somni.* *Dico ut salus animantis* &c. ubi finis somni declaratur: nam somnus moderatus vires reficit, quia ani-

animalium spirituum dispendia resarcit, ideoque rectissimè in salutem animalium somnus institutus esse videtur.

*An in somno omnes sensus perfectè quiescant?* Atque hæc est essentia somni generaliter considerata, ubi notandum est, quod illa sensuum quies *vel perfecta* sit, ita ut omnes sensus ligati sint, vel etiam *imperfectæ*, ubi adhuc quarundam facultatum operationes conspiciuntur: hinc *Tataretus lib. de somn. & Concil. diff.* 108. *Somnus duplex.* Distinguunt somnum in perfectum & imperfectum. Imò *Galenus lib.* 2. *de mot. musc. cap.* 4. expressè affirmat, somnum non esse omnimodam & perfectam omnium operationum animæ sensitivæ quietem, sed tantum intermissionem vigoris: hinc dormientes moventur, vocati sæpiùs audiunt, loquuntur, ex quibus omnibus colligitur rarius perfectum, frequentius imperfectum somnum adesse.

*Cur dormientes quidam ambulent?* *Hinc etiam patet*, non omninò fictitium esse, quod refert *Arist. & Gal.* de quibusdam, qui tempore noctis ambulant, atque opera quædam vigilantium perficiunt, in his enim per somnium à Phantasia motus quidam præcipitur, ubi Phantasia id quod de calore nativo atque spiritibus adhuc superest, ad partes motui inservientes detrudit, quod ferè eâdem ratione accidit in sensibus, ubi dum unus sensus circa suum objectum admodum occupatus est, reliqui feriantur, quia Phantasia huic uni calorem nativum cum spiritibus impendit.

*Somnium.* Cum hoc somno imperfecto sæpiùs conjungitur *Somnium, quod est visum animalibus in somno apparens.* Hujus præcipua causa est *Phantasia*, quæ species à sensuum operatione relictas in imperfecto somno assumit, atque variis modis inter se conjungit, undè jam vera, mox falsa, omninò non cohærentia, effinguntur in somniis. *Cur sæpiùs falsa appareant in somno?* Ut autem aliàs nihil est in Phantasia, quod non quodammodo fuerit in sensibus exterioribus, ita etiam nullum visum in somno apparet, quod vel non secundum totum, vel secundum partem, vel secundum privationem, vel secundum negationem, vel aliâ quâdam ratione à sensibus cognitum: hinc igitur manifestum est, cur sæpissimè falsa appareant in somno, quia Phantasia imperfectè agit, undè sæpiùs ea componit, quæ minimè componenda sunt.

*Occasio somnii.* Instigatur autem Phantasia ad ejusmodi Phantasmata in somno effingenda, vel ex cogitatione rerum, quibus per diem occupati fuimus: vel ex constitutione corporis, sive illa præter naturam sit, sive secundum naturam. Ita *qui flava bile abundant*, rarum, furorisque plena habent somnia: contrà *sanguinei*, jucundissimis vexantur imaginationibus: *Melancholici* tristia somniant: *Pituitosi* aquam & pluvias sæpiùs observant. Sic etiam ex constitutione contra naturam diversa sæpiùs somnia percipiuntur: ita qui laborant defluxionibus pituitosis, imaginantur sibi esum lactis vel mellis, propter quandam similitudinem defluentis pituitæ ad fauces.

*Somnia Naturalia. Præternaturalia.* Talia somnia naturalia vocantur, de quibus etiam illa, quæ diximus de generatione somniorum intelligenda sunt: aliàs negari nequit, quod etiam interdum somnia ὑπερφυσικὰ dentur, quæ vel à Deo dependent, atque piis hominibus apparent, vel etiam à Diabolo, qui beneficio naturalium causarum Phantasiam instigare potest.

## CAPUT XIV.

### DE ANIMA RATIONALI IN GENERE.

Declaratâ animâ vegetativâ & sentiente, ad *animam rationalem* accedimus, ubi ante omnia quæritur, *ad quam disciplinam hujus consideratio ex toto pertineat?* *An anima rationalis omnino in Physicis consideretur?* hic duplex animæ rationalis consideratio sese offert, pro cujus diversitate ad diversas pertinet disciplinas: nam *primo* consideratur anima rationalis, ut sub definitione animæ in genere comprehenditur, & ita, quatenus est forma quædam corporis Physici, ad hunc locum, ad Physicam scilicet meritò refertur. Cùm verò anima rationalis non in corpore tantùm, sed etiam extra corpus existat, ideò manifestum est, aliam quoque esse considerationem animæ, ubi ejus essentia & quidditas, ut extra corpus in statu perfectionis subsistit, declaratur: hæc partim ad Metaphysicam, partim ad Theologiam pertinere videtur, quia in tali consideratione anima rationalis non admodum ab essentia substantiarum incorporearum, angelorum scilicet, quæ *Philosophis* Intelligentiæ dicuntur, abludit. *V. Perer. lib.* 1. *Philos. cap.* 10. *Tolet.* 1. *de an. quæst.* 2. Ex his duabus considerationibus talis constituitur animæ rationalis Definitio:

*Anima rationalis est substantia incorporea, quâ homo tanquam per formam propriam absque corporis organo intelligit.*

Ut autem supra demonstratum est, omnem animam esse actum corporis, ita in specie idipsum quoque de rationali anima confirmabimus: *An anima rationalis sit forma informans?* nam quamvis *Cajetan.* 1. *p. quæst.* 76. *art.* 1. *Piccol. de ment. human. cap.* 17. 18. *secundum Philosophiam Arist.* animam rationalem pro forma informante non agnoscant: *Vera* tamen est sententia *D. Thom.* 1. *part. q.* 76. *ar.* 1. *Perer. lib.* 6. *phys. cap.* 12. *Zabar. de ment. human. cap.* 6. *Tolet.* 2. *de anim. quæst.* 1. *Conn.* 2. *de anim. cap.* 1. *quæst.* 6. quæ statuitur, *animam rationalem esse veram hominis formam*, quia *Philosophus* omnem animam per actum definit: sed actus est forma, ut ipse fatetur; 2. *de an. text.* 2. Imò conceptis verbis *text.* 24. docet, animam, quâ intelligimus esse formam corporis: undè solâ ratione homo à reliquis animalibus primò differt. *Sed instant quidam*, animam rationalem non esse formam corporis; quia positâ formâ ponitur formatum: at positâ animâ rationali, non semper ponitur homo, quia anima etiam post mortem vivit: Adde, quod forma debeat informare omnes partes: anima quomodo informabit seipsam, cum etiam sit pars hominis: hinc hominis formam non animam, sed unionem esse dicunt, ut patet ex *Casmanno* & aliis. *An unio animæ & corporis sit forma?* *Verùm* quomodo unio, quæ accidens, forma hominis esse possit, nondum est demonstratum: nec etiam argumenta proposita aliquid concludunt.

Quod

Quod *primum* attinet; illud innuitur dicto *Aristotelis* 12.*Metaph.text.*17. Posita forma, posita formatum, quod rectè affirmatur de forma in materia posita: at anima rationalis à corpore recedens, non amplius obtinet rationem informandi: igitur argumentum nihil concludit. *Alterum* argumentum non minus ridiculum est, quia confunduntur partes essentiales & integrantes: in omni autem composito requiritur, ut aliqua pars essentialis sit forma, idcircò non absurdum, imò verissimum est, unam partem essentialem semper esse formam informantem. Ergò statutum sit, *animam rationalem esse formam hominis informantem*; ideoque sententia *Averrois lib.* 3. *de an.* & *Themist. lib.* 3. *de an. text.*20. rectissimè refutatur *à Zabar.* & aliis, quia statuunt animam rationalem esse formam assistentem, ut nauta est forma assistens navi.

*An anima rationalis sit assistens forma?*

Ne autem homo absque forma informante subsistat, ideò *Cogitativam* finxit *Averroës cap.* 19. cui officium informationis atttibuit: Verum cùm non per cogitativam, quæ superior quidam gradus Phantasia est, homo in esse specifico constituatur, & ab aliis distinguatur, sed per animam rationalem, ideò hanc formam informantem esse dicimus: quia per rationem homo intelligens sese intelligit.

*An Cogitativa sit forma?*

Hinc etiam deducitur falsitas illius opinionis, quæ respectu fidei nostræ omninò impia est, quâ statuitur, animam tantum esse unicam numero in omnibus hominibus, quam post *Averroën* defendit etiam *Cardanus*, undè meritò à suo doctore *Scalig. Ex.* 307.*f.* 30. refutatur, nam cum anima sit forma hominis, necessariò requiritur, ut unicuique homini sua propria sit forma: nihil enim essentiam propriam per formam alienam habere potest.

*An unica tantum sit anima rationalis in omnibus hominibus?*

Imò & illud manifestum est, quod μετεμψύχωσις, & tota doctrina de anima ambulatoria, falsissima, quia præter impias assertiones plurimas, cum fide nostra pugnantes, alia quoque absurda Philosophica alit hæc sententia: ita enim unius rei forma propriè, jam huic, jam illi esse specificum largiretur, quòd omninò cum natura formæ pugnat: falsò igitur *Julianus Apostata* animam *Alexandri Magni* sibi arrogavit.

*An sit μετεμψύχωσις.*

Falsò etiam *Bodinus in Dæmon.* & alii statuunt, homines revera ope Dæmonis in lupos, feles aut bestias transmutari: quomodo enim forma homini propria bestiæ corpus, aut quomodo bestiæ forma, hominem informabit? absurda & impia sunt consequentia: *Quare* rectius *cum Bierm. in disputat. de action. mag. contra Bodinum* statuimus, λυκανθρωπίαν, quæ de incolis *Sarmatiæ* & aliis refertur, potius de moribus à Diabolo depravatis, quàm de essentiâ mutatâ intelligendum esse: quod si quid tale apparuit, non rem visam adfuisse, sed potius oculum videntis fascino oblæsum fuisse, verisimile est.

*An homo in bestiam mutari possit?*

Rejectis autem ejusmodi sententiis, quibus ratio informationis animæ rationalis negatur, accedimus ad determinationem illius quæstionis, *quomodo anima rationalis informet*: cum verò supra, ubi de anima in genere egimus, constitutum sit, animam rationalem non omninò eâdem ratione, ut reliquæ formæ physicæ, hominem informare; ita ut ratione extensionis materiæ extendatur; *jam quæstio oritur, quomodo anima rationalis sit tota in toto, & tota in partibus omnibus*, quod communiter asseritur. Etsi verò decisio hujus quæstionis difficillima videatur, nihilominus notandum est, quod totius vocabulum hoc loco non aliter, quàm ratione essentiæ, perfectionisque accipi possit: undè animam rationalem, tanquam *totum perfectionale*, in omnibus partibus esse dicimus: est enim indivisibilis, & ubicunque est, ibi tota est: quod *divus August. epist. contra Manich. ut refert Toletus & Seidelius*, tali similitudine declarat, ut Deus secundum suam essentiam indivisibilis, totus in mundo toto, & totus in omnibus mundi partibus, esse dicitur, ita secundum analogiam quandam, anima etiam in omnibus humani corporis partibus tota statuitur: undè concludunt *Javell.l.*3. *de an.q.* 6. & *D.Thom.* 1.*par.q.*76.*ar.*8. quod anima sit tota in toto, & tota in omnibus partibus, *secundum totalitatem perfectionis, non verò secundum virtutes, præsertim, quæ ab organis determinentur.*

*Quomodo anima rationalis sit tota in toto?*

Ex his manifestum est, non omninò eandem esse rationem animæ rationalis & reliquarum formarum physicarum: illa enim quamvis omnes partes informet, non tamen eâdem ratione ad extensionem materiæ extenditur, ut unâ cum materia sit divisibilis.

Hîc devolvimur ad quæstionem, quæ est *de animæ origine*: nam cùm intellectiva anima multa peculiaria præ reliquis formis physicis, sibi vindicet, quæritur non immeritò, *quomodo oriatur*? hoc enim ex dictis colligitur, quod peculiari quodam modo oriatur. Sunt autem potissimùm duæ classes illorum, qui de animæ origine controvertunt, ubi alii statuunt, *animam à Deo creari, & ita in generatione infundi*: alii contrà, *animam per traducem propagari* volunt.

*De animæ origine.*

*Priorem* sententiam defendunt *Lombard.* 2. *sen. dist.* 31. & *ibidem Scholast. Dd. Thom. part.* 1. *quæst.* 118. *ar.* 1. *Conn.*2. *de an. quæst.* 3. *Tol.*3. *de an. quæst.*17. *Calvin. lib.*2. *instit. cap.* 1. *Lemn. de occult. lib.*2. *Lud. Viv.*2. *de an. Rhodig. lect. antiq. lib.*8. *cap.*44. *Scalig. Ex.*307 *sect.*20. *Seidel. de an. & corpor.* Hi autores præcipuè respiciunt modos productionis, ubi statuitur, quòd res vel per generationem, vel per creationem fiant: at verò cùm animæ repugnet generatio, quia neque secundum essentiam, neque secundum operationem à materia dependet, quod necessariò sequeretur; Ergò necessariò eidem conveniet creatio. Adde, quòd anima statueretur mortalis, quia quicquid per generationem incipit, illud per oppositam corruptionem interire potest. Imò Scripturæ dictis hanc quoque sententiam confirmare solent, *ut Job.*33. afflatus omnipotentis vitam mihi indidit. 1. *Pet.* 4. jubet *Apostolus*, ut fideli Conditori animas nostras commendemus. *Luc.*12. Stulte, animam tuam hâc nocte abs te repetam. Sed quid est repetere? *Eccles.*12. abit homo in terram, undè erat, spiritus verò ad Dominum revertitur.

*An anima rationalis creetur?*

*Contrariam sententiam*, quòd anima per traducem propagetur à parentibus, defendit *L. Cæl. Lactant. D. Lutherus, Philipp. Hunnius, Chemnitius, Taurellus, Peucerus, Brichtus, Havenreuter, Libavius, Magirus* & alii.

*An anima rationalis ex traduce?*

Hujus sententiæ fortissimum argumentum *à peccato originali* desumitur: hoc enim vel tolleretur, si anima à Deo pura crearetur: vel Deus peccati causa statueretur, quod impium est. Adde Scripturæ dicta, quæ totum hominem ab homine generari confirmant, *ut Genes.* 5. Adam genuit filium ad imaginem suam: *Genes.* 46. genuit *Jacob:* 17. *animas.* 2. *Reg.* 16. Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo: *Joh.* 3. quicquid natum est ex carne caro est, reciprocè: jam verò anima caro est, quia indiget regeneratione: 1 *Petr.* 1. imò etiam ex *Philosophi* mente, idipsum deducitur, qui passim hominem ab homine generari autumat, de quo *vid. lib.* 2. *de gen. anim. cap.* 3. & *lib.* 2. *phys. cap.* 2. & *lib.* 8. *Metaphys. cap.* 8.

Hæc est quæstio de origine animæ in utramque partem proposita, *ubi primam* sententiam pro creatione propositam meritò repudiamus, propter absurda fidei repugnantia, quæ sequuntur, si simpliciter accipitur. *Posteriorem* verò cum nostris Ecclesiis recipiendam putamus, tanquam tutiorem: modò per traducem non intelligamus talem mutationem à non esse ad esse, qualis omnibus rebus physicis convenit; hoc enim statuto, sequuntur absurda infinita: *Dicendum hominem totum per traducem gigni à parentibus, beneficio divini verbi, Crescite & multiplicamini:* Ita non excluditur peculiaris quædam actio divina, quæ in mirando hoc opere simul concurrit. His observatis argumentis priori sententiæ facilimè possumus occurrere: qui plura de hac quæstione cognoscere studet, ille legat Psychol. *Goclenii*, in qua compendiosè plurimorum sententiæ recensentur.

*An anima rationalis philosophicè possit immortalis demonstrari?*

Hoc dubio dissoluto, aliud oritur *de animæ immortalitate*, ubi quæritur, *an eadem, præter demonstrationes ex revelato verbo desumptas, philosophicè possit demonstrari? Negativam* introduxerunt *Plutarch. lib.* 5. *de plac. cap.* 1. *Alexan. in comm. lib. de an. Cajetan.* 3. *de an. cap.* 2. *Scotus super librum sentent. & alii.* Verùm *affirmativa* magis probatur ab interpretibus Græcis, *à Thom.* 2. *contra gen. cap.* 79. *Ægid.* 3. *de an. cap.* 4. *Albert. tract.* 2. *de an. Perer. de form. cap.* 19. *Tolet.* 3. *de anim. c.* 15. *Connimb. disp.* 1. *de an. sep. Piccol. lib. de mente.* Hæc colligitur *ex Aristotele, qui* 12. *Metaph. text.* 17. dicit nihil prohibere, quo minus intellectus post corpus remaneat: idem quoque innuit aliis in locis. Rationes sunt hæ: quia *lib.* 1. *de an. cap.* 1. anima rationalis dicitur habere operationes inorganicas: cum igitur non dependeat à corpore ratione operationis, utique quoque ab eodem, ratione essentiæ, minimè dependebit, & ita corrupto corpore, eadem remanere poterit. Deinde 2. *de an. text.* 11. & 2. *de gen. an. cap.* 3. affirmatur, quod anima non educatur è potentiâ materiæ, & aliæ formę physicæ, undè sequitur, eam quoque non una cum materia interire. Denique *Cicer.* 1. *Tusc.* à providentia divina colligit æternitatem, quia aliàs Deus non esset justus judex, cum malis in hac vita plerumque bona; bonis verò mala eveniant. Postremo cùm omnibus æternitatis appetitus sit insitus, ideò ratio concludit animam immortalem esse, quia appetitus, toti speciei concessus, non omninò frustrà esse potest. Et ita ratio colligit animæ nostræ immortalitatem, quam magis magisque confirmabit, si infallibilia *sacræ S.* dicta his adjungantur, quæ non tantùm *animæ immortalitatem*, sed etiam *carnis resurrectionem* firmiter nobis credendam esse inculcant.

*An carnis resurrectio philosophicè demonstretur?*

Quamvis autem de resurrectione carnis aliquid etiam somniet ratio, ita *ut Julius Pacius in com.* 1. *de an. cap.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 5. statuat eandem *philosophicè* demonstrari posse; cùm verisimile sit, animam respectum retinere ad corpus: cùm omnis forma corpus suum respiciat: adde quòd anima vi detineatur extra corpus, quod non videtur perpetuum futurum: Tamen potius sentiendum *cum Thom.* 4. *contr. gen. cap.* 81. *Cajetano* 1. *part. quæst.* 76. *ar.* 1. *Connimb. de an. separ. disp.* 3. quòd ratio quidem aliquid cognoscat, respiciendo ad solam animam, ubi ratiocinatur de quodam appetitu animæ ad corpus: verum quia non invenit modum, quo hoc fieri possit, idcircò nunquam sibi imperare potest, quòd illud futurum sit: quia absurdum est in philosophia, unum corpus numero, omninò corruptum, redire posse. Ergò relinquitur esse hoc unum ex iis, quæ *Mysteria* dicuntur, & fide apprehendenda sunt potius, quàm ratione.

## CAPUT XV.

### DE INTELLECTU.

VT omnis forma in suo composito duplicem obtinet respectum: ita etiam *anima rationalis*, vel ut est *causa informationis*, vel ut est *causa operationis*, considerari potest: illud *præcedenti capite* factum est, ubi diximus, quomodo anima intellectiva corpus humanum informet, & in quibus à reliquis formis physicis differat: hoc verò in sequentibus declarandum restat. Etsi verò anima rationalis in sua essentia simplex & individuum quiddam meritò dicatur; nihilominus respectu operationum tanquam peculiares facultates eidem attribuuntur, *Intellectus & Voluntas*, quæ aliàs rectissimè τὸ γνωστικὸν, καὶ τὸ ὀρεκτικὸν vocantur. Hæc duo consequenter ex mente *Aristotelis* consideranda erunt.

*Intellectus.*

*Est autem Intellectus facultas animæ rationalis, quâ homo res intelligibiles percipit atque dijudicat.*

*Cap. 5. Aristotelis.*

Hujus autem naturam ut magis intelligamus, ab ejusdem operationibus incipiendum esse putamus; considerandum igitur quo pacto tandem fiat id, quod intelligere dicimus, & quomodo differat ab aliis: *text.* 1. Si autem intelligere est ut sentire quiddam, sequitur eam animæ partem, quâ intelligimus, pati quiddam ab ipso intelligibili: *text.* 2. Propriè dicta tamen passione, quæ scilicet corruptiva est, vacat hæc animæ pars, quia Intellectus ad intelligibilia sese habet, sicut sensus ad sensibilia: *text.* 3.

Non autem certo organo immistus esse debet intellectus, ut cognoscat omnia, quo fit, ut nulla ipsius sit natura, nisi ea tantùm, quâ in potentiâ est: *text.* 4. Is igitur intellectus, quo ratiocinatur & existimat anima,

nihil est actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat ipse: *text.* 5. undè neque cum corpore eundem mistum esse consentaneum est: qualis enim quidam fieret, calidus scilicet & frigidus, & ejusdem instrumentum quoddam esset.

Cùm igitur Intellectus ita in potentia sese habeat, ad rerum formas recipiendas, ideò rectè censent, qui animam, intellectum scilicet, locum vel receptaculum formarum, h. est, specierum intelligibilium, esse volunt: *text.* 6.

*Passio intellectus differt à sensu.* Ita quidem patitur aliquid intellectus, quæ tamen passibilitas maximè differt ab ea, quæ in sensitivam facultatem cadit, quia sensus à vehementi sensibili corrumpitur; intellectus verò valdè intelligibili magis perficitur, quia separabilis est, & sine corpore: *text.* 7. Ubi verò intellectus factus est unumquodque, ubi scilicet species intelligibiles sibi comparavit, dum actu sciens dicitur, & tantum est in potentia ad operationem; atque tunc seipsum etiam intelligere potest: *text.* 8.

*Intellectus quomodo perficiatur?* Sed quæritur, *quid sit illud, quod intellectus potentiam perficit*, ubi offert sese objectum, scilicet τὸ νοητὸν, *intelligibile*: nam cum aliud sit caro, aliud carnis essentia, illa conjuncta cum materia ut sinum, hæc abstracta, ut curvum: *text.* 10. Sensibus autem id, quod materiæ immergitur, intellectu verò quod ab ea immune est, præcipuè intelligimus: *text.* 10. Omninò igitur, ut res sunt separabiles à materia, ita etiam sese habent ea, quæ scilicet circa intellectum ipsum: undè

*Objectum intellectus.* objectum intellectus primarium ratione cognitionis confusæ erit *Universale*: *text.* 11.

*Quomodo intellectus patiatur ab objecto?* Verùm cum supra dictum sit, intellectum pati aliquid à suo objecto intelligibili, *meritò dubitatur, quomodo hoc fiat, cùm intellectus sit simplex & impatibilis, nihilque habeat cumre ulla commune*: ad agendum autem & patiendum quædam convenientia requiritur: *text.* 12. *præterea ambiget quispiam*, si ipse etiam intellectus intelligibilis: aut enim cæteris quoque rebus omnibus intelligibilibus inerit intellectus, si quatenus talis est, intelligibilis dicitur: aut si aliâ ratione compositus erit, quatenus sibi quiddam conjunctum obtinet, quod ipsum intelligibilem facit: *text.* 13. *Ad primam dubitationem* notandum, quòd ipsum pati, ut suprà dictum, dupliciter dicatur, scilicet de passione *corruptiva & perfectiva*; illa semper materiam requirit, posterior verò non item: & hoc modo intellectus passionem subit, cum intelligit: quia intellectus potentiâ quidem est quodammodo intelligibilia ipsa, actu verò

*Rasa tabula.* nihil est eorum, antequam intelligat ipsa. Oportet autem in ipso nihil esse, perinde atque in rasâ tabula nihil est actu, antequam aliquid inscribatur: *text.* 14. *Ad alteram dubitationem* nota, quòd intellectus sit intelligibilia cuncta: nam in his, quæ sine materia sunt, intelligens, & id quod intelligitur, idem est: *text.* 15. In iis autem, quæ materialia sunt, unumquodque potestate tantùm est intelligibile, quatenus potest intellectui, beneficio intelligibilium specierum, absq; con-

*Cap. 5. Arist.* ditionibus materialibus offerri: *text.* 16. Cum verò unicuique habenti se ut potentia, respondeat aliquis actus, necesse est, in anima quoque differentias easdem inesse: *text.* 17.

*Intellectus agens.* Ut autem quidam est intellectus, qui omnia intelligibilia fieri potest, ut hactenus probavimus, ita etiam quidam est talis, ut omnia intelligibilia efficiat, qui quidem ut habitus est quidam, & perindè atque lumen; quod colores, qui sunt potentia, actu tales reddit quodammodo: *text.* 18. Hic intellectus separabilis est, passioneque vacat: *text.* 19. Separatus autem, est immortale & perpetuum quiddam: *text.* 20.

Hactenus brevissimis, quoad fieri potuit *ex cap.* 4. & 5. sententiam *Aristotelis de intellectu* proposuimus, ex quibus patet, *Intellectum esse duplicem patientem & agentem.* Intellectus *patiens*, νοῦς παθητικὸς est, qui omnia recipit, undè potestate omnia intelligit, & hic est

*Intellectus patiens.* ille, quem *Philosophus capite quarto*, secundum naturam suam in potentia esse dicit, eumque cum tabula rasa comparat.

*Quid sit illud quod ab intellectu recipitur.* *Verùm dubitatur quidnam sit illud, quod hoc loco ab intellectu recipitur:* hic offert sese τὸ νοητὸν *intelligibile*, quod est generale intellectus objectum. Cùm verò hic intellectus potestate sit omnia, ideò *universale*, *quàm singulare* per τὸ νοητὸν intelligitur: undè patet error *Averroistarum*, qui statuunt intellectum non cognoscere singularia, quorum sententia rejicitur *à Perer. lib.* 3. *phys. cap.* 17. & *seq. Fonsec.* 1. *Metaph. cap.* 2. *quæst.* 3. *Zabar. de ord. intel. cap.* 13. quia prudens cognoscit suas operationes, quæ sunt singulares: quia in Inductione à

*An singulare cognoscatur ab intellectu?* singularibus incipit discursus: quia intellectus sæpius phantasmata singularium corrigit: quia intellectus seipsum singularem cognoscit. Verum *capite* 5. *text.* 11. Contrarium sentire videtur *Aristoteles*, ubi determinat, quòd res immateriales & universales intellectui subjiciantur.

*Hic notandum*, quod *Aristoteles* proprium & adæquatum objectum intellectus, in quo à sensu differt, deter-

*Quodnam sit proprium objectum intellectus.* minat: ut enim sensus est singularium, ita intellectus universalium, *teste Philosopho* 1. *post.* 14. & 1. *phys. text.* 49. Universalia igitur illam potentiam intellectus maximè explere possunt, quia sunt abjuncta à materia, perindè ut ipse intellectus. Distinguitur ergò *intelligibile in proprium & commune*: *proprium* à solo intellectu cognoscitur, ut est *universale*: *commune* etiam à sensibus percipitur, ut *singulare*.

*An singulare sit primo cognitum?* Hic oritur quæstio de primo cognito, *an universale vel singulare primò cognoscatur ab intellectu nostro.* Hic cum *Zabar. de ord. intel. cap.* 5. *Fonsec.* 1. *Metaph. cap.* 1. *qu.* 3. *Scal. Ex.* 307. *s.* 21. Determinamus, quòd *Singulare* primò cognoscatur, non quidem respectu *cognitionis distinctæ*, sed respectu *cognitionis confusæ*, quæ fit sine habitu: quia Universale, non nisi per abstractionem,

*An magis universale prius cognoscatur?* intelligitur: fit autem abstractio à singularibus: ergò singularia primum cognoscuntur: quia singulare facilius apprehenditur: quia superior facultas incipit, ubi inferior definit; at Phantasia definit in singulari; Ergò Intellectus à singulari incipit. Per hanc *cognitionem singularis* tandem intellectus noster ad universale accedit, ubi primò intelligit id, quod maximè Universale, quia hoc facilius abstrahitur, & intellectum magis

ferit,

ferit, ut probatur *à Zab. de ord. intell. cap.* 12.

*Cur requiratur species intelligibilis?*

Cum verò hic patiens intellectus cum suo objecto intelligibili uniri debeat; ideò species intelligibiles considerandæ veniunt; per has enim intellectus objectum suum percipit, & ita intellectus fit omnia, quia singularum rerum species recipit, ut dixit *Aristoteles text.* 16. sic etiam *text.* 19. res intellecta & intellectus unum fiunt, non quidem per naturam, sed *intelligibiliter*, quatenus res, quæ intelligitur, per sui Imaginem intellectui copulatur. Ita objectum humanæ mentis per speciem intelligibilem cognoscitur; quæ fundata in objecto extra mentem vocatur *objectiva*; formaliter autem rem repræsentans *formalis* dicitur.

*An species intelligibilis post intellectionem remaneat?*

Porrò hæ species intelligibiles intellectui imprimuntur, & harum ratione intellectus etiam pati dicitur, quatenus easdem respicit, quas etiam post intellectionem retinere potest, licet ob negligentiam intellectus non semper intelligantur. At contra *Zabar. de spe. intel. cap.* 6. *Thom.* 1. *part. qu.* 99. & 79. *Conn.* 3. *de an. cap.* 8. *Tolet.* 3. *de an. qu.* 21.

*An species intelligibiles nobis naturaliter insint?*

has species intelligibiles naturaliter nobis insitas esse voluit *Plato*, undè consequenter dicere coactus fuit, nostrum scire nihil aliud esse, quàm reminisci. *Verùm contraria* sententia *Aristotelis* verisimilior est, qui nullam speciem intelligibilem cum intellectu nostro oriri vult, ut patet *ex cap.* 5. *lib.* 3. ideoque intellectui aptitudinem ad omnes species intelligibiles percipiendas concedit. *Quomodo* autem hæ species producantur, & quomodo fiat intellectio ex sequentibus manifestum est.

*An intellectus sit propriè potentia?*

Hinc etiam manifestum, quomodo intellectus sit potentia, non quidem in numero Entium, ut materia prima, sed in numero intelligibilium. Est enim Intellectus actus, ratione essentiæ suæ, ideoque non simpliciter potentia dici potest, sed cum respectu ad res intelligibiles, quas omnes percipere potest.

*Quæ sint officia Intellectus agentis?*

Cum verò hæc animæ rationalis facultas, quæ intellectus patientis nomen obtinet, ad intellectionem sola non sufficiat, ideò requiritur alia, *Intellectus scilicet agens* cujus officium est, phantasmata illuminare, eaque offerendo intellectui patienti, eum de potentia ad actum deducere. Hic igitur species intelligibilis & intellectio producitur: nam hic intellectus agens non tantum agit in phantasmata, illustrando eadem, sed etiam in intellectum patientem, quem à potentia ad actum deducit: quare à phantasia primò recipit phantasmata; quæ illuminata offert intellectui patienti, qui species intelligibiles abstrahit, & inter eas judicium facit. Ita, verbi gratia, sit in phantasia lapis, hunc illustrans intellectus agens ab eo non tantùm prædicata essentialia, ut corpus, substantiam, Ens, sed etiam accidentalia, ut quantum, quale &c. elicit; & hoc objecto illustrato ferit intellectum passibilem, qui species, illuminatione agentis intellectus elicitas, abstrahit, & speculatur, apprehendens substantiam sine corpore, quantitatem sine qualitate &c. Undè luce meridianâ clarius, quomodo differant operationes intellectus agentis & patientis: item quomodo Universalia, quæ in singularibus, tanquam in suis fundamentis continentur, ab Intellectu nostro producantur formaliter per abstractionem.

*An realiter differant agens & patiens Intellectus?*

Etsi verò propter has diversitates operationum plerique *Intellectum agentem & patientem realiter* omninò differre putent: secundum mentem *Philosophi*, utpote cum illum immortalem, hunc verò caducum statuat *Philosophus*: tamen hoc potius respectu operationum intelligendum esse videtur, ita, ut vera sit sententia quorundam, qui statuunt, unam eandemque potentiam, pro diverso respectu, agentem & patientem esse: nam nihil impedit in rebus spiritalibus, ut est intellectus, interdum unum & idem, diverso modo agentis & patientis officium obtinere.

*An intellectus agens sit Deus?*

Hinc igitur patet error *Alexandri*, quem sequitur *Zabar.* qui pro Intellectu agente introducit *Deum*: quasi enim, inquit *Scal. Ex.* 307. *s.* 19. Deus, cum fabricaret intellectum; nequiverit ei, quantum satis esset, lucis insinuare, sed ipse coactus sit assistere præsens ministerio, tanquam Præfectus quidam prætorio.

Ex his patet, quomodo sit intelligenda sententia *Aristotelis de Intellectu agente & patiente*, quæ in *cap.* 4. & 5. *lib.* 3. proponitur: jam sequitur, *ut ipsam intellectionem* ulterius consideremus.

*An intellectio sit actio?*

Etsi verò plurimi statuant, *Intellectionem esse tantum qualitatem*: tamen cum plerisque *Peripateticis* statuendum esse putamus *Intellectionem esse veram actionem, immanentem scilicet*: Undè *Aristot.* 10 *Eth. cap.* 3. docet operationem virtutis & felicitatem non esse qualitates: at verò, *in eodem libro cap.* 7. felicitatem in contemplatione consistere dicit. Ergò contemplatio, quæ nihil est aliud, quàm Intellectio, est ex numero actionum.

*Cap.* 7. *Aristot.*

Est autem duplex *Intellectio*: una consistit in simplicium apprehensione: altera circa simplicium compositionem versatur: *text.* 21. Imò temporis quoque ratio habenda est in compositione, quia in compositione illorum, quæ fuerunt, vel sunt, veritas & falsitas, ratione temporis, determinatur: *text.* 22. Prior operatio consistit in indivisibilibus, quæ Intellectus in indivisibili tempore cognoscit: *Est autem indivisibile vel actu, vel potentiâ*: *Actu* rursus, vel *in quantitate*, ut continuum; vel *in forma* sive essentia, ut homo: talia indivisibilia per se intelligit Intellectus: *text.* 23. 24. *Potestate* verò indivisibile est punctum, quod perindè atque privatio cognoscitur: ita malum per bonum, privatio per habitum, & in genere contrarium per contrarium notificatur: *text.* 25. Posterior operatio, quæ in simplicium compositione & divisione consistit, veritatem & falsitatem propriè habere debet: *text.* 26.

*Operationes mentis tres.*

Hæc proponit *Aristot.* de Intellectus operationibus, ubi notandum, quod tres numerentur operationes Mentis, scilicet *Simplicium apprehensio, eorundem compositio & divisio, & denique discursus.* Priores duas declarat *Aristot.* ubi docet, *quomodo Intellectus res simpliciter absque veritate & falsitate apprehendat*: (intelligitur hic veritas Enunciationum, quæ est terminorum complexorum, non autem veritas illa simplex, quæ constituit transcendens, & convertitur cum Ente.) *Altera* deinde, vel *rem cum re conjungit*, vel *rem à re disjungit*, ubi veritas & falsitas apparere incipit. *De tertia* verò mentis operatione nihil expressè *hoc loco* dicit

*Philo-*

*Philosophus*, quia tantùm considerat Intellectum in actu, ut est simplex & compositus, & ita tertiam mentis operationem, quatenus composita est, sub secunda comprehendit. Aliàs tertia mentis operatio illa vocatur, *quâ ex collatione rerum diversarum ignotum ex noto colligimus*. Beneficio harum operationum Intellectus comparat sibi *habitus scientificos*, quibus insitum illud τὸ γνωστικὸν, potentiam nimirum ad rerum cognitionem perficit: ne autem hæ mentis operationes circa rerum cognitionem fallantur, ideò Logica inventa est, quæ quasi instrumentum, has logicas operationes ad id, quod optimum est, dirigit.

*Habitus scientifici. Logicæ officium.*

## CAPUT XVI.

### DE VOLUNTATE.

*Voluntas.*

*Voluntas est altera facultas Animæ Rationalis, quâ illa, quæ ab intellectu percepta atque dijudicata sunt, vel eligimus, vel aversamur.*

PRiusquam ad declarationem voluntatis accedamus, opus est, ut consideremus cum *Aristot.* illa, quæ de comparatione sensûs & intellectûs proponuntur *in cap. 7.* ex quibus harum facultatum, Intellectûs & Voluntatis, natura magis patebit, quia *Aristoteles* iisdem demonstrat, quomodo *Intellectus speculativus & practicus* inter se differant.

*Cap. 7. Arist. Intellectus quomodo actuetur?*

Prout autem Intellectus est actu, prout scilicet intelligit, eatenus est idem cum re intellecta, non quidem secundum essentiam, sed secundum modum intelligendi: *text. 27.* Ut autem sensus per objectum ad actum deducitur, ita etiam Intellectus absque alteratione corruptiva per τὸ νοητὸν actuatur: *text. 28.* Cùm verò sensus jucundum & molestum discernit, videtur quoque affirmare vel negare aliquid, undè & hic cum Intellectu comparari potest: *text. 29.* Ut autem sensibilia sensui, ita phansmata Intellectui subjiciuntur, qui, ubi affirmando vel negando bonum aut malum esse dicit, *fuga vel persecutio* sequitur: & hoc modo anima sine phantasmate non intelligit: *text. 30.* Ut autem omnia sensuum objecta in sensu communi dijudicantur, qui sine externis sensibus non agit, ita etiam Intellectus res ipsas in phantasmate intelligit: *text. 31. 32.* Instigatur autem Intellectus, ad fugiendum præsentibus, aut sola phantasiâ, ubi accedit ad deliberationem de futuris: Et cum dixerit hîc aut ibi rem eam esse, quæ voluptatem aut dolorem affert, tùm fugit aut prosequitur: *text. 33.* Ipsum autem verum & falsum, quæ sunt sine actione, in eodem genere sunt, in quo bonum & malum: *text. 34 35. 36.*

Hæc proponit *Philosophus cap. 7.* ex quibus manifestum est, quod *Aristoteles* statuat Intellectum non tantùm, sub ratione veri, res speculativas intelligere, sed eundem quoque res quasdam, sub ratione boni vel mali, appetere vel fugere, unde est distinctio Intellectûs, *in intellectum speculativum & practicum. Est igitur Intellectus speculativus, qui tantùm intelligit, & ratiocinatur propter cognitionem: Practicus* verò, *qui ratiocinatur propter actionem, ut agat id, quod bonum esse intelligit.*

*Intellectus speculativus.*

Hic primò quæritur, *an Intellectus speculativus & practicus sint una eademque facultas*, ut vult Thom. 1. *part. q. 79. ar. 11.* qui utitur hâc ratione, quod ea quę mente percipiuntur, ex accidenti ad opus dirigantur. Verùm cum Intellectus non tantum apprehendat & cognoscat res sub ratione veri, sed etiam eas tanquam bonum prosequatur; ideò patet intellectum practicum non omninò convenire cum Intellectu speculativo, præsertim ratione tertiæ proprietatis, ubi bonum prosequitur & fugit: hoc enim solius est practici intellectûs, & in eo essentialiter ab Intellectu speculativo discrepat.

*An Intellectus practicus & speculativus differant?*

*Sed hoc loco* non sine causa dubitari potest, *quidnam sit voluntas*, quam declarandam *in hoc capite* proposuimus, quæ ab *Aristotele* omittitur. *Ubi notandum*, quod *Intellectus practicus*, quatenus differt *à speculativo*, nihil aliud sit, *quam voluntas ipsa*, quod rectè cum *Gandavens. lib. 3. de an. quæst. 39.* statuit noster *Zabarella lib. de facult. an. cap. 13.* Illud enim, quod Intellectui practico attribuitur *à Philosopho*, quod circa bonum versetur, quod bonum prosequatur, mala fugiat &c. propriè pertinet ad voluntatem, ideoque distinctio Intellectûs in speculativum & practicum non differt ab illa, qua faculates animæ rationalis distinguuntur in Intellectum & voluntatem. Ergò rectè dictum est supra, *voluntatem esse vim animæ rationalis, cujus beneficio illa, quæ ab Intellectu cognita sunt, sub ratione boni vel mali prosequimur, vel fugimus.*

*An Intellectus practicus & voluntas differant?*

*Objectum* igitur voluntatis est *bonum* à præcedenti Intellectus cognitione monstratum. Hujus operatio Græcis θέλησις, *Barbaris Volitio* dicitur, ubi scilicet ipse actus, bonum adipiscendi, & malum declinandi, intelligitur: Consistit autem hæc operatio *in Velle & Nolle*, quibus ad finem, à ratione propositum, tendimus. Cum verò voluntas ad hunc finem non semper rectâ feratur, idcircò & aliæ duæ operationes hoc loco considerantur: scilicet προαίρεσις & θέλησις: hâc deliberamus de iis, quibus ad finem pervenire possumus: illâ media adæquata ad finem ducentia eligimus.

*Objectum voluntatis.*

*Hic oritur liberum arbitrium*, in rebus politicis nobis concessum, quod *in intellectu radicatur*, *in voluntate* verò exequitur, undè voluntas circa res agendas in politia liberè moveri dicitur, quia hoc modo actiones voluntatis distinguuntur ab actionibus aliis rerum naturalium, quæ semper eodem modo sese habent: adde quod; sublatâ libertate voluntatis, frustrà essent leges rerum publicarum, præmia, pœnæ & omnes deliberationes, quæ instituuntur, propterea, quod actiones nostræ propter liberam voluntatem sint mutabiles. Hæc libertas voluntatis sæpius aliò flectitur, propter consuetudinem depravatam, quæ ex appetitu sensitivo dependet, ut ex sequentibus manifestum erit.

*An in voluntate sit libertas?*

Hæc de præstantissimis his duabus facultatibus, *de Intellectu & Voluntate*, dixisse sufficiet: ex quibus manifestum, *quomodo Anima sit quodammodo omnia*; ea enim quæ sunt, vel sunt intelligibilia, vel sensibilia:

*Cap. 8. Aristot.*

lia: hæc ad sensum, illa ad intellectum spectant, in quibus res illæ non quidem, secundum essentiam, ut sunt extra mentem, recipiuntur, sed secundum speciem & formam: Ita intellectus est formarum forma, & sensus itidem sensibilium forma: *text.* 38. Cùm verò pleræque res intelligibiles (scilicet universalia, quæ propriè ab Intellectu cognoscuntur) sint in ipsis rebus sensibilibus (quia universalia sunt in singularibus) idcircò, qui non sentit, nihil discere aut intelligere potest: & qui contemplatur, necessariò cum phantasmate contemplatur; ipsa enim phantasmata sunt veluti sensibilia absque materia: undè eâdem ratione sese habet phantasma ad Intellectum, ut externum objectum sensibile ad sensum externum: *text.* 39.

*Intelligens phantasmata speculatur.*

His concludit *Aristoteles* doctrinam *de Anima Intellectiva*, ex quibus patet, ut etiam ex præcedentibus, quod Intellectus noster pendeat à sensibus quodammodo, ideoque Intelligentem phantasmata speculari oportet: & ita Intellectivæ facultates pendent à corpore, non quidem eam ob causam, quasi ad certa organa determinata sint, sed propter ministerium sensuum, qui Intellectui in hoc statu famulantur, undè læsis sensibus, operationes Intellectus etiam lædi solent, quod patet in delirantibus: & ita anima rationalis ad suas operationes utitur potissimùm phantasia, quatenus scilicet simul phantasmata respicit, ut ex præcedentibus patet.

*Quomodo intellectus pendeat à corpore?*

*Ergone Intellectus operatio organica est? minimè*: non enim sui ratione utitur organis, sed propter facultates sensitivas, sine quibus Intellectûs operatio non procedit, ideoque intellectio nostra à sensibus incipit; non tamen *est ipsa sensus functio.*

*An intellectus operatio organica.*

*Quid autem de anima à corpore separata dicendum est?* hæc enim vel otiosa erit, quod absurdum, vel absque phantasmate intelligit, quia phantasia non est extra corpus? *Notandum hoc loco*, quod alia sit ratio Intellectiones animæ in corpore existentis: alia etiam est ratio animæ post mortem à corpore separatæ. *Priori modo*, animæ intellectivæ, tanquam ministrantes potentiæ, subordinantur facultates sensitivæ, & ita absque ope sensuum non cognoscit, id quod pendet à peculiari informationis modo, quo anima corpori unita est: *posteriori modo*, anima intellectiva non indiget phantasiâ quia non amplius copulatur corpori, ideoque sublimiori modo suas operationes exercet, cujus consideratio Physicam transcendit, undè *à Philosopho* omittitur.

*Quomodo anima separata intelligat?*

## CAPUT XVII.

### DE LOCOMOTIVA ET APPETITIVA FACULTATE.

*Cap. 9. Arist.*

CUm anima potissimùm duobus definiatur, *discernendi potentiâ*, quæ in officiis sensûs & intellectûs consistit, atque *potentia movendi* ad locum accommodatum: ideò declarato priori, ad posterius accedendum est, ubi determinandum restat *quidnam sit potentia motiva*: *text.* 40.

Dubitatur hîc, *quotnam partes animæ constituendæ, ut inveniatur locomotiva*: ubi non sufficit dicere aliam esse rationis participem, aliam rationis expertem: sunt enim alia, quæ majorem inter se distantiam habent: ita vegetativa omnibus inest, sensitivam non facilè rationis expertem, nec ejus participem, quisnam ponet: *text.* 41. Præterea de imaginativa quoque dubitatio est: insuper appetitiva ab omnibus diversa videtur: fit enim in intelligente voluntas, in ratione vacante cupiditas & ira: *text.* 42.

Quid autem est illud, quod animal loco movet tali motu, de quo jam queritur? *scilicet motu locali*: nam de motu incrementi aut decrementi hîc non agitur: *text.* 43. Hoc autem non est *potentia nutriendi*, quia hic motus semper alicujus gratiâ, cum imaginatione & appetitu, instituitur: *text.* 44. Nec *sensus* simpliciter potest esse principium hujus motûs, quia in aliquibus adest sensus absque motu, ut *in Zoophytis*: *text.* 45. Nec etiam *Intellectus* est causa hujus motûs, quia intellectivus speculativus non dicit, quid agendum vel fugiendum sit: adde quod intellectus sæpiùs jubeat motum, ubi tamen non obtemperat homo, quod in continente apparet: *text.* 46. 47. Præterea, nec *appetitus sensitivus* est primaria causa hujus motus, quia sæpiùs inclinante appetitu, non sequitur motus, propter resistentem intellectum: *text.* 48. Ita *Philosophus capite nono* declarat, *quid loco motivæ principium non sit*: jam *capite decimo* demonstrare conabitur: *quidnam sit principium movendi.*

*An aliqua ex dictis facultatibus sit principium motus localis.*

*Cap. 10. Aristot.*

Videntur autem duo hæc esse principia moventia scilicet, *appetitus, vel intellectus*, si quis imaginationem, ut quandam intellectionem accipiat: nam & homines magis imaginatione quàm scientiâ, & reliqua animalia imaginatione tantùm ducuntur: *text.* 48. Hæc igitur ambo, *intellectus & appetitus*, sunt principia hujus motus, nam *appetibile* movet primò, & deinde mens etiam, quia appetibile ipsius est principium: *text.* 49. Sic etiam *imaginatio*, (quæ hoc loco sub mente simul comprehenditur) non movet absque appetitione: unum igitur est, quod movet, ipsum scilicet *appetibile*: *text.* 50. hoc appetibile, vel *est bonum revera tale, vel apparens*, illud intellectum tantùm, hoc verò imaginationem sæpiùs movet: intelligitur autem non omne bonum, sed illud quod sub actionem cadit: *text.* 51. Patet igitur principium primum hujus motus esse appetitum quendam: *text.* 52. Apparent contrariæ appetitionis in his, quæ sentiunt atque percipiunt tempus (scilicet in homine) mens enim ob futurum retrahere jubet: cupiditas verò præsens tantùm persequitur: *text.* 53.

Cùm verò tria sint in animalium motu: 1. *quod movet*; 2. *quò movet*; & 3. *quod movetur*: notandum illud, *quod movet*, vel movere tanquam *finis*, ut bonum quod appetitur; vel tanquam *efficiens*, ut facultas appetendi: *quò movet* appetitus, sunt partes corporis, quæ ad motum inserviunt: *quod movetur*, est animal: *text.* 54. *De illo verò, quò movetur*, nimirum de instrumento, notandum, quod in ea corporis parte sit statuendum, ubi principii & finis rationem subire potest: *text.* 55. Omninò igitur, ut diximus, animal sui motivum

vum est; quatenus est appetitivum: at appetitus sine imagine non est: omnis autem imaginatio, aut rationis est particeps, aut sensitiva, illa tamen homini, hæc belluis quoque convenit.

*Cap 11. Aristot.*

*Considerandum verò* quomodo imperfectis animalibus insit appetitus & imaginatio, cum quædam tantùm obscuro tactu valeant: *ubi notandum*, quod eâdem ratione, ut motus horum animalium imperfectus est, ita etiam principia motus in iisdem non perfectè demonstrari possunt: *text.* 56. Unde patet, quod imaginatio sensitiva brutis etiam insit: at deliberativa, homini tantùm: Vincit autem interdum appetitus voluntatem, interdum hæc illum: ubi semper superior magis movet: *text.* 57. Et ita accidit, ut neglectâ universali propositione, quæ monstrat quid agendum sit, particulare tantùm apprehendamus: *text.* 58. Hactenus sententiam *Aristotelis* proposuimus, quam paucissimis declarabimus.

*An facultas appetitiva & loco motiva rectè postremo loco tractatur?*

*Hic primò quæritur, cur Philosophus hanc doctrinam de appetitiva & loco motiva ad postremam usque partem reservet;* Cùm tamen hæ facultates pendeant quoque ab anima sentiente, undè communes sunt facultatibus animæ rationalis? *Sed notandum*, quodvis movens non tantùm à sensu, sed etiam ab intellectu dependeat; ut igitur perfectè declarari possit hæc facultas, ideò *Philosophus* eandem unà cum appetitiva usque in postremum locum retinuit, ubi non tantùm declarat, quomodo à sensu in brutis, sed etiam quomodo, ratione quâdam, ab intellectu in homine dependeat.

*Facultas appetitiva.*

*Est autem appetitiva facultas vis animalis, quâ ad bonum à sensibus monstratum inclinat, & malum, eodem modo cognitum, aversatur.*

*An appetitiva insit animatis & plantis.*

Hæc facultas omnibus inest animalibus, ideoque semper à *Philosopho* ad animam sentientem, tanquam ad suum principium refertur: *nec moveat aliquem*, quod *appetitus vocabulum* etiam rebus inanimatis attribuatur, ita omne corpus naturale suum locum appetere dicimus: imò & plantis appetitum naturalem ad suum alimentum inesse dicunt *Philosophi. Veruntamen*, etsi vocabulum hoc loco idem sit, est tamen res ipsa diversa: quia appetitus ille naturalis sub hac nostra descriptione meritò continetur: intelligitur enim hoc loco talis appetitus, qui fit cum præcedente cognitione.

*An appetitiva & sensitiva unam facultatem constituant?*

Etsi verò appetitiva fiat simul cum sensitiva facultate, ratione præcedentis cognitionis, non tamen est ipsa sensitiva facultas, ut probant *Thom.* 1. *part. qu.* 78. *ar.* 1. *Zab. de facult. de an. c.* 12. quia appetitiva diversum habet objectum, quod non apprehendit & dignoscit, ut sensus, sed prosequitur vel fugit. Ab appetitivâ pendet appetitus animalis (nam de naturali appetitu rerum inanimatarum hic non agimus) qui cùm aliter in homine, aliter in brutis sese habeat: ideò *in Appetitum sensuum & appetituum rationis* distinguitur.

*An rectè distinguatur appetitus in sensitivum & intellectivum?*

*Appetitus sensuum est* ille, qui pendet à cognitione phantasiæ tantùm, ideoque illa, quæ sensibus in præsentia amica vel ingrata videntur, prosequitur & fugit. *Appetitus rationis est ille, quo homo inclinat in bonum, revera tale, ab intellectu monstratum*, ideoque nihil est aliud, quàm actus voluntatis, de quo supra dictum: nam per voluntatem mala fugimus & bona sequimur, hinc etiam *voluntas appetitus rationis* vocari solet.

*Unde patet*, quomodo intelligendum sit illud, quod *Philosophus* hactenus proposuit, nimirum omnem appetitum fieri cum imaginatione, quæ vel sit sensitiva, vel rationis: ubi duplicem hunc appetitum, sensuum scilicet & intellectûs, innuit, quorum prior brutis solùm, posterior verò homini, unà cum priori, attribuitur.

Hinc non mirum, quod sæpiùs pugna appetituum in nobis deprehendatur, quia interdum aliud ratio, aliud appetitus sensuum suadet, ut *in Medea* patet, de qua *Poëta: Video Meliora, proboque, Deteriora sequor:* ubi voluntas dissuadet facinus, quod perficiendum sibi duxerat appetitus sensitivus, qui tandem etiam superat, quamvis voluntas reclamet: hîc enim primò adest Intellectus cognitio, ubi dicit *Medea: Video meliora:* adest etiam voluntatis consensus, quo voluntas illud, quod ab Intellectu monstratur, apprehendendum esse judicat, ubi dicit: *proboque:* sed tandem cognitio Intellectus & actus voluntatis postponitur, ubi incipit Imperium appetitûs sensitivi, quo *Medea*, contra rationem & voluntatem, *deteriora* sequitur. Et hoc est illud, quod *Philosophus* dicit, voluntatem plerumque sensitivum appetitum superare, & ab eodem quoque superari; ubi denique appetitus superior alteri obedire cogitur: de quo postea rectè dicitur:

*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

*Thom. 1. q 81. Art. 2.*

Cùm verò appetitiva facultas, tàm circa bonum, quàm malum, diversâ tamen ratione, versetur, ideò appetitus distinguitur in ἐπιθυμητικὸν, καὶ θυμικὸν, *in concupiscibilem & irascibilem: illo* animal ad bonum aliquod delectabile fertur, & ingrata respuit: *hoc* verò persequitur illud bonum, quod sine difficultate adipisci nequit. Ita non omninò essentialiter, sed tantùm ratione distingui potest hæc facultas, undè patet, quod minus rectè *concupiscibilis appetitus jecori, Irascibilis cordi* à pluribus adscribatur, quia hæ facultates subjectis non differunt, ideoque locis non distinguantur.

*An irascibilis appetitus in corde, concupiscibilis in jecore?*

*Affectus animi.*

Hìc oriuntur etiam *affectus animi*, ubi *cor* peculiariter affici solet, propter agitationem spirituum, iique vel pendent *ab objecto bono & jucundo*, undè etiam boni dicuntur, ut sunt *lætitia, quæ est boni præsentis: spes, quæ est boni absentis:* vel *ab objecto malo*, tàm præsenti, ut *tristitia*, quàm absenti, *ut metus;* huc postea referuntur etiam affectus mixti, ut sunt *ira, odium, Zelus &c.* Hactenus de appetitiva facultate, quæ in *Aristotele*, ut patet, unà cum *Locomotiva* declaratur, quia cùm eâdem tanquam causa concurrit.

*Locomotiva facultas.*

*Locomotiva facultas*, quâ animal est vel secundum partem, vel secundum totum, de loco ad locum movetur, superest, quæ non cum aliquibus pro certa animæ specie, sed pro facultate tantum habenda est, quia nullum est animal perfectum, quod loco moveri nequeat. Ad actum & operationem hujus facultatis *Philosophus tria* requiri dixit: *quod movet: quod movetur; & quo movetur.*

*An Locomotiva sit animæ species?*

*Quod movet quid.*

*Quod movet* est objectum appetibile, & appetitus, quorum illud, ut finis, hoc verò ut efficiens movet. Hîc quæritur, *cur Philosophus inter Moventia omittat Intellectum & Phantasiam*, cum tamen iis antea principium movendi attributum sit? ubi notandum *ex Tolet. 8. de an. qu. 25.* quod Intellectus vel Imaginatio *non movet per se*, sed sunt quasi *conditiones moventium*, undè, mediante Appetitu, sunt principia motûs.

*Cur Intellectus & Phantasia non numerentur inter moventia?*

*Quod movetur quid.*

*Alterum, quod movetur est Animal:* est enim hic motus, de quo hoc loco agimus, animalis, ideoque illius requisita nec motui cœlesti, nec motui rerum inanimatarum, nec etiam motui augmentationis, ab anima vegetativa pendenti, attribui potest.

*An motus animalium ipsis sit violentus?*

Quæritur autem, *an hic motus animali naturalis vel violentus sit?* ubi notandum, quod hic motus respectu totius animalis, quando consideratur, ut ab interno principio dependet, nempe ab anima, sit *naturalis, quod patet ex Arist. 8. Phys. text. 27.* ubi tantùm ad corpus respicimus, quod suopte ingenio tali motu moveri nequit, *violentus* dici potest, quod patet *ex Piccol. cap. 29. lib. de motu animalium.* Dicitur igitur motus animalium naturalis, quia non tàm corpus, quàm animam moveri dicimus.

*Cur animalia in motu defatigentur?*

Verum dubitatur, *si animalibus motus progressivus est naturalis, qui fiat quod animalia per motus defatigentur?* ubi respondet *Piccol. cit. lib. c. 3.* quia animal motu patitur aliquid ratione corporis, cujus partes contra naturam moventur, ubi una pellit, altera pellitur: adde quod spiritus, qui ad virium conservationem faciunt, admodum alterentur.

*Quale sit instrumentum motus?*

*Denique quo movetur* est instrumentum corporis, ubi inter cæteras partes sese offerunt *musculi*, qui ita conformati sunt à natura, ut ad motum animalium optimè inservire possint, de quo *V. Conn. in fine 3. de an. & Tolet. 3. de an. q. 25. Albertum tr. 4. de an. cap. 8. Gal. 13. de V. p. c. 3. Vesal. lib. 2. c. 2.*

*Requisita ad motum necessaria.*

Ut autem omnia requisita ad motum necessaria paucissimis proponantur; notandum, quod *potissimùm quatuor requirantur. 1. Objectum* quod movet sub ratione boni, sive illud revera bonum, sive apparens tantum sit. 2. *Appetitus*, qui in objectum fertur: non enim sufficit objectum, nisi appetitus, ad illud inclinet: 4. *Cognitio*, quæ est dirigentis instar, & præcedit appetitum, undè concurrit Actus phantasiæ vel Intellectus, quo objectum primò cognoscitur: 4. denique *Instrumentum* ad motum in animalibus perficiendum ac commodatum. Nam quando objectum primò cognoscitur, tum cognitio illa movet, secundum placitum appetitus. Quæritur autem hoc loco, *an illa vis dirigens, quæ ex cognitione dependet, semper in motu animalis requiratur?* ubi cum *Conn. l. 3. c. 13. q. 5.* respondetur *affirmativè*, quia motus progressionis animalibus propterea concessus est à natura, ut convenientia investigare & noxia fugere possint: hoc autem fieri nequit, nisi vis aliqua eadem objecta per cognitionem repræsentet.

*An vis dirigens semper necessaria?*

*Quomodo noctambulones cognoscant objectum motus?*

*Sed quid respondebis de iis, qui dormientes absque proposito objecto moventur?* notandum quod in his phantasia adhuc quodammodo operetur, ideòque hic motus à phantasmate quodam excitatur, quare nullus dormiendo ambulat absque ope phantasiæ.

Ita sese habet *Loco motivæ facultas*, quæ in homine multò præstantior, quàm in brutis, propterea quod non tantùm phantasia, sed etiam intellectu & ratione regatur, undè solus homo virtutis capax, & ad ejus operationes movetur, quatenus ratione rectâ regitur quæ appetitui sensuum frenum injicit: nam quamvis appetitus sensuum non pendeat à ratione, nihilominus subordinatus est rationi in homine, ita ut eidem obedire possit, quæ omnia magis declarabimus in Ethicis, ubi de actionibus nostris, secundum honestatem instituendis, differendum erit. Et hæc est *doctrina de anima*, quam *Aristoteles Philosophorum summus in libris tribus de anima* proponit: supersunt autem adhuc *duo capita*, in quibus *Philosophus* comparationem quandam earum facultatum omnium, quæ hactenus declaratæ sunt, instituit: hæc breviter percurremus, ut perspiciamus, quomodo, quoad utilitatem & necessitatem, una facultas alteram superet. Necessum est autem omne vivens, quod animam habet, nutriendi potentiam à generatione usque in interitum obtinere: *text. 95.* At non omnibus viventibus necessariò sensus inest: nam quorum corpus simplex (ut sunt plantæ, quarum corpora sunt simpliciora respectu animalium) quoque formas sine materia suscipere nequeunt (quæ scilicet species objectorum sensibilium non recipiunt) illa ne tactum quidem habere possunt: animal autem necessariò sensum habet, quia aliàs corpus, quod ab interno principio loco movetur, frustrà moveretur: *text. 60.* Deinde, *quo pacto nutrietur animal?* immobilibus quidem (ut plantis) adest nutrimentum in loco ubi sunt; at animalibus non item. Nec etiam fieri potest, ut corpus sit mobile, & habeat mentem absque sensu: *cur enim non habebit?* vel animæ vel corpori hoc melius erit: non animæ, hæc enim ob hoc non magis intelligit (imò potius impeditur intellectio propter absentiam sensus, quia animæ operatio in corpore pendet à sensibus) nec etiam corpori, quia propter defectum sensûs non magis erit corpus: *text. 61.* Omne igitur corpus, quod motum habet, sensum quoque obtinet: at si sensum habet, necessariò mixtum erit illud corpus, & non simplex, quod ex tactu patet: *text. 62.* (si enim simplex esset, quomodo per tactum diversas qualitates deprehenderet.) Hic sensus (tactum intellige) omnibus animalibus inest, ut conservari possint, quia per tactum alia fugiunt, alia capiunt: *text. 63.* Cum *tactu* conjungitur *gustus*, undè hi duo sensus necessarii sunt simpliciter: reliqui verò tantùm vitam animalis meliorem faciunt: *text. 64.* Dantur enim, non tàm ob necessitatem, quàm utilitatem, ut animal ea, quæ procul sunt, percipere possit, unde eorum objecta per externa media deprehenduntur: *text. 65.* Ex his perspicuum est, *quale debeat esse corpus animalis*; scilicet non simplex, sed *mixtum* (sub intellige *organicum*, ut supra demonstratum est,) quod ut diximus, ex solo tactu deprehenditur, cujus instrumentum mediocritatem & temperationem requirit, quæ in compositis tantùm conspicitur: *text. 66.* Hinc patet animalia necessariò mori, cum solo sensu tactûs privantur: quia

*Cap. XII. Arist.*

*An corpus aliquod mentem absque sensu habere possit?*

*Cap. 13. Arist. Corpus animalis quale debeat esse.*

quia non potest fieri, ut non animal hunc sensum habeat: *text.67.* Undè exuperationes tangibilium, ut calidorum, frigidorum &c. corrumpunt animal: hunc igitur animal habet, *ut sit*, cæteros verò sensus obtinet, *ut benè sit: text. 68.* Hæc *Aristoteles in fine libri generatim de facultatibus animæ* proponit, ut breviter quoque recolligat ea, quæ in præcedentibus hactenus determinata sunt.

Ita hactenus, pro ratione præsentis nostri instituti verbis manifestis & planis (quod præcipuum docentis officium est,) *totam Philosophiam naturalem* tàm *generaliter*, quàm *specialiter* consideratam, proposuimus, ubi in postrema sectione, propter præstantiam, necessitatem atque utilitatem *doctrinæ de anima* copiosiores fuimus, ut ita non tantùm Physica, ut aliàs traditur, sed etiam *libellus de anima*, non corticitenus, sed radicitus, & fundamentaliter ab auditoribus intelligi possit.

Tandem igitur nihil superest, nisi ut opusculum physicum, Dei beneficio feliciter inceptum ejusdem quoque gratiâ verbis Psalmistæ, concludamus: *Quam magnifica sunt Opera Tua DOMINE: Vir stultus hoc non intelligit, & stupidus hoc non animadvertit.*

# F I N I S.

# ORATIO FUNEBRIS,

*Quâ*

GREGORIO HORSTIO, ARCHIATRO ULMENSI,

*Parentavit*

D. JOHAN-DANIEL Dieterich/ GENEROSISSIMI Herois, Dn. Gustavi Horns, &c. Campi Marschalli Suetici, &c. pridem Medicus Castrensis, nunc Reip. Ulmensis Physicus.

*ULMÆ*

In Auditorio Majori

*XI. Calend. Octobris*

ANNO CHRISTI M. DC. XXXVI.

---

# DIRECTOR,

ET

## CONSILIUM GYMNASII ULMENSIS,

*Opt. Art. Præfectis, Studiosis, totique adeò Scholasticæ Juventuti S.*

De miserâ Vitæ humanæ conditione, non tantùm Sancti Dei homines protestati sunt: verùm etiam saniorum Ethnicorum voces, in literas relatæ, supersunt, quæ miserrimam illam, & vel bestiarum sorte, (quod sano sensu acceperis) abjectiorem diffamant. Audiebat aliquando Socrates Athenis in Theatro, Euripideum illud pronunciari, quod latinè sic sonat:

*Vox nulla tàm molesta proferri potest,*
*Nullus dolor, nullum à Deo invectum malum,*
*Cujus genus nostrum haud gravetur pondere.*

Hâc sententia ita commotus est vir, vel Oraculo judicatus Sapientissimus, ut surgens, altâ voce histrionem inclamaret, versusque modò editos repetere juberet. Sunt sanè aurei verè, suoque autore dignissimi illi, & omninò βιωφελεῖ: quos communis experientia nunquam fefellisse convincit. In hominem omnia tenduntur fortunæ tela: excipit is omnes adversitatum ictus. Tum, ubi modò firmiùs, hilariusque incedere visus est, levi impulsu vestigio excidit: quòdque solùm plantâ modò presserat, jam toto trunco postratus, anhelus, ad modulum corpusculi, lineis distinguit. Objicit nobis dictorum exemplum spectatissimum. Nobilis, Excellentissimus, consummatæque doctrinæ ac usus, Virtutis & humanitatis, Dn. GREGORIUS HORSTIUS, Medicinarum Doctor, Consiliarius Hassiacus, Reip. nostræ Physicus, Collegiique Med. Antistes meritissimus. Is enim posteaquam secunda, quæ vocant, explêsset vota, (id quod proximè supe-

superioris anni Menſe Junio peractum: jamque conjugalem lineam ex animi ſententiâ duceret, amantiſſimè ab amantiſſima marita habitus, domique ac foris felix, optatâ εὐπραξίᾳ gauderet: ecce! malo arthritico, quod multò antè non ſemel fortiter ſuſtinendo repulerat, invaditur: nec defuit comitatus aliorum ſymptomatum, imprimis ἀνορεξίας. Undè naturalia paulatim, & vitalia deficere cœperunt. Cæterum, quas Animales dicunt vires, eas tàm vegetas, tàm expeditas ſervavit: ut divinis & humanis cogitandis, enunciandiſque uſque ad ultimam vitæ incitam actus, ſufficeret. Succubuit nihilominus tandem Medentum alpha, inter Medentum curas, & miniſteria, & placidiſſimè animam ſuam Conditori Summo, in æterno Beatorum Concilio, fovendam reddidit. Hæc eſt Cataſtrophe Maximi Viri! Nam de reliquis vitæ actibus quæ exponenda hîc forent, plagulæ chartaceæ anguſtia non capit. Neque deerunt (ſumus certiſſimi:) digni præcones; quorum alius aliud curriculi illius membrum efferet: omnia unus vix poterit. Nempe duo de LX. annos exegit: quod ſatis quidem longum vivendi ſpatium videatur, ſi ultimæ hujus ætatis penſitaveris ἀῤῥωστίαν: veruntamen breve quis dixerit, ad immenſitatem gloriæ, famæque reſpiciens. Clarus quippe fuit natalium nomine: Ortus ex *Myſis Torgæ*, Patre cognomine, Senatore ibi ac Ædili: Matre *Bornitiæ* gentis, *Annâ*. Quod decus, ut & plurima alia HORSTIAS *Hebenſtreittiana* ſtudioſè depinxit. Studia literarum ac Pietatis *in patriâ* primum: inde *Halberſtadii*: ulterius *Ilfeldæ* (ubi doctrina & virtus eminebat *Neandri*:) excoluit; Humanitatis illa, linguarum ſcilicet Poëſeos, & dulciſſimarum artium. Suſcepit deindè pleno gradu pergentem, *Helmſtadium*: poſtidea *Witteberga*: quibus in Lyceis cum Philoſophiæ ſublimia, tùm Medicinæ oracula imbibit: *Laurum* verò *Philoſophicam Doctoralem* ſpecimina privatæ inſtitutionis dexterrimæ, ipſi in *Leucorea* pepererunt. Hinc Apodemicæ ſeſe expoſuit, & pulcerrimum circulum peragrando, nobiliſſimarum regionum (nominatim *Auſtriæ*) Dynaſtis, populiſque innotuit. Adivit etiam *Alſatiam*, & *Helvetios*, excurrens ad *Gebennenſes* uſque Mox *Baſileam* adiens, quod ſummum in vitâ exoptare poterat, veréque χρυσῶν ἀνάθημα, DOCTURÆ *Medicæ* Inſignibus ibidem exornatur: quod factum Anno cIↃ. IↃc. VI. Protinùs ab *Electore Saxon. Wittebergam* vocatus, functionem ſpectatiſſimam alii cedere non dubitavit. *Soltquellam* contrà migrare debuit: ivit; Anno VII. *Gieſſam* concedere: eò venit, Anno VIII. Profeſſor iſtic honoratiſſimus: in Magiſtratu etiam Magnificus. Anno IX. Principi ſuo familiarior, *Archiater* audit: illumque quaquaverſum fidus Miniſter ſequitur. Interea & maritalem conditionem exoſculatus, HEDWIGEN STAMMIAM, Virginem lectiſſimam confarreatione ſibi ſacroſanctâ copulat: idque Anno XV. Anno denique XXII. ab *Ulmâ* noſtrâ ferventibus votis expetitus honeſtiſſimè excipitur, *Medicoque Corpori Director* præficitur. Hic eum ſe præſtitit, ut intra Urbem ſummis & infimis: extrà toti *Alemaniæ*, *Franconiæ*, *Bavariæ*, *Norico*, *Horſtiano nomine* nihil prædicatum fuerit nobilius. De divinæ Artis dexteritate: de dulciſſima ὁμιλίᾳ, & converſatione, cujus ſenſus in nobis omnibus recentiſſimè palpitat: de placidiſſimâ, & planè ἠθικῇ morum compoſitione, omnis acerbitatis experte: de Conſiliorum in durioribus & periculoſis caſibus εὐποϱίᾳ, de aliis omnibus verè τετραγώνου Medici, Philoſophi, Inquilini, Chriſtiani, attributis, verboſi eſſe, ſi ſynopticum hoc inſtitutum permitteret, cur detrectaremus? cùm vix vici Urbis, ædes & conclavia decumbentium à ſuſpiriis, & querulis vocibus ſibi temperare poſſe videantur. Quid ſtatuemus de defuncti *Liberis*, numero VI? de quibus tres filii inter Peregrinos hodiè degunt: ſed omnes parentum indolem referre partim ſatagent, partim jam hoc agunt. *Scripta* verò & monimenta aurea, alia edita, alia effecta, totius Germaniæ, neque non Italiæ, Galliæ, aliarumque Chriſtiani Orbis terrarum Ingenia conſummata æſtimabunt; quorum omnium unum extabit ſuffragium: HORSTIUM Ulmanorum fuiſſe ΜΙΜΗΜΑ ΔΑΙΜΟΝΙΟΝ. Tantùm itaque decus amiſimus; ſed revera ad cœlos meliore ſenſu amiſimus. Vivat ibi Animula, divinarum & humanarum rerum cognitione apud nos abundantiſſima! Veſtrum eſt, Corporis exuviis honorem habere ultimum. Deducite ergò deinceps, (horam, locumque habetis cognitum) ſummâ cum veneratione tantorum donorum diverſorium, tàm πολυπρεπὲς σχῆμα in literatorum coronâ: & humanæ memores ξυμφορῆς. RECTE VIVERE ſtudete, Servi Dei, Miniſtri mortalium, veræ ſtudete, Servi Dei, Miniſtri mortalium, veræ laudis, adminiculo καλοκαγαθίας inculpatæ, adipiſcendæ cupientes. Ita vos cœleſtis Prothymia, σχεδὸν ἵλεως faciat: & tandem æternæ felicitatis participes! Amen.

P. P. XII. Auguſti, ANNO Ultimæ DEI μακροθυμίας cIↃ. IↃc. XXXVI.

# DIRECTOR

*Et*

# CONSILIUM GYMNASII ULMENSIS.

LAudandi defunctos consuetudinem non tantùm gentes humanitate politiores probaverunt, verùm etiam barbaræ facto ipso asciverunt. De Ægyptiis consulenda est Diodori Bibliotheca, Græci tamen Romanis seriùs Encomia, legitimis funeris ritibus, addiderunt, si Dionysio credimus. Quòd si huic etiam in alia quadam re fidem habuerimus: profectò morem funebris laudationis apud istos prudentiùs, quàm apud illos constitutum deprehendemus. Attici quippè ex unicâ ferè virtute laudes Popularium metiebantur: Si quis nimirum fortiter agendo, & patiendo, pro Patriâ occubuisset: Romani verò viris cùm togata, tùm bellicâ virtute, tùm etiam aliis in Remp. meritis insignibus, honorem postremum habebant. Quanquam non solùm in Exequiis præstantium Virorum facta, dictaque verbis ornabantur; verum etiam ἐν τοῖς κώμοις, in conviviis; indeque nata Encomii vox. Res autem ipsa non Græcis solis, sed & populo Dei usurpata, de illis apud Athenæum; de hoc in Davidica inprimis Historia claræ extant expositiones. Cur autem actui hujusmodi, curæque (τὰ κήδη,) susceptæ fuerint, quis, nisi fungus, ignorat? Concurrunt ad illas ratio Justitiæ διανεμητικῆς, tùm officii παραινετικοῦ, καὶ παραδειγματικοῦ; denique muneris τοῦ συμπαθητικοῦ. Quid enim justius, quàm laudare laudem meritos? Quid dignius, quàm exemplis cùm universos, tùm imprimis juventutem constantibus corroborare? Quid tandem humanius, quàm mœstos solari, editâ significatione doloris communis? Et huic fini Hierarchia, inprimis Scholastica servire consuevit. Præter enim operam, etiam in vulgus notam, ejusque captui commodantem, qualis in Ecclesia adhiberi solet, polito insuper, adeòque literato hominum generi Imagines celebriores, adhuc proponere, non dubitavit. Id quod vel in nostro Ludo summâ religione observari vidimus: & observandum fuisse in PARENTATIONE HORSTIANA (proh! quantum indigitamus virum! quo de nihil tàm amplum, tàm eximium dici poterit, quin idem virtute sit suâ supergressus:) pereleganter edocebit Præcellenti doctrinâ, virtute ac usu Spectatiss. Vir, Dn. D. JOH. DANIEL Dieterich, Perillustris & Fortissimi Dn. Generalis Sueticar. partium Campi Mareschalli, *Dn. Gustavi Hornii*, &c. pridem Medicus Consiliarius Castrensis, amicus noster dilectus. Neque hoc officit Professioni, aut propinquitati tantùm existimavit præstandum: pietas virum hûc attraxit, studiumque Heroi Incomparibili postremi honoris justa exolvendi. Verba itaque faciet, quantum permiserit temporis, atque præsentium ratio, vel (ut ἐν ζητήσεως τρόπῳ ex Polybio proponere liceat:) λέξει περὶ τετελευτηκότος τὰς ΑΡΕΤΑΣ, καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν ΠΡΑΞΕΙΣ Nihil autem dubitationis habemus, quin, quotquot accesseritis ad μνημονικίαν nostram, vix audito Magni HORSTII nomine, videre visuri sitis Erectam Viri Medici & Philosophi τετραγώνου Figuram: in eandemque intuentes, præconiumque simul auribus percipientes, exclamaturi: Utinam conclamatus ad nos reverti posset! Verùm vota hæc à spe & usu humano aliena sunt. Magis est, ut conditionis communis memores, præterita ne negligamus: de præsentibus σωφρονοῦντες μᾶλλον, ἢ πολυπραγμονοῦντες agamus: futura autem nunquam ex oculis mentis dilabi sinamus. Hæc, ô benevoli LECTORUM, trutinantes, & HORSTIUM ipsum, & ejus Studiosissimum nervosúmque Præconem; utrumque debito prosequemini officio: nos præterea beneficio; cui paria facere, ubi ubi opportunitas fuerit data magno studio annitemur. Valete. P. P. Festo Matthæi, Anno R. O. cIↄ. Iↄc. XXXVI.

Domi-

*DOmine Deus, irâ tuâ deficimus, & fervente indignatione tuâ terremur: iniquitates nostras in conspectum collocasti tuum, occulta nostra in lumen faciei tuæ. Nam cuncti dies nostri te irascente dilabuntur, annos nostros finimus dicto citius. Sed quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Liceat mihi, *Auditores omnium ordinum admodùm Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, Venerandi, Consultissimi, Experientissimi, Humanissimi!* Liceat, inquam, mihi iisdem verbis judiciorum Divinorum admirari magnitudinem, quibus vir ille, divinæ familiaritatis, Moses, humanæ vitæ miseriam deplorabat, ex eo, quod peccatis Populi lacessitus Jehovah, Israelitarum multas myriades è medio sustulerat. Quanquam enim hoc ipso decrepito nostro tempore, non tantæ sævitiæ δείγματα præstò sunt; nec tàm exiguo temporis cursu, tot millia eripiuntur: sævus tamen Mars, à longo jam dulcissimam Patriam Germaniam perreptans, solùm ab Anno Millesimo Sexcentesimo octavo, ad Millesimum Sexcentesimum quartum & vicesimum, attestante Chronologo Alstedio, octoginta millia Militum atrocissimo suo acinace trucidavit. Nec minùs extra Militis jacturam ubique.

> *Mista Senum ac Juvenum densantur funera; nullum*
> *Sæva caput Proserpina fugit.*

Nec de fæce duntaxat hominum agmina fatis perfunguntur: sed Curia suos leget; huic siquidem Magistratui Ulmico, quis ingentes columnas, aliaque florentia virentiaque Germina hactenus direpta, & prostrata non vidit? mœret Ecclesia Dei: cujus verè militantis Fulcimenta, Theologos adhuc dùm vigentes, Deus benignissimè conservet. Totæ Regiones & amplæ civitates confectæ senio sunt. Et quid non præterea? Forum Medicum, optimum & fidissimum ἐπιστάτην *Gregorium Horstium*, virum quà Scripta, quà Practica beneficia, de hac nostra Republicâ, ecquid dico de hac Republicâ? tota de Germaniâ meritissimum, notissimum lamentatur. Quis itaque cum Mose non jure exclamet, *Domine Deus irâ tuâ deficimus, & fervente indignatione tuâ terremur: iniquitates nostras in conspectum tuum collocasti, occulta nostra in lumen faciei tuæ. Nam cuncti dies nostri te irascente dilabuntur, annos nostros finimus dicto citius. Sed quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

Quandoquidem autem, optimo veterum instituto, obtinet, ut præcellentium atque diviniori quâdam mente præditorum virorum funera, laudatione solenni cohonestentur: id in celebratissimi *Horstii nostri* funesto funere, in isto omnium laudandarum artium publico Athenæo neglectum iri, inhumanum, & penè nefas arbitrabar. Non, quod me, facundiæ vacuo, laudum præcone indigeat: siquidem superstes adhucdùm, communi omnium calculo Ennianum illud dicere de se poterat,

> *Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu*
> *Faxit. Cur? volito vivus per ora virûm:*

Sed ne in Beatum Dn. Affinem meum, quem vivum, Medicæ familiæ Coryphæum veneratus sum, ingratus; neve populo Judaico à Deo illatam incurrere videar reprehensionem: *Justus perit, neque quisquam hoc in corde reponit, homines benefici tolluntur, & nemo est, qui expendat.*

Si autem luctus vester, Auditores, vehementissimus, in quem vos *Horstii nostri* insperatus excessus præcipitavit, mollia & ad amussim exquisita verba desideraret; aut si deceret eos, quos summæ tristitiæ sensus occupavit, ad suavem aliquem sermonis adparatum mentes erigere: non ego me vobis ostensum, Cathedram hanc conscendissem. Alia enim quæ tracto Studia, perrarò mihi in hæc amœniora digressum permittunt; nec me unquam ad cultum Eloquentiæ ursit conditio vitæ, adeoque, ut si vos ex tristitiæ situ squaloreque expergisceremini, mihi cum dedecore discedendum foret, qui jam vix cum rubore consisto. Verùm interim oro vos, obtestorque Auditores, per manes Defuncti nostri: ut cujus inaccessam nullus non admiratus est virtutem, ejus vitæ seriem & gloriæ curriculum æquo animo audiatis.

Qui de arte dicendi præcipiunt, vetant eorum, quos laudandos suscepimus, patriam, & προγόνους præterire, quod Parentum Majorumque virtus velut è fonte ducta, clarior actiorque ad Posteros emanet. Alii non parum momenti situm esse autumant in illo terræ sinu, in quo orti, in quem excepti sunt, ubi primùm hausere cœlum; cùm, ut Simonides dicebat, beatè perfecta ratione victuro, ante alia Patriam convenit esse gloriosam. Hanc tamen ego legem mihi insuper habendam duxi: quod laudabilius videatur sibi ipsi parere, quam ab aliis per manus & quasi tralatitium accipere nominis splendorem, quem illi jactare solent magnificè, qui in alienæ lucis objectu aut suas tenebras dissimulant, aut turpitudinem verentur. Concrorum genus est minimorum, quos Pinnotheras Plinius vocat; isti, quò tutiores sint, inanium ostrearum testis se condunt, & cùm accreverunt, migrant in capaciores: Ita quidam majorum suorum titulis se tuentur, cùm suis propiis diffidant virtutibus, & à fortunâ petunt, quod circa se non inveniunt, quæ fatuo ut plurimum delectu in eum munificentior, qui improbior. Neque id tamen à me propterea dici velim, quasi Defunctus noster ignobili Patriâ ortus, aut obscuro genere natus sit. Quid enim? an Saxoniam, illam Martialis populi altricem humum, an Misniam Germaniæ nostræ cellam penuariam, laudibus extollant? an de Jacobo, *Nostri* Patruo, dicam, Medico olim consummatissimo, Professore Helmstadiensi celebratissimo? an Parentem Georgium laudabo, Senatorem & Ædilem olim Reipublicæ Torgensis meritissimum, hominem prisci illius ævi, sine cerussa aut similagine hujus seculi? possem equidem, & quidem copiosè: cùm hic, majorem se, filium

*Defuncti Pater.*

filium genuerit. Sed multò magis hominem æſtimamus ab iis, quæ in ipſo, quàm extra ipſum ſunt: quæ in poteſtate noſtrâ nec ſunt nec fuerunt, ita plerumque cœco novercantis fortunæ arbitrio diſpenſantur. Quapropter ſuſpenſis his omnibus, Medicum noſtrum, cenſu ſuo divitem, intueamur, & quam in hâc vitæ fabula perſonam egerit, contemplemur.

*Nativitas, 1578.*

Bono itaque publico natus eſt *Gregorius Horſtius*, Torgæ, amœno & pervetuſto ad Albim Oppido; quod Dagoberto incunabula & fundationem ſuam debet; Anno æræ Chriſtianæ Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Octavo, ex Matre (Patrem enim jam diximus:) de antiquâ *Bornitiorum* familiâ, *Jacobi Bornitii* p. m. civis Torgenſis Primarii, filiâ.

*Mater.*

Vix autem crepundiis valedixerat, literarum tamen rudimentis, quarum capax tenella ætas eſſe ſolet, patrio in Ludo prius hauſtis, cùm illum parentes ad *Gymnaſium Göttingenſe* ablegarunt, ut ejus ibi in formes anni, ulteriori literarum ſtudio, imbuerentur, primoſque humanitatis rivos delibarent: ubi biennio verſatus, ad Scholam *Halberſtadenſem* mittitur, fideique ſui Patrui, venerandi Senis p. m. concreditur.

*Educatio, 1591.*

*1593.*

*Studia Adoleſcentiæ.*

Hic præclari ingenii Adoleſcentulus, in diſciplinarum incude poſitus, eos ſub ductu Præceptorum fecit pogreſſus; ut celeriter coœtaneos ſuos ingenii gloriâ antecelleret, & ſumto calidè Muſæo paſtu ad maturitatem judicii accelerarét, feſtinâque indole multorum vota præcurreret. Quare promotione & ſuaſu modò dicti Patrui ſui, ſagacis ingeniorum æſtimatoris, in illuſtre *Ilfeldenſe* Collegium cooptatur; ubi pari ſedulitatis intentione ingenium magis magiſque excolens, primò omninm Linguarum uſu principum, Græcæ, Latinæ, nec minus Poëſeos hauſit opes, & ad amuſſim melioris illius ævi exegit, & perpolivit. Hinc illius jam capax virtutis, quâ olim Romæ Toga Pura dati ſolebat, Anno Milleſimo, Quingenteſimo, Septimo & Nonageſimo in *Academiam Juliam* conceſſit: ubi cùm in primâ jam limaturâ Philoſophiæ & Medicinæ poſitus eſſet, quadriennii ſpatio ferè elapſo *Wittebergam* fauſto pede adiit: Nam ut Plantæ interdum ſi transferantur, felicius ſurgunt; ita Ingenia excelſa plerumque migrant cum fructu de Lyceo in Lyceum.

*Excurſus in Academias Juliam 1597.*

*Witteber-gam 1660.*

In his verò Academiis ita verſatus eſt, ut, quod olim in ſacris, & ludis ſolemnibus populo acclamabatur: *Hoc Age*; ſibi, qui ſacris Muſarum & ludo literario intereſſet, acclamari unicè crediderit. Cùm enim ſe, & Studia ſua Divinæ Medicinæ deſtinaret, noluit peccare quod ferè ſolent, peccatum, maxumo ſuo malo, ut illotis manibus ſacratiſſimam illam Artem contrectaret, ſed os prius linguis neceſſariis, pectuſque traditis Artium, & Philoſophiæ ita inſtruxit, (adſit hic teſtimoniorum Cornu, *Laurea Magiſterii*, Wittebergæ meritò lubenterque ſibi à Concilio Philoſophorum collata; hanc mox ſubſequuta *Collegia Philoſophica*, cum laude eximiâ ibidem actitata, in quibus incunabula futuri nominis glorioſi, Inſtitutiones Logicas, poſtmodùm typis exſcriptas, poſuit, & firmavit:) ut dein meliore auſpicio eminentiſſimam illam Profeſſionem adfectaret, feliciuſque deinceps in eadem verſaretur.

*Laurus Philoſophica.*

Feliciùs dico, quam modernorum Jatrices Studioſorum plurimi, & amœniores literas & Philoſophiæ cultum partim pro febriculoſi ingenii oblectamento, partim pro mutili omninò, neque nebulæ cyatho redimenda curioſitate habentes, quaſi non ſint de pane lucrando; Qui, ubi primùm de Hippocrate, & Galeno, Præceptoribus noſtris communibus, καὶ τοῖς πάνυ, certiores facti ſunt, credunt ſe jam in alium orbem delatos, imò cum ſuperis nectar bibere: mox θεραπείας deſcriptionis varias, in quibus neſcio quos aureos Picorum montes contineri Blenni & Bardi iſti ſomniant, hinc indè corradunt, & ad unguem memoriæ infigunt, quas dein, ut & Senis noſtri Aphoriſmos, haud intellectos, fervidè uno ſpiritu citant, & recitant, extemplò doctoratus Medici βραβεῖον ſitientes, ambientes, imò publicis in theſibus, crudo ex judicio, & Priſcorum & Neotericorum Præclariſſ. Medicorum ſententias perſtringentes & frigidè taxantes. Quo tandem id efficiunt, ut in immenſo Jatrices illo Oceano miſerè fluctuent, & cum Petroniano piſcatore, ſine ſpe prædæ, in ſcopulo morentur, ingloriamque gloriationem ſuam doctioribus deridendam exponant. Verùm è diverticulo in viam. Cùm in Academia illa Wittebergenſi non tàm Philoſophiæ, quàm Medicinæ ſtudio uſque adeò incumberet, ut difficilima quæque in abſtruſis rerum latibulis, & abſconditis naturæ receſſibus demerſa, curioſâ Ingenii acritudine, felici ſenſus perſpicaciâ, ſingulari mentis acie, verſaſſet, Praxeos quoque nomine jam ſatis benè inclaruiſſet, ibidemque ſatis diu manſiſſe ſibi videretur, (Septennium enim ibi fermè exegit:) ad Peregrinationes animum adjiciens ulteriore Praxeos ſtimulo impulſus, Wittebergâ ad peregrinos excucurrit Lares; qui etiam illum ſuperiori in Auſtria integrum ferè Biennium ambabus ulnis detinuerunt; nec minus apud Barones, Primates, Nobiles & Plebeios feliciſſimum & innoteſcentiſſimum Medicum Practicum ibidem viderunt, & foverunt.

*ad Exteras Regiones 1604.*

O felicem Horſtium, qui, quod in rem ſuam, inque Rempublicam & Literariam & Civicam futurum eſſe, acquiſivit, judicium firmavit, atque ita ex varia rerum notitia Praxin ſuam virentem rigare, ei aliquid ipſe addere, famamque ſuam monimentis hisce literariis per Orbem extendere voluit. Ex hâc itaque peregrinatione id reportavit *Noſter Horſtius*, ut felicitate Praxeos velut indiviſi Achatis, lætus, excurſionem continuando, utramque *Auſtriam*, tùm *Bavariam*, *Sueviam*, *Alſatiam*, *Helvetiam* tranſierit, harumque Regionum moribus dextrè obſervatis *Genevam*, (hîc exigua mora illius animum linguâ Gallicâ expolive-rat,) tandemque in pervetuſtam, & celebrem illam Rauracorum Academiam *Balſileam* ſe reciperet; ubi, cùm ingens divinæ Artis Pœoniæ ſpatium legitimè emenſus, & ſecundo curſu in portum delatus eſſet, ſummos in eâ honores, publico teſtimonio, promeruit, retulitque, quos ſanè omnium ſtudia, & affectus jamdudum illi tribuebant.

*Scopus Peregrationis.*

*Doctura Medica Inſignia. 1606. D. 28. Martii.*

En Auditores, uberrimum peregrinationis, bonis avi-

avibus institutæ, fructum! alienissimum profectò illum, à præsentis ævi Peregrinantium instituto, qui, etsi insanientem Bosphorum, & arentes arenas Assyrii Maris tentent, horum tamen morbus, palmaria quæque ridens, nil præter olentes illas Antiquitates indagare solet, ubi locorum Apicii Culinæ? ubi Messalinæ Fornix? ubi Apollo Luculli? cujas equus Curtius? & quod innutritum quasi, Vinumnè Falernum chio sapidius? & talia tricarum & apinarum alia multa.

*Reditus in in Patriam 1609.*

Sed quid indè *Gregorius noster* celsioris Numinis compos factus? pergit ille coronâ Medicâ exsplendescens in Patriam; ubi Coronationis illius propriô virtutum stimulô partæ fulgorem, & mente & manu latius protendere, inque posteritatem transferre pleno cursu anhelans festinat. Quod desiderium optimè etiam cessit. A Nativo enim receptus osculoque exceptus solo simul fuit. Fama Horstiana apud Saxones ante-parta, novari incipit; Ejusdem enim anni sub excursum, à Serenissimo Electore & Duce Saxoniæ *Christiano II.* Wittebergam in Professorum Medicorum numerum allectus est; quo in munere ita stetit, ut omnes labores Academicos, cum quadam voluptate & alacritate animi subiret, pensum suum probè accuraret, non modò pro Cathedrâ voce, sed domi etiam calamo calidè res suas exequeretur; cujus rei fidissimum pignus, Nobiles illius, de Natura Humana Exercitationes, ibidem primùm publici juris factæ, largiuntur. Hic singularis in officio candor, judiciique vigor prosperè ipsi vertit, auresque hominum & famæ patefecit. Inclyti enim Proceres & Nobiles elapso annuo spatio, eum Soltquellam Veteris Marchiæ Brandenburgicæ, Medicum ordinarium expetierunt, quò etiam advolitans, ita præclarè provinciam sui muneris sustinuit, ut illam non subiisse, sed omnibus numeris implevisse meritò diceretur. Sed quid fit? Medicus noster hac suâ sorte contentus, ex arcanâ cœlistis providentiæ dispositione, ab *Illustrissimo Hassiæ Landgravio Ludovico*, (quem consentiens famæ calculus Fidelitatis titulo decoravit,) non contemnendo salario proposito evocatur, in Academiâ Ludoviciana Medici Professoris titulo cohonestandus. Quod præillustre Ludovici judicium egregiam meretur laudem, quam & *noster*, quia merebatur, accepit, vicissimque plenâ manu Conferenti bona sua reddidit, Academiam Novam & Musarum & Gratiarum suarum uberrimo proventu copiosiorem, illustriorem, & clariorem reddendo. Dubium esse non poterat, Illustrissimum Ludovicum plurimis virtutibus instar sideris coruscare, qui alienas raro exemplo inquireret ultrò, atque ad se traheret. Hîc ergò *Medicus Horstius* anteactos, & aliquà suspensos Professorios labores repetens, ampliorem materiam virtutum suarum ad posteritatem transmittere; Hîc ulterius trophæum de perfecta sua Jatrices eruditione statuere pergit. Hoc enim à tempore, quà voce, quà calamo, quà privatim, quà pro Cathedra, partes indefessi Medici Professoris executus est omnes, id operæ sibi unicè dari credens, ut fidem in officio erga Studiosam Juventutem ex amussim demonstraret. Quam ipsam etiam adeò feliciter locavit, uti plurimi insigniores rivuli, medicâ scatentes arte, totam in Europam ab ipso tanquam perenni fonte derivati, atque velut proba materia probum atteftati sunt artificem. Longè ergò diversus hic à valetudinario illorum Professorum, qui præsentis nostri seculi Studentes neque fide, neque arte adjutos, cum logis fictis sesquipedalibus commentitiis, omni virtutum dote vocuos ad Parentes remittunt, modò interim illi hydropicas istorum rediderint crumenas. Porrò *Medicus noster Professor* de obscuris perspicuè, de dubiis accuratè disserebat, scribebat. Versantur illius Libri, tunc equidem temporis scripti, in luce famæ publicæ, qui velut germamana pignora, virtutem Authoris sui testantur. Edidit enim Anno 1609. accuratissimam universę ἰατρικῆς elaborationem, locis Galenicis & Hippocraticis illustratam (mox insequenti Anno) pernecessariam Centuriam problematum θεραπευτικῶν; his accessit Anno 1612. nervosa ἐξέτασις παθολογικὴ: Libri item duo de Natura humana, denuò incudi redditi, quibus ut & aliis, paulò post recensendis, monumentis ad unguem factis, non tàm Rem literariam, quam Publicum optimum, sibi maximè obligavit. Unum quippe hoc dies noctesque intendit, ut Medicinam agendo, docendo, altioris famæ fastigium solidius constitueret. Undè ut publicum lumen mundi Sol, cùm recenti manè radiis suis promicat, eorum luce angustissimas quasque rimas trajicit: Ita *Horstiani* luminis fulgor non ad inferiores duntaxat, sed & intra laqueata Principum tecta lucis suæ radios immisit: qui cùm in oculos quoque Illustrissimi Ludovici incurrerent, eum etiam non sine locuplete honoratæ virtutis puncto, Archiatrum suum Princeps Celsissimus constituit. Quantâ porrò apud Serenissima Hessorum lumina aliosque Magnates, Satrapas, & Nobiles (qui omnes & singuli à consiliis ipsius medicis pendebant,) gratia polluerit, ex conferto numero illustrium & nobilium Curarum (quarum recensio Librum requireret, nedum horæ unius angustiam, cujus ego cancellis arctissimè sum circumseptus.) ex Itineribus item illustribus. Pragam, Coloniam, Erphordiam, ad Comitia Ratisbonensia, quo laudatissimus modò dictus Ludovicus concessit, publica in operâ institutis, ubi tam Medicus, quàm gratiosus & acceptatus comes fuit, liquidum existit. Non dicam jam de Numismatis gratiosis variis, à Principibus & Magnatibus ipsi oblatis; quæ non nisi in benè merentes & gratiosos transferri novimus.

*Munia Publica, Professor Medicus Witteberga 1606.*

*Medicus Soltquell. sub finem anni 1607.*

*Professor Medicus Giessa. 1608.*

*Scripta.*

*Archiater Hassiacu audit 1609.*

*1610. 1611. 1613.*

Verùm enim verò publicis hoc modo feliciter procuratis, Archiatro nostro Hassiaco solitariæ vitæ pertæso, sibi privato quoque invigilare curatio fuit. Igitur vel tandem animum ad conjugium adpulit, exemploque suô vetus illud Euripidis comprobavit: *Fatalem viro fœminaque torum esse.* Itaque ex Academia, cujus jam per Quinquennium Professor erat, sibi Conjugem elegit. Nimirum & morum & virtutum & formæ ornamentis consp[i]cuam, lectissimamque vir-

*Sacra jugalia prima 1615.*

virginem, *Hedwigen*, viri integritatis famâ præcellentissimi, *Danielis Stammii*, p. m. Quæstoris Giessensis, Filiam: quod factum Anno 1615. d. Decemb. 4. quo ipso die, ante annos Sexaginta Octo, mortalitatem explevit Johan. Schneidwein, fulgentissimum illud Jurisprudentiæ Sidus. Huic optimæ consorti suæ, dum fata Deusque sinebant, ex veteri formula felicissimè convixit, & optimè cohabitavit. Quid autem hic Archiater noster gloriosus, concessit ne illorum in numerum, qui blandâ venere detenti, omnem Musis remittunt nuntium? Nullatenus, sed potiùs domesticis privatisque omnibus scitè adornatis, famæ suæ gloriam & calamô, & ore, & Praxi expandere, & diffundere satagit.

Qui circa naturæ arcana occupantur, tradunt, non retibus, aut venabulis, sed speculô duntaxat Tigrides capi; quæ ita in medio viarum eriguntur, ut oriens ex adverso Sol, suos in ea radios projiciendo, alterum velut Solem producat. Ad hæc specula cùm maculosæ istæ adrepunt ferè, in iisque solem alium, & seipsas juxtà intuentur, quasi illaqueatæ subsistunt, nulloque negotiô capiuntur. Non absimili modo studiosam juventutem medica in via deerrantem, laqueis medicô rore madefactis irretire voluit Archiater, noster ille Venator scitissimus: cui Philosophiæ & Diis genitæ artis Machaoniæ speculum, ex magno Scriptorum suorum proventu concinnatum: Perspectum dico Tractatum de tuenda sanitate studiosorum & literatorum, sæpius recusum, objecit, qui non modo tironibus, sed & doctioribus, provectioribusque viris apprimè saluti & voluptati esse poterit. Exquisitas præterea Ungaricæ luis, Dysenteriæ, Variolarum & Morbillorum enodationes. Libellum de Scorbuto germanicô idiomate scriptum. Conciliatoris porrò eruditam enucleationem. Dissertationes item insigniores Tres; de causis similitudinis & dissimilitudinis in fœtu; de Natura Amoris; de Natura Thermarum. Sic, inquam, studiosæ Juventuti speculum hoc eruditum, nec minus paulò antè enumerata monumenta literaria, opposuit: in quo salutaris Jatrices illa solem, atque adeò seipsam per avia deerrantem contemplaretur: tùm profectò è vestigio subsistit velut incantata, nec minus impolitam mentem omni mellifluo succo indè emanante irrigavit, suoque captatori victas & gratiosas manus porrexit. Cur igitur nostrum consummatæ eruditionis Professorem Medicum hoc nomine non admiremur? qui quos habebat dogmaticorum Consiliorum thesauros, tantâ fidelitate & dexteritate depromsit, idque negotii unicè sibi dari credidit, ne quid his in dictis literariis loqueretur quod tacere; aut quid taceret, quod loqui præstaret: Ludovicianam autem Academiam ita excultam redderet, ut publici boni ratio haberetur, nec Placentiam potiùs quàm Veronam Studiosos ducere videretur.

Ex his itaque videmus, quam satis amplum gloriæ suæ theatrum *Horstius noster* apud Hessos exstruxerit; cujus rumor cùm & ad hanc nostram *Rempublicam Ulmanam*, præcipuè ex ore venerandissimi Domini mei Parentis delatus esset; factum est divinitus, ut Amplissimus Magistratus noster, ab Illustrissimo Hassiæ Landgravio Ludovico, Archiatrum Hassiacum sollicitaret in Ulmicum, quæ sollicitatio etiam ad nutum cedens, & *Horstio*, & Reipublicæ nostræ honoratissima, & utilissima extitit. Quandoquidem ipsissimo tùm temporis eoque severo Martis in tumultu, Excubiis Angelicis, promotione item Reverendissimorum Principum, Abbatis Fuldensis, & Episcopi Herbipolensis (quibus utrisque erat à consiliis Medicis) adjutus Noribergam, hinc pridiè Calendarum Julii Ulmam nostram tam publico Magistratus, quàm privatorum cultu exceptus, feliciter cum suis appulit Archiater noster.

*Archiater Ulmensis. 1622.*

*Hæc est illa dies albo signando lapillo!*

Hæc dies, O Ulma, Perfectissimum, & ad miraculum usque doctum tibi attulit Medicum. Quid enim? antea quidem admirabaris *Fuchsium*, *Rabum*, *Kuchelium*, *Verbezium*, *aliosque* tùm florentes, nunc *Horstium* satis demirari nequis, sed attonitæ naturæ miraculum, & divinæ bonitatis argumentum deoscularis.

Attigit jam oratio mea illud tempus, quo Magnificus noster Archiater virtutis suæ gloriosæ aliud Trophæum nactus, agere partes suas pro authoritate, & eas naturæ dotes quas gloriosè in Hassia effuderat, in lucem conspectumque Reipublicæ Ulmanæ proferre paulatim cœpit: ubi tanta mihi dicendi seges, & materia enascitur, ut vix meditando dispicere possim, quid primùm, quid postremùm dicendum esse videatur. Quæ res tamen orationis cursum non sufflaminabit, sed quomodo & hic decurrerit, paucissimis porrò prosequeremur. Vos quæso, nihil remittite de aurâ vestræ benevolentiæ.

Tria à Sapientibus requiruntur in eo, qui circa Medicinam versatur, quæ qui habet, hôc nec major, nec nobilior, nec perfectior Medicus esse potest. Sunt autem Ea *Virtus*, *Doctrina*, *Felicitas in Praxi*; quæ singula cùm in aliis divisa inveniantur, eadem *Archiater Noster* universa possedit. Ex universo autem Virtutum choro, nulla est comparanda cum animi vera & orthodoxâ Pietate; quam & noster ille à Parentibus acceptam, per omnem vitæ Spiritum, non solum charissimam, arctissimamque incorruptâ mente & voce custodiit: sed eandem pari fide & industria, æquabilique vitæ tenore comprobatam dedit, ut proin hujus verè Lemniscatam, ut Tullius ait, palmam habuerit. Ex hac, ut principe, cùm omnes cæteræ virtutes Sororio quodam vinculo erumpant; illarum age! pompam in brevi contemplemur, in illas non nil & inquiramus. Viris in Medicis palmarem obtinet laudem *Humanitas*, quæ ut nonnunquam rara, ita præ reliquis clara meritò habetur. Hâc virtute *Noster* valdè eximius fuit; atque ab eadem profectò nunquam exorbitavit, sed eam ubique expeditam habuit, promptam ostendit, reapse exercuit. Neminem ille sermone, neminem congressu exclusit. Neminem non amabiliter exceptum lubentiorem reddidit,

*Pietas.*

*Bona animi.*

dit, neminem non bonâ spe perfudit, neminem à se salutarium consiliorum expertem dimisit. Quo ipso non modò totam Civitatem nostram; sed imò Ileram, Lacum Acronicum, Lycum, totum ferè Danubii tractum, Franconiam, Ducatum Wurtembergicum &c. sua ad Consilia Medica allexit: quod ipsum antehac, hactenusque sæpius commeans remeansque Consultantium Turma, nulli non notissima, comprobatum dedit; ubi promiscuè omnes prothymè admittens, & ædes & animum suum, consiliorumque lætificorum verè thesaurum illis largiter aperuit. Hinc etiam factum, ut ab omnium Ordinum choro singulari hâc suâ affabilitate excultus, summâ in existimatione haberetur. Humanitatem hanc ut propriam *Noster* habuit, ita candorem animi in primore fronte gerebat, quem moribus cum maturitate suavibus, cum serietate amœnis egregiè miscuerat. *Candorem* dico non Calliditatem; quâ pars mortalium multò maxima, sub personâ civilis prudentiæ frontem aperit, mentem tegit: Ut vitiis nunc sæpissimè faveamus, & in virtutum nomen, quæ proximæ illis sunt, adoptemus. Sic temeritas interdum pro fortitudine colitur, & superbiam erectæ virilisque indolis titulo admiscemus, transitque fœdæ humilitatis ingenium in humanitatis colorem. Utque margaritarum splendorem vitrum solerter imitari solet; ita ingenuitati admodùm affinem se aliquando præbet simulatio. Quas artes etsi hæc labes temporum *ut sublimibus-natu dignas æstimat*, noster tamen ut fores Plutonias aversabatur. Hanc animi integritatem pulcherrimè exornavit veræ gloriæ seges, Modestia. Cùm enim nonnunquam fieri soleat, ut, quemadmodum egressa ad Solem corpora umbrarum sequitur opacitas, ostentationis periculum eruditionis conscientiæ adhæreat, quod vitium Tinea Sapientiæ appellatur; sanè Archiater noster illud non declinavit solùm; sed rarô exemplô ab ambitione, quæ suprema homini tunica novissimè exuitur, liber agebat. Nimirum hoc ingenuitatis, hoc modestiæ est, à pudore sic deprimi, ut cum plurimis præstes, nulli te anteponas. Ex hac matre soboles nascitur venustissima & amabilissima *Mansuetudo*; quam in eo virtutem adhuc hodie commendare illi sciunt, quos inter amaræ prælia linguæ nonnunquam suborta ipse arbiter scitissimè disrupit, & sopivit. Collegium insuper Medicum ex obitu ipsius tantum non sideratum se profitetur, cui in Directoris Officio, omni comitate & dexteritate præfuit. In Collegas scilicet dum vixit, vixit humanus, in alios facilis & benignus, sic lenis ut non videretur gravis, sic gravis ut non abiret in morosum.

*Integritas.*

*Modestia.*

*Lenitas.*

*Directoris officinm.*

Venio ad alterum Medici requisitum, quod *Doctrinam* esse dixi; quæ quin singularis; quin amussitata, quin admiranda in Defuncto nostro Archiatro fuerit, nisi me animus fallit, aut non dubitatis ipsi, aut ego vobis jam probavi. Unde enim tot utilitatum eximiarum Rivuli, nisi à solidæ Eruditionis fonte? Igitur partem amplius non delibarem, ni adhuc uberior Scriptorum Horstianorum Ulmæ hic editorum fœtus, haud oblivionis in campo detinendus, animum lacesseret. Nimirum observationum Medicinalium Libri duo: Observationum item Pharmaceuticarum utilis Decas: At jam paulo ante obitum Problematum Medicorum τεφαπευλικὰ recocta, cum annexo medicinalium consultationum accurato libro, ut & accessorium posthumum opus Physicum, Numinis alicujus cultu, quâ Praxin quâ Theoriam expolitus.

*Eruditio.*

Sed ad tertium, quod haud omnibus perinde obvenit, sermonis mei vela dirigo, *Felicitatem in praxi.* Ea est Empiricorum, Thalmudicorum & Bullatorum Medicorum indoles & natura, ut murocam suam praxin pro admiranda felicitate venditantes, sæpissimò animos Magnatum & Divitum (utpote hoc censu facile se defraudari patientium) à vero Medicorum vultu: & cultu, abalienent, egregiam spem, & verè prodigiosæ suæ curæ (quippe illâ ipsâ excidium denunciant,) expectationem concitando; qua superstitiosâ, splendidisque strophis suffulta infelicissima felicitate Microcosmum argento simul, & sanguine emungere sceleratissimè norunt; Quibus Plagiariis interim illud Poetæ apprimè adaptari convenit:

*Es Medicus, simul Chirurgus,*
*Cur mittis stygium viros ad Orcum,*
*Et manu simul, & simul veneno:*

Nequaquam autem hujusmodi felicitatis excessum in *Defuncto nostro*, velut absoluto Practici Exemplo, quæremus; quin potius fortunam illius in Praxi integram & illibatam, cumulatissimo rationis & experientiæ instructu partam demirabimur. Quandoquidem in forum practicum progressus, primum notis suis Affectu, Affecti temperie probè cognitis, prognoseos ex fonte prudenter de eventu statuit, tempestivè convenientia egit, remque sic totam gessit, ne quid committeret, quod officio boni Medici repugnare, cujusque non potissimum rationem dare possit domestico suo censori, & animæ pædagogo, conscientiæ. Hinc Accuratissimus hic & aurariâ quasi trutina ponderatus Praxeos Antecessor, *Archiatrum nostrum* non tantum ad arcem felicitatis practicæ evexit, atque in perpetuo illius cursu retinuit, verum etiam illam ipsi subjugavit, imo ipsam usque ad sandapilam individuô comitatu sequutus est; qua de re cum ex innumerorum affectuum deploratorum, inveteratorum, desperatorum felicissimâ Horstiana curâ, nullibi non nota, locupletissimè æstimari liceat, diutius hic non morabor; ni adhuc paucis multa dicam: *Archiatrum nostrum* apud nos tanquam aliquem victorem, imo alterum Alcidem in hac arena ab omnibus habitum fuisse. Pedissequum illius, Consilia Medica, quorum frequens ille & singulare diribitorium fuit, si excutere velimus; ita dilucidè, ita sapienter atque ornatè dixit, scripsitque, ut illa multis ac mirabilibus sapientiæ luminibus & aptissimis rerum coloribus, secretioris diviniorisque Medicinæ thesauris longè latéque illustraret, quasique ex Delphici Oraculi responsis, aut cujuspiam alterius divi numinis afflatu, rem egisse, omnium judicio videretur: propterea, illum in consultandi

*Prosperitas Practicas*

di munere, in auxiliorum delectu, in Morborum occursu plurimis aliis præstitisse meritò existimabimus. Hunc publicæ felicitatis Solem, nullæ domesticæ nubes, sive eas discordia, sive sterilitas inducere solet, obscurarunt: Ex lectissima enim Conjuge superius dictâ, Sex Liberos, omnes adhuc superstites, suscepit. I. Joh. Danielem, *Med. Doctorem.* II. Joh. Georgium, *Med. Studiosum.* III. Annam. IV. Balthasarum, Artis Pharmaceuticæ Studiosum. V. Gregorium, optimæ spei Adolescentulum. VI. Catharinam. Quando autem factum ut Anno 1634. Suavissimam hanc ipsius tori sociam maligna febris deartuaret, in hoc infelix fuit; quod sævam illam declinare nesciens, mense Novembri miseram viduitatem colere fuerit coactus; quâ in cum sex Liberorum Pater & occupatissimo functionis muneri & molestissimæ rei familiaris curæ vix non succumberet, divinâ adlucente gratiâ, ad vota secunda accedens, Præclariss. Medici *Fingerlini*, p. m. relictæ viduæ, matrimonialem addixit fidem, hoc ipso iterum titulo felicitatis privatæ redonatus, quod hæc castissimis illius amoribus mirâ morum amabilitate respondebat; ita ut charitate Conjugem, sedulitate Ministram præstaret: assiduè cum votis suis luctata; ut viri vota officiis & obsequii alacritate prævetteret, ac jugi quodam sinceri affectus certamine pacem & concordiam domus firmaret; quam mentem ab accensa nuptiali face ad funebrem usque tædam, sartam illibatamque perduxit.

*Soboles.*

*Sacra jugalia secunda 1635.*

Devenio tandem, quò me vocari sentio, eheu ad lectulum Archiatri nostri, in quo se ad decretoriam illam & æternitatis Judicem horam composuit; cùm vitam illius, dum vivere sibi videtur, mors, per anteambulonem suum, aggreditur morbum: Præterlapso enim Mensis Julii d. 16. Gonagrâ, Podagrâque (quas nefandas sævities multò ante sæpius fortiter sustinendo repulerat) infestari cæpit; cujus materia peccans, per Exteriora membra, ex paulò antegresso Balnei usu roborata, exitu frustrata, ad interiora aufugit viscera, statim Anorexiam excitando; quæ initiò quamvis levior, illius tamen, ut & acrioris fastidii ad quidlibet, minimum etiam Medicamenti vim habens, accedentis, diuturnior mora, virium vacillationem inducere visa est. Hanc cum ipse, Prognoseos alter Parens, idemtidem crescere animadverteret, aliquoties spontaneus denunciator proprii fati auditus fuit; quapropter etiam omnes sortes suas in sinum Domini effundens, eò cogitatione sanctâ induxit Animam, ut illa divinis epulis ante omnia reficeretur, quibus etsi non ita pridem ante decubitum, in facie Ecclesiæ, in cœtu inspectantis populi, usus fuisset, denuò tamen in vulnera Servatoris Jesu reclinatus, divinæ gratiæ efficacissimum sigillum, animo confessione expiato, in Dominica Cœna accepit. Quo à tempore, Natura cum Neutrum dictorum Malorum profugare sufficeret, (quandoquidem modò dicta extrema nausea omnem θεραπείας, nutimentique usum suspendebat) imò planè nova lethiferaque adversitatis spicula, *Insomnes noctes, dolor Nephriticus, Hæmorrhagia, & per Nares & per vesicam conferta*, advolitarent, infirmitas jam imperium nacta, omnem spem vitæ, & Ægrotanti & Medicis præcidebat. Quid verò tum ille noster, cùm morti admodum propinquus? Hic virum ostendere possumus, ubi magni aliâs viri infantiliter tremuerunt; ubi plerique inter mortis metum & vitæ tormenta miseri fluctuant, pauci illam horam placidè expectant, cujus metus omnes aliàs inquietas facit; paucissimi æquo animo animam deponunt, & ita è vitâ exeunt, tanquam modo intrassent. Ergo adversus Ultimum illum agona compositus, totus in Deum revolutus, nil jam ulterius, nisi immensam illam in serenissimo sempiternæ tranquillitatis portu futuram possessionem flammeâ meditabatur fide; quâ & Deum precatus, sibi lethiferis in luctibus versanti ad extremum usque vitæ halitum quietam & intelligentem ad Divina mentem daret. Sui amor & permanendi conservandique se invita voluntas, atque difficultas dissolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere, & ex hâc, cui adsuevimus rerum copia educere, nequaquam à Desideratissimo æternitatis ambitu illum absterruerunt. Quin potius in insuperabili loco illius stat animus, qui externis valedicens, ante omnia Dei cultum avito testamento sibi commendatum Liberis suis precetur hæreditarium. Quique Deum suum complexus, in sinu summi amoris quietus, sanguine Divino rigatus, Solatore Spiritu plenus, ritè ab omnibus vitæ inquinamentis piatus, eâ fronte mortem, hujusque noviter in se projecta tela, excipiat, ut inter exituræ jam jam, & ad suam libertatem properantis animæ contentionem sibi æternitatem destinaret: subvectam è terrenis animam & suo jam fonti penè refusam æternitati submittat; quam etiam à cœlitibus sibi porrectam gratiosissimo animæ vidit lumine. Quanta fiducia arbitramini, Auditores, Beatissimum Archiatrum cum morte congressum fuisse: qui nondum omni certamine defunctus sibi ipsi æternitatis præmium præstinavit. O si daretur nobis spectandus illius animus in agone mortis positus, in quo nexus Deo, superior morte, exitui proximus Salutis asylum anquirit! Videremus hospitem sancto Dei Spiritu plenum: Perciperemus sanctissima desideria, quæ digressurus ab inquieto hoc orbe pro ejus salute remittit. Videremus mentem in mortalitatis & æternitatis confinio positam, & Deo se plenâ fide Præsentaturam. Nihil vulgare, nihil vile, nihil ad humanas sordes recidivum, sed omnia summa, æterna, divina præberentur delibanda.

*Fatalis Morbus.*

*Via Lethi.*

*Agonizantis firmus in Deum animus.*

Sic igitur natum, sic virtutibus conspicuum, sic doctrinâ Clarum, sic fortunatum vidimus Magnificum nostrum Archiatrum, Medicum hoc ævo facilè Principem, qui d. 9. Mensis Augusti spiritum suum ad Quinquaginta Octo annos in hoc corporis diversorio tanquam præstantissimum hospitem commoratum, Deo Creatori leniter transmisit. Qui, etsi obitû suo, non parvam & nostræ Reipublicæ, & toti foro Medico, intulit stragem; satius tamen est illius bono immortali lætari, quàm rebus exemptum humanis, nil profuturis lachrymis deplorare. Quin potius, quibus multa reliquit, quæ collaudemus: innumera quæ imitemur, dotes ejus, quibus Ulmenses laborantes sæpe erexit, gratâ recordatione prosequamur: nec committa-

*Obitus.*

mittamus, ut cujus superstitis honori, boni omnes favebant, de illius jam defuncti gloria in posterum aliquid decerpatur. Attribuamus igitur merito Defuncto nostro Archiatro, Plinii illud in Scipionis Exequiis usurpatum: *Ite, celebrate exequias; nunquam majoris viri funus videbitis.* Aut, si fortè invidiosum hoc videbitur, saltèm hanc ejus memoriam servare, & audire liceat, cum æterno elogio: *Fuisse in hâc nostrâ Republicâ Ulmensi Medicum Archiatrum, quem qui cognoverunt, non potuerunt satis æstimare: qui non æstimarunt, nunquam satis cognoverunt.*

---

# ODE PINDARICA
*in Obitum*
# GREGORII HORSTII
*Medici Diis-æqualis*
scripta
*ab*
## ANTONIO BOXBARTERO AUGUSTANO
Doctore Medico
## *IOANNI DANIELI HORSTIO*
*Doct. Medico & in Inclyta*
## CATTORUM ACADEMIA
Prof. Publ. dedicata.

ÆRumnas, quas in privato funere Parentis tui optimi, ante plusculos menses, effudi, hâc exceptas chartâ tibi offero. Non quidem ut veluti novo specio grave illud vulnus refricem, sed in incomparabilis Viri (id quod Amici rogarunt) memoriam aliqualis relinquatur ab eo lessus, qui Defuncto, filiis penè suis omnibus, apud exteros tùm viventibus, orbato, tanquam adoptivus, non tàm charus, quàm habitus cultusque fuit. Justum quidem debitum, sed pro rei magnitudine minus exactè persolutum. Quî enim illud potuit? Cum acerbior dolor ademerit, quicquid ad Viri divinitatem, si quid pote, describendam accedere debuit. Ideòque minus succensendum, quando ex Senecæ mente

*Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.*

Tuum erit has eo animo accipere, quo Parenti, quamdiu per fata licuit, adhæsi: adhæsi autem tanti Viri amicitia, uti arbitror, devoto, dignoque. Vale. ULMÆ, cIↄ. Iↄc. XXXVII. 4. Id. Octobr.

### STROPHE.

*ISter Pater,*
*Qui præ reliquis mobilior, ceu*
*Princeps fluentis emines,*
*Longivago cursu*
*Undisque ditas æquor Axenorum;*
*Quem pariter priscum coluit*
*Carminis decore*
*Seculum Romanum,*
*Validis & compulit armis.*
*Limphis receptis Blaviæ & Ilaris*
*Late-patenti brachio,*
*Tergeminoque petens appulsu*
*U L M A M Suevûm Metropolim;*
*Urbium decus venustum,*
*Consi prudentis & Minervæ,*
*Et Charitum patriam beatam.*

### ANTISTROPHE.

*FRatrum trias*
*Nunc quæso hilares pellite vultus;*
*Lessum gemendo promite,*
*Murmure lugubri,*
*Qualem novem cæso Duci sorores*
*Æacidi, pressis fidibus,*
*Cantitasse fama est,*
*Cum Diis, tellure*
*Superatâ, redditus esset,*
*Matris calentes per Thetidos preces.*
*Heu diphtheratus Jupiter* „
*Terrigenis posuit Parcarum* „

Tun-

*Cunctis parendum arbitrio;*
*Styx citam rapit sub undam*
*Et Reges gentium & colonos,*
*Et juvenes pariter senesque.*

EPODUS.

*VIx unquam Pindi tanto*
*Clamore Perrhæbi commugiit*
*Aonidum Spelæum;*
*Seu vates fugiat Stygias*
*Platonis ad cavernas*
*Threicius, repetens*
*Intacti thalami Junonem;*
*Seu Ponti tentet abyssos*
*Exæstuantis, Cecropii Lycei*
*Summus Dictator qui fuerat,*
*Quas agitat refluus vigor;*
*Seu potens Galenus*
*Sospitator humanæ*
*Vitæ subeat fati Leges;*
*Seu stupendi Scaligeri*
*Nomen æmulum casco-*
*rum Quiritum inseratur*
*Mortis in pugillares:*
*Seu Veterum quisquis de cœlo,*
*Igneo Parente,*
*Demissus, in cœlos iterum, gravi*
*Mortalium luctu, redit vocatus.*

STROPHE.

*QUæ funera,*
*Stirps Hippocratis, noster Apollo*
*Exæquat ingens Horstius,*
*Funere deflendo.*
*Te namque cum videret eleganti*
*Dogmata promentem eloquio,*
*Hassiæ Lyceum,*
*Pergameni Coi-*
*que Senis, de divite condo,*
*Sive explicantem picta Palatii*
*Pulchrè virentis Chloridos*
*Floribus ambrosiis aulæa;*
*Vel dissectis Panticibus,*
*Eruentem acutiori*
*Percribratos stylo, meatus*
*Et cerebri fluidique renis,*

ANTISTROPHE.

*SEu languida*
*Tristi relevas membra dolore,*
*Irasque sævi Numinis*
*Consilio dextro*
*Extinguis, & fatum ligas acerbum;*
*Tu genios noras hominum*
*Fascino leporum*
*Atque morum leno-*
*cinio suavi retinere!*

" *Tu nominis famam celebrem tui*
" *Transmiseras toti undique*
" *Dexteritate medendi terræ!*
" *Ceu Sol nocturnus, micidos*
*Lacteæ viæ Quirites,*
*Prævertit, nocte conticente,*
*Lampade plenisflua superbus.*

EPODUS.

*AUdax Phœbejum germen!*
*Tu vim Deorum magnam*
*Ac hominum querulum frustraras*
*Conatum, ausibus innumeris.*
*Te nullus inter omnes*
*Fortius obstiterat*
*Crudeli imperio Summani.*
*Tu vivus justitium po-*
*-nebas inexorabilibus tribuna-*
*-lis funesti inferni sociis.*
*Tartareoque gregi quiem.*
*Tu leves negabas*
*Victimas neces Diti,*
*Tu naula Charonti demebas,*
*Nec minus pompas Libiti-*
*-næ solenniores, &*
*Præficis inane carmen,*
*Monstra dum domas arte*
*Dædala tot morborum scita;*
*Major es tremendo*
*Alcide, vel felice Machaone,*
*Tormenta Græcis mitigante cæsis.*

STROPHE.

*CEu fœmina*
*Deflens cineres Inda mariti,*
*Pertæsa vitæ cælibis,*
*Insilit in bustum.*
*Nec te minus lugent Dii Deæque*
*Najades, & Permessidos, &*
*Accolæ novenæ*
*Elegantis Cyrrhæ, &*
*Bona Peithus, Floraque Consus,*
*Vulcanus, ignes qui moderatus est,*
*Testaceis fornacibus,*
*Præsidium in validum morborum.*
*Lugent plumbati plutei*
*Scriptionis imprimentis;*
*Urbs luget tristis, & juventus*
*Vestibus anthracinis amicta.*

ANTISTROPHE.

*MAgnum decus!*
*Te Musa canet Pegasei cho-*
*-ri, meta inaccessibili,*
*Pindarico plectro;*

Vel

*Vel si quod arduum magis tenet ; quam*
*Barbita vatis Thebaici ,*
*Vel Tubam Maronis*
*Acriter clangentem*
*Cineres Antenoris Urbis.*
*Quoquò feruntur robora ferrei*
*Invicta bello Teutonis ,*
*Clausa nec Oceano , nec forte*
*Obversâ terrâ Antipodum.*
*Namque Musa laude dignum*
*Vix unquam est passa , post feretra ;*
*Perpete nocte virum recondi.*

EPODUS.

*HÆc diri fati lex est !*
*Nec Parca virtuti , nec*
*Artibus ingenuis concessit ,*
*Horâ sertus Elysia*
*Ut Curiæ Senator ;*
*Conciliique Deûm*
*Supremi fieres collega ;*
*Exantlatoque labore ,*
*Profundiorique amystide mactéque ;*
*Divis consuetis delitiis ,*
*Exhilares animum tuum.*
*HOC TRIUMPHUS ESTO ,*
*MORTIS OSCULANAM POST ,*
*QUAM EVASERIS ATRATÆ PUGNAM !*
*Vix tuas ullus facilè*
*Æmulatur ingentes ,*
*Ignei vigoris artes ,*
*Has licet stupent cuncti :*
*Ceu bonus insertus post mortem*
*Regiæ Deorum*
*Princeps , ciet suspiria pluribus ,*
*Soli sed uni Sceptra destinantur.*

# JOH. BAPTISTÆ HEBENSTREITTI

*August.*

# HORSTIAS,

*hoc est,*

## HORSTIANÆ FAMILIÆ MISnicæ Ἀποσημειώσεως Epica :

*Studia humanitatis leniunt dolores privatos.*

FERREUS ille fuit , qui cùm juvenilia secla
Cerneret in teneris ferventiùs urere Musis ,
Evomuit: quæ tanta animis dementia surgit ?
Quid studium toti tentatis inutile vitæ ?
Scilicet , ut nostrum fermè incurabile tempus
Fert hodiè , dùm rara nitent exempla bonorum ,
Conspicuos quos candor , amici & linea sensus
Nobilitet , nimium facilis descensus Averni ,
Desertaque foret proclive occumbere Eremo ,
Ni revocare gradum Phœbi nos Cura moneret ,
Solarique animum dictis post SACRA rotundis
Ausoniæ ac Grajæ prædivitis Hippocrenes :
Quò nihil accedit pollutum : ubi longiùs absunt
Insidiæque & vis , & turgida bulla superbi :
Undè absunt anser streperus , graculique molesti ,
Et corvi , & plumis cornix vestita dolosis :
Verùm ubi suave sonant cycni , modò cantibus auras
Distendit philomela , aut qui texére profundo
Demersi somno Venusini membra palumbes.
Hos inter non vile puto vel Numen olympi
Devotis laudare hymnis : vel corcula * versu
Commemorare viros , quos non virtutis egentes
Abstulit atra dies , indigno invidit & orbi.

*Scopus versificationis.*
**Cic. Tusc. 1. Sigon l. de Nom. Rom.*

Hinc , aliusque aliusque mihi dùm creverit ordo
Materiæ , laudisque novæ argumenta sequantur ,
HORSTIADÛM gentem , clarorum sanguen avorum ,
Præterito quod abhinc seclo & quod longiùs exit
Retrò , per varias terræ Germanidos oras
Floruit , incipiam tenui cantare Camœna.
Magne fave calidis HORSTI conatibus ! HORSTI ,
Quem pia fata aliis optatum nomen ab agris
In nostras duxêre plagas : Epidaurus ut olim
Romuleæ misit divinum Asclepion Urbi.
Sit mihi fas repetendo tuum de stirpe vetusta
Continuare genus , donec se turba nepotum
Attingi norit , discatque æquare parentum ,
Aut superare etiam priscæ vestigia famæ.

*Alex. ab Al. l. 1. c. 9. Summa propositi.*

* Inter Germanas multò celeberrima gentes ,
Mysorum populi nomen per secla tuentur
Plurima : quas Thracum vicinos ( scilicet olim ,
Cùm lecti juvenes , genuit quos Hippion Argos ,
Phasidos adfluctus , Æetæ regna volassent ,
Vecti Peliaco contexta è monte carina ,
Quæ stupidam cursu prima imbuit Amphitriten : )
Smyrnæus justos , frugi , castosque Poeta
Laudat , & arreptis pugnantes cominus armis.
Misnenses hodiè : quorum Sala , clarus & Albis.
Humectant sedes , ac ditant ubere glebæ.

** Vide orat. Ioh. Homilié in Tom. Orat. Philipp. Strabon. l. 7. Argon. Apollon. Philip. in Tacit. Catull in Nupt. Pelei. Hom. I. λ. v.*

**Gregorius I. Horstius Doctoris Gregorii IV. abavus. Germaniæ pridem ἄμουσος & rudis.*

* Hæc Patria Horstiadûm tellus. His natus in oris
GREGORIUS: quem, cùm spretæ post cruda Camœnæ
Tempora propitio cœpissent crescere cœlo,
Hospitium præbente plaga, quæ durior armis,
Quàm melior fuit arte, ipsum quoque sorte beavit:
Et titulo majore DEUS. Deduxit in Aulam
FRIDRICHI, quem consiliis, usuque valentem;
Saxonidûm, ac magni Imperii spectabile culmen,
Nomine chrarunt SAPIENTIS, & ardua sceptra,
Maximus Æmylius post quam cœli aurea templa
Crevisset, deferre Viro voluêre: sed ingens
Agnoscens pondus Septemvir ad inclyta Quinti
Indicia inclinat KARULI, & suffragia vertit.

*Friderici Sapientis El. Saxon. cubicularius.*

Ille igitur Princeps, quod agendis strenuus esset,
Et fidus jussis, decoravit CLAVE CUBILIS
Gregorium. Cui MATTHÆUS successit ademto
Terris, ingenii ac virtutis filius hæres.

*Ejus Fil. Matthæus præfectus Sylvarum sub Ioh. Elect.*

Hunc quoque Saxonicus meritisque fideque probatum
Legit JOANNES; nemorum qui robora passim
Sylvarumque potens lustraret, glandiferarum
Quæstor Hamadryadum. Soboles hunc trina coronat:

*Ejus Filii III. Prim. Matth & ipse Præf. Sylv sub Ioh. Frid. Elect.*

Matthæus, Martinus, avo cognominis indè
Tertius. Ac PRIMOGENITUS, quo munere clarus
Gaudebat genitor, rerum potiente JOANNE
FRIDRICHO CONSTANTE, fuit spectatus & ipse.
Natus ab hoc MELIOR tuus Elsterwerda, sacrorum (a)
Mystes, innocuus vitâ, cultissimus arte.

*(a) Ex quo, Melch. Eccles Elsterwerdæ.*

Hoc satus est alter MELIOR, quem Slesia tellus (b)
Suspexit florentem ævo, & prudentia cinxit
Dotibus ingenuis. Hinc Consul rexit habenas
Reichbachii. Sed & huic MELIOR vitalia vidit (c)
Lumina, non Patre inferior; Patriæque Senator
Audit, & intrepidus juris moderator & æqui.

*(b) Vndè Melchior 2. Coss. Reichenbachii in Siles.*

*(c) Vndè Melch. 3. Senator ib. & syndicus.*

Atque hæc Matthæo prognata boni æmula proles
Ex Mysis abiit, quà sese attollit in auras
Elysiæ telluris honos. O inclyta famâ
Slesia, dives opum, pleno quas larga colonis
Fundit humus penore: & venis efferre reclusis
Assolet! haud illis formæ decus, ingeniique,
Morèsque humanos mater natura negavit,
Rectoresque pios, animumque ad sacra paratum.
Sic te, quod dudum sibi Teutonis ora precatur,
Aurea pax recreet! Sic vos assurgite in altum
Horstiadæ! in Suevis pars vestri haud infima, clarâ
Pullulat ab radice, rigat quam nobilis Ister.

*(a) II. Mat. I. Fil.*

(a) Subsequitur MARTINUS. Et hic Prætoris honorem
Emeruit, magnoque Duci pendenda tributa
Curavit solerte fideque, & more severo;
Quà vetus objectat limes Kostorpius arva.

*Martinus Prætor & Præfect. Vectigalium Kostorup. sub Ioh. Frid. El.*

Binorum hic genitor natorum: nempe GeorgI,
AntonIque. ILLUM largis fortuna beavit
Censibus, ex gemino pinguis discrimine vitæ.

*Filius: Georgius Senat.*

Pauperiem quicunque fugit, quicunque procellas
Horret, quas subeunt Phœbi stationis amici,
Queis crebrò occinitur: *Dii sint Cantoribus æqui?*
Hi modò fertilibus fruges extundere campis,
Horreaque oppleri donis Cerealibus optant:
Aut lætum lucro Cyllenion aspirare
Mercibus ex variis cumulando, jugiter orant.

*Francof. ad Ode. An. 1563. Theocr. θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς Gott helff den Poeten.*

Ille in utroque fuit felix, neque tertia deerant,
Quartaque vel plura ætherii documenta favoris:
Si quis honos, (at honos) censeri sorte senatus,
Francforti celebris Viadri de flexibus Urbis:
Conjugioque frui sponsæ de Patribus (b) ortæ.

*(b) Habuit ux. de Gastmeisteris Patritiis Francof.*

Non nimor ANTONI succurrevit adorea rebus:
Hunc vigilem BRIZÆ Cives coluêre Magistrum.
Atque hic Horstiaci non ultima portio fœtus,
Sic in Marchiaca Brennonis sede quievit.

*Antonius Coss. Civ. Brizensis. III. Matthæi I. Fil. Greg. II.*

At nunc se patulas ramus diffundit in auras
Arduus, amplius, honorus, in omnem frugifer orbem;
Non clausus Mysis, Viadro, vel Slesside terra:
Verùm Marcmannos, Hunnos, atque Austria rura;
Et quæ Gwelforum parent Ducibusque Selenes;
Atque Almangavos, quà spumas Ylera jactas,
Quosque olim flavos laudarunt crine Suevos,
Attingens, grata captantes frigus in umbra.
Matthæi postremus adest, sed major utroque
Fratre satus, cui NOMEN AVI, verumque, fidesque
Dicere GREGORIUM rerum jubet ordo SECUNDUM.
Excipit hunc fausto venientem numine Torga:
Quodque erat attentus librati examen ad æqui,
Extulit, ac studio, & multos virtutibus ejus
Ærarii confisa dedit curare redactus.
Ecce superveniunt, quæ nolles sæpè reverti,
Tempora! Germano concurritur orbe. Johannes
Fridrichus, quem religio, quem dextera bello
Apta dedit famæ memorandum, ac hostibus ipsis,
Adverso capitur Mulbergæ ad mœnia Marte:

*Ioh. Frider. Elect. capto mœstitia extinguitur.*

Fit Karulo supplex: & fiunt cætera, quorum
Dum reputat meditando vices, & multa gemendo
Gregorius, Dominique suum conquestus honorem
Mutata rerum facie in caligine volvi,
Terrasque, tractusque sequi victricia jussa;
Tabificis quatitur morbis. Ita inania capto
Munera dans lacrymis, & cæsus pectora palmis
Nocte, dieque Ducem vocat. Hoc pia numina metam
Non ultra essesinunt: paucis ut solibus omnes
Amisit vires æger, tantum ultima misit
Verba suis, cœlisque animam. Frenzelia conjux
GERTRUDIS (sat nota domus FRENZELIA: cujus
Audivit columen SALOMON,† quem Heliconia laurus,
Quem referent Musæ, mater dum robora tellus
Proferet, & fuerint, numeris queis ludere dulce est:)

*Vxor Gertrudis Petri Frenzelii Coss. Pietinent. F. † Salom. Frenz. P. Cæs. Prof. Helmstad.*

Horruit, at quæ animum in luctus dedit. Omnibus una
Vox; urbis decus amissum, formamque politi
Christiani; qui cuiquam unquam præbere molestum
Se caveat, similem nigris non affore terris.
Ipse etiam facilem de se testatus amorem
In cives, hæc sæpè bonis narrabat amicis:
„ CUM NULLO VERBIS UNQUAM AUT CONTENDIMUS ARMIS.
„ Hic mihi Vir, licet inter nos, propioris Olympi
„ Dicitur esse capax. Ubi sunt hodierna virorum
„ Tantorum specula? heu! longè fugêre. Quis autem,

„ Quis

„ Quis revocet? vel si revocentur, protinus omnes
Ire retro cogant. Verùm mihi labra rigescunt.
Gertrudis fœcunda fuit, multisque superstes
Ex se nominibus natis. Viduata piorum
Promeruit laudes: quod matronæque fuerunt
Prudentes, multis muliebri profuit arte
Consilioque ægris. Natos ante omnia dulces,
Natorum & natos numero crevisse nepotes
Aspiciens, mensis sæpè unâ luce duabus
Cumbentes pastis, & monitis demulsit amicis.
Edidit ipsa mares quinos, ternasque puellas
Primus JOANNES felicior indole, binas
Vixit olympiades: tùm, quod pulcerrima quæque
Præripit atra dies, hæc terræ vana reliquit.
Alter, GREGORIUS, (qui tertius Horstiadarum
Nominis hujus erit:) amissi postea patris
Civibus esse loco cæpit. Juvet ire remotâ
Longius expositum repetita ab origine gesta.
Vix dum quadrimus fatum crudele subisset
Infestis immersus aquis: discrimen iniquum
Evasit. Subeunt anni: sed & acris in annis
Fervor purpureis, ad grata & idonea vitæ
Discendum, decus undè amplum vel corpore vivo,
„ Vel, quod non rarum est, crescit post funera demum.
„ CRODELIUS pueri multo æstimat asse Magister
Parva rudimenta, ac eventus omine signat,
Si quid se fieret, legando insigne volumen.
Auctior evadit tiro delatus ad Albim,
Leucoreique capit victricia symbola Phœbi,
Seu baculum, (Baculus studiorum præsidis index:)
Seu lauri baccas: (Laurus nota clara Triumfi.)
Hinc Jovis ad magnos proceres, atque aulica tecta
Defertur: Juvenique puer FRANCISCUS obedit
De LAWENBURGO, PRINCEPS. Sic doctus Achillem,
Thessalicosque Duces Chiron formavit. In amplis
„ Fortunæ hoc numero donis, angusta ubi tantum
„ Demittit sese natura, in principe Princeps
„ Ut ne noscatur: tùm, quo populosque, ducesque
„ Terrebit vultu, vultum si condat in ævo
„ Florenti, morum dextro præeunte Magistro.
Hæc adeò cultura placet. Placuisset & Aula
Saxonis AUGUSTI: sed non favisset amori
Hoc factum, stirpique ejus, quam compare ductâ
LEICHERIA KATHARÈ in patria exaugere volebat.
Redditus ergò sibi, patriæ se reddidit omnem:
Atque Senatoris primùm, post Consulis alto
Ingreditur passu, ne in publica commoda peccet,
Cuncta cavens, scitus Themidis rigidusque Satelles.
Addidit eloquium vernans meditatio prompta,
Lenis & affatus. Quoties hunc omnis in unum
Turba senatorum conversa, ut fortè coactum est
Concilium! tacuere alii: linguam exerit unus
Orando, reliqui partes assensibus implent.
Bis ter supremum Consul juravit honorem.
Interea morbi pallentes, ipsa senectus
Fessa premit, quassatque artus nodosa podagra,
Cognatæque malorum acies ut septima fasces
Auspicia obtulerint, fuerintque novissima vitæ;

*Filii Gregorii II. primog. Iohan.*

*2. Greg. III. Nas. 1529.*

*Qui fit Baccalaureus.*

*Et præceptor Ducis Sax. Lawemb.*

*Migrat Torgam.*

*Septimum Coss.*

Nec priùs injecit ferali membra grabato,
Quàm sacris pro more actis, totoque Senatu
Astante extremùm dicentis curia linguam
Audiret, mortisque instantem immobilis horam
Plorarent omnes. Ille impiger edidit altos
Corde sonos, patribusque sui, denunciat, ævi
Sors quàm principiis nimium irrequieta fuisset,
Quàm vitæ pigeat. Portantes publica currus
Quilibet alter agat: licet hinc meliora sequamur,
Inquit, vos, quidquid reliquum, superate, valete.
Indè lares repetit, geminis & solibus actis
Ambrosio madidus conclusit lumina somno.
Inque bono Critico, Medicis quod dicitur, anno
Ad veteres commigrat avos, contentus honorum.
Sic sua, cum properant, fatalia tempora dulcis
Cantat olor, vitamque occluso gutture fundit.
Nec reliquæ tacitum patiuntur abire volucres:
Sed quantum gemitu, quantum valet ardua linguâ
Quæque, refert lessum, & lugentia carmina fingit.
Gregorium fratres sic, fratres deindè Chytræi,
Litera Casselii, vivax & vena canori
Meibomii, nec non Posselidis ille Thaliæ
Cecropius laudare favus, doctique Boemi,
Wankelii quoque crena sacro dare munera busto.
O nimium felix, de quo præconia cunctim
Pieriæ modulantur aves! tibi paupera acanthis
Præmia sera fero virides imitantia sylvas.
Forsan erit melius: nec deteriora canemus,
Pungere si miseram cessarit acanthida dumus.
Tertius est patrui donatus voce Georgi,
Gregorii quarti genitor: quos ultima dicet
Pagina: Gregorio subsident carmina quarto.
Indè Jacobus adest: MICHAELQUE, ut nomine magni
Melitis aligeri, sic magnus fortibus ausis.
Hic procul à Patria præduri Martis alumnus
Eximium sectatur opus, Rhodiisque salubrem
Prævalida commendat opem in sacra prælia dextra.
O fortunatum à superis, O nobile bellum!
Continuis quod agunt studiis asperrima pugnâ
Pectora, præluftres animæ, seu cernere ferro.
Quà Campi, seu quà rapido mare perfurit æstu.
His MELITE sedes, sedes augusta: Magistro
Sed vel regnum alto, turmis equitumque superba.
O nimium dilecta DEO! quam PAULUS amicum
Repperit hospitium, postquam vada salsa bibisset
Puppe suæ navis fracta; quam noxia morsu
Corripiens vano Paulinam vipera palmam
Nobilitat: quæ classem inimicam, & barbara pridem
Robora prostravit Solymanni; ut turpiter acti
Hostes indè fugam celerare, incidere funes,
Verrereque inviti certantibus æquora remis.
Nil hîc Draguthes, nil cruda propago Chasanes
Barbrussæ, potuêre Duces, abiere repulsi.
Tunc quanquam per agros, per salsaque litora Nerei
Impavidos mors crebra viros absumserit, ille
Pars quoque militiæ tandem ad sua tecta reversus,
Conjugis in dulci gremio, medioque suorum
Agmine cœlestes animam dimisit ad auras.
Expediam & ternas Charites: veneranda sororum

*Visit sacra.*

*Valedicit Senatui.*

*Mihi quidem Ἐκβίασ[illegible]. Viderint juvenes Cic. l. 14. ad A. E. 21. & moritur. An. 1592. Vide Reinec. Iac. Horst. p. 414. Vide eundem d. l.*

*De Gregorii II. reliquis filiis. Michael postremum N. A. 1539. Miles Melitensis.*

*Act. 28.*

*An. 1565. Seth. Calvis. Malta oppugnata.*

*Anno 69. redit domum. Gregorii II. tres filia.*

3. *Agatha.* Conjugia exponam, & de trina vite corymbos.
Prima maritalem coluit dexterrima nexum
FLIDNERI, viridem qui more ac arte juventam
*Quæ ex Bonav. Gunthergen.* Instruxit Torgæ. Dein, postquam vincula lethum
Prima diremisset, GÜNTHERO conjuge gaudet
Utiliter. Produxit enim, quem Augustus, ab illo
*Ambrosium* Christianus Saxo, percarum habuere ministrum.
Atque Senatorem venerata est Dresda severum,
AMBROSIUM. Post hunc lecti fert dona marito
*Et Greg. primum Regni Bohem. Medic. Ord.* Altera GREGORIUM. Hic Coi non vilis amator,
Pargameique Senis. Testis Schola JULIA, summis
Exornans juvenem titulis, ut sperneret oras
Ausonidûm, & MEDIO Europæ studium utile CORDI.
(Magnificam Regum sedem sic dicere PRAGAM,
Qui radio totum describunt gentibus orbem)
Afferret, magnæque RODOLFI ad limina Portæ.
Hunc primum Proceres non exiguo ære redemtum
Hippocratem statuere suum. Jamque omnibus artis
Nomine, & ingenii, & facili moderamine morum
Gratus erat, sed duri instat lex horrida fati:
Æstu languescit febris, Mariamque Vinandam
Nec quicquam querulam frustratur, & occubat umbris.
2. *Dorothea, nupta Gabr. Didymo Superint. Ter.* Altera DOROTHEA in DIDYMI matura verendi
Intravit thalamos, Gabriel purissimus ille est
Sacrorum Antistes, Torgensis summus Ovilis
Præses, quem fortesque preces, & vita decora,
Et doctrina, Deo soli quæ debuit ortum,
*Qui subs. Artic. Smalcal. An. 1537.* Infracta afferta animis splendescere fecit.
Hic quoque, purgatæ quando volventibus astris
Religionis honos magis & magis ibat in orbem,
Et Patres magni ductu assensere LUTHERI
In capita, ad Papicæ Fidei mittenda Professos
Purpureos, seu Vota darent, quâ Mantua Vate
Æternum Andino nomen sortita, refulget;
Seu quocunque loco Jovialia fulmina fabri
Construerent, tactura adversi dogmatis auctum:
Tunc, inquam, ille manu, generosi pectoris alma
Indice, formosos inter signavit Amyntas
Pastorum arbitria, & deprompta oracula Cœlis.
*† Ejus filii Paulus. Jenæ Io. Stigelio succedit An. 1581.* Natus & huic Gabriel: † PAULUSQUE anima in-clyta Phœbi
Carminibus, quem Castaliç lavere Coronæ
Infantem, & largè Musæo melle cibarunt.
Principia hic rerum, primaque ab origine mundi
Ad Moysæa teres deduxit tempora carmen.
Exin lena vocans cathedram conscendere mandat
Stigelii. De STIGELIO taceamus, amicæ
Pegasides! modò floridulos spargamus honores,
Quò cineres subiêre pii, violasque rosasque
*Gabriel, Med. Vl. mens.* Liliaque, & calthas, & purpureos hyacinthos:
Et Paulo virides nostris de saltibus herbas.
At GABRIEL didicit lethi producere fila
Longiùs, in medicos abiens industrius hortos.
Undè viro favit Blavique, Ylersæque fluentis.
Ebrius Ister, ut ipse suo jam plenior alveo
Et capiat naves, & quæ vectantur in illis,
Inferat & validis populosæ mœnibus ULMÆ.
Nominis ejusdem primùm huic capit aëra natus

*Ex quo Gabriel Præfect. Ballend.* Ballendorfiacis Præfectus præditus agris
Ulmano in tractu, non longè a Teccide terra.
*Agri alpini conditio.* Incipit hîc saxosa solum diffundere frusta,
Quæ si attentus agens cumules, ut purior indè
Extet humus, spargasque dein Cerealia grana,
Spe frustratus abis, nec frugibus horrea comples.
Secius; in mediis adolescent semina saxis
Liberiùs, lætoque leges de farre maniplos.
Non procul à Pagi septis in valle reducta
Collibus exiguo cursu Lona defluit amnis,
Quem parvis videas plerunque assurgere bullis,
Vincere at interdum tumidarum murmur aquarum,
Fossas implere, & sata læta, bonumque labores
Diluere: ac juxta parvis consternere campos
Pisciculis, segetis quasi amet sarcire ruinam.
At mihi non tanti est de spinis ossa natantum: *
Flavescat modò lætus ager, sit copia lactis,
Sint agni pingues, sint & mollissima vina,
Atque alia, agrestis quæ festo tempore pubes
Promit durorum solatia certa laborum,
Dans motus incompositos, & carmina dicens.
*Georg. Wesganmeir autoris avus matern.* Hæc memini: cùm propter avum, qui sacra regebat
Baldorfi, Gabriel viridi me ætate puellum
Sæpè remulceret dictis, munuscula vesca
Multa ferens. Tunc me levium spectacula rerum
Pungebant: tunc dives eram, curisque solutus.
Gaudebam roseum solis prodire sub ortum,
Frondosum agnellos agere in nemus, undique flores
Corripere, & rudibus frontem redimire coronis.
Hæc tùm; quid nam hodiè miseri speremus amantes
Urbium? an à Phœbo, quem multùm dicimus aureum,
Exspectemus agros, & opimi prædia ruris?
Res colimus pulcras: num pulcer & usus ab illis?
Hæreo. Et utilitas hærere & cogit honestas:
Et quòd barbaricis nunc annumeretur, habens nil:
Præcipuè vates nati infelicibus ovis.
*Alius Gabrielis F. Medicus Campidunæ. Item, Samuel Pastor Xenodoch. Vlm.* EMANUEL Gabrielis avi vestigia adorans
Urbe facit veteri medicinam Algoidis oræ,
Splendida ubi Magni KARULI castissima conjux
Cœnobia Hildgardis calido pietatis amore
Extruxit, multùmque opulentis censibus auxit:
Verùm aliter doctus SAMUEL medicatur, in ægris
Non curans artus, animæ sed crimina purgans:
Ulma quod agnovit. Certè hæc medicatio vera est:
Tertia Gregorii lepidissima natu secundi
*3. Margareta, conjux Hier. Nymmani Archidiac. Torgens. Ex quo suscepit Gregor. Præpos. Clodens. Et Hieronymum Med. D. & Prof. Witteb.* MARGARIS optatos Virgo celebrat Hymenæos,
Convenit inque manum NYMMANNI, Præsidis almæ
Relligionis in electo grege Torgidis urbis.
Fertilis iste torus, geminæ subsidere lancis,
GREGORIUM eduxit uteri nova germina claustris,
Postea propositi Clodensis nomine mactum.
Ac ornamentis insignem HIERONYMON, illum
Quem pia Philosophis vidit sudare palæstris
Leucoris, & nullo non in certamine primum:
Donec sublimem Phœbi conscenderet arcem
(Inventum cujus Medicina,) & vertice honoro
Conspectus meriti laudem Doctoris haberet.
Vix semel at Titan revoluto signiferi axe
Defectum cadere, & sepeliri pulvere luxit.

Dixit

Dixit & Albi tui lugubria verba Lycæi
Rector Gesnerus: cujus monumenta Prophetæ
Osculor ætherii fervoris pondere plena.
Luxerunt orbi, qui nunc quoque luce fruuntur:
Alter Theiologus Bischofswerdêa gubernans
Templa, sacræ Doctor Zelo egregius Katatheces.
Alter, ubi patrii vox est audita leporis,
Pœonis excultus libris, necis avia sepit,
Tabemque, tristesque fugans de corpore morbos.
At nunc, quem stricto suprà libavimus ore,
In numeros Jacobon agam; nisi Carmine nostro
Majorem multò, tenues renuisse myricas,
Pareat. Est tenui sed enim quoque fama myricæ.
Sed quem te dicam lectissime pulle cohortis
Thespiadum? quocunque rapit stylus, ardua surgunt.
Te memorent juvenes vera exemplaria Vitæ
Mille dedisse suæ. Juvenes, audite, Virique!
Tempora non illum, aut nummûm penuria (patre
Orbus enim) non difficilis dissuasio fratris
Terrebant. Etiam atque etiam nocturna diurnis
Assiduâ jungens operâ properabat, ut ipse
Entheon, ætherioque accensum flamine sese
Diceret, in solo studio, viduæque parentis
In precibus sisum, magnique favore Tonantis.
Schleinizos fratres (quæ gens est gloria perpes
Mysorum) instituit. Post Leucorin arsit aquatûs
Illimis Viadri, visusque Machâonas inter
Strenuus. Ausoniam meditatum visere tardat
Collybus. Ergò uni patriæ sua commoda cuncta
Debuerat: quæ regificâ Doctoris eundem
Condecorat cathedrâ. Varias tunc exit ad urbes,
Slesiacas, Moravasque: ubi cardine sæpè quaterno
Accitus sua consilii miracula pandit.
Austriacis etiam gratissimus hospes in arvis
Substitit, Ungaricisque plagis, & mœnia ad usque
Sopronii excurrit. Gratantur, & undique multæ,
Non viles animæ, sis ô pulcerrime visus
Utiliter, populosque juves tua sacra colentes!
Exclamant. Ille observat variata locorum
Momenta; & cœli, & matris Telluris amorem,
" Aut odium; & mores humanaque pocla, dapesque.
" Num tenues pluviæ, rapidive potentia solis
" Acrior, aut Boreæ noceat penetrabile frigus.
Ut calor iste vias, & spiramenta relaxet
Corporibus: contrà aut venæ stringantur hiantes:
Quid valeant fluvii, & quæ nascuntur ad illos.
Hinc normam relevandi ægros, metuenda cavendi,
Certiùs addidicit, fovitque salutifer omnes.
Non tulit hoc Princeps, cui paret Julia Pallas,
Externis placuisse caput. Venit ille, novoque
Lumine, ceu radiis Eûs Craneon honestat.
Hic (liceat paucis ingentia pondera verbis
Constringam) Rexit, docuit, non vera putavit,
Consuluit, scripsit, coluit peramanter amicos,
Juvit cognatos: Italis venerandus, amatus
Germanis: ad eum concursum est undique totis
Agminibus. Medicinæ ante omnia membra solutæ
Compagem in solidam studuit revocare, monenti
Plurima Zwingero tribuens, & Mercuriali.

*Ejus filii, hodiè superstites. Hieron. Theol. D. Greg. Prof. Medic. Witteb.*
*Jacobus quartogenitus Gregorii II. F. N. 1537. Vide Rein. Reinec. I. d.*
*Ejus industria.*
*Fortuna.*
*Migrationes.*
*Rarum fructus.*
*Vocatur & venit Helmst.*

Extudit & Preculas ceu prævia pharmaca curæ;
Ursit & Antidotos, sub leges ire, parantes.
Quin Ziriazei vertit quoque dogmata Lemni
Abdita, quadrifido dispersa volumine, posset
Ut vel Germanus nosse omniferentis acumen
Naturæ. Et domui non vixit inutilis autor:
Sustulit è bina quàm multos Conjuge natos.
Prima Sibylla fuit Grubeni de Benthen Adolfi
Filia, Buleutæ Fernandi Cæsaris: ex qua
Christophorus precibus, Rudolfi Cæsareanis.
Maydpyrgo oblatus, Fani ut sacrata Sebasti
Commoda curaret Canonum ad præscripta piorum,
Hic etiam gemina de prole superstite felix:
Christophoro, medicis qui miscet pharmaca jussis:
Et qui Christigenûm fodiet vineta, Jacobo.
Post Henricus Adolfus: & hic mala temperat Ates,
Ceu Pater: exercetque hanc Torgæ naviter artem.
Nunc (ut Gregorio tandem sua debita Quarto,
Quà fas, exolvam,) frons est dicenda decora
Arboris alticomæ, frons ramo extrusa Georgi,
(Inter Torgenses qui Patres omnium amorem
Officiis meruit; decus ac Ædilis, ob usum:)
Bornitiæque Annæ. Genus hoc quoque nobile tango.
Notus enim, binis Aquilis ex ordine fidus
Consultor, Rudolfo, & Matthiæ; inclyta dico
Numina: Fiscalis latâ regione Lusatum,
Qui succincta dedit Politiæ scita: Jacobus
Frons hæc Gregorius. Parcat mihi pauca locuto:
Non benè præsentes laudem ruspamur ad aures:
Evolat è Patria, & quærit dignissima vitâ
Præsidia ex Graiis, & amœno fonte Poësis,
Quà jacet Hercyniæ Cyllene Ilfeldia sylvæ.
Hac potus, patruo reverenter Julide Castro
Mancipat orsa sua: & paucis vertentibus annis,
Cum posuisse animam quereretur acerbiùs illum,
Migrat Leucoream. Superatâ hîc calce Magistri,
Pro qua multa tulit, retulit quoque multa merendo.
It, petit Austriacos, Bojos, gentemque Suevam,
Helvetios duros, Marte invictamque Genevam,
Omniaque officiis, & famâ nominis implet.
Mox major Basilea tuis insignibus, illum,
Quo poterat digito monstrari, cedit honorem
Tandlero. Soltquella deindè Asclepion oras
Esse suum. Sed enim, majori hanc debeo Sorti,
Sancta Pronœa canit, mentem: Ludowicidi Gissæ
Sit decori mens ista, vago contermina cœlo.
Ergo optata Viri facies Gissena salutat
Tecta: illic Proceres, & læta juventa Lycei
Accipiunt hilares. Sed & Illustrissima multùm
Gratia complexa est: Sale nam donavit, honoreque
Archiatri; fidum lateris sensitque ministrum,
Imperii traherent quocunque negotia. Tandem
Pertæsus vitæ, quâ, cùm quis sternuit unus,
Non reperit socium, qui dicat, *id esto saluti*;
Invenit Hedwigen, Danielis amabile pignus

*Ejus Filii, inter alios, Christoph. Canon. & Thesaur. Eccles. Collegiat. Magd. ad S. Sebast.*
*Henr. Adolf. Med. Torg.*
*Tandem, ex tertio gen. Gregorii F. Georgio Senat. & Ædili T. Gregorius IIII. N. 1578. Archiater Ulmens. Observat. & Epistol. Medicin. &c. autor.*
*Fit Doct. Basileæ.*
*Profess. Gissæ.*
*Et Arch. Principis.*

STAMMI, Quæstorum quem Gissa agnovit, amavit.
Hanc fausto ducit sociatam fœdere nympham,
Dilatumque diu castè solatur amorem.
Non tamen ille calor minuit suscepta laborum
Pensa: domi sua, plura foris præstanda peregit.
Hinc, ut constricto prendam innumerabili pugno
Momentum, Patruum Patrui pius æmulus æquat.
*Dum Ulmam commigrat.* Audiit hoc Ulma, &, reliquis cùm gaudeat una
Ante alias evecta bonis Germanidos urbes,
Omnibus expetiit pectus tàm nobile votis.
Assensu respondet & hic. Verùm omnibus eheu!
Sonticus intonuit belli furor: omnia cursor
Compita miles habet. Compescuit ecce timorem
*Gaude commeatu Episcopi Wurceb. & Abb. Fuldens.* Pontificis pietas lautè referenda JOANNIS
GOTFRIDI, Aschusæ de nobilitate supremi,
Principis Herbipolis, Francæque Eoidos oræ:
Nec non Schwalbacia clari de stirpe JOANNIS
FRIDRICHI, quo Fulda superbit Præsule, Fulda,
Rabani sedes, membranarumque reposti
Thesauri, quem prætulerim proventibus auri:
*Noribergam usque.* Hi faciunt, ut tuta viro sit semita, donec
Tangeret excelsas Noribergæ lætior arces.
Indè viâ leviore Ulmam pertingit, ubi omnes
Gratanter præstant & voce, & mente favorem.
Quæritur, hîc quid agat? Cur non sciat omnia Momus?
Quod magna cum laude alibi: Succurrit egenis;
Divitibusque simul: reficit, reparatque labori
Cives, atque sitos longè, quîs Delphica sedes
Ulma audit. Sua scripta etiam, cultissima scripta *Ulma in media praxi scripta sua expolit, & nova adornat.*
Emaculat, cumulatque novis, Diplomate cincta
Cæsareo. Poliit Logicen: de Corpore Librum,
Atque Anima: Medicasque Theses: Discrimina, causas
Morborum: Febres: Aponensia Conciliata:
Deque Cadaveribus: Studiosi ut vita vigescat:
Historias miras: Therapeutica: de Scelotyrbe,
Pannonicaque lue, Morbillis, Fluxibus alvi,
Pesteque, Germanè, Galli & Theveti Orientem,
OBSERVAT artis nunc edit, (Plura sequentur)
Censurasque virûm gravium, scriptasque tabellas.
Fernelii poliet Methodum, magnique Galeni:
Hippocratis praxin: Plantas: Physicesque synopsin:
Quæque nurus vexant, fœtasque Pathemata matres.
Si qua futura ætas, mirabitur ista, nepotum.
At vos HORSTIOLI, magno de germine Pulli,
JAN DANIEL Crocei species formosa capilli:
JANE GEORGE, ANNÆ mellitula flamma Sororis:
BALTASARELLE recens qui Suevidos aëra traxti:
Hæc Patris hæredes ampla ornamenta sequaces
Carpite! MENTE BONA DULCEM IN SPEM CRESCITE MACTI!

---

# AD HORSTIADEM APPENDIX

*scripta*

*à*

M. JOHANNE Meyer RECTORE ET P.P. ORAtor. Poëticæque Gymnas. Ulm.

*Io. Daniel Natus 1616 D. 14. Oct. Gissæ.*

*HIsce suis votis hic Vates verus aruspex,*
*Hæc dum scripsit, erat; factus quia surculus arbor*
JAN-DANIEL *felix, adolescens prata* ROSETI
*Frondibus exornans, simul exornatus ab illo,*
*Fronde Magisterii, sed post insignibus altis*
*Artis Pæoniæ; quâ* NECCARUS *alluit urbem,*
*Claram* SCHEGGIADÆ *studiis, librisque relictis,*
*Queis &* ARISTOTELEM *juvit, Physicosque peritos.*
*Longius expandit ramorum brachia natus,*
*Patris ad exemplum, Medicam post gratus ob artem*
*Urbi* GISSENÆ *valdè, Illustrique Lyceo*
HASSIACO, *varios ubi pubi noscere tradit,*
*Prædictosque ægro depellere corpore morbos,*
*Ceu docet* HIPPOCRATES, *quo non præstantior alter,* *Vide Heurn. in Aph. Hipp.*
GALENUSQUE, *facem qui claram prætulit illi;*
*Ceu docet atque vetus Chymicorum factio, nuper*
*In lucem prolata novam; feliciter idem,*
*Ceu manus ipsa* DEI, *nunc dictum præstat utrumque.*
*Nam quid nosse juvat, qui morbi corpora vexent,*
*Fortia si desint Medico Medicamina danda?*
*Civibus hinc carus mediocribus, atque supremis,*
PRINCIPIBUSQUE *Viris hic est vir, nobile germen,*

*Dignum*

Dignum semper avis, propriâ quod luce coruscat.
Pract. Quod patet indè magis, quia docta volumina Patris,
Non sua duntaxat prodit, facit ære recudi,
Theor. Fratre suas jungente manus, similesque labores;
Cujus pressa videns soceri vestigia scriptis
Laur. Straussius. STRAUSSIUS ille gener, stirps Urbis SUEVIDOS ULMÆ,
DIGBÆI secreta dedit conversa Latinè,
» Quæ de Sympathiæ mirando pulvere tradunt,
Mitia primitius quas mox frumenta sequentur:
» Sic DEUS & NATURA pares conjungere novit.
Ceu combinavit similes sapientia Cœli
Anno 1635. Iohanna Rasbussin. GREGORIUM Patrem quoque, post connubia prima,
Cum vidua, RABI nata, cum nepte Verendi
Præsulis Ulmensis, Zelo, pietateque clari;
Quæ primùm conjuncta fuit fausta alite verè
Christoph. Fingerlin. CHRISTOPHORO FINGERLINO, qui nomine reples,
Et post fata, suam patriam, bonus arte MACHAON,
Cujus Conjugio Natam complectitur alter
Gregorius Natus 1626 D. 20. Sept. Vlmæ. GREGORIUS, dicto pariter de stemmate natus;
Sorte bona veluti se jungunt vitis, & ulmus,
FINGERLINA domus sic & domus HORSTIA junctæ.
Conjugis hic radiis, nec non virtutis avitæ
Splendescens, claros artis VIGILANTIUS addit
Usque suos digitos, ac ornamenta laboris,
Qui MARTISBURGI didicit, tùm LIPSIDIS urbe,
Atque PATAVINA, nostri quæ corporis, artus
Arte secare docet; sectos monstratque recessus,
Ut benè Chirurgus sua tractet vulnera, morbos
Et Medicus, nitens rationis crure, vel usûs.
Hinc secat hic fatis functos, medicamina præbet
Ægrotis, nostri Physices elementa juventam
Gymnasii juxta docet: hæc provincia namque,
Lehr. & Cal. veton. de popul. Si Medico commissa bono, cum laude tenetur.
Hic nunc GREGORIUS spem gentis ludere cernis
Ante pedes patris, tabulâ conjungere muscas,
T. N. Lusus hic ut patri cedat Feliciter, oro.
Io. Georgius Natus Anne 1618. Die 20. Sept. Num te prætercam benè natum, JANE-GEORGI,
Eductumque probè claris in mœnibus ULMÆ;
Philosophis ARGENTINÆ cum laude, paternis
MARPURGI simili curâ studiisque vacantem,
Gissæ. Iac. Müller D. Medic. & Profess. Marp. Dum Cognatus ibi miranda Mathemata Müller.
Pœonis ac artes juvenes quoscunque docebat?
An te nunc taceam, qui LEIDÆ, sicut ATHENIS
Argivi quondam, didicisti scita Sophorum,
Indeque transmittens visisti nave BRITANNOS?

Non prætermittam, sublatum febre malignâ,
Denatus in Hibernia, Anno 1642. Dum JUVERNA videt tractantem [illegible], medentemque
Urbe DREDA, multis quæ Regis honoribus aucta,
Ut sacra MERCURIO, fabricaret & ære monetam.
Nunc equidem Comitatus habet LUTH corpus inane,
Exuviasque tuas, sed fratres, atque sorores
Illas accumulant donis, in PACE quiescant,
Dum clamant, CHRISTIQUE fide, tellure resurgant.
Balthasar Natus Anno 1623. D. 5. Ian. Vlmæ. In GOAR ad RHENUM structo sua pharmaca miscet
BALTHASAR HORSTIADES, patriæ non degener artis.
Quæ, quum SWALBACI salso de fonte bibuntur
Undæ, deferri non parva levamina curat,
Principis indultu, quum sit virtute, fideque
Vir præstans, cujus MARPURG documenta probavit,
Ne quid, ceu fertur, pro Quo misceret ineptè,
Nec solùm Natis data vis præclara Parentis,
Sed Natabus inest etiam, Maternaque virtus,
Curaque, qua vel pingit acu, vel præparat arte
Fercula, vel condit, servat vel parta Mariti,
ANNA Nata 1620 Gissæ. ANNA, thori consors SCHMIDI, qui SCRIBA fidelis,
Conscius arcani quondam, quod corde fovebat
WITTENBERGIADES, Suecorum gloria magna,
Provida mens, oculus, quod semper PRAGA loquetur,
KOENIGSMARKIADEM quæ vidit, fulmina belli,
WITTENBERGIADENQUE, comes cui SCHMIDIUS ivit:
Hoc KAUFFBYRA viro nunc gaudet, cive probato,
Qui sexum generat meliorem, quique secundum;
Cui NUMEN reddat, quod bello frigora, diram
Atque famem constans toleravit, vincula captus,
Mitiget atque malum, sibi quod contraxit eundo,
Pro Patria, in diros hostes compluribus annis.
Catharina Nata Anno 1628. Mens. Decembr. Vlmæ. Nunc CATHARINA subit, conjux dilecta SINOLTI,
Qui satis in populos noto cognomine Schützen.
Gaudet, Præfectus qui fisco colligit æra
Ad GISSAM, officiis in REGIS-MONTE fidelis
PRINCIPIS HASSORUM, studiis quod Juris & æqui,
Dexteritate suâ meruit, quem prole quaternâ
Utriusque DEUS sexûs crescente beavit,
In generis laudem, fausta qua sorte JEHOVA
Et fratrem donat, natu qui maximus hujus
Stirpis, Palladiis jam pignora bina sacravit
Artibus, in Patria, non vile minantia genti:
Sic vivi crescant, & qui nascentur ab illis.

FIN-

*Ad*

## INSIGNIA HORSTIANA.

SCILICET *hic rerum multò est pulcerrimus ordo,*
*Ut, quæ mens tacito subter præcordia sensu*
*Collocat, hæc certis emittat denique signis,*
*Si modò comparibus velit innotescere dextrè*
*Naturis. Hæc noscendi distincta potestas:*
*Hæc ipsas gentes, & qui de gentibus orti,*
*Imò etiam totum pulcrè discriminat orbem:*
*Hinc Libyæ Crocodilus adest: Asiæque jocorum*
*Præses, largifica qui præbet aromata quadrâ:*
*Europæ Genius, quem Mars comitatur euntem:*
*Sic auri pateras ramentis undique plenas,*
*Radices ebenumque, & Zuccarin Amphitriten*
*Quærere Belgiaci potuerunt Argonautæ.*
*Quis non utiliter monstrata hæc signa Deorum,*
*Undè suam faciat meliorem, prosequitur, rem?*
*Horstiadis etiam (quisquis fuit autor, opimam*
*Objecit sortem) clypeo sua symbola splendent.*
*Symbola Socraticâ quæ ostendunt cuncta figurâ*
*Commoda vitai. Quid enim mihi Cerva notarit,*
*Quàm celeres, ævi cursusque, fugamque: viriles*
*Quæ poterant fregisse animos, nisi lampade Phœbus*
*Partibus obliquis diffunderet usque calorem?*
*Ergò laborabant veteres, velut ipsa jubebant*
*Arma, ac præcipiti studio properare volebant,*
*Dummodò præstarent & grata & idonea vitæ,*
*Et quæ dirigerent æternæ nomina famæ.*
*Sic noster festinat, adhuc vitalia spirans*
*Flamina,* GREGORIUS: *meritis pro talibus omne*
*Vindicet ut punctum, & seri sua gesta nepotes*
*Commemorent. Hæc cerva placet: hic hinnulus esse*
*Gestio, Phœbeæ modò sim ferventior Ægles,*
*Et curram, ut cœpto aspiret fortuna labori.*
*Si faveat Phœbus, (Phœbum intimo Cuncta foventem)*
*Cervæ pernicem superet cursura caballum.*

J. B. H. A.

*Autor Horstiadis.*

# FINIS.

I N-

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## IN HOC TOMO TERTIO CONTENTORUM COPIOSISSIMUS,

in quo

Numerus paginam, Litera verò a. columnæ partem primam & b. ejusdem partem secundam denotat.

D.

## E.



cur

F.

Fe-

Fraxi-

ad

## N.



## O.

## P.



ejus

humo-

## S.

ejus

Hysso-